el. 5-266

Digitized by Google

NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
1
27 -C
33
ROMA

EX BIBLIOTHECA ILLRIS DVCIS THOMÆ VARGAS MACCIVCCA

Leges, Volumina ex Bibliotheca nostra commodato accepta, lecturis. Secundum auspicia lata Lictor Lege agito in Legirupionem. Mas vel Foemina fuas, hac tibi lege, Codicis istius usum, non interdicimus.

I. HUnc ne Mancipium ducito. Liber est: ne igitur notis compugito. II. Ne coesim punctimve ferito: hostis non est. III. Lineolis, intus, forisve, quaquaversum, ducendis abstineto. IV. Folium ne subgito, ne complicato, neve in rugas cogito. V. Ad oram conscribillare caveto. VI. Atramentum ultra primum exesto: mori mavult quam foedari. VII. Puroe tantum papyri Philuram interserito. VIII. Alteri clanculum palamve ne commodato. IX. Murem, tineam, blattam, muscam, furunculum absterreto. X. Ab aqua, oleo, igne, situ, illuvie arceto. XI. Eodem utitor, non abutitor. XII. Legere, et quaevis excerpere, fas esto. XIII. Perlectum, apud te perennare ne sinito. XIV. Sartum tectumq., prout tollis, reddito. XV. Qui faxis, vel ignotus Amicorum albo adscribitor: qui secus, vel notus eradetor. Has sibi, has aliis praescribit leges in re sua, Ordinis Hyeresolimitani Eques Dux Thomas Vargas Macciucca. Quoi placeas annue, quoi minus, quid tibi nostra tactio est? Facesse.

DE ORACULIS GENTILIUM ET IN SPECIE DE VATICINIIS SIBYLLINIS

LIBRI TRES

AUTORE
DANIELE CLASEN.
PHILOS. ET J.U. DOCTORE, ET IN ACADEMIA JULIA ANTECESSORE ORDINARIO.

IN FINE ADIUNCTA SUNT

CARMINA SIBYLLINA
E' VERSIONE
SEBASTIANI CASTALIONIS.
UT ET
ONUPHRII PANVINII
TRACTATUS
DE
SIBYLLIS.

(o)

HELMSTADII,
Apud HENNINGUM MULLERUM
Anno CIↃ IↃC LXXIII.

SERENISSIMO AC CELSISSIMO PRINCIPI, ET DOMINO,

DOMINO

GEORGIO WILHELMO,

DUCI BRUNOVICENSIUM ET LUNÆBURGENSIUM.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

HEROI PIO ET JUSTO FELICITATEM PERENNEM!

SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME.

ANnus jam agitur decimus tertius, quô à Serenissimo quondam Principe ac Domino, Domino CHRISTIANO LUDOVICO, Brunovicensium ac Lunæburgensium Duce, Domino meo, cum viveret, clementissimo in patriam dulcissimam, quæ Lunæbur-

gùm audit, evocatus insignem publicè tàm Scientiæ Civilis & Moralis, quàm Jurium elementa docendi provinciam, lautô mihi subinde annuô stipendiô ex ubertimis cœnobii reditibus assignatô, præter omnem opinionem nactus sum. Quo etiam demandato mihi munere, uti equidem spero, ita defunctus sum, ut, quamdiu summus iste Princeps maximus literarum Patronus in vivis esset, non solùm studia mea & labores in erudiendo nobilium cœtu clementissimè probaverit; verùm etiam singulari quadam gratia me licèt immerentem eapropter dignatus fuerit. Cumque porro intelligerem, & Proceribus istius Principatus conatus meos haut displicere, quòd non paucos quotannis & eruditiores & meliores evadere ipsi conspicerent; eaque de causâ benevolum erga me animum signis sat luculentis declararent indies; hinc præviô consiliô decreveram functionem istam non nisi cum vita mea deserere. Quid enim melius optari poterit unquam, hisce exulceratis cum primis seculis, quàm tanti Principis clementia securè fruisci? & tot nobilium à latere tàm maximi Herois stantium suffragiis certum esse, omnem operam bono publico impensam æstimari, &, quod illa in totius provinciæ cedat emolumentum, palàm commendari? Postquam verò Serenissimus iste Princeps ex arcano

supre-

ſupremi Numinis conſilio ad meliorem ſedem translatus Sereniſſimo Celſiſſimoque ſuo FRATRI, DOMINO GEORGIO WILHELMO Duci Brunovicenſium & Lunæburgenſium, Domino meo itidem clementiſſimo ſceptrum & imperandi vices commiſit, non minorem, quàm antea, quod infucato ſanè calamo publicè hîc profiteor, perſenſi gratiam, in tantum, ut ſi ſuperis ita viſum fuiſſet, ſub Serenitatis Tuæ clementia in inclyta Lunæburgenſium civitate extrema fata & expectare & ſubire lubens voluiſſem. Quam tamen felicitatem fortuna, quæ alios modò in altum evehit, elatos verò pilæ inſtar iterum dejicit, novercati velut odio mihi præter ſpem invidit, deque proſperioris vitæ ſucceſſu ferè deſperare jubet, tot curis, moleſtiis, nec non ſimultatibus acerbitate ſua animum aliàs ad altiora exporrectum fermè ſuffocantibus. Attamen, Sereniſſime Princeps, reficit mentem meam Clementia Tua in literis, quibus ad hoc in illuſtri Academia Julia clementiſſimè mihi injunctum munus vocatus ſum, de novo promiſſa. Unde nulla dies unquam oblivione delebit memoriam eorum, quæ à Serenitate Tua veluti elegantioris ſcientiæ Numine tutelari, abundè ſum expertus. Utinam ſummæ iſti gratiæ, ſicuti apud animum memorem ſtat beneficii recordatio,

tio, ita possim respondere? Equidem non malè mihi consulent, qui istam tanti Principis beneficentiam toti Orbi condignis laudibus exponere, & publicè concelebrare suaserint, ut eximij istius & aliorum magnificentiam supergressi Herois exemplô cœteri ad similem virtutem, ut & altiorum præcipuè ad reipublicæ usus tendentium artium studia fovenda accenderentur. Verùm cùm ea, quæ de Te, SERENISSIME PRINCEPS jactantur, longè infra gloriam Tuam sint, quippe qui omnem prorsus famam virtute rariore excesseris, eaque priscis temporibus celebratos Duces ac Heroas omnes dudum provocaveris, quis mihi vitio vertet, si meæ tenuitatis in dicendo haud immemor, munere hoc deprædicandi alijs relictô, calamum meum ad Serenitatis Tuæ pedes humillimè submittam deponamque. Quippe quòd satius sit tàm insolitas excelsi ingenij refulgentes virtutes admirari, quàm inconcinno & hispido sermone eas dedecorare. Interim nescio, Serenissime Princeps, quomodo grati animi testimonium aliquod TIBI possim exhibere? Quid enim faciet Servus Tuus? qualenam is officium aut quamcunque Servitutem tantæ gratiæ & munificentiæ respondentem poterit polliceri, nedum præstare? qui quicquid

quid consecutus est, Serenitati Tuæ unicè acceptum referre; ab eaque veluti à benigno omnis beneficentiæ fonte totam suam fortunam in se derivari devota mente agnoscere & fateri debet. Ut tamen Serenitati Tuæ pro tàm magnis in me collatis beneficijs aliquod saltem animi haut ingrati extaret monumentum; libros hosce de Oraculis Gentilium, & vaticiniis Sibyllarum subcisivis horis elaboratos sub Celsissimi nominis Tui auspiciis prodire volui in publicum, ut omnibus constaret, quòd Illustrissimum Nomen Tuum non tacitè saltem intra cordis adytum colerem ac venerarer; sed illud ipsum quoque hisce levidensibus meis commentationibus coram orbe erudito comprobare auderem. Accipe igitur SERENISSIME PRINCEPS benigna & serena fronte munusculum hocce literarium, quod veluti tabulam quandam in Principalis Tuæ gloriæ templo ea certè mente suspendo, ut, quamdiu mihi vita ac valetudo superfuerit, eâdem ad majora, imò ad sanguinem usque TIBI me obstrictum esse pateat cunctis. Et sane, Clementissime Princeps, majus quippiam à me fortean haut expectes, quippe qui majus aliquid etiam reddere nequeam, quàm animum intemeratum ac devotum, quô Sereni-

renitatem Tuam æternùm venerabor, colam, & adorabo. Deus Serenitatem Tuam ſartam tectamque conſervet, ut diu hiſce in terris vivat feliciter, & inter ſtrepentia turbulenti militis arma Principatui ſuo pacem & quietem publicam conſervet illæſam, nec non ſub tranquillo imperio ingemiſcentis Minervæ aram contra truculenti Martis ſævitiem fortiter protegat, & à feralis Bellonæ tyrannide eam conſervet immunem.

SERENITATIS TUÆ

Helmſteti ipſis Nonis Septembris

ANNO CIↃ IↃ C LXXIII.

devotiſſimus Cliens & Servus

DANIEL CLASEN.

PRÆFA-

PRÆFATIO
AD
BENEVOLUM
LECTOREM.

Satis mirari non possum, quòd inter paganos etiam Magnates & sapientiores Oraculorum autoritatem tanti æstimaverint, ut ea non solùm summa religione venerarentur; verùm etiam de rebus maximi momenti certis adhibitis ceremoniis ea vel ipsi coràm, vel per Legatos & nuncios suos consulerent. Et licèt fallacibus Dæmonum responsis sæpe decepti damno non modico se affectos viderent; nihilominus tamen ambigua pro certis, falsa pro veris admittendo, omnem ferè fortunam suam ab istorum eloquiorum eventibus suspenderunt, ea ratione sibi quàm optimè prospectum esse perperam existimantes. Oraculorum autem istorum effata potissimùm negotia humana ad vitæ civilis felicitatem spectantia, & tàm prosperos quàm adversos rerum futurarum successus respexerunt. Hinc rarò in historiarum pandectis occurrent exempla, quibus de meliore post obitum vita & beatitudine æternùm duraturâ Dæmones consultos fuisse monstrari queat. De Sibyllis tamen aliud reperitur, utpote quæ mulieres fatidicæ consulentibus de rebus futuris earumq; exitu quidem responderunt, nec non sua vaticinia dubio procul in usum posterorum literis consignârunt; attamen in negotiis humanis illarum vaticinia non substiterunt, sed gentilibus immanium errorum & deliræ superstitionis tenebris ad stuporem usq; immersis veræ salutis viam è peculiari S.

Numinis inspiratione aperuisse creduntur. Nam quæ de Messiæ nativitate, dira passione, reditu in vitam, miraculis ut & aliis multis prædixisse perhibentur verum istud medium suppeditant, quô æternam cuique fidelium salutem indipisci licebit. Et quod magis est, ea claritate vaticinia istæc constant; quam in Prophetarum Oraculis frustra quæsiveris. Quæ quoque causa fuit, quare nonnulli Sapientes, non attentâ SS. Patrum autoritate, de illorum veritate dubitare, eaq; sublestæ fidei incusare cœperint, veluti à DEI *consiliis longius abhorreat, paganis per feminas Idololatriæ non minus deditas manifestiora salutis media, quàm ex omnibus gentibus electo suo populo per sanctos istos Vates prodere. Verum dicat aliquis: Uti de vaticiniorum Sibyllinorum autoritate, ita etiam de Oraculorum veritate licebit dubitare. Quis enim certò scire poterit, nunquid Dæmones unquam ea ratione consulti fuerint, vel ipsi consulentibus dederint responsa? Sed qua de causa vaticinia Sibyllarum fuerint in dubium vocata, in libro hujus Operis tertio abundè est monstratum. Sibyllas interim reapse quondam extitisse, & interrogantibus responsa dedisse, hucusq; non videtur negatum. Oracula autem diversis in locis apud Gentiles fuisse, & ab iis homines consilia & responsa de futuro rerum suarum statu, ut & aliis variis infinitisq; negotiis impetrâsse, historiæ loquuntur, quippe quæ posteris indicant, quid antiquis temporibus fuerit actum. Enimverò multi fuerunt, qui, cum scirent, se aliquando vivendi finem facturos, nominis interim immortalitatem sibi parare cuperent, talia sanè in his terris gesserunt; unde fama illorum nullâ unquam vetustate deleri, sed posteritatis judicio subjecta foret*

perpe-

perpetuò. More eorum, qui, depositâ, quam in theatro sustinuerunt, personâ, licèt ipsi postmodum iterum ibi non compareant, indicio spectatorum etiam post peractam fabulam manent suppositi, & prout illi in Scena bene vel malè sese gesserunt, vel laudum encomia, vel vituperationum acerbitates ab iis coguntur expectare. Sed quô pactô anteactorum notitia aliter atque subsidio historiarum posteris innotescere poterit? Qua ratione nobis constabit, tot Reges, Principes, Duces, aliosque summos viros quondam ob res bene vel malè gestas, ob tot bella suscepta, ob tot populos excisos, totque civitates devastatas, aut similia peracta inclaruisse, nisi mediante historia? Duo enim sunt principia, quibus rerum naturalium & humanarum cognitio potissimum acquiri poterit: Ratio scilicet & Traditio. Sed operationis anteactorum, quæ in facto consistunt, notitiam consequi vix licebit, quippe quòd ratio in universalibus occupata supponat singularia sensibus cognoscenda, & ab hisce ad illa procedat. Superest igitur, ut res antiquioribus seculis peractæ non nisi beneficio traditionis ad posterorum notitiam deferantur. Iam verò illud, quod de antiquis Historiæ suppeditant, vel tanquam certum & verum admittitur, aut non sed de istius veritate & certitudine dubitatur, nisi ea planè negetur? Si posterius dicitur? historiarum fides intercidet tota, adeoq; nihil in monumentis veterum erit comprehensum, de quo ad minimum non liceat dubitare. Quod quàm absurdum sit, quilibet, modò calcem in cerebro non habeat, sua sponte intelliget. Sanè pro Historicis est præsumtio de certitudine saltem morali eo-

rum, quæ ab ipsis enarrantur, quòd scilicet tanquam viri boni veritatem rerum gestarum, prout illæ cum omnibus suis circumstantiis contigerunt, in literas referre, & posterorum memoriæ committere voluerint. Si verò prius affirmatur? nullam certè video causam, quamobrem quæ de aliis rebus traduntur, tanquam vera probari; ea verò, quæ de Oraculis apud integræ fidei historicos veteres reperiuntur annotata, in dubium vocari mereantur? Sed missâ hac disputatione, ipse hactenus tanquam firmum supposui, de Oraculorum certitudine neminem facilè ambigere posse, tot vetustis insigniorum historicorum testimoniis passim extantibus. Eapropter istud argumentum de Oraculis Gentilium tractare suscepi, quod quoque intra istud temporis spatium, quod de meis continuis laboribus decerpere, dicam, an suffurari potui, tandem ad umbilicum deduxi. Non certè eum ob finem, ac si ipse gloriam peculiaris cujusdam scientiæ præ aliis eruditissimis viris, qui mei sunt ordinis, ex elati animi f[illegible]tu consequi intendam: Deus, quem intemerata mente veneror, novit, hac à moribus meis abesse longius: sciunt & illi, qui mecum conversantur, tale quippiam à me esse alienum: affectatæ siquidem eruditionis elegantioris suspicionem, quæ interdum cum aliorum talia ignorantium contemtu conjuncta esse solet, omnibus conatibus declino: Verùm ut, cùm istud argumentum à paucis hactenus accuratè fuerit elaboratum, specimen saltem exhiberem, quô pateret cunctis, quantam malus Genius sibi sumserit potestatem in mortalium actiones, ad omnem earum vim à suis responsis unicè suspendendam. Deinde, quoniam insignes quidam scriptores aliquam partem ex anti-

quis

quis monumentis excoluerunt, non malè & me agere arbitratus sum, si illam de Gentilium Oraculis notitiam erudito orbi exponerem cumprimis, ubi à pueritia istis quoque studiis, quæ ab humanitate commendantur, indefessa opera deditus fuit, & adhuc, quantum muneris ratio id permiserit, ea excolere non desisto. Isti operi adiunxi doctrinam de vaticiniis Sibyllarum; ubi non tantùm illarum ortum, patriam, locum ubi vixerunt, carmina ut & alia huc pertinentia explicavi; verùm etiam de libris Sibyllinis à Romanis summa veneratione custoditis & consultis: & quid porrò de vaticiniis Sibyllinis Meßiam ejusque officium concernentibus alii judicent fusißimè egi, ab utraque dißidentium parte in medium allatis rationibus, quarum aliæ ad defendendam, aliæ verò ad deprimendam vaticiniorum Sibyllinorum autoritatem tendunt. In quibus omnibus tamen ita me continui, ut quid sentirem ipse, dißimularem. Nolo itidem cum quoquam eo de negotio contendere, quin potius cuiquam suam sententiam relinquo liberam, sicuti in illis, in quibus sæpe id, quod saltem verosimile est, & interdum non nisi per conjecturam indagari poterit, aliter fieri non poterit. Cæterùm Sibyllina Vaticinia octo libris comprehensa à Sebastiano Castalione Latinè reddita, mihi autem à Plurim. Rever. & Excellentissimo viro Domino Iohanne Iusto Oldekopio quondam in Gymnasio Lunæburgensi Philologiæ Professore & collega, nunc apud Hannoveranos Ecclesiaste fidelißimo, amico meo sincero communicata hac occasione iterum excudi feci unà cum Tractatu de Sibyllis Onuphrij Panvinij. VALE Benevole Lector, & si placuerit meis laboribus fruere nisi de hisce jam tum meliora observaveris & didiceris.

INDEX CAPITVM QVÆ IN HISCE LIBRIS OCCVRRVNT.

LIBRI PRIMI

CAPVT.

LIBRI TERTII

LIBRI



LIBRI PRIMI

CAPUT I.

Oracula olim fuiſſe, eaq́; Dæmonem habuiſſe Autorem oſtenditur, ſimulq́; erronea quorundam opinioni circa hanc doctrinam occurritur.

QUi in ſcriptis antiquorum verſati ſunt, eos, uti equidem ſpero, latere nequit: Oracula diverſis in provincijs & regionibus conſtituta conſulentibus de futuris rebus reſponſa dediſſe. Superſtitione ſiquidem dementati homines certius ſe conſilium impetrare hanc poſſe arbitrati ſunt; atque ſi de futurorum eventu à Dæmone eſſent inſtructi, neſcientes, ſe perplexis & dubijs vocibus non tantum in diverſas partes diſtrahi; ſed & ſpe facta defraudatos in vitæ diſcrimen induci. Quod indicat *Euſebius l. 5. c. 19. p. 210. de Præp. Evangel.* quando ait: ὁπόσοις ὁ Ἀπόλλων διὰ τῆς τῶν χρησμῶν ἀμφιβολίας θανάτυ αἴτιος γέγονε, id eſt. *Quam multis Apollo reſponſorum ambiguitate necem attulit.* Quomodo Delphicus Deus Oenomao & Crœſo verborum perplexitate circumventis periculum mortis creaverit, idem *Euſebius* tradit *l. 5. c. 20. p. 210. & ſeqq. de præpar. Evangel.* Nec mirum! Enimverò Spiritus iſte improbus futurorum cognitionem non habet, niſi illam è coniectatione quadam indagare queat. Hinc, ne oraculo olim falſitas vel error tribueretur; ſed ipſi potius ſumma conſervaretur autoritas, verborum involucris obſcuratum reſponſum infelicitatem eventus ſumſit à ſimplicitate vel ignorantia hominum mentem Dei ſui minus rectè percipientium. Non poſſum, quin hîc adſcribam locum egregium ex *Euſebio l. 4. c. 2. p. 133. De Præpar. Evang.* & quidem è verſione *Franciſci Vigeri*: Verba ſunt pluſcula, aliàs Græcum textum apposuiſſem: *Enimverò quæcunq; ab* Oraculis *ſine ulla reſponſi ambiguitate prædicta ſunt, non ex præſenſione qua-*

ne qua-

qui frustra nobis persuadere conantur, oracula esse orta è principijs naturalibus, nec in ijs vel minimum intervenisse, quod è principio superiore duceret ortum. At illi à vero aberrant: multa namque, uti infra patebit, ab Oraculis sunt prædicta, ad quæ nulla ratione humanæ mentis acumen pertingere potuit. *Vossius l. 1. c. 6. p. 43. de Orig. & Progressu Idololat.* Porphyrius quoque ut & Iamblichus asserunt: Dæmones esse oraculorum causas: quorum prior iste, sicut in Eusebio videre licet, acriter Oracula perstrinxit. Alii existimant, ac si Oracula planè non fuerint, sed saltem homines prudentes ea confinxerint, dubio procul, ut majorem in animis civium concitarent timorem Numinis, eosque in superstitione penitus obfirmarent. Non refragabor, uti multi civiles viri prudentesque legislatores finxerunt se cum Egeria Nympha locutos: aut in antro Jovis pietatem & Leges addidicisse: sic & finxisse se publicè accepisse divinum responsum. Quo commento vulgus facilè induci potuit, ut crederet certa Deorum hospitia, ubi cum hominibus familiariter ipsi loquerentur, & de futuris eos edocerent. Cui tamen sententiæ historia antiqua contradicit, utpote in qua legere licet, quàm multa in diversis regionibus celebria extiterint oracula, ad quæ magnis conatibus sciendi futura accesserint homines, quorum sanè responsa à tot scriptoribus relata non possunt pro figmentis agnosci. Equidem non resistam: figmentum esse quod pro Apollinis Oraculo venditatur apud Porphyrium: *Deos esse spiritus aëreos; unum autem Hebræorum Deum colendum esse. Et Iustinus in Exhort. ad Gent.* refert, sciscitanti cuidam, quinam viri unquam fuissent religiosi, ita oraculum locutum esse: *μοῦνοι χαλδαῖοι σοφίην λάχον ἠδ' ἄρ' Ἑβραῖοι αὐτογένητον ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸν ἁγνῶς.* *Soli Chaldei sapientiam indepti sunt, ut & Hebræi Qui ingenitum Regem Deum pure venerantur. Grot. l. 4. de verit. relig. p. 4665. Tom. 9. Critic. sacror. Leonh. Coquæus ad l. 19. c. 23. p. 1321. de Civit Dei.* Ita & Porphyrius alibi ait: *Deus Apollo testatur, AEgyptios, Phœnices Chaldæos, Lydos & Hebræos vera via repertores esse.* De hisce & similibus indicat *Augustinus l. 19. c. 23. p. 1318. de Civ. Dei.* quòd talia sint ab homine callido eoque Christianis inimicissimo conficta. Non enim novum fuit, ut gentiles suis non nunquam ficta oracula obtruderent, quibus eos in errore facilius continerent. Nescio an non huc pertineat, quod *Eusebius l. 4. c. 1. p. 131. de præpar. Evangel.* dicit: *Responsa Deorum artificiosis versibus illi,*

illigata, hominum non rudium, sed ad fallacias dolosq́, nectendos apprimè compositorum commenta esse: quæ ancipiti & ambiguo sermone contexta in utramque expectati rerum eventus partem non ineptè cadere & quadrare possint. Attamen quicquid de figmentis illis sit, in universum Oracula, de quibus tota loquitur antiquitas, pro effictis hominum responsis habere, & tot bonorum scriptorum testimonia in dubium vocare, nescio an recta ratio probare queat? Audiamus, quid *Marsilius Cognatus* de Oraculis sentiat: *Quam multa oracula antiquis fuerè seculis, quæ ambigua fata exponebant hominibus, quorum vocem, ut Deorum vocem summa cum veneratione accipiebant, quòd nullus mortalium talia prædicere posset.* Neque hoc omittendum, quòd Pagani fidem seu religionem suam ab Oraculis commendare soleant: ex quo obscurum esse haud poterit, ipsos credidisse, responsa illa à Deo esse profecta: cùm religio, quæcunque demum fuerit, non hominis, sed Numinis opus esse existimetur. *Plutarchus in lib. de Oracul. defectu* credit, multum divinitatis Oraculo inesse. Hinc illud non consistet in hominum figmentis, sed in divino quodam eloquio & directione. Ea propter & gentiles Oraculi responsum, non aliter ac Dei responsum acceperunt. Sicuti idem *Plutarchus* refert de Lacedæmonijs, quod cum ipsi adversus Athenienses auxilium peterent ab Oraculo, Deum respondisse dixerint. Et alibi *Plutarchus* innuit: Deum Cleotimo dedisse responsum. Hinc si gentiles etiam sapientiores crediderunt: Deum respondisse; & revera etiam spiritus seu Dæmones humana scientia superiores ad consulentium preces responsum tulisse, tale, inquam, quod hominis mens prævidere sua sagacitate haud potuit: inde non video, quomodo quis inhærere quorundam sententiæ possit, quæ defendere nitatur: Responsa Oraculorum fuisse hominum ficta responsa.

CAPUT II.

Variæ acceptiones vocis Oraculi explicantur, & quid hoc loco propriè sit oraculum, describitur.

VOcabulum *Oraculi* est è numero eorum, quæ varias patiuntur significationes: inde, antequam ad alia progrediamur, com-

Numinis inspiratione aperuisse creduntur. Nam quæ de Messiæ nativitate, dira passione, reditu in vitam, miraculis ut & aliis multis prædixisse perhibentur verum istud medium suppeditant, quô æternam cuique fidelium salutem indipisci licebit. Et quod magis est, ea claritate vaticinia istæc constant; quam in Prophetarum Oraculis frustra quæsiveris. Quæ quoque causa fuit, quare nonnulli Sapientes, non attentâ SS. Patrum autoritate, de illorum veritate dubitare, eaq; sublestæ fidei incusare cœperint, veluti à DEI consiliis longius abhorreat, paganis per feminas Idololatriæ non minus deditas manifestiora salutis media, quàm ex omnibus gentibus electo suo populo per sanctos istos Vates prodere. Verum dicat aliquis: Uti de vaticiniorum Sibyllinorum autoritate, ita etiam de Oraculorum veritate licebit dubitare. Quis enim certò scire poterit, nunquid Dæmones unquam ea ratione consulti fuerint, vel ipsi consulentibus dederint responsa? Sed qua de causa vaticinia Sibyllarum fuerint in dubium vocata, in libro hujus Operis tertio abundè est monstratum. Sibyllas interim reapse quondam extitisse, & interrogantibus responsa dedisse, hucusq; non videtur negatum. Oracula autem diversis in locis apud Gentiles fuisse, & ab iis homines consilia & responsa de futuro rerum suarum statu, ut & aliis variis infinitisq; negotiis impetrâsse, historiæ loquuntur, quippe quæ posteris indicant, quid antiquis temporibus fuerit actum. Enimverò multi fuerunt, qui, cum scirent, se aliquando vivendi finem facturos, nominis interim immortalitatem sibi parare cuperent, talia sanè in his terris gesserunt, unde fama illorum nullâ unquam vetustate deleri, sed posteritatis judicio subjecta foret

perpetuò. More eorum, qui, depoſitâ, quam in theatro ſuſtinuerunt, perſonâ, licèt ipſi poſtmodum iterum ibi non compareant, iudicio ſpectatorum etiam poſt peractam fabulam manent ſuppoſiti, & prout illi in Scena bene vel malè ſeſe geſſerunt, vel laudum encomia, vel vituperationum acerbitates ab iis coguntur expectare. Sed quô pactô antcactorum notitia aliter atque ſubſidio hiſtoriarum poſteris innoteſcere poterit? Qua ratione nobis conſtabit, tot Reges, Principes, Duces, alioſque ſummos viros quondam ob res bene vel malè geſtas, ob tot bella ſuſcepta, ob tot populos exciſos, totque civitates devaſtatas, aut ſimilia peracta inclaruiſſe, niſi mediante hiſtoria? Duo enim ſunt principia, quibus rerum naturalium & humanarum cognitio potiſſimum acquiri poterit: Ratio *ſcilicet &* Traditio. *Sed ope rationis anteactorum quæ in facto conſiſtunt, notitiam conſequi vix licebit, quippe quòd ratio in univerſalibus occupata ſupponat ſingularia ſenſibus cognoſcenda, & ab hiſce ad illa procedat. Supereſt igitur, ut res antiquioribus ſeculis peractæ non niſi beneficio traditionis ad poſterorum notitiam deferantur. Iam verò illud, quod de antiquis Hiſtoriæ ſuppeditant, vel tanquam certum & verum admittitur, aut non ſed de iſtius veritate & certitudine dubitatur, niſi ea planè negetur? Si poſterius dicitur? hiſtoriarum fides intercidet tota, adeoq; nihil in monumentis veterum erit comprehenſum, de quo ad minimum non liceat dubitare. Quod quàm abſurdum ſit, quilibet, modò calcem in cerebro non habeat, ſua ſponte intelliget. Sanè pro Hiſtoricis eſt præſumtio de certitudine ſaltem morali eorum,*

rum, quæ ab ipsis enarrantur, quòd scilicet tanquam viri boni veritatem rerum gestarum, prout illæ cum omnibus suis circumstantiis contigerunt, in literas referre, & posterorum memoriæ committere voluerint. Si verò prius affirmatur? nullam certè video causam, quamobrem quæ de aliis rebus traduntur, tanquam vera probari; ea verò, quæ de Oraculis apud integræ fidei historicos veteres reperiuntur annotata, in dubium vocari mereantur? Sed missâ hac disputatione, ipse hactenus tanquam firmum supposui, de Oraculorum certitudine neminem facilè ambigere posse, tot vetustis insigniorum historicorum testimoniis passim extantibus. Eapropter istud argumentum de Oraculis Gentilium tractare suscepi, quod quoque intra istud temporis spatium, quod de meis continuis laboribus decerpere, dicam, an suffurari potui, tandem ad umbilicum deduxi. Non certè eum ob finem, ac si ipse gloriam peculiaris cujusdam scientiæ præ aliis eruditissimis viris, qui mei sunt ordinis, ex elati animi f[illegible]tu consequi intendam: Deus, quem intemerata mente veneror, novit, hac à moribus meis abesse longius: sciunt & illi, qui mecum conversantur, tale quippiam à me esse alienum: affectatæ siquidem eruditionis elegantioris suspicionem, quæ interdum cum aliorum talia ignorantium contemtu conjuncta esse solet, omnibus conatibus declino: Verùm ut, cùm istud argumentum à paucis hactenus accuratè fuerit elaboratum, specimen saltem exhiberem, quô pateret cunctis, quantam malus Genius sibi sumserit potestatem in mortalium actiones, ad omnem earum vim à suis responsis unicè suspendendam. Deinde, quoniam insignes quidam scriptores aliquam partem ex anti-

quis monumentis excoluerunt, non malè & me agere arbitratus sum, si illam de Gentilium Oraculis notitiam erudito orbi exponerem cumprimis, ubi à pueritia istis quoque studiis, quæ ab humanitate commendantur, indefessa opera deditus fuit, & adhuc, quantum muneris ratio id permiserit, ea excolere non desisto. Isti operi adiunxi doctrinam de vaticiniis Sibyllarum; ubi non tantùm illarum ortum, patriam, locum ubi vixerunt, carmina ut & alia huc pertinentia explicavi; verùm etiam de libris Sibyllinis à Romanis summa veneratione custoditis & consultis: & quid porrò de vaticiniis Sibyllinis Messiam ejusque officium concernentibus alii judicent fusissimè egi, ab utraque dissidentium parte in medium allatis rationibus, quarum aliæ ad defendendam, aliæ verò ad deprimendam vaticiniorum Sibyllinorum autoritatem tendunt. In quibus omnibus tamen ita me continui, ut quid sentirem ipse, dissimularem. Nolo itidem cum quoquam eo de negotio contendere, quin potius cuiquam suam sententiam relinquo liberam, sicuti in illis, in quibus sæpe id, quod saltem verosimile est, & interdum non nisi per conjecturam indagari poterit, aliter fieri non poterit. Cæterùm Sibyllina Vaticinia octo libris comprehensa à Sebastiano Castalione Latinè reddita, mihi autem à Plurim. Rever. & Excellentissimo viro Domino Iohanne Iusto Oldekopio quondam in Gymnasio Lunæburgensi Philologiæ Professore & collega, nunc apud Hannoveranos Ecclesiaste fidelissimo, amico meo sincero communicata hac occasione iterum excudi feci unà cum Tractatu de Sibyllis Onuphrij Panvinij. VALE Benevole Lector, & si placuerit meis laboribus fruere nisi de hisce jam tum meliora observaveris & didiceris.

INDEX CAPITVM QVÆ IN HISCE LIBRIS OCCVRRVNT.

CAPVT.



LIBRI PRIMI

CAPUT I.

Oracula olim fuisse, eaq; Dæmonem habuisse Autorem ostenditur, simulq; erroneæ quorundam opinioni circa hanc doctrinam occurritur.

Ui in scriptis antiquorum versati sunt, eos, uti equidem spero, latere nequit: Oracula diversis in provincijs & regionibus constituta consulentibus de futuris rebus responsa dedisse. Superstitione siquidem dementati homines certius se consilium impetrare hanc posse arbitrati sunt; atque si de futurorum eventu à Dæmone essent instructi, nescientes, se perplexis & dubijs vocibus non tantum in diversas partes distrahi; sed & spe facta defraudatos in vitæ discrimen induci. Quod indicat *Eusebius l. 5. c. 19. p. 210. de Præp. Evangel.* quando ait: ὁπόσοις ὁ Ἀπόλλων διὰ τῆς τῶν χρησμῶν ἀμφιβολίας θανάτου αἴτιος γέγονε, id est. *Quam multis Apollo responsorum ambiguitate necem attulit.* Quomodo Delphicus Deus Oenomao & Crœso verborum perplexitate circumventis periculum mortis creaverit, idem *Eusebius* tradit *l. 5. c. 20. p. 210. & seqq. de præpar. Evangel.* Nec mirum! Enimverò Spiritus iste improbus futurorum cognitionem non habet, nisi illam è coniectatione quadam indagare queat. Hinc, ne oraculo olim falsitas vel error tribueretur; sed ipsi potius summa conservaretur autoritas, verborum involucris obscuratum responsum infelicitatem eventus sumsit à simplicitate vel ignorantia hominum mentem Dei sui minus rectè percipientium. Non possum, quin hîc adscribam locum egregium ex *Eusebio l. 4. c. 2. p. 133. De Præpar. Evang.* & quidem è versione *Francisci Vigeri*: Verba sunt pluscula, aliàs Græcum textum apposuissem: *Enimverò quæcunq; ab* Oraculis *sine ulla responsi ambiguitate prædicta sunt, non ex præsensio-*

ne quadam ac scientia futurorum, sed ex aliqua tantum conjiciendi vi pronunciata, ex iis infinita planè deprehensum esse, imò propè dixerim omnia, prædictionis veritate sæpius caruisse, cum res contrarium Oraculo finem & exitum habuissent: nisi verò, quod rarò admodum, atque unum ex infinitis aliquid, aut casu fortuito, aut esse aliqua futurum augurata contigerit, id veritatis opinionem oraculo conciliet. Nam illud demum esse, quod ab istis iactari maximè terrarum ubique magna voce prædicari, in cippos & columnas incidi videas: qui cum (si quando res ita tulerit) quod tàm multi expectatione sua decepti fuerint, verbum planè nullum fieri velint: tum verò, quod uni ex infinitis alicui, prout ab oraculo responsum fuerat, acciderit, id nullo non loco circumferant. Plura non ad scribam. Quamvis verò plurimum fallerentur homines fatidicis istis eloquiis; nihilominus tamen spem salutis suæ inde derivarunt, minus accuratè se Oraculi sensum intellexisse credentes, si vaticinio non responderet rei exitus. Huc facit, quod dicit *Octavius Callidius* apud *Iosephum Casalinum lib. 2. c. 15. p. 101. de Religione Gentil. Stolidum delirium Magnatum & aliorum de plebe usque eo crevit, ut spem vitæ tutam, mundi venturaq; fata ipsi ab oraculorum responsis pendere existimarent. Quapropter non in una regione, sed multis in regnis & provinciis fallacia à Delphico vate reddita sunt consulentibus responsa; licet ipsa loca celebritatem augerent.* Quin talia loca hosti metum incusserunt, ne arma in ea inferrent. Cujus rei testis est Delus. Nam cum Persæ totam ferè Græciam occupassent, in Delum tamen non irruerunt, metu religionis, ob quam ipsa cunctis gentibus tacitam timoris vim inspiraverat, & Dei responsa ibi dantis sanctitate deterriti. Verùm in his ce prolixior haut ero. Id saltem mirari licet, qui factum, quòd spiritus iste impurus tantam sibi in viventium cœtu conciliarit potestatem, ut de se nescio quem timorem mentibus hominum ingeneraverit, eumque suis responsis licèt rarò veris confirmaverit? Non repetam quæ circa hanc quæstionem fuse edisserit *Iosephus Casalinus l. 2. c. 12. p. 87. de Relig. Gentil.* Illud saltem intrepidè confiteor, permissu veri Dei id esse factum. Qui ubi vidit se à mortalibus deseri, eosque superstitione effascinatos à Dæmonum responsis dependere, permisit illis viam, quam ea ratione elegerant, calcare. Quod ut paulò altius repetam: certum est, quòd proximià Patriarcharum ævo veram de Deo cognitionem multis aliis superstitionibus obnubilarint, & Majorum exemplis

exemplis ex animo sepositis, alio more, quàm edocti fuerant, sequius vivere cœperint: posteri quoque incrustatam à parentibus doctrinam novis quibusdam corruptelis pejus de fœdarint, & parentum suorum vestigiis insistentes peccata peccatis cumularint. Hosce improbos & ingratos Deus tandem deseruit, eosque suæ impietati reliquit: quo factum, ut Dæmonum potestati tandem subiecti in pravitate sua fuerint confirmati. Interea quosdam præ cæteris elegit, quibus jura & voluntatem suam per servum suum Mosem aperiret, ut in quorundam saltem auribus vox divinæ veritatis resonaret, nec tota hominum multitudo stupendis implicita erroribus interiret. Quoniam verò Deus locutus est cum Mose, & in gente sua electa certum cultum divinum instituit, nec non ibidem vaticiniis & Oraculis locum esse voluit; ideo Dæmon Dei Simius ea, quæ apud Hebræum populum erant ordinata, imitatus similia ferè disposuit inter suos. Nam sacra certis solennitatibus celebranda demandavit: & publica responsa consulentibus suppeditare voluit, ne ob famam Judaicæ Ecclesiæ propter ceremoniarum pulchritudinem, & Jurium bonarumque Legum sanctitatem ansam caperent in nova ista inquirendi, vel à recepta fide deficiendi, utpote cum similes suis in locis reperirent ritus. Atque his sacris tenaciter irretiti diu adhæserunt, usque dum Servatoris adventu tenebris ex infidelium mentibus dispulsis, & ostensa illis vera ad salutem æternam via, Dæmonis imperium corruerit. Huc facit, quod scribit Hugo *Menardus Lib. 3. c. 1. p. 238. Memorabil. Diu quidem malus Genius hominum ingenia egit in fraudem, dum, ut Deum se coli, ut Deum se adorari, ut Deum se consuli voluerit, idq́, etiam non difficulter obtinuerit. Attamen nato Salvatore, ejus potentia est imminuta, ejusq́, lingua obriguit veluti aspidis vis audita voce sui incantatoris: nec non ejus sacra & cultus disperierunt. Christus enim venerat, ut opera Satanæ dissolveret.* Bene hæc *Menardus* protulit. Illud autem ineptum est, quod scriptor iste addit: *Se non videre, qua ratione Deus possit absolvi à culpa, propterea, quod Dæmoni tantam elargitus fuerit potestatem animis hominum dominandi, neque illam potius impediverit.* Etenim Deus non tenetur impedire hominum malitiam, postquam ipsi, accepta libertate arbitrii, æquè bonum atque malum eligere poterunt. Quia verò propria culpa à veritatis tramite deflexerunt, sibimet ipsis damnum exinde contractum imputabunt. Sed quo dilabor! sunt,

 qui

qui frustra nobis persuadere conantur, oracula esse orta è principijs naturalibus, nec in ijs vel minimum intervenisse, quod è principio superiore duceret ortum. At illi à vero aberrant: multa namque, uti infra patebit, ab Oraculis sunt prædicta, ad quæ nulla ratione humanæ mentis acumen pertingere potuit. *Vossius l. 1. c. 6. p. 43. de Orig. & Progressu Idololat.* Porphyrius quoque ut & Iamblichus asserunt: Dæmones esse oraculorum causas: quorum prior iste, sicut in Eusebio videre licet, acriter Oracula perstrinxit. Alii existimant, ac si Oracula planè non fuerint, sed saltem homines prudentes ea confinxerint, dubio procul, ut majorem in animis civium concitarent timorem Numinis, eosque in superstitione penitus obfirmarent. Non refragabor, uti multi civiles viri prudentesque legislatores finxerunt se cum Egeria Nympha locutos: aut in antro Jovis pietatem & Leges addidicisse: sic & finxisse se publicè accepisse divinum responsum. Quo commento vulgus facilè induci potuit, ut crederet certa Deorum hospitia, ubi cum hominibus familiariter ipsi loquerentur, & de futuris eos edocerent. Cui tamen sententiæ historia antiqua contradicit, utpote in qua legere licet, quàm multa in diversis regionibus celebria extiterint oracula, ad quæ magnis conatibus sciendi futura accesserint homines, quorum sanè responsa à tot scriptoribus relata non possunt pro figmentis agnosci. Equidem non resistam: figmentum esse quod pro Apollinis Oraculo venditatur apud Porphyrium: *Deos esse spiritus aëreos; unum autem Hebræorum Deum colendum esse. Et Iustinus in Exhort. ad Gent.* refert, sciscitanti cuidam, quinam viri unquam fuissent religiosi, ita oraculum locutum esse: μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίην λάχον ἠδ' ἄρ' Ἑβραῖοι αὐτογένητον ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸν ἁγνῶς. *Soli Chaldei sapientiam indepti sunt, ut & Hebræi Qui ingenitum Regem Deum pure venerantur. Grot. l. 4. de verit. relig. p. 4665. Tom. 9. Critic. sacror. Leonh. Coquæus ad l. 19. c. 23. p. 1321. de Civit Dei.* Ita & Porphyrius alibi ait: *Deus Apollo testatur, AEgyptios, Phœnices Chaldæos, Lydos & Hebræos vera via repertores esse.* De hisce & similibus indicat *Augustinus l. 19. c. 23. p. 1318. de Civ. Dei.* quòd talia sint ab homine callido eoque Christianis inimicissimo conficta. Non enim novum fuit, ut gentiles suis non nunquam ficta oracula obtruderent, quibus eos in errore facilius continerent. Nescio an non huc pertineat, quòd *Eusebius l. 4. c. 1. p. 131. de præpar. Evangel.* dicit: *Responsa Deorum artificiosis versibus*

illigata, hominum non rudium, sed ad fallacias dolosq; nectendos apprimè compositorum commenta esse: quæ ancipiti & ambiguo sermone contexta in utramque expectati rerum eventus partem non ineptè cadere & quadrare possint. Attamen quicquid de figmentis illis sit, in universum Oracula, de quibus tota loquitur antiquitas, pro effictis hominum responsis habere, & tot bonorum scriptorum testimonia in dubium vocare, nescio an recta ratio probare queat? Audiamus, quid *Marsilius Cognatus* de Oraculis sentiat: *Quam multa oracula antiquis fuerè seculis, quæ ambigua fata exponebant hominibus, quorum vocem, ut Deorum vocem summa cum veneratione accipiebant, quod nullus mortalium talia prædicere posset.* Neque hoc omittendum, quòd Pagani fidem seu religionem suam ab Oraculis commendare soleant: ex quo obscurum esse haud poterit, ipsos credidisse, responsa illa à Deo esse profecta: cùm religio, quæcunque demum fuerit, non hominis, sed Numinis opus esse existimetur. *Plutarchus in lib. de Oracul. defectu* credit, multum divinitatis Oraculo inesse. Hinc illud non consistet in hominum figmentis, sed in divino quodam eloquio & directione. Ea propter & gentiles Oraculi responsum, non aliter ac Dei responsum acceperunt. Sicuti idem *Plutarchus* refert de Lacedæmonijs, quod cum ipsi adversus Athenienses auxilium peterent ab Oraculo, Deum respondisse dixerint. Et alibi *Plutarchus* innuit: Deum Cleotimo dedisse responsum. Hinc si gentiles etiam sapientiores crediderunt: Deum respondisse; & revera etiam spiritus seu Dæmones humana scientia superiores ad consulentium preces responsum tulisse, tale, inquam, quod hominis mens prævidere sua sagacitate haud potuit: inde non video, quomodo quis inhærere quorundam sententiæ possit, quæ defendere nitatur: Responsa Oraculorum fuisse hominum ficta responsa.

CAPUT II.

Variæ acceptiones vocis Oraculi explicantur, & quid hoc loco propriè sit oraculum, describitur.

VOcabulum *Oraculi* est è numero eorum, quæ varias patiuntur significationes; inde, antequam ad alia progrediamur, com-

modum erit, voce hac prius liberatâ ab æquivocatione, ostendere, quo sensu nomen istud accipi & describi debeat. Et quidem primò *Christian. Becman. de Orig. Lat. Linguæ. p. 777.* putat Oraculum in genere esse, dictum aliquod ore prolatum: præcipuè si illud, quod enunciatur, verum fuerit: quare hîc accommodari potest, quod Cicero dicit: *Oracula loqui*; quod non nisi de verè dictis intelligi aut exponi potest. Deinde celebre cujusdam sapientis viri dictum & sententia *Oraculi* nomine insignitur, sic *Columella*: Illud verum *M. Catonis Oraculum*: Nihil agendo homines malè agere discunt. Hinc factum est, ut eximiam viri gravis sententiam *è tripode* prolatam, aut velut *Oraculo* emissam esse dicant. *Vellejus Patercul. l. 1. c. 10. n. 5.* quippe quòd eam non veram tantùm, sed & summa prudentia tinctam esse iudicarint. Et absque dubio in hoc sensu locutus est *Seneca*, quando *Lipsio* interprete *Oracula edere* usurpavit pro verum ac certum responsum dare: seu veram eloqui sententiam: quam *Quintilianus* veluti *Oraculo* datam vocem reddidit. Porro sumitur *Oraculum* in peculiari significatione, uti *Martinius* observat pro *Elogio & statuto.* Ita aliquando Imperatores & Reges Numinis titulum pro Majestate sibi tribuebant, suasque Leges vocabant Oracula; quatenus summa imperandi potestate sibi concessâ populo mandabant, quid ipse facere deberet. Et ideo ipsæ Leges vocantur *Sacrarum Constitutionum Oracula.* Hinc Adoptioin *§. 11. Instit. de Adoption*: dicitur fieri per *sacrum Oraculum*, id est, per Principem vel Principis Rescriptum. Ad quem §. notat *Balduinus pag. 92. Nescio quomodo ipsi Principes de se loqui nesciunt, nisi gloriosè suam Majestatem evehant supra humanam conditionem, cum non erubescant sua Responsa vel Rescripta comparare Deorum Oraculis.* Sic in *l. 3. §. 3. C. de Iure domin. impetr.* Oraculum ponitur pro Edicto. In *l. 4. C. de LL.* juxta expositionem *Gothofredi* pro dicto notabili, qua in significatione & apud *Plinium l. 18. c. 6. p. 372. Natur. histor.* legitur. Cœterùm non uno loco Codicis Iustinianei Leges appellantur *Sacrarum constitutionum Oracula* sicuti legenti istum librum patebit. Interdum quoque duæ istæ voces *Legum Oracula* conjunguntur, non tantum ideo, quòd, uti *Hierocles* apud *Stobæum* ait: oporteat Leges tanquam *alteros Deos* observare. *Camillus Borellus l. 2. c. 6. n. 16. p. 297. de Edict. Magistr.* sed etiam, uti non ineptè hoc explicat *Cornelius Benincasius in lib. de Constitut. qu. 3. n. 26. p. 33.* quòd istis verbis officium

nostrum

nostrum nobis præcipiatur haut aliter, ac si Deus ipse nobis istud injungeret, quia Majestas est vice Dei in terris, imò est velut Deus terrestris. Præterea Oraculum accipitur pro eo loco, in quo editur Oraculum: interdum quoque ædes, in quibus Deus per preces consulitur, Oraculum vocari solent. Ibi namque Deus creditur habitare, utpote quo cum nos per preces loquimur, ipseque per verbum suum nobis respondet. Oraculum nonnunquam appellatur, cum in somnijs Numen aliquid futurum, vel non futurum: faciendum vel non faciendum indicat. Quo sensu declarari solet verbum χρηματίζω apud *Matth. c. 2. v. 12.* Ubi Magi in somnio admoniti sunt, ne ad Herodem reverterentur. Ad quem locum è *Theodoro Beza* observat *Balduinus VValeus p. 17.* Deus ipse χρηματίζειν dicitur, cum homines alloquitur, & ij, quos ita compellat, χρηματίζονται. Significat autem hoc verbum in d. l. *divinitus admoneri*, etiamsi quis prior Deum non compellaverit. *Hugo Grotius* ad d. vers. *Matthæi p. 82. in Tom. 6. Critic. sacror.* notat: vox χρηματισμοῦ est latius patens, quàm Latina *Oraculi*, quod de visis diurnis & nocturnis dici non meminit. Nescio tamen an simpliciter *Erasmo in Not. ad N. Testam. ad v. 12. Matth. c. 2. p. 63. in Tom. 6. Critic. Sacror.* Sit fides habenda, quando scribit: *χρησμοὶ dicuntur Oracula, quæ redduntur à Numine aliquo, sed petentibus & consulentibus.* Nam hi Magi de reditu in patriam Deum non interrogaverant: verum cum ipsi ad Herodem reversuri essent, ut datam Regi fidem adimplerent, divinitus admoniti, seu, uti *Justinus ad Tryphonem* pulchrè explicat, *κατ' ἀποκάλυψιν κελευσθέντες arcana declaratione jussi* per aliam viam regressi sunt in regionem suam. Quomodo Oraculum paulò ante descriptum est, ita ferè idem illud declarat *Macrob. lib. 1. c. 3. p. 9. in Somn. Scipion.* Oraculum est, inquit, *cùm in somnis parens vel alia sancta graviśq; persona, seu Sacerdos, vel etiam Deus apertè eventurum quid aut non eventurum, faciendum vitandumve denunciat.* Specialius aliquanto de Oraculis loquendum, *Oraculum* est nihil aliud, quam *Oratio Deorum.* Ex eo enim Oracula appellata sunt, ait *Cicero in Topic. c. 20. p. 216.* quod in his insit Deorum Oratio. Quoniam aliàs Oraculum quodvis responsum ore prolatum denotat; quia tamen verba valent ut nummi, quos publicus probat usus; inde factum est, ut κατ' ἐξοχὴν Oraculum sit Dei responsum seu effatum divinum: quod cùm non minus de veri Dei, quàm falsi Numinis responso efferri queat;

potissi-

potissimùm tamen hac vice considerabimus Oracula, quæ inter Ethnicos obtinuerunt, ubi Apollo vel alius Deaster aut spiritus fatidicus de rerum futurarum eventu hominibus consulentibus respondebat. In qua significatione Oraculum denotabit Responsum certi Dæmonis seu spiritus interroganti de rebus futuris aut dubio quodam casu datum. Erant autem oracula in certis locis constituta, ad quæ homines, quoties à periculo, in quod incidissent, liberari cuperent, vel illud, si adhuc futurum esset, declinare studerent, aut aliud quippiam, quod dubium haberet eventum, scire desiderarent, proficiscebantur, & varijs adhibitis ceremonijs à Deo responsum petebant. Qui etiam illis non defuit, sed promtè ad interrogationem sæpe dubiè & perplexè respondit, & ita eos ut plurimum incerto eloquio instructos â se dimisit, quemadmodum infra pluribus monstrabitur. Interea quia bona spe pleni Deorum oracula adire & consulere solebant, inde *Sophocles in Oedipo Tyrann.* oraculum vocat: *Aurea spei sobolem*, his verbis: ὦ χρυσέας τέκνον ἐλπίδ☉ ἄμβροτε φάμα. O aureæ spei fili Oraculum. Vide *Taubman: in Comm. ad Plauti Amphitruon. Act. 1. sc. 1. v. 274. p. 41.* Non possum, quin in fine hujus capitis attexam, quod de domo ICti scribit *Cicero lib. 1. c. 45. p. 97. de Oratore*; eam scilicet esse *Oraculum totius civitatis.* Sicuti apud *Ennium* dixerat *Pythius Apollo*: Se esse *unde sibi*, si non *populi & Reges* at omnes *sui cives consilium expetunt.* Quod illustrat *Qu. Mutii* exemplo, *cujus ianua & vestibulum ejus in infirmissima valetudine, affectaq; jam ætate, maxima quotidie frequentia civium ac summorum hominum splendore celebrabatur.* Sicuti igitur ab Oraculo certa responsa se impetraturos confidebant consulentes: ita quoque cives putant se in ambiguis causarum satis claram, dilucidam, & juribus conformem decisionem â domestico illo Oraculo consecuturos: sed Illud sæpe, SE IGNORANS, & vana singularis scientiæ persuasione intumescens in suis responsis deficit. Cives tamen meliora non edocti admirantur verba velut è tripode, prolata. Exinde fit, ut, sicut Delphicum templum multis donarijs refertum splendebat; ita & civilis istius Oraculi manus auro rutilent. Sed vereor ne, quemadmodum Pythia incipiebat à veritate deflectere & ambiguitate verborum consulentes decipere; ita & ejusmodi Pythius à veritate & justitia recedat & post data consilia suos errores animadvertat quidem, sed eos non agnoscat, quin potius interdum eos defendere satagat.

Sunt

Sunt & alia Oracula civitatis, in quibus Apollo planè mutus eſt: & quando reſpondere debet, vel vocem cohibeat, ne ſapientiæ defectus ab alijs deprehendatur: vel, ſi muſſitare incipiat, alterius Oraculo ſe ſubmittat. Quod ſi tale oraculum privatim conſulatur, vel interrogantis linguam non intelligit: vel quæſtionem propoſitam ob juris inſcitiam reſolvere non poteſt, unde interrogantes à tali oraculo æquè prudentes recedunt, ſicut ad illud acceſſerant. Equibus patet: non omnibus ejusmodi Civitatum oraculis iſtud dictum Ciceronis accommodari poſſe.

CAPUT III.

De

Duplici Oraculi genere, quorum aliud per Afflatum divinum, aliud per Sortes erat.

ORaculi genus duplex fuiſſe *Hadrian. Turnebus l. 5. c. 21. p. 92. Advers.* colligit è *Ciceron.* Unum, ſcilicet, *quod à furentibus profundebatur, ut à Pythia Numine Apollinis correpta*: alterum, *quòd æquatis & paribus ſortibus è ſitella vel urna ducebatur. Habebant enim* SORTES *certis quibusdam ſententiis obſcuris tamen* NOTATAS: *quarum quædam felicitatem, quædam calamitatem denunciabant, aut alia ejusdem generis.* Hæc ille. Locus *Ciceronis* habetur *in lib. 1. c. 18. p. 182. de divinat.* Cujus generis *oracula* (nempe quæ ſunt è vaticinijs per furorem) *etiam habenda ſunt, non ea, quæ æquatis ſortibus ducuntur, ſed illa, quæ instinctu divino afflatuque funduntur. Etſi ipſa SORS contemnenda non est, ſi & autoritatem habet vetuſtatis, ut ea ſunt ſortes, quas è terra editas accepimus, quæ tamen ductæ, ut in rem aptè cadant, fieri credo poſſe divinitus.* Et cùm certo ordine ſorte ducta redderentur Oracula, factum, ut *Sors* pro *Oraculo* uſurparetur. Quod afflatum divinum concernit, ſoliti ſunt nonnulli tanquam furibundi vaticinari, ſpiritu illorum ventrem occupante Qui proinde dicti ſunt ἐγγαστρίμυθοι: non quod ipſo ventre vaticinarentur; ſed qvod ſpiritus, occupato illorum utero, ipſis verba divinationis vel furoris ſuppeditaverit. Huc facit *Baſilius in c. 8. Eſaia. p. 42.* quando ait: *Conſulite non quidem Dominum, ſed ἐγγαστριμύθους, id eſt, qui in Pythone futura prædicunt, per ventrem obſeſſi, ipſo ſpiritu loquente: qui*

te: qui & de terra loquuntur inania quædam effutientes. Et putat *Leo Allatius in Syntagm. de Engastrim. c.1. p.333. in Tom.8. Critic. Sacror.* Quod in visceribus & imo ventre Dæmones latitare credantur, qui vaticinia isthæc edunt. Talem ἐγγαστρίμυθον seu ventriloquum Græcis *Euryclea*, & Babylonijs *Sacchuram* appellari testatur *Photius in Biblioth. p. 242.* Interim afflatu illo Pythonico mulieres impletæ furoreque actæ vaticinabantur. *Iustinus l. 24. c. 6. n. 9. p. 360.* scribit: *Vatum mentes in vecordiam verti, impletasq; Deo cogi responsa consulentibus dare.* An verò Dæmon etiam ex ventre loquutus sit, an tantùm obsessarum mulierum lingua tanquam instrumento usus fuerit, quidam videntur dubitare. *Leonius Thomæus lib. 1. cap. 61. de varia Histor.* apud *Leon. Allat. cap. 3. syntagm. de Engastrim. in Tom. 8. Critic. Sacror. pag. 335.* ita disserit: *Eryclea & Pythonas, ut nunc etiam de spiritibus quibusdam vulgò credunt, hominum ingredi corpora solitos, & eorum uti* VOCIBUS ET LINGUIS *ad futurorum prædictiones constanter existimavit antiquitas. De* quibus *Plutarchus Charonensis in Dialogo ubi causas deficientium rimatur Oraculorum.* Sed Thomæus judice Allatio non videtur veram Engastrimythorum naturam adeò penetrasse. *Pythones* siquidem sive *Eurycleis* non obsessarum ore vel linguis vel vocibus utuntur ad Oracula, sed unam partem corporis, quam ipsi velint, licèt non plurimum, ventrem possideant, & ex ea vocem efforment, ideoque *Engastrimythi* dicti sunt. Vide *Leonem Allatium* d. loco. Ut autem constet, numquid *Thomæus* verum sensum *Plutarchi* assecutus sit, ipsa verba è Lib. *de Oraculor. Defectu p. 414.* adducam. Εὐηθὲς γάρ ἐστι καὶ παιδικὸν κομιδῇ τὸ οἴεσθαι τὸν θεὸν αὐτὸν ὥσπερ τοὺς ἐγγαστριμύθους εὐρυκλέας πάλαι νυνὶ πύθωνας προσαγορευομένους, ἐνδυόμενον εἰς τὰ σώματα τῶν προφητῶν ὑποφθέγγεσθαι, τοῖς ἐκείνων στόμασι καὶ φωναῖς χρώμενον ὀργάνοις. Id est, *Est namq; puerile & fatuum opinari: ipsum Deum in corpora vatum, quos olim Engastrimythos, Euryclea, nunc Pythonas appellarunt, sese immittere, eorumq; ore & vocibus uti tanquam Instrumentis.* E quo loco patet, quod *Plutarchus* non velit, ac si *Eurycleis & Pythones* Prophetarum corpora sint ingressi, ut eorum ore & lingua tanquam instrumentis uterentur: sed, quod Deus non aliter, atque Eurycleis & Pythones ingrediuntur corpora humana, etiam vatum corpora ingrediatur, & obsessorum ore & vocibus edat vaticinia. Ut ita sit similitudo in obsessione corporum, non autem in locutione & voce. Ita *Leo Allatius* contra *Thomæum pag. 336 dicti syntagmat.*

tagmat. Alij contendunt, in Engastrimythis ex genitalibus audita fuisse vaticinia; *Augustin. Eugubinus ad c. 19. Levit.* scribit: *Ventriloquas mulieres etiam tempestate nostra vidimus, quibus sedentibus vocula quædam ab earum pudendis excitabatur, respondebatque sciscitantibus. Ipseque audire volui, non quod ullam fidem his adhiberem, sed ut hominum præstigias cognoscerem.* Simile exemplum adducit *Cælius Rhodigin. lib. 8. cap. 10. pag. 417. Lection. antiqu.* *Id nequis fabulosum*, inquit, *risu excipiendum putet, testatum volumus, tempestate hac, imò verò prodente me fuisse in patria mea mulierculam humili loco Iacobam nomine, ex cujus ventre immundi spiritus vocem, pratenuem quidem, sed tamen, ubi vellet, dearticulatam & prorsus intelligibilem audivi ipse, verum & innumeri alii.* Id equidem credo, quod istis exemplis continetur: an autem vates isti repleti spiritu immundo consulentibus non responderint ore & lingua, sed per genitalia ab ipsis vaticinia fuisse audita? nemo facilè admittet. Nisi fortean quis vocem *Engastrimythi* restringere velit ad illos saltem, quorum venter à Dæmone obsessus verba prodit; non autem ad Vatem & interpretes Oraculorum, qui itidem obsessi à Dæmone velut furibundi ad propositam quæstionem respondebant, extendere. Sed lis fortean tanti non erit, ut plura ea de re proferantur. Quamvis sint, qui credant longè aliam mentem fuisse *Plutarchi*, quòd scilicet Deorum gravitate sit indignum ventrem mulierum fatidicarum ingredi: sed hoc non adeò commodè ex isto textu colligi poterit. Et licèt hæc esset mens scriptoris; tamen voluit castè, uti religiosos & pios homines alioquin decet, de Dijs suis loqui. Quo loco nunc quidem relicto, certum est, vates sæpè velut in furorem actos responsa interrogantibus suppeditasse. *Plutarch. in lib. de Pythiæ Oracul. pag. 397.* inducit Sibyllam loquentem μαινομένῳ στόματι. *Ore furenti.* Egregium locum habet *Seneca in Agamemn. in Choro Act. 3. v. 706. & seqq.*

Silet repente Phœbas, & pallor genas
Creberq; totum possidet corpus tremor.
Stetere vittæ, mollis horrescit coma,
Anhela corda murmure incluso fremunt:
Incerta nutant lumina, & versi retro
Torquentur oculi, rursus immites rigent.

Adde *Martin. Anton. Delrii* notas *p. 283* ad illum textum. Ad talem

O semper dubia Sortes ambage malignæ &
Noxia vatibus ipsis vere sacra fides.

Quia Sortis vocabulum pro Oraculo accipitur, unde de futuris hauritur divinatio, ideo *Terentius Maurus in lib. de Metr.* Sortes prædicat *fatidicas*. Interea non ubiq; vox *Sortis* sumitur pro Oraculo: interdum siquidem accipitur pro medio dirimendi controversias, ut, cum agri dividuntur Sorte, aut bona hereditaria inter heredes Sorte distribuuntur. *Hugo Menavinus l. 2. c. 6. n. 15. p. 109. Rer. Quotidian. Hoc genus Sortis*, inquit, *non oraculum est, sed medium, quo controversiæ, quæ vel ortæ sunt, vel oriri possunt ob bona distribuenda inter quosdam, dirimi, omnesq; suspiciones in rerum divisione evitari poterunt.* In hoc Sortis genere locus datur fraudi, quod apud *Pausaniam l. 4. p. 205.* videre licet in *Cresponte*, qui Messeniam sibi cupiebat assignari, quare *Temenum* rogat, rem ut Sorti committat. *Ille in Situlam, cùm eam jam aqua complesset, Sortes mittit, re ita constituta, ut sors utra prior exisset, illi Messenia adjudicaretur: ac subdolè quidem liberûm Aristodemi Sortem è siccata Sole argilla, Cresphontis è coctili latercula fecit, quo factum, ut illa soluta, hæc consisteret. & per eam Cresphonti Messenia obtigerit,* Hæc ille. Hæ sortes, ut antiqui Philosophi tradunt, à fortuna dependent: Unde si bene ceciderint, cum gaudio erunt arripiendæ: Sin minus? ut arte quadam corrigatur, quod casus non tulit. *Sors* præterea usurpatur pro fortuna. *Plinius l. 2. c. 7 p. 3. Natur. histor.* postquam descripsit fortunam, quòd sola illa accusetur, Sola arguatur: Sola cum convitijs colatur, quodque sit volubilis, incerta, inconstans, vaga, varia, indignorum fautrix: quodque huic omnia ferantur accepta, & in tota ratione mortalium Sola utramque faciat paginam; tandem inquit: *Adeò obnoxiæ sumus Sortis*, ut *sors ipsa pro Deo sit, qua Deus probetur incertus.* Cicero ad Quint. Fratrem: Quæstorem quem fortuna dederat, *Sorte* datum esse scribit. Verba ejus sunt: *Quæstorem habes non tuo judicio delectum, sed eum, quem sors dedit.* Verùm relicta hac vocis significatione, per *Sortem* intelligimus certum quoddam *Oraculi* genus, unde futura conijcere & prædicere volebant *Lipsius Lib. 2. c. 12. Elector. p. 315. in Tom. 1. Oper.* Sortes ad hunc modum describit: *Sortes taleolæ, aut Surculi è ligno fuere non grandes: quibus literæ ad divinandum insculptæ sive notæ. Eæ privatim habitæ, eæ publicè: sed quæ in publico, imprimis religiosæ censebantur, & cana quadam veritate sacræ. Itaque sanctè & religiosè in templis ipsis habebantur, in arca recondita: &*

 nisi

nisi fallor, tænijs vittisq; laneis seorsim involutæ. Et aliquot lineis interjectis, pergit: *At de vittis quidni suspicer? cum hunc cultum & velamen appositum sciam omnibus sacris.* Quibus *tamen puris manibus evolvi solent, cùm premerentur ad consulentium usum.* Hæc Lipsius. Inter prodigia narratur apud *Livium Lib. 22. cap. 1. p. 208.* quod Sortes sua sponte *attenuatæ* fuerint, unaque exciderit ita scripta: MAVORS TELVM SVVM CONCVTIT. Quo in loco Critici diversam agnoscunt lectionem, & pro voce *Attenuatæ* legunt *extæniatæ*, quasi è tænijs evolutæ. nam hoc *Livius* narrat jure tanquam prodigium: sortes eas sponte evolutas, & extæniatas esse, tanquam si fortunæ ipsius manu sparsæ, & jactæ essent ad grande aliquod prædicendum. Exiderunt sortes, & variè dispersæ non è cælo, sed ex involucro & arca. Sortium inventorem *Alexander ab Alexandro lib. 1. c. 13. p. 42. Genial. dierum* vocat *Numerium Suffium.* Loquitur ibi de templo vetusto Prænestino, & multa religione inclyto, atque ita ait: *sortes primum à Numerio Suffio sitas fuisse fama fert. sicut Lyciæ fons sortes antiquissimis characteribus, quibus futura prænoscuntur, emittere traditur.* Locus ille dubio procul desumptus est è *Cicerone l. 2. c. 41. p. 204. de Divinat.* ubi originem sortium exponit, & earum inventorem fuisse tradit *Numerium Sufficium* (quamvis *Ianus Grüterus* scribat: alios legere *Suffustium*: alios, *Sufficium*) & rem ita describit: *Numerium Suffucium Prænestinorum monumenta declarant, honestum hominem & nobilem, somnijs crebris ad extremum etiam minacibus, cùm juberetur certo in loco silicem cædere, perterritum visis,* irridentibus suis civibus, *id agere cœpisse: itaque perfracto saxo SORTES erupisse in robore insculptas priscarum literarum notis. Is est hodie locus septus religione propter Iovis pueri qui lactens cum Iunone in fortunæ gremio sedens, mammam appetens castissimè colitur à matribus, eo in loco, ubi nunc fortunæ sit ædes, mel ex olea fluxisse dicunt: haruspicesq; dixisse, summa nobilitate illas sortes futuras, earumq; jussu ex illa olea* arcam *esse factam, eaq; conditas sortes, quæ hodie Fortunæ monitu tolluntur.* Hujus arcæ meminit *Suetonius in vita Tiberij. c. 63. p. 126.* quando de *Tiberio* scribit: quod *vicina Urbi oracula etiam disijcere conatus sit: sed majestate Prænestinarum sortium territus destiterit, cum obsignatas devectasq; Romam non reperisset* IN ARCA, *nisi relatas rursus ad templum.* Verum *Cicero lib. 2. c. 41. de Divinat. p. 204.* nihil æstimat sortes istas, utpote in quibus temeritas & casus, non ratio nec consilium valet. Tota res est inventa fallacijs aut ad super-

superstitionem aut ad errorem. Sed hoc quidem divinationis genus, inquit p. 201. vita jam communis explosit, *Fani pulchritudo, & vetustas PRÆNESTINARUM etiam nunc retinet SORTIUM nomen, atq; id vulgus. Quis enim Magistratus, aut quis illustrior utitur sortibus? cæteris verò in locis sortes plane refrixerunt. Quod Carneadem* Clitomachus *scribit dicere solitum; nusquam se fortunatiorem quàm* præneste *vidisse fortunam.* Huc usque Cicero. Præterea quia aliàs notum est, quod Oraculum vel in templo, in specu aut antro solitum fuit respondere; inde etiam soliti fuerunt sortes in profundum conijcere, Deo hoc opus ita moderante. Cujus rei exemplum habetur apud *Suetonium in vita Tiberij c. 14. p. 103. Et mox*, inquit, *cum Illyrium petens juxta Patavium adiisset Geryonis Oraculum, sorte tracta, qua monebatur, ut de consultationibus in Aponi fontem talos aureos jaceret: evenit, ut summum numerum jacti ab eo ostenderent, hodièq; sub aqua visuntur ii tali.* Ad quem textum notat *Isaacus Casaubonus p. 361.* Explorandi futurorum causa soliti veteres in certos fontes varia conjicere. *Pausanias lib. 3 p. 194.* mentionem facit aquæ, quæ *Inus* dicitur, in quam divinandi gratia aliquid conijcere solebant. Locus Pausaniæ ita se habet: *Palus est parva, qua lata est: quà verò subsidit, a id descendens. In eam festo Inûs die solenne est pannificia porricere, ea si demersa retinuerint aqua, secunda ei, qui ea porrexerit promitti autumant: contra verò adversa, quoties illa rejecerit aqua. Eandem habere portendendi vim dicuntur, Ætna montis Cratere. Abiiciunt enim in eum homines cum sigilla argentea & aurea, tum verò cujusvis generis victimas: ea si absorpserit ignis, læta sibi nunciari; contra si regesserit, malè eventurum ei, à quo illa missa fuerint, interpretantur.* Sed redeo in viam: postquam Sortium beneficio homines illud, quod desiderabant, cognoverunt, tum discessuri, quo gratum præberent animum, in fontes aliquid conijciebant, uti illi, qui in templis Oracula consulentes donaria columnis vel parietibus affigere in signum gratitudinis solebant. Huc referunt, quod de fonte *Apono canit Claudianus*:

Tunc omnem liquidi vallem Mirabere fundi
Tunc veteres hastæ Regia dona micant.

Nec non quod scribit *Plinius lib. 8. Epist. 8. p. 265.* his verbis *Vidistine aliquando Clitumnum fontem. Modicus collis assurgit antiqua cupressu numerosus & opacus: hunc subter fons exit, & exprimitur pluribus venis, sed imparibus; eluctatusque facit gurgitem, qui lato gremio patescit purus & vi-*

& vitreus, ut numerare iactas stipes & relucentes calculos *possis*. Hucusque de sortibus. Illud addendum, quòd illas adhibuerit *Alexander Severus*, cum illi *Heliogabalus* strueret insidias. *AElius Lampridius in vita Alexandri Severi. p. 332.* Vide & *Cœlium Rhodigin. lib. 15. c. 17. p. 804. Lection. Antiqvar.* Domitianus Imperator Prænestinas Sortes in futuræ rei eventum abhibuit. *Sueton. in vita Domitiani c. 15. p. 284. & 285.* de hoc facto ita refert: *Prænestina fortuna toto Imperij spat.o annum novum commendanti totam eandemq́, semper sortem dare assueta, extremo tristissimam reddidit, nec sine sanguinis mentione.* Quidam eam retinent opinionem, ac si Delphis sortes olim juxta explicatum modum fuerint in usu, quòd probare volunt è *Diodoro Siculo lib 16. p. 428.* qui ait: *Sortes à virginibus quondam editas fama est, quod & naturam haberent incorruptam, & sexus cum Diana communionem.* Verum erroneum hoc est: Etenim in Græco textu hæc leguntur verba: θεσπιωδεῖν δὲ τὸ ἀρχαῖον λέγεται παρθένους: id est, dicitur, quod antiquitus virgines vaticinatæ sint. Quibus non significatur: Virgines explicasse sortes, sed ipsas dixisse Oracula, aut mentem oraculi interpretatas esse. Quandoquidem verbum θεσπίζω significat vaticinor, respondeo ut vates, vel antistes. Uti apud *Philonem lib. 3. de vita Mosis*: ἐνθουσιᾷ, καὶ μεταβαλὼν εἰς προφήτην θεσπίζει τάδε: *In vatem mutatus ista vaticinatur.* Illud autem de sortibus propriè dictis usurpari, nescio num bonorum scriptorum authoritate stabiliri possit. Interpres interea Virginum officium hac descriptione exprimere quodammodo voluit, quod scilicet illæ mentem oraculi declararint: nec non vocem *sortis* adhibere, cum constet, illam interdum pro Oraculo poni. Deinde *Diodorus* hoc non intendit: sortes expeditas esse à virginibus; sed potius Virgines olim fuisse adhibitas ad obeundam munus vatis, seu Interpretis, quæ interrogantibus Oraculi sensum & vim redderent. Ubi causam addit geminam, quare virgines ad hoc officium delectæ fuerint, scilicet, quod ipsæ incorruptam haberent naturam, & cum Diana Apollinis Delphici Dei sorore sexus communionem; at ita nihil minus ipsi in mentem venerit, quàm asserere: Delphis olim sortes fuisse in usu. Ne nunc dicam, vix apud ullum reperiri historicum, qui Delphici Oraculi naturam & conditionem descripsit, ibidem olim ad futurorum divinationem adhibitas fuisse Sortes propriè dictas. Proinde satius est retinere hanc sententiam, qua ostenditur: Virgines apud Oraculum

Delphi-

Delphicum constitutas fuisse vates, seu Antistites, quæ Dei istius responsum consulentibus annunciaverint: seu mentem oraculi illis exposuerint. Neque aliter quidam intelligunt *Lycias Sortes*, quarum meminit *Virgilius l. 4. AEneid. v. 345. & 346.*

Sed nunc Italiam magnam Grynæus Apollo
Italiam Lyciæ jussere capessere Sortes.

qua in re ipsis videtur assentiri *Servius*, qui per illas sortes ipsum Apollinis Oraculum significari dicit. Nec alienus est ab hac expositione *Alexander ab Alexandro l. 6. c. 2. p. 607. & 608. Gen. dier.* Quando ita scribit: *In Patara quoque Lyciæ Oraculum Apollinis, & delubrum magnæ felicitatis fertur, in quo sex anni mensibus responsa dantur, quæ* LYCIÆ SORTES *dictæ.* Et in notis è *Festi Pompei lib. 10.* dicit *Andreas Tiraquellus* d. p. Lycii Apollinis Oraculum maximæ claritatis fuisse. Idem judicant de *Sortibus Deliis:* quibus verbis non nisi ipsum Oraculum exprimi volunt. Sicut quoque *Iann. Iacob. Boissardus in lib. de Divinat. pag. 109.* Habuit *Apollo*, inquit, *alibi etiam oracula, ut in Delo Insula, ubi sortes Deliæ reddebantur certitudine toto orbe celebratæ.* Statuunt igitur sortium istarum nomine ipsum oraculum: seu Dei responsum intelligunt: nam non est vero simile, dicunt, quòd, cùm consulentes summa devotione responsum expeterent, Numen istud voluerit eos potius per ambages & Sortium expeditiones conjecturis incertis, quam certa sententia à se dimittere.

CAPUT. IV.

Magno olim in honore & Autoritate fuisse Oracula.

FAtidicis istis responsis homines non tantum fidem tribuebant maximam; verùm etiam summopere ea venerabantur, ut nihil magis æstimarent atque suspicerent, quàm Oraculorum responsa & vaticinia certissimè autumantes, illa à Deo esse profecta. Quis enim erit tantæ impietatis, qui divinum eloquium summa animi veneratione admittere nolit. In media barbarie vel hodie reperiuntur homines, qui simplici fide sacerdotum dictis adhærent, eaque magna cum veneratione audiunt, admittunt, & perficiunt, non aliter ac si cœlitus essent demissa, vel à vero Numine prolata. Inde etiam & olim occul-

tus quidam timor facilè in Ethnicorum animis enasci potuit, ut & Deum venerarentur, ejusque dictum summa animi religione exciperent. Quem timorem auxit pietas & vitæ integritas: utpote, quòd crederent, si Deum honore afficerent, & morum probitati studerent, omnia felicia & fausta sibi eventura: sin minus? non tantum se rejiciendos fore à divina gratia, sed subinde quoque cuncta sibi mala & infortunia accessura, nec sibi ad Oraculum patere posse aditum, aut responsum aliquod gratum ab eodem se impetraturos. Accessit juxta vaticinium Oraculi quorundam infelix exitus, quorum velut exemplo moniti magnam vim Deorum sermoni in esse putarunt, ut eo majore sanctitate Oracula venerarentur. Quapropter etiam magno in honore fuisse Oracula fatetur *Strabo l. 17. p. 813.* dolet autem suo tempore illa negligi: verba non sunt adeò multa: τοῖς ἀρχαίοις μᾶλλον ἦν ἐν τιμῇ καὶ ἡ μαντικὴ καθόλου, καὶ τὰ χρηστήρια· νυνὶ δ' ὀλιγωρία κατέχη πολλὰ, τῶν Ῥωμαίων ἀρκουμένων τοῖς Σιβύλλης χρησμοῖς, καὶ τοῖς Θυῤῥηνικοῖς Θεοπροπίοις διά τε σπλάγχνων καὶ ὀρνιθείας καὶ διοσημειῶν. Id est, *Veteribus & divinationem universam & oracula in summo fuisse honore, nunc eadem admodum negligi: Romanis in Sibylla Oraculis & Etrusca divinatione per extispicia, auguria & servationes de cælo acquiescentibus.* Loca certè, ubi Oracula dabantur, summo honore colebant: majore veneratione Deum ipsum, à quo Oraculum seu responsum petebant. Nec mirum; quia creduli homines persuasi erant, omnia illic divina, & cuncta Numinibus esse repleta. Et si virum magna prudentia instructum, qui singulare quippiam admonet, aut de abstrusis & absconditis cum stupore aliorum differit, magno honore afficiunt homines: quanto magis studuerunt Ethnici sua venerari oracula, utpote in quibus Dei præsentiam admirati sunt, & unde abditis de rebus certam se sententiam consecuturos esse firmiter existimarunt. *Josephus Casalinus l. 2. c. 10. p. 77. de Relig. Gentil.* ita hac de re docet: *Non est mirum apud Ethnicos in magno honore fuisse Oracula. Quanti solemus æstimare ejusmodi virum, qui, quæ sunt alicujus ponderis & momenti nobis nescientibus recitat & enarrat? Ita & gentiles summis honoribus prosecuti & venerati sunt Oracula, à quibus, quæ cunctis hominibus abscondita erant, & quorum notitiam frustra ab Auguribus & Aruspicibus expectabant, cognoscere; & quæ sibi suisq; & aliis eventura erant, intelligere potuerunt. Quorum fidem confirmarunt exempla, in quibus Oracula verum dixissent. Multis namque ita*

que ita

quæ ita evenit uti Oracula prædixerunt. Et addit *Manavinsis in prælequio*: summa in veneratione fuisse Oracula, tota loquitur antiquitas: quam autoritatem confirmarunt exempla illorum, quibus ita accidit, uti Oraculum prædixerat. *Iulianus*, qui abnegata fide de Christo, Paganorum damnatos errores in religione amplexus est, dixisse fertur, (refero hæc fide Calalini dicto loco) *Majore apud se in honore Oraculorum esse responsa, quàm vaticinia Prophetarum, quibus temerè hactenus credidisset: quòd hæc ab hominibus indoctis, & Laicis data: illa verò ab Apolline, Iove, Diis ipsis, & viris feminisq; prudentibus ex illorum inspiratione profecta essent.* Addit Scriptor iste, quòd *Numidius* Sophista *Libanij* æmulus in hæc verba eruperit: *Nostri rectè fecerunt, quòd tantopere honoraverint Oracula: nam hac pacto Deum ejusq; divina eloquia honorarunt, quorum certitudinem ex eventu deprehenderunt. Nos quoque non minimùm ea æstimamus, licèt Numina ob mortalium impietatem & contemtum Oraculorum loqui postea desierint.* Verùm hæc pluribus persequi non est necessum, cùm ex historiis antiquis dilucidè constet, quantum honorem homines exhibuerint Oraculis. Res eo usque progressa est, ut hominum præcipuè Magnatum animi autoritate oraculorum devincti facilius ad aliquod perpetrandum, imò ardua & periculosa negotia subeunda adduci se paterentur, si ab Oraculo id jussum vel prolatum esse audirent, & Numinis favorem in illis feliciter perficiendis sibi possent polliceri, licèt successus sæpe non responderit consilijs & conceptæ spei. Nihilominus illud certum est, quòd Autoritate Numinis homines facilè commoveri potuerint ad faciendum id, quod aliàs non fecissent, nisi timore Dei fuissent perculsi. Quod intellexerunt Viri prudentes, unde interdum effictis Deorum responsis multum apud suos impetrarunt. Uti *Lycurgus* finxit se à *Delphico Deo* mandata asportare de recipiendis suis legibus. *Strabo lib. 10. p. 482. Geograph.* Qui de eodem *Lycurgo* scribit *lib. 16. p. 762. quod videretur ex Pythia intellexisse ea, quæ Lacedæmoniis essent imperanda.* Hæc quam vera fuerint, inquit *Strabo*, non disputo: *equidem ab hominibus putabantur & credebantur vera, & propterea divinatores erant in pretio tanto, ut etiam imperio digni judicarentur, scilicet qui divina nobis præcepta & monitus* exponerent. Quid quod meris & inanibus de Oraculi præsentia persuasionibus concitari potuerit multitudo, ejus exemplum habemus in Pseudomante isto apud *Lucianum Tom. 1. p. 552.* ubi

ita ait: *Verùm quo magis etiam attonitam redderet multitudinem, pollicitus est, se exhibiturum ipsum Deum loquentem citraq; interpretem oracula edentem.* Cùm tamen tota hæc promissio consisteret in præstigijs & illusionibus.

CAPUT V.

De Initio & Antiquitate Oraculorum.

QUo tempore primum Oracula existere cœperint, dubio procul hucusque ignoratur: cum vix ullus scriptor id tradiderit, nec hodie ex vetustis monumentis colligere liceat, utpote, quòd de Oraculi unius præ altero antiquitate adhuc decertetur. *Diodor. Sicul. l. 5. p. 335. Biblioth.* Inventricem Oraculorum facit Themidem. *Themis*, ait, *vaticinandi artem, sacrorum ritus, & Leges Deorum cultui servientes Princeps informavit; & quæ ad bonam Iurisdictionem ac pacis studia pertineat, edocuit. Idcirco Thesmophylacas, & Thesmothetas, id est, Legum custodes & latores vocamus, qui, sancta Deorum jura & hominum conservant. Quin & ipsum Apollinem, quando responsum editurus est* θεμιστεύειν id, est, *Themidis munus obire dicimur,* ἀπὸ τοῦ τὴν Θέμιν εὑρέτειαν γεγονέναι τῶν χρησμῶν, *quod Themis inventrix Oraculorum extiterit.* Cum Diodoro videtur facere *Strabo*, qui *Lib. 9. p. 622.* itidem statuit: Themidem condidisse Oraculum, sed comite & socio Apolline. Et rem totam ita narrat: *Absurdum est,* inquit, *si veritatem in aliis rebus sectantes, de Oraculo dicturi omnium veracissimo, ita incredibilibus & falsis utamur narrationibus. His statim subjicit, opinionem receptam esse, Apollinem cum Themide Oraculum istud condidisse, cum prodesse nostro generi vellet.* Videtur loqui de initio Delphici Oraculi, quod nonnulli vetustissimum præ cæteris agnoscunt. *Iosephus Casalinus l. 2. c. 5. p. 49.* hoc è Diodoro Siculo lib. 16. vult defendere his verbis: *Quantum ego intelligo è priscis Scriptoribus, Oraculum primum extitit Delphis, neque ante illud fuisse aliud, unde in ea sententia cum multis sum, antiquissimum id esse, quod etiam Diodorum Siculum lib. 16. voluisse video: & quando de Oraculorum initio Autores loquuntur, ab hoc Oraculo Delphico incipere.* Equidem *Casalino* litem non movebo; id saltem dico, Diodorum Siculum

culum in lib. 16. agere quidem de Origine Delphici Oraculi; Illud verò ab eo antiquissimum haberi, hucusque in dicto libro invenire haut potui. Sed quicquid sit de illa opinione: *Herodotus* pro antiquitate *Oraculi Dodonæi* pugnat in *lib. 2. c. 52. p. 110.* καὶ μετὰ χρόνον ἐχρηστηριάζοντο περὶ τῶν ὀνομάτων ἐν Δωδώνῃ. Τὸ γὰρ δὴ μαντήϊον τοῦτο νενόμισται ἀρχαιότατον τῶν ἐν Ἕλλησι χρηστηρίων εἶναι, καὶ ἦν τὸν χρόνον τοῦτον μοῦνον. Id est; *aliquanto post de illorum nominibus in Dodona Oraculum petiverunt. Namq; hoc Oraculum omnium, quæ apud Græcos sunt, Oraculorum vetustissimum esse existimatur, atque adeò solum erat ea tempestate.* In quo loco deprehendimus duo. 1. Quod hoc Oraculum fuerit antiquissimum, unde & primum: recentius ergo illud erit, quod Delphis fuit celebre. 2. Quod fuerit Unicum: ideo præter illud Dodonæum nullum aliud fuit in tota Græciæ orbe: ut ita, quæ alibi extiterunt, longè posteriora fuerint. *Ianus Iacobus Boissardus in lib. de Divinat. p. 13.* Videtur Herodoto partes sequi, quando scribit: *Oracula primò reddi cœperunt in Chaunia parte Epiri in templo Iovis Dodonæi: Postea in Lybiæ arenis in templo Iovis Ammonis, & hæc duo fuerunt omnium antiquissima, ad quæ omni ex parte mundi commeabant homines.* Non me fugit, quosdam in ea hærere sententia, ac si tempore Diluvij, quo mundus aquis submersus fuit, & omnes homines una cum omnibus terrestribus animalibus, saltem quibusdam exceptis, suffocati fuerunt, Oraculum extiterit, quod Deucalion cum uxore Pyrrha dicitur consuluisse, qua ratione homines reparari possent? Ubi hoc responsum accepit, ut magnæ matris ossa post terga rejiceret: *Ovidius lib. 1. Fabul. 11. Metamorph.* Sed Poëtarum fabulis non usquequaque fidem habere oportet: Id certius est: Oraculorum initium incertum esse: Illudque verius erit, quod Historici, quàm quod Poëtæ dicunt. Interim quomodo post inundationem illam Universalem, quæ tamen Deucalionis ævo non accidit, genus humanum fuerit reparatum, illud divinus Historicus Moses rectius nobis retulit, in cujus narratione quoque subsistimus cætera in hoc genere repudiantes. Sed alii arbitrantur Oraculorum initia apud Ægyptios cæpisse, quod statuere video *Athanasium Kircherum* Virum admirandæ eruditionis *Tom. 1. Syntagm. 3. c. 2. p. 172. Oedipi AEgypt.* ubi *Morb. Isaacum Maronitam in Philos. Syra* ita loquentem introducit. *Deinde adduxit tempus & surrexerunt homines* (è semine Chami) *corrupti moribus quorum mens corrupta erat ab ignorantia. & opera Dæmonum, qui eos seduxerunt,*



runt, ac arbitrati sunt unum pro alio, & existimaverunt astra esse spiritu Intelligentiæ prædita, libertatem habere ex se & potestatem, & paulatim errare eos fecit Diabolus donec existimarent astra esse creatores & factores, imposueruntque singulis sideribus Dei nomen, variis quoque ceremoniis ea colebant, ante ea prostrati & adorabundi. Constituebant quoque sub eorum nomine Idola varia; his quoque victimas & sacrificia offerebant, incensantes ante ea aromata: Diabolus verò certis temporibus loquens ex singulis eorum petentibus responsa dabat, futura prædicens, & abscondita revelans, & bonum nuncium de iis, quæ in remotissimis locis fiebant, citò indicabat. Inducebat quoque in corda eorum cogitationes, quas aliis revelabat, atque ejusmodi plurimos seduxit usque in hodiernum diem. Fuerunt hi ritus proprii AEgyptiis, qui postea ad alios transmigrantes totum paulatim mundum infecerunt. Hucusque iste Isaac, cujus locum hîc apponere volui, quod in omnium manibus Kircherus non versetur. An verò ex hoc loco elici possit, apud Ægyptios antiquissima fuisse Oracula, dubium me facit, quòd scriptor nullus certi in Ægypto celebris Oraculi meminerit: nec suam opinionem alicujus fide digni historici testimonio corroboraverit: & qui de rebus Ægyptiacis scripserunt, de Oraculorum antiquitate in ista gente præ cœteris nihil in literas retulerint. Hinc verum esse potest, quòd apud Ægyptios Dæmon quibusdam in locis vel privatim vel publicè responsa dederit; sed an istæc vincant antiquitate alia celeberrima Oracula, suo relinquendum erit loco.

CAPUT VI.

De

Causis Oraculorum disseritur, an illæ sint merè naturales, an non?

Constat varias de Oraculorum causis circumferri opiniones, quarum una hoc, alia verò aliud pro principio Oraculi inculcat; sed cum longum ut & dubio procul inutile foret singulas referre & examinare; idcirco in hisce examinandis me non detinebo. *Plutarchus* Oracula deducit â causis naturalibus; quòd scilicet isthæc proveniant â vapore terrestri Calore Solis educto, & in corpus bene temperatum recepto, qui vim habeat mentem humanam concitandi. Inde etiam, cum disputat: Unde, aut qua de causa Oraculi defectus aut silentium obtigerit, tan-

it, tandem dilabitur ad hoc responsum, & dicit: Vi terræ paulatim evanescente & velut effœta eiusmodi exhalationes amplius non emitti. Sed eximius & edecumati judicij vir *Gerhard. Johan. Vossius lib. 1. c. 6. .43. de Origin. & progr. Idolol.* ait: *Mirum esse, cuiusquam paulò cordatioris nimum in tàm frivolis potuisse acquiescere.* Etenim licèt in controversiam nemo vocare velit: Humanam mentem ab ejusmodi vaporibus oncitari posse: Attamen, an uti Poëtæ *flore Liberi Patris* respersi nelius poëtari videntur, ita & ipsi vaporibus istis repleti subtilius ac diertius futura promere, nec non quod detectum planè & obscurum est, x ista causâ explicare possint, hoc illud est, quod potissimum venit in ontroversiam. Illud pro certo haberi poterit: spiritum è terra eliitum uti replevit humanum corpus, non posse notitiam futurorum ti corpori ingenerare, cum nulla subsit ratio, quæ id suadere queat. Quod si verò solus iste vapor terrestris in causa talis vaticinij non sit, liud utique subesse oportebit, à quo responsa illa proficiscantur. Quod nihil aliud esse poterit, quàm Dæmon ipse, qui Oracula moderatus fuerit, ipsisque præfuerit instar præsidis. Id quidem inficias e nolim, audito venti murmure, & edito spiritus mugitu, responsa la oraculorum fuisse subsecuta: at verò è vaporibus istis terrestribus ates, sacerdotes, & Interpretes Oraculorum vim divinandi accepisse, mpliciter negatur. Murmur fortean ideo fuit auditum, & spiritus cum ehementia quadam erupit, ut adstantes partim redderentur attoniti: artim quoque timore Numinis afficerentur & devota mente bonum c lætum expectarent responsum. Ipse interea Dæmon opus illud vacinandi præcipuè peregit; & ubi corpus humanum ingressus est, sicu de Pythia in Delphici Oraculi expositione infra lib. 2. dicetur, quid nunciare debuerit sacerdos, ipsi velut insusurravit, ut ita, quid loqueretur, furibundi vel furiosi instar, ipse planè nesciret. Deinde præter ilm de vapore terrestri sententiam *Plutarchus in lib. de Oraculor. Defctu pag. 418.* Cleombroti amplectitur opinionem, ac si Genij, qui cuntur Deorum ministri, Oracula præsint. τὸ μὲν ἐφεστάναι τοῖς χρηστηρίοις ... ὁ Κλεόμβροτος μὴ θεοὺς, οἷς ἀπηλλάχθαι τῶν περὶ γῆν προσῆκόν ἐστιν, ἀλλὰ δαίμονας ὑπηρέτας θεῶν, οὐ δοκεῖ μοι κακῶς ἀξιοῦν. *Oraculis*, inquit Cleombrotus, *n Deos, quibus convenit nihil habere negotij cum terrestribus, sed Deorum dministros Genios præesse. Et illud non malè iudicatum mihi videtur.* Et libro *de Facie in Orbe Lunæ. p. 944.* eandem fovet opinionem; nam

post-

postquam statuit ex errore tum à quibusdam eruditis recepto; Genios habitare in Luna addit: οὐκ ἀεὶ δὲ διατρίβουσιν ἐπ' αὐτῆς οἱ δαίμονες, ἀλλὰ χρηστηρίων δεῦρο κατίασιν ἐπιμελησόμενοι. *Non semper autem in ea* (in Luna) *morantur Genij, sed huc descendunt, ut Oracula procurent.* Inde quoque qui hanc sententiam admittunt, simul docent, quando Oracula cessant, vel silescunt; Genios Oraculorum præfectos fugere, aliò migrare, & ita abesse, quo minus ipsi hominibus Deorum mentem exponant. De quo iterum *Plutarch. de Defectu Oracul. p. 418* ἤδη γὰρ ἴσ' αὐτῷ κεχρήμεθα· καὶ τολμήσωμεν μετὰ πολλοὺς εἰρῆσθαι καὶ ἡμῖν, ὅτι τοῖς περὶ τὰ μαντεῖα καὶ χρηστήρια τεταγμένοις δαιμονίοις ἐκλείπουσί τε κομιδῇ, συνεκλείπει τὰ τοιαῦτα, καὶ φυγόντων ἢ μεταστάντων, ἀποβάλλει τὴν δύναμιν· εἶτα παρόντων αὐτῶν διὰ χρόνου πολλοῦ καθάπερ ὄργανα ἐφθέγξατο, τῶν χρωμένων ἐπιστάντων καὶ παρόντων. *Iam enim eò perventum est; audeamus etiam post multos alios dicere & nos, quod Genii, qui vaticinijs & Oraculis præstituti sunt, quando deficiunt, & ipsa scilicet oracula intercidant: quando fugiunt, aut aliò secedunt, & ipsa vim suam amittant. Quando vicissim præsentes sunt, utpote post aliquod tempus reversi, tanquam Instrumenta loquantur scilicet Geniorum, qui illis utuntur, illis præsunt, & præsentes existunt.* Et quia Genij ex Ethnicorum fide inter Deos & homines velut commercium exercent: hominum preces ad Deos deferunt, & horum voluntatem vicissim hominibus annunciant, inde non malè dicti sunt olim *Deorum & hominum Interpretes.* Quod iterum docet *Plutarchus in lib. de Iside & Osiride p. 361.* Πλάτων ἑρμηνευτικὸν τὸ τοιοῦτον ὀνομάζει γένος καὶ διακονικὸν ἐν μέσῳ θεῶν καὶ ἀνθρώπων, εὐχὰς μὲν ἐκεῖ καὶ δεήσεις ἀνθρώπων ἀναπέμποντας, ἐκεῖθεν δὲ μαντεῖα δεῦρο καὶ δόσεις ἀγαθῶν φέροντας. *Plato hoc genus inter homines ac Deos interpretum administrorumq; fungi muneribus ait; quia ab hominibus vota precesque ad Deos perferant, à diis ad homines Oracula & dona bonarum rerum.* Atqui hæc opinio de Genijs Oraculorum moderatoribus videtur rectæ rationi convenientior, quam quæ est de de vapore terrestri conficta. Etenim licèt Genij juxta Paganorum doctrinam non sint ipsi Dij, sed Deorum ministri, inter illos & homines Interpretum munere defungentes; tamen possunt ipsi per Oracula Deorum mentem & voluntatem hominibus petentibus patefacere, & ita illis futurorum eventus denunciare: at quo pacto è vapore terrestri hæc vis trahi queat, ut, qui isto sit repletus, divinare, & instar vatis futura prædicere valeat, recta ratio planè non assequitur. *Cœlius Rhodiginus l. 2. c. 12. p. 72. Lection. Antiquar.* statuit: Oracula non à Dæmo-

nibus

ibus instituta vel propagata; sed à vafris quibusdam & quæstuarijs hominibus initio inchoata. Quam sententiam celeberrimi è Græcorum sapientibus, peripatetici, Cynici, atque Epicurei admiserunt. Nam improbi homines ad imposturas & nectendas fallacias exercitati responsa ad utrumlibet eventum solertissimè coaptabant. Habebant quoque suos emissarios, quos tanquam Corycæos mittebant in civitates, qui ibidem hominum mores accuratissimè observarent, & quid cuique opus foret, renunciarent. Mox ad hoc destinati tanquam vates rerum futurarum velut præsagi in adytis obscurioribus aut speluncis illatebra-, venientibus responsa dabant. Quos multum adjuvabat homini innata aviditas pernoscendi futura inscitiæ sæpe combinata. Et tales fraudes vult inde probare, quòd Pythia dicatur à Philippo Macedonum Rege corrupta: ut exinde Demosthenes apertè pronunciaverit: Pythiam φιλιππίζειν, id est, ob accepta dona facere cum Philippo. Addit, quòd in Delphicis pariter & aliis Oraculis aliquid non sinceri fuerit. Hæc ex mente Rhodigini. Quod hic *Rhodiginus* profert, ex parte quidem verum esse potest, sed omnium Oraculorum vim & originem ab avarorum hominum dolis & fallacijs suspendere, id mihi a ratione nondum patiar persuaderi. Nam si historias veterum pervolvemus, in propatulo erit; etiam inter sapientes reperiri non paucos, qui Oracula è fatidico quodam spiritu, Genio, vel aliquo Deo provenisse, & instituta esse firmiter credant. Et licèt à prudentum nonnullis istæc vaticinandi ars sit ludibrio habita, derisa, & præprimis à Porphyrio acerrimè exagitata; temerè tamen non dixerim, eos instituta Oraculorum vafrorum hominum dolis adscribere. Præterea si rem penitius inspiciamus, fieri non potuit, ut ipsi ad omnes mortalium casus, qui infiniti ferè sunt; aut ad quamlibet quæstionem in promtu habere potuerint ambidextrum, ut ita loquar, responsum: multò minus illorum emissarii cuncta hominum mala, infortunia, aut imminentes casus animadvertere & prævidere potuerunt: Sicuti Dæmones, qui propius ad mortales, etiam cum ipsi soli sunt, & secum sua fata repetunt ac deplorant, accedunt: cum ipsis in conclavibus suorum commorantur: illorum mores & actiones inspiciunt: illorumque consilia facilè exquirunt: nec non ex Astris quodammodo futurorum eventus conjectando assequi, & quid videatur, prædicere queunt. Quo facit, quod ait *Porphyrius l. 2. p. 85. de Abstin. Edit. Londin.*

D Boni

Boni Genii non solum, quantum in illis est, neminem lædunt; sed & pericula, quæ à maleficis Geniis impendent, præsignificant: Quod si fortè una vel altera vice responsa feliciter ab impostoribus fuissent data; tamen illæ fraudes facilè potuerunt investigari. Verum tale quid non memoratur ab antiquis. Et si velimus hoc concedere Rhodigino, Oraculorum initium cæpisse à talium hominum imposturis: dubium manet, cum multis in locis clara extiterint Oracula, ubi Deus aliquis quærentibus respondit: An homines illi à Dijs ejusmodi rationem decipiendi didicerint, aut ipsi solertia ingenii tale quid excogitaverint? An verò Dæmones in condendis Oraculis talium impostorum instituta imitati fuerint? Posterius fortean nemo facilè affirmabit, qui consideraverit: illud Dei licet falsi moribus repugnare in condendo sancto eoque publico ac solenni loco, unde tot homines, Magnates, Reges, Principes, civitatum ac regionum incolæ, summi & infimi responsa divina petere & expectare debuerunt, impostorum instituta imitari. Neque hic solertia ingenii humani quicquam efficiet, utpote quam Dæmonum calliditas vincit, eamque multis parasangis post se relinquit. Sed nec hoc probabile videtur, quòd pravi isti & vafri homines artem istam eo modo per divina velut eloquia interrogantes decipiendi à Diis didicerint: id enim, sicuti autoritatem divinam hac ratione apud illos enervasset, ita ipsi Dii ansam suppeditassent hominibus non credendi Oraculis, utpote quòd ab initio ipsi ea reddidissent suspecta. Id majore fide nititur, quamvis etiam & hoc sit incertum: postquam Oracula hinc inde in diversis locis enata sunt, alicubi versipelles & astutos quosdam viros, id, quod *Rhodiginus* vult, tentasse, & fictis illis responsis tanquam divinis simpliciores circumvenisse. An autem diu hoc genus vaticinandi duraverit, quis hoc monstrabit? Cæterum non nego interdum & Pythiam fuisse mentitam, aut acceptis donis corruptam favisse partibus; sicuti exemplum à *Rhodigino* adductum id ostendit. Historiam recenset *Cicero l. 2. c. 57. de Divinat. p. 208.* Verba sunt pauca: *Demosthenes quidem, qui ab hinc annos prope trecentos fuit, jam tum φιλιππίζειν Pythiam dicebat, id est,* quasi cum Philippo facere. *Hoc autem eo spectabat, ut eam à Philippo corruptam diceret; quo licet ex stimare, in aliis quoque Oraculis Delphicis aliquid non sinceri fuisse.* Verùm exinde, quòd Pythia deflexerit à veritate, aut largitionibus corrupta sincerum responsum interdum non dederit, non possumus

nus statuere, quod à fraudulentis hominibus Oracula sumserint initium.

CAPUT VII.

Alia, eaq; verior causa, unde Oracula apud Ethnicos extiterint, exponitur.

SUpra dictum est, Dæmonem esse Simium vel æmulum Dei, qui illud, quod viditin populo Hebræo constitutum esse, valdè imitatus est, & eam ob causam varia ibidem sacra introduxit, quô & ipse cœtum sibi obsequentem assequeretur. Deprehendit autem improbus Genius: Deum in somniis apparuisse quibusdam, quod & ipse imitatus varia insomnia futurorum significationem exhibentia immisit suis, uti in Serapidis templo illud factum esse è multis testatur *Peucerus de Divinat. p. 239.* Vidit quoque sanctissimam Federis arcam in secretiore Tabernaculi parte reconditam: quem in finem ipse nonubiq; palàm & inspectante plebe, sed ê profundis cryptis & specubus suam voluntatem quærentibus manifestare voluit. Præterea uti Deus suum populum ex Ægypto deduxit, eumque per vagas in deserto ambages hinc inde errare fecit, donec tandem terram promissionis ingressi exoptatam invenerunt quietem: Pari modo Dæmon Mexicanos ad exemplum sacri istius itineris ex uno in alium locum migrare jussit: uti ex *Hieronymo Benzone refert Ludovicus Gothofredus in Descript. Novi orbis. p. 53.* Cumprimis tamen sicuti Deus in suo cætu & Ecclesia cum Mose & aliis sanctis locutus est, & illis suam mentem explicavit: pari modo & Dæmon varia condidit Oracula, & ex illis locutus est cum hominibus futurarum rerum notitiam habere desiderantibus. Novit enim nulla re magis detineri homines posse in religione, quàm alloquijs divinis. Quod innuit *Petr. Cunæus. l. 3. c. 7. pag. 13. de Republ. Hebr. in Tom. 8. Critic. Sacror.* quando ait: *Duabus rebus ante Messia adventum ad recta compellebatur sacer populus, Legum sanctionibus,* & Oraculorum terrore. Itaque nihil reliqui habuit Dæmon, atque ut ipse Dei instar hominibus suum animum per vates explicaret, & loca quædam diversis in regionibus consecraret, in quibus supplices sua desideria proferrent, & ab Oraculo responsum impetrarent. Neque is substitit saltem in multitudine Ethnicorum; Sed

etiam non dubitavit in ſacra Gente multis ſtruere inſidias, eosque mendaciis inescatos ſibi addictos reddere, & à veri Numinis cultu, ſinceraque religione abſtractos ad ſuperſtitionem pellicere. Publica ſiquidem & privata Idola habuerunt nonnulli Iſraëlitæ, quæ ipſi divinis ceremonijs venerati ſunt, & ab ijs conſilium petere voluerunt. Memoratu dignum eſt, quod celebre fuerit *Carmeli Dei Oraculum à Tito Fl. Veſpaſiano* conſultum, cujus mentionem facit Sueton. in illius vita. c. 15. p. 257. Verba ita ſe habent: *Apud Iudæam Carmeli Dei Oraculum conſulentem ita confirmavere ſortes: ut quicquid cogitaret volveretque animo, quantumlibet magnum, id eſſe proventurum pollicerentur.* Præcipuè verò celeberrimum illud apud Hebræos Oraculum URIM & THUMMIM voluit imitari Diabolus. Antequam verò hoc oſtendam, paucis iſtius ſanctiſſimi Oraculi deſcriptionem, prout hodie ex aliorum monumentis haberi poterit, hîc exhibebo. Summus ſacerdos juſſus fuit PECTORALE portare in pectore. Et erat ſumma ac dignior veſtis inter ſacerdotalia indumenta: uti inter vaſa Tabernaculi ſumma res erat *Arca Federis*, utrinque autem reſponſa divina dabantur. Illud Pectorale præter duodecim lapides & nomina Filiorum Iſraël habuit in ſe Urim & Thummin, id eſt, uti quidam interpretantur, Lucem & perfectionem: ſeu juxta alios; Doctrinam & veritatem: ex quibus ſummo Sacerdoti reſponſa divina dabantur. *Iſidor. Clarius ad c. 28. v. 15. Exod. p. 640. in Tom. 1. Critic. Sacror.* ſunt, qui voces illas ſignificare docent: *Illuminationes, ſplendores, atque perfectiones:* quamvis ab aliis multum ſubdubitetur, an ſignificatio iſtæc vocibus illis competat: Etenim nondum ſatis conſtat; an illud Oraculum fuerit ſatis lucidum? deinde num conſulentes in re dubia ſufficienter illuminati certa à ſummo Sacerdote acceperint reſponſa? Quod dubium movit Paraphraſtes Chaldæus. Alii tamen, docente hoc *Georgio Syncello*, ſtatuunt: Urim & Thummim fuiſſe pretioſas iſtas gemmas ſacro Sacerdotis Pectorali infixas, qui ſubinde exiſtimant: illud nomen deſumtum eſſe partim à LUCE & PERFECTIONE, utpote quod ibi omnis abfuerit defectus: partim à CERTITUDINE & VERITATE reſponſorum, quæ conſulentes hoc ſanctiſſimum Oraculum impetrarunt. Dicitur HOSEN vel HOSCHEN: antiquitas cum puncta nondum adiecta eſſent vocabulis vox iſtæc, *Druſio* teſte, lecta fuit HESSEN, vel ESSEN, quomodo etiam apud *Flav. Joſeph. l. 3. c. 9.*

p. 38. *Antiquit. Iudaic.* nisi fortean mendum fuerit in textu. Græci vocem illam reddunt λόγιον, Latini vertunt *Rationale*, rectius, uti videtur *Pectorale*, quandoquidem *R. Salomo* verbum *Hosen* interpretatur *Ornamentum è regione cordis*, utpote quod supra cor apponebatur pectori. Redditur quoque à nonnullis *Rationale seu Pectorale Iudicii*, exinde quia ei inerant URIM & THUMMIM, quæ significabant, quomodo homo, cum per EA interrogaret, sese gerere deberet. *Ioh. Drusius ad c. 28. n. 30. Exod. p. 650. in Tom. 1. Critic. Sacror.* Pectorale Iudicij sic declarat, quòd nempe hominem instruat, quo pacto is se gerere debeat, tam in bello, quàm in republica. Hoc fiebat per Urim & Thummim, cùm ea consulerentur, ut tunc moris erat. *Paulus Fagius ad c. 28. n. 30. p. 642. ad Exod.* è scriptore quodam, cujus nomen reticet, talem explicationem affert: *Vnde dicitur: Aaron portabit Iudicium, hoc est, Ius filiorum Israel super pectus suum, videlicet, ut singulæ tribus, quarum nomina insculpta erant in gemmas, admonerentur sui juris, quod haberent in promissionibus Dei.* Non me fugit verba istæc etiam in hunc modum exponi: *Pectorale Iudicii dicebatur, quod sacerdos nunquam jus dicebat in re gravi, nisi cum habebat pectorale super pectus collocatum.* Quidam dicunt: Pectorale judicii ideo vocari, *quod contineret judicium & sententiam Dei, quæ erat, ut summus sacerdos esset ornatus eruditione summa, & doctrina morumque integritate absolutissima.* Hoc enim significabant voces illæ URIM & THVMMIM, quæ intra pectorale erant. Nam VRIM, id est, *Illuminationes* denotabant doctrinam sanctam, quæ est vitæ nostræ verum lumen: & THVMMIM, *perfectiones*, singularem morum integritatem innuebant. Videatur *Vatablus ad c. 28. v. 15. Exodi. pag. 644. in Tom. 1. Critic. sacror.* Deinde in eo conveniunt omnes quòd VRIM THVMMIM in *Ephod* seu Pectorali Pontificis Maximi apud Hebræos: & subinde ordinaria quædam media ac symbola fuerint, per quæ JEHOVA summo Sacerdoti de rebus futuris sed arduis debito tamen modo interrogatus suam voluntatem singulari ratione revelaret. Hoc igitur oraculum fuit sanctissimum remedium, quo Deus devota mente invocatus è peculiari gratia summo Sacerdoti ad magnorum virorum de futuris iisque gravibus negotiis propositam quæstionem respondere voluit, an suscipienda, vel intermittenda essent. Interea tamen in quonam potissimùm hujus oraculi & revelationis vis fuerit posita, multum

tum inter se dissident Interpretes, adeò, ut quidam cœperint ingenuè profiteri: *Si illud nescire*: scribit *R. Salomo*: nedum de *Hoschen* pronunciare nos posse, qualis res fuerit: verùm & *Ephod*, id est, simulacrum Ephod ex contextu non satis dilucidè intelligi posse. *R. David Kimchi* disertè fatetur: Non certò constare hodie, quid fuerint VRIM & THVMMIM. *Nam non apparet ex contextu, quod aliud quiddam fuerint, quàm lapides Pectoralis.* Et paucis interpositis addit: *Magister noster Salomo exponit:* VRIM & THVMMIM *esse scripturam* SCHEM HAMPHORASCH, *quæ erat in duplicatura Pectoralis, per quam Sacerdos illustrabat, & absolvebat verba sua. Sed certum non est, an hoc verum sit.* Quoniam verò diversæ Interpretum recensentur opiniones, aliquas saltem hoc vice proferre placet. *Thalmudistæ* docuerunt occasione textus *Exod. 25* (ubi dicitur: *Institutos esse lapides Onychinos, & gemmas ad ornandum Ephod & Rationale*) Lapides Vrim & Thummim sive Doctrinam & Veritatem in Pectorali Pontificis extitisse, quorum conspectu Sacerdotes occulta intelligerent, & populo traderent. Sic mentem Thalmudistarum explicat *Carolus Sigonius. Tom. 2. Oper. l. 5. c. 9. p. 686.* Huic explicationi accedetur videtur. *Flavius Ioseph. l. 3. c. 9. p. 38. Antiqu. Iudaic.* Vbi vim hujus oraculi positam esse dicit in solitò clariore luce & fulgore. *Mirabilius est*, inquit, *quod nunc dicturus sum, per duodecim gemmas, quas in pectore Pontifex insutas* ESSENI *gestat, in bello victoriam Deus prænunciare solebat. Nam priusquam exercitus se moveret, tantus fulgor ex iis emicabat, ut toti populo facile innotesceret, adesse Deum, opemque & auxilium suum invocantibus esse allaturum. Quapropter Græci, qui à nostra religione non abhorrent, cum hoc miraculum pro compertissimo habeant, ita, ut negari non possit,* ESSENA *vocant λόγιον id est, Oraculum.* Alii sunt in hac opinione, in *Ephod* seu *Pectorali* præter duodecim gemmas repræsentantes duodecim tribus Israelis fuisse lapidem decimum tertium, quem *Suidas*, sed sine autoritate, vocat *Adamantem*, cujus color pro diversitate prosperi vel adversi successus mutatus fuisse dicitur ad introitum summi Sacerdotis in atrium. Quæ tamen opinio tanquam fabulosa *ab Augustino qu. 117. in Exod.* exploditur. Vnde *Augustinus* in dicta quæstione aliam eamque novam promit opinionem quasi istæc duo nomina VRIM & THVMMIM Hebraicis sed aureis characteribus Pectorali fuerint inscripta. Quam sententiam arripuit *Cornelius à*

Lapide

apide in Comm. ad Exod. 28. Mihi autem *verisimilius videtur, hæc duo nomina* VRIM & THVMMIM *inscripta fuisse Rationali, ita ut cum dicit Scriptura sacra*: Ponas in rationali doctrinam & veritatem, *sensus sit: Inscribes in Rationali hæc duo nomina, sicut tiaræ Pontificis inscripta fuerunt hæc duo verba:* SANCTITAS JEHOVAE, *existimant sic sensum maximè planum è verbis Mosaicis emergere.* At huic sententiæ viri satis docti subscribere dubitant; qui etiam inter alia & hoc urgent, quod in sacro Codice non dicatur *Scribes VRIM & THVMMIM*, sed *pones*. Cum autem verbum hoc de gemmis ipsis intelligatur, certum ipsi credunt esse argumentum, illam Augustini & Cornelij à Lapide p. 575. expositionem huc non quadrare. Alij docent inter quos invenitur & *R. Salomo* intra Pectorale fuisse scripturam quandam, quæ continuerit nomen Dei Tetragrammaton JEHOVA, illamque scripturam dictam fuisse URIM & THUMMIM. *Nehemanides* quoque existimat: URIM & THMMIM sacra fuisse nomina; & URIM appellata ea, quorum virtute literæ, quæ erant sub gemmis, illustratæ fuerunt: THUMMIM verò ea, quorum virtute illæ collustratæ legibiles factæ fuerunt: scilicet, *quod Sacerdos potuerit eas concinnare in dictiones, & inde responsum Domini intelligere.* Adhuc superest alia expositio cujusdam innominati scriptoris, quam *Paulus Fagius ad c. 28. v. 30. p. 442. Exod. in Tom. 1. Critic. Sacror.* affert: URIM & THUMMIM nec fuisse alios novosque lapides duodecim illis gemmis superadditos; sed fuisse illas ipsas duodecim gemmas, quæ in sacro textu commemoratæ sunt. Et quemadmodum duodecim gemmæ dicuntur *lapides plenitudinum*, quod ipsis impleatur *Pectorale*, & quod in usum *Pectoralis* fuerint consecrati; Ita nunc vocantur URIM, quoniam velut ignis in pectore summi sacerdotis splenduerunt, ac perspicuam de se projecerunt lucem: Iidem quoque dicti sunt THUMMIM ob perfectionem & integritatem & vel minimi vitij carentiam. Argumentum autem, quod URIM & THUMMIM nihil aliud speciale, quam duodecim gemmas denotaverint, vel inde petitur: Quod, cum c. 39. Exod. scriptura commemoret: Mosem mandato Dei fuisse obsecutum; ac juxta verbum Domini posuisse duodecim gemmas in pectorali, nihil ipsi addat de URIM ET THUMMIM: quod dubio procul non omisisset, si URIM & THUMMIM aliud quippiam præter duodecim gemmas fuissent: præprimis cùm alia longè minora diligentissimè, & maxima industria secundum Dei præceptum confecta

esse

esse recenseantur. *Martinus Delrio l. 4. c. 1. q. 2. sect. 1. Disquisit. Magic. p. 491. & 491.* totus quoque deditus est isti sententiæ, quæ statuit: URIM & THUMMIM nihil aliud fuisse, quàm istas duodecim gemmas Pectorali sacro insertas. Rationem adducit è *c. 8. v. 8. Levit.* ubi Sacerdos vestiri legitur, sed nulla istarum duodecim gemmarum fit mentio, sine quibus tamen ipse rite vestiri non potuisset: interim illarum memorantur URIM & THUMMIM: quod evidens videtur esse Signum, istis nominibus URIM & THUMMIM pretiosos istos duodecim lapides denotari, & præter istas gemmas nihil aliud fuisse. *Qui lapides cum tanquam splendidi clarissima refulgerent luce dicti non sunt splendidi & lucentes*, sed *splendores & Illuminationes, scilicet* URIM. Et *quoniam subjiciderant è gemmarum istis generibus lectissimi, integerrimi, ac perfectissimi, non perfecti appellati sunt, sed* THUMMIM, id est, *perfectiones. Et quidem* URIM *dicti sunt, quia lucis micantis instar fulgere suo ignorantiæ tenebras dispellere poterant*: THUMMIM *autem ideo, quoniam uti omnis Prophetiæ certa splendoris erat promissio*, sic & *indubitatò Deus, quod fulgore isto pollicebatur, id eventu perficiebat, nec fas erat dubitare.* Hucusque Delrio. Quamvis non pauci isti sententiæ calculum suum adijciant, quod URIM & THUMMIM nihil aliud fuerint, quàm illæ duodecim gemmæ Pectorali Pontificis insertæ: eorumque hactenus allatæ rationes non destituantur probabilitate; tamen nihil certi ea de re hucusque est propositum, adeò, ut repetendum sit, quod nonnulli Hebræorum ingenuè suam hac in re professi sint ignorantiam. Et ex hisce diversis opinionibus oportet eam seligere, quæ majore probabilitate niti videtur. Illud negligere non debeo, quosdam è Rabbinis docere: URIM & THUMMIM non facta fuisse per manum artificis: quòd, in parandis TABERNACULI vasis nihil præcipiatur de *Vrim & Thummim*, sed saltem ad Mosem dicatur: Et pones in Rationali Iudicij Urim & Thummim. Quibus è verbis colligi volunt nonnulli: URIM & THUMMIM opus divinum fuisse in hunc usum antea apparatum, & ab ipso Deo Mosi in mentem traditum, vel ab ipso Mose, neutiquam verò ab alio quodam artifice elaboratum. Sed sequestratis hisce utpote tanquam incertis: Ulterius videndum, quē in finem Oraculum hoc à Deo fuerit institutum? Illud namque inserviebat rite consulentibus, ut certò scire possent, num quid cœptam rem sustinere, vel ab eadem desistere deberent. Proinde credendum est eximio *Gerardo à Renesse l. 2. ad Cod. LL. Hebraear.* qui sequentia tradit:

URIM

URIM & THUMMIM *simulacra quædam vel symbola fuerunt, per quæ Deus de rebus futuris debito modo quæsitus summo Sacerdoti suam revelavit voluntatem, & quidem longè alia ratione, quam per insomnia, visiones & Prophetias. Ut ita illud certum ac distinctum fuerit genus Oraculi in populo Hebræo, quô illi, qui de re ardua & difficili, sed incertum exitum habente Deum consulerent, de futuro istius eventu subsidio illius Oraculi per summum Sacerdotem edocerentur. Huic namq; rei exitus à Deo aperiebatur.* Hæc Renesse. Porro dispiciendum est: Quinam hoc Oraculum consuluerint? nempe non homines vulgares, sed viri amplam in republica dignitatem obtinentes, uti sunt Reges, Princeps, & Duces bellici. Sic David Rex Oraculum Domini consuluit. Illustris est locus. *1 Samuel. 30. v. 7.* Ubi *David* dixit ad *Abjathar* Sacerdotem Abimelechi filium: *Fac mihi accedere Ephod.* Et fecit Abjathar Ephod accedere ad David, & interrogavit Dominum dicendo: *persequar exercitum istum? attingamve istum?* & dixit Ei (Deus scilicet per URIM) *persequere. Omninò enim assequeris & erues eos* Ita *David. 2. Samuel. 2, v. 1.* consuluit VRIM & THVMMIM, & quidem ideo, nunquid ipse ascendere deberet in unam de Civitatibus Iuda? *Caspar Sanctius* ad h. loc. *p 551.* dicit: Illud Davidem potuisse præstare, cum secum haberet sacerdotem & *Ephod.* Sed disputari solet de eo: *Nunquid Regi vel Principi non adhibito Sacerdotis summi officio, licuerit sibi applicare Ephod: & ita propria autoritate consulere Deum?* Quidam illud negant freti autoritate textus sacri, qui habetur *Numer. 27. v. 21.* unde colligitur, quòd Rex, quando per summum Sacerdotem consuluit VRIM & THUMMIM, coram dicto Pontifice stare debuerit. Locus ita explicatur: *Ante Eleazarum Sacerdotem stabit, & interrogabit eum de Iudicio VRIM coram Domino,* id est, consulet Pontificem de rebus agendis tanquam conscium voluntatis Dei: De rebus, inquam, quas ei agendas revelabit Dominus propter præsentiam nominis sui, quod ipse gestat in Pectorali. Cum itaque aliquid agere volet, interrogabit Sacerdotem, qui portat *Vrim & Thummim* in Pectorali: vel interrogabit Sacerdotem de Iudicio seu sententia *Vrim,* id est, *Illuminationum,* seu de sententia Dei illuminantis & dirigentis omnia Vide *Paulum Fagium ad c. 27. v. 21. Numeror. p. 1091. Tom. 1. Critic. Sacror.* Quando verò opponitur, quòd *1. Samuel. 30. v. 7.* David sibi applicaverit Ephod, & eo indutus Deum consuluerit, tum respondent: alium istorum verbo-

rum esse sensum, ac si nempe dicat David: *Non mihi, sed pro me, aut in gratiam mei applica Tibi Ephod: ut ita Sacerdos pro Davide deberet sibi applicare Pectorale, & de illis, quæ ipse scire desiderabat, Deum consulere.* Huc quoque tendit *Caspar Sanctius ad c. 30. 1. Samuel. v 7. p. 509.* dum ita commentatur: *Cum omnium re desperata, & languerent studia, & frangerentur animi, erectus est tamen Davidis animus ad bene sperandum. Quare quamprimum advocat Abiathar, & jubet, ut de rerum eventu per Ephod, quod secum è Tabernaculo tulerat, Deum consuleret.* Hujus sententiæ defensores pro se quoque adducunt authoritatem *Vatabli*, qui ad *c. 27. Numeror. v. 21. pag. 1093. in Tom. 1. Critic. Sacror.* ita judicat: *Non vult Dominus quicquam aggredi Iosuam & populum inconsulto Summo Pontifice, cui dominus revelabat suam sententiam de rebus agendis omnibus,* quasi dicat: *Secundum quod ipse Pontifex à me edoctus loquetur, ipse & Filii Israël suscipient aliquid agendum, aut desistent.* Sunt tamen, qui affirmativam sententiam propugnant, quos interest *Petrus Cunæus, qui lib. 1. c. 14. p. 842. de Republ. Hebræor. in Tom. VIII. Critic. Sacror.* mentem suam de Davidis facto hisce verbio exprimit: *Ipse David quem pridem antea vates Regem fecerat, adeò veritus non est summi Pontificis decus usurpare, ut sacrum ejus amiculum, quod* Ephod *appellant, induerit sibi, ac mox quæsierit ex Numine, an auspicatò educturus copias in hostem esset? Locus illustris extat in Commentariis Samuelis, quem omninò perverterunt nuperi Interpretes Viri herclè eruditissimi &c.* Illos verò, qui diversum statuunt, conatur ex ipsis verbis sacri textus convincere. Cunæo assentitur *H. Grotius c. 6. n. 8. p. 137. de summar. potest. circa sacra.* quando Davidis factum ita declarat: *Hic interrogat David: respondit Davidi non Abimelech: Sed Dominus, qui interrogabatur per Vrim. Et paucis interiectis, pergit: Cùm David Ceilam venisset & oppidanorum suspectam haberet fidem Abiathari edicit:* Fac accedere Ephod, hoc est, *mihi Ephod admove. Consuluit deinde David Deum, ubi dicitur respondisse non Abiathar, sed Deus, fore ut ipsum oppidani Sauli dederent.* Quoniam verò hæc controversia ab utraque parte suos invenerit tuitores, aliis eam decidendam lubens relinquam: Id saltem addo: Quod, si David secum habuerit summum Pontificem, probabile videatur: ipsum non sibi applicasse Ephod, sed voluisse, ut isto se amiciret Sacerdos, atque ita ex Dei voluntate ipsi, quid agendum esset, renunciaret. Præterea Deus quoq; dicitur alicui respondere, quando per alium respondet. Dein-

Deinceps VRIM & THVMMIM consulebantur non de rebus exiguis & ad privatum negotium spectantibus; sed de rebus arduis, & totius reipublicæ aut populi salutem concernentibus, præcipuè si subitaneum desideraretur consilium *R. Moses Maimonides* dicit: *Per Vrim & Thummim responsa nulla data privatis super negotiis, neque verò alio sciscitante, quàm qui publico cum imperio esset.* Illud etiam probat *H. Grotius ad c. 28. v 30. Exod. p. 647. Tom. 1. Critic. Sacror.* cum ita scribit: *Consulebatur Vrim & Thummim à Rege aut Principe in rebus ad statum publicum maximè pertinentibus, aut à Synedrio in difficillimis de Iure controversiis.* Idem *in c. 6. n. 8. p. 138. de Offic. Summar. potestat. circa Sacra*: sequentibus verbis rem explicat: *De expeditionum successibus, & si quod est simile, consuli solebat τὸ Vrim cum aliis rebus alia paterent Oracula*, ut Responsum ex Propitiatorio, Afflatus, Visio, Somnium. Quod etiam intellexit *Josephus l. 3. c 9. p. 38. Antiqu. Judaic.* hinc narrat: *Fulgore Pectoralis* significatas fuisse bellicas victorias. Hisce attexam, quæ profert *Iohan. Stephan. Menochius. l. 3. c. 14. n. 11. p. 313. de Republ. Hebræor.* Postquam enim præmiserat, quòd responsum aliquod à summo Sacerdote per Ephod & Rationalis applicationem sibi reddi cupientes ipsum Pontificem, qui Dominum consuleret, accederent, & ita responsa redderentur, addit: *Tanti verò Oraculi reverentia non patiebatur, ut passim & privatorum hominum negotia proponerentur, responsis Oraculi dirigenda: sed gravia & ad publicum bonum pertinentia, qualia sunt, quæ ad religionem pertinent, ad bellum suscipiendum, ad pacem faciendam, ad fœdus sanciendum & similia.* Insuper licèt Deo hic honor unicè sit tribuendus, ut ab eo omne consilium petere deceat; tamen non semper illud immediatè fieri solet, quin potius ipse JEHOVAH *Urim & Thummim* tanquam medium aliquod constituit, unde in rebus dubiis & certis certum impetrari debuerit consilium. Et hoc est illud oraculum certitudinis & veritatis divinæ, quod in summi Sacerdotis Pectorali latuit. Is autem, audita & percepta proposita quæstione, interrogavit Dominum, à quo pro consulentibus accepit responsum, quod ipsi vocabant: *Consulere Dominum.* Vbi & illud non negligendum est, quod cùm Sacerdos Summus consuleretur à Rege, Sacerdos ad Vrim & Thummim inscio Rege non accesserit; Sed ipse Rex aut belli Dux tanquam miraculi spectator adstiterit, ideoque τὸ *Vrim* ad se accedere jusserit. Addit etiam hoc è Maimonide *Petr. Cunæus*

nem lib. 1. c. 14. p. 842. de Republ. Hebr. in Tom. 8. Critic. Sacror. quomodo sacerdos Regem veneratus sit: *Sancitum fuit*, inquit, *ut Pontifex Maximus Regem veneraretur, & locum illi suum ad sedendum cederet atque ipse staret si quando veniret ad eum Rex. At è contra Rex non stat præsente Pontifice, nisi cum consulit solemni ritu Oraculum Urim.* Sed hoc obiter. Modum consulendi *Urim* & *Thummim* per interrogationē factum fuisse multi constanter docent. Illam autē interrogationem per quasdam sortiones proponi solitam fuisse, uti putat *Hugo de S. Victore*, nescitur, unde hoc ei constiterit. *Aben Ezra* arbitratur: quæstionem Codicillis inscriptam, & codicillos postmodū *Rationali seu Pectorali* impositos fuisse. Verùm de hoc modo tacet scriptura & alii fide digni Autores, ut proinde illud tanquam commentum tutò reiici possit. *Martin. Delrio l. 4. c. 1. qu. 2. sect. 1. p. 491. Disquis. Magicar.* existimat: *sacerdotes post debitas preces viva voce proposuisse interrogata indutos cum alia vestimenta Sacerdotalia, tum Ephod & Rationale seu monile gemmatum Ephodi appensum, de quo nunc agimus quod vocabant:* Applicare Ephod: *seu:* consulere Dominum applicato Ephod. Sed hæc omnia, licet probabilitate non careant; certitudinē tamen non habent. Paucis quoque & illud indicandum est, quomodo per *Urim & Thummim* divina voluntas hominibus consulentibus fuerit patefacta? nam de eo altum in Scripturis est silentium. Illud à vero non abludere videtur, quòd ē gemmarū luce haberi potuerit certitudo de veritate rei futuræ. Nonnulli putant: Responsa data fuisse per *lapides Pectoralis* mediantibus literis. At *Iosephus, l. 3. c. 9. p. 38. Antiqu. Iudaic.* licèt in eo, quòd Deus mediante fulgore lucis voluntatem suam consulentibus patefecerit, cum cœteris consentiat; attamen de literis vaticinantibus, aut earum corruscatione nihil ipse addidit. De modo respondendi quidam apud *Vatablum ad c. 28. v. 3. p. 647. Exod* ita. judicat: Ex his perspicuè vides, responsa Dei quæsita esse per pectorale seu per *Urim & Thummim*, quæ erant in pectorali. Quo autem modo Deus sua responsa dederit, aut voluntatem suam significaverit, sive per Angelum, sive per splendorem gemmarum, sive per occultam Spiritûs S. revelationem, sive per aliud quoddam organon, quia nihil certi de hac re vel in Scriptura sacra, vel in scriptis interpretum extat, nec mihi licebit divinare Contenti simus, quòd Deus per sacerdotem ornatu *Pectoralis* indutum responsa sua dederit Hæc ille in *Tom. 1. Critic. Sacror.* Uti antea dictum est, *Iosephus* in fulgorem gemmarum valdè incli-

inclinat: cujus autoritas quoque multum ponderis habet apud nonnullos Scriptores, licèt ejus tempore dudum hoc Oraculum desijsset. Illud non negandum erit: aliquando reddita fuisse responsa, quæ solo gemmarum splendore explicari nequiverint; ut proinde altius quippiam hic sub fuisse necessum sit, quô expressius significaretur, quid Dominus vellet. *Christophor. à Castro in Comm. ad Prophet. Minor. lib. 3. c. 3.* addit: In lapidibus hisce Deum scripsisse suum responsum & Oraculum literis expressis, & per figuram aut imaginem illud in eo depinxisse. Sicuti in oppido Lusitaniæ Santareno assiduo miraculo in pellucida crystallo visitur Christus pro hujusque devotione nunc puer tenellus, nunc duodecim annorum, nunc triginta, nunc crucifixus, nunc Judex rigidus. *Cornelius à Lapide ad c. 28. vers. 30. p. 574.* Quod fidei Autoris relictum maneat. *Cyrillus in Collectan. c. 24.* arbitratur: *Vrim & Thummim non fuisse aliquid arte factum, alioquin Scriptura diceret, quomodo illud fuisse constructum. Sed fuisse cognitionem spiritualem, quæ ingrediebatur cor sacerdotis, quando pectori suo imponebat rationale. Menoch. l. 3. c. 14. n. 11. p. 313. de Republ. Hebræor.* provocat ad *l. 1. Reg. c. 5. v. 23.* ubi Davidi consulenti Urim & Thummim responsum datur: *In hujusmodi responso,* ait, *alijsque similibus nemo non videt, solum fulgorem satis esse non posse ad hæc omnia explicanda aut percipienda, sed necessariam fuisse aut vocem, quæ ad aures consulentis accederet, aut saltem internam inspirationem, qua responsum à Domino haberetur.* Utrumque & vocem & splendorem agnoscit *Chrysostom. Orat. 3. advers. Iudæos. Bonfrer. in c. 28. Exod. Nicol. Serar. lib. 1. c. 9. quæst. 28. ad Iosuam.* Posterius non videtur destitui probabilitate. *Martin. Delrio l. 4. c. 1. qu. 2 sect. 1. p. 401. Disquis. Magic.* existimat: modum respondendi fuisse duplicem pro diversitate Interrogationum, quarum quædam per affirmationem negationemq; nudâ potuerint expediri; quædã verò longiorem requisiverint explicationem Arbitratur itaq; *ad prius illud genus interrogationum, nudo lapidum splendore seu fulgore fuisse responsum & ex eo sacerdotem colligere solitum, suaderet an dissuaderet consulenti: Ad posterius genus Interrogationum responde batur illo tantum splendore (nec enim commodè hoc potuit) sed longe aliter. Audiebatur enim à sacerdote interna quædam vel externa quandoque locutio seu Oraculum, quod ipse postea interroganti manifestaret. Quanquam nec hic absurdum sit opinari ad splendorem tum lapidum accessisse Sacerdotis lumen Propheticum menti ejus à Deo infusum.* Ita Delrio.

rio. *Lyranus & Franciscus Ribera* credunt: URIM & THUMMIM non fuisse aliud quam duodecim lapides RATIONALIS, qui dicti sunt *Urim & Thummim*, id est, Illuminatio & perfectio sive veritas, quia per hosce lapides Deus perfectissimè illuminabat Pontificem, & per eum populum, respondebatque consulentibus de rebus agendis quid facto esset opus. *Si enim hæ gemmæ splendorem emitterent, significabant Deum Hebræis esse placatum, eisq́; affore ac daturum felicem belli aliarumq́; rerum eventum: Si non fulgerent, sed obscurarentur, significabant: Deum Hebræis iratum esse, sinistrumq́; fore rei eventum.* E quonam fonte hæc traditio promanaverit, vix Oedipus divinaverit. Illud autem pro mera fabula habendum, quando *Anastasius Nicenus qu. 38. in S. Scriptur.* comminiscitur: Urim & Thummim fuisse adamantem, qui cum Pontifex ingrederetur in Sancta Sanctorum, si populus peccato pollutus esset, nigresceret: si Deus illum punire decrevisset, sanguinei coloris efficeretur: si non peccasset, albesceret ut nix: atque tempore Zachariæ patris S. Iohannis Baptistæ insigniter splenduisse. *Cornel. à Lapide ad c. 28 v. 30. Exodi p. 574.* Igitur cum res sit obscura, & ob dissidentes Interpretum opiniones valdè difficilis, ideo, nemo nobis vitio vertet, quòd in illa re, in qua tot docti viri hactenus desudarunt, desudant hodieque, certiora afferre nequeamus. Præstat tamen & illud addere, quòd infelici studio & infeliciore adhuc successu Pontificii etiam ex hujus Oraculi autoritate sui Papæ infallibilitatem asserere conentur. Sicuti enim summus sacerdos consulendo Urim & Thummim certissimum à Deo accipiebat responsum quippe quòd Deus mentiri nescius non nisi vera & certa sacerdoti suppeditaret responsa: pari modo & Pontifex tanquam Christi vicarius sit in suis decisionibus planè infallibilis. Quod tamen confutare voluit *Sixtenus Amama lib. 2. Antibarb. Bibl. p. 359. & 360.* Possem quidem hic finem dicendi facere de Urim & Thummim, & me ad illud, quod præcipuè mihi propositum est, scilicet, quomodo malus Genius divnium hoc institutum in condendis suis quibusdam Oraculis imitatus fuerit, conferre: Verum enim verò unicum superest, quod silentio præterire nefas esse censeo, nempe; quòd Vrim & Thummim non fuerit in Secundo Templo; *R. Azarias*: Quinque res pretiosæ, inquit, quæ fuerunt in æde priori, non fuerunt in posteriore. Quinque illæ res fuerunt: 1. *Arca cum propitiatorio & Cherubim. 2. Ignis perpetuus cœlestis. 3. Præsentia*

entia Dei, quæ circa arcam se exserebat, quam *Schechnah* vocant. 4. *Prophetiæ Spiritus.* & 5. *Vrim & Thummim.* Sicuti illa ennarrat *Paul. Fagius ad c. 28. Exodi. p. 642. in Tom. 1. Critic. Sacror. Johan. Hoornbeck. l. 2. c. 1. p. 156. & 157. cont. Judæos.* Sunt quidam, quorum in numero reperitur quoque *R. Asarias* qui in ea persistunt sententia, ac si in principio *templi Secundi* adfuisset *Oraculum Vrim & Thummim* & consulentibus respondisset, ut antea: sed ob multa Græcorum bella, omnibus vasis & vestimentis sacris hostili violentia ereptis & abductis, tandem desiisset. Sed fides sit penes suum Autorem. *Ioseph. l. 3. c. 9. p. 31. Antiqu. Iudaic.* sequentia de cessatione Vrim & Thummim refert: *Desiit tam* ESSEN *quàm sardonyx fulgorem emittere annis ducentis, antequam hæc commentaremur, irato Deo, propter Legum suarum violationem.* Jam verò natus fuit Iosephus, uti Bodinus vult, trigesimo anno post Christum. Sed *Drusius ad c. 1. v. 1. Iosue p. 1917. Tom. 2. Critic. Sacror.* ait: *Ego plures annos intercessisse putarim. Nam toto tempore* Templi Secundi *defuerunt, si credendum Doctoribus Hebræis, qui scribunt, quinque illo tempore desiderata fuisse, & in illis recensent Vrim & Thummim.* Dubio procul non caruit mysterio, quòd istæc quinque in Templo Secundo non amplius deprehensa fuerint: Tum autem usus fuit *Bath Kol* vocis, quæ cælitus audiebatur. Recenset Hebræi aliquot Revelationum gradus, nempe *Nesuah*, id est, *Prophetiam*, cùm scilicet Deus per quasdam visiones & spectra Prophetis quibusdam sua arcana revelaret: Deinde *Afflatum Spiritus Sancti*, qui erat sine visionibus & spectris, uti in Iobo, Davide & alijs. Præterea *Vrim & Thummim*, quæ erant in Pectorali Iudicij: & *Bath. Kol.* idest, Filiam vocis, quæ cœlitus audiebantur. Quæ vox erat in usu durante Templo secundo, præludium & significatio quædam veræ illius vocis divinæ ac cœlestis jam jam Orbi revelandæ. Vide *Fagium ad c. 28. p. 642. Exod: Filia vocis* Dei ben gnitate secundum tradita Iudæorum relicta est in templo secundo, cum Spiritus Prophetiæ & sanctissimum Oraculum desiissent. Quo pacto autem *Filia vocis* fuerit audita: an vox articulata vel confusa: aut ejus sonus saltem perceptus fuerit: An Deus illam formaverit immediatè, vel Angelorum ministerio sit usus: num grata an verò horrendi tonitru instar & impetuosa fuerit, de eo multum Hebræi locuerunt quidem, sed quibus tutò fidere non licet: cùm fabulis non videantur absimilia. *Filiam vocis* in templo secundo, quamdiu

diu hoc ſtetit, fuiſſe non negant eruditi: ceſſaſſe tamen & illam ajunt, nec amplius apparuiſſe, poſtquam ob impietatem populus à Deo reprobatus fuerit. An autem *Filia vocis* conſtituerit minorem gradum revelationis, quàm fuerit Prophetia: Item an in imaginatione vox iſtæc formetur, ſicuti docent Rabbini quidam, illud egregiè refellit *Chriſtianus Schotanus in Comment. de Divin. revelat. c. 5. p. 55. & 56.* Sanè iis contigit *Filia vocis*, quos Deus non donavit Spiritu Prophetiæ: Sed *exinde res ipſa non eſt minor*; ut proinde *Filia vocis* ſit quidem *alia ſpecies divinæ revelationis, non verò gradus in eadem ſpecie.* Deinde *nulla alia eſt differentia* inter alloquium *Filiæ Vocis* & alloquium Propheticum, *quàm per imaginationem. Imaginatur ſibi Propheta, id eſt, ſpeciem in phantaſia habet vocis, quam in aëre edit Filia vocis.* Pluſcula hæc ſunt, quæ occaſione ſacri iſtius Oraculi in medium attuli, Lectori tamen, ut ſpero, non ingrata futura, utpote cum iſtæc non omnibus pateant. Nunc verò, relictis iſtis digreſſionibus ad inſtitutum revertar, & qua ratione Dæmon divinum iſtud Oraculum alibi fuerit imitatus, expediam. Ægyptii hoc ordinarunt, ut Prætor geſtaret *Simulacrum veritatis.* De quo more ſcribit *Diodor. Sicul. l. 1. p. 45. Bibliotheca* ſequentia. *In medio eſt Prætor judicij veritatem clauſis oculis collo appenſam, plurimosq; ſibi libros adiacentes habens. Hac imaginum figura oſtenditur: Iudicum eſſe nihil accipere: & Iudiciorum præſidem ad ſolam reſpicere veritatem oportere. Et pag. 68. ejusd. libr.* præclarè hanc rem repetit: *Stipendia*, inquit, *in victum & alias res neceſſarias à Rege Iudicibus præbebantur, ſed Prætori multò amplius. Geſtabat is in collo ex aurea catena dependens è lapillis pretioſiſſimis ſimulacrum, cui VERITAS nomen. Hoc à Iudiciorum Principe aſſumtum diſceptandi lites auſpicium erat.* Hunc morem etiam deſcribit *Ælianus lib. 14. c. 34. p. 418. variar. Hiſtoriar.* & refert imaginem illam, quam Prætor de collo pendentem geſtabat, fuiſſe è Sapphiro, unde Imago illa dicta fuit Σάπφειρος τῆς ἀληθείας *Sapphirus veritatis.* Locum è *Æliano* adſcribam: *Iudices apud AEgyptios iidem quondam fuerunt, qui & ſacerdotes. In his Princeps erat ſententia maximus natu, & in omnes ſtatuendi jus habebat. Eum omnium hominum eſſe juſtiſſimum & ſinceriſſimum eſſe oportebat, qui circa collum imaginem ex* Sapphiro *gemma confectam geſtabat, quæ vocabatur* VERITAS. Plenius de hoc ſimulacro & *Sapphiro Veritatis* ſcribit *Mor Iſaac.* cujus ſupra facta eſt mentio: *AEgyptiorum inſtitutis antiquis ſacerdos quoque ſuſtinet*

net personam Iudicis in magnis controversiis dirimendis. *Hic è collo gestat è Gemmis, inter quas Sapphirus eminet concinnatam imaginem, quæ divinitatis Majestatem repræsentat. Credebant enim Deo isti assistere, tum in veritate divinationis, tum in veritate justitiæ. Hinc quoties quis futurum aliquod rescifcere, & de eventu rei dubiæ informari desiderabat, ab hoc Sacerdote verum responsum accipiebat: Si res magna sed controversia diiudicari debebat, Sacerdos ornatus isto simulacro in dicendo jure non aberrabat, sed verus erat.* His gemina tradit *AEgidius Gelenius l. 3. c. 15. n. 27. p. 298. Selectar. Observat.* ita ut dicas, hunc sua ex *Isaaco* exscripsisse, nisi, quantum ego observavi, *Athanas. Kircherus* ante annos non adeò multos istum prius notum fecisset in splendidis *Oedipi AEgyptiaci* Tomis. Adducit autem Scriptor iste antiqua & ex exoticis linguis translata testimonia ad propositum facientia, quæ tamen omnia eò tendunt, quòd *Sapphirus veritatis* vim Oraculi in prædicendis futuris: & vim Iustitiæ ac veritatis in decidendis litibus magnis & arduis habuerit. Hinc videre licet, Vrim & Thummim quodammodo cum Sapphiro veritatis convenire. Et quidem. 1. Sicuti consulentes Vrim & Thummim de rerum futurarum eventu certum consequebantur responsum: ita quoque qui ad *Sapphirum veritatis* se converterunt, quid in futurum consulentibus, vel aliis evenire potuerit, certò intelligere potuerunt. Hinc apud *Gelenium* dicitur, *Numinis veridici certum vaticinium, Prophetia, Oraculum, & Testimonium veritatis.* Quo pacto interim è *Sapphiro* responsum elici potuerit illud ignoratur, nemo siquidem ex illis Autoribus id expressit: Et vix in tanta obscuritate dabitur locus conjecturæ. 2. Pectorali indutus Pontifex Maximus omnia, quæ ad futurorum prædictionem, & quæ ad justitiam videbantur facere, summa ratione considerare debebat: pari modo apud Ægyptios sacerdos simul & Iudicis officium sustinens secum meditari cogebatur, tum quæ ad futurorum eventus; tum quæ ad Justitiæ exercitium pertinerent. Quem in finem gestabat supra pectus dependentem veritatis imaginem. 3. Sacerdos summus apud Hebræos nunquam dicebat jus, nisi in re gravi, & cum haberet Pectorale seu Rationale super pectus collocatum: Et dicitur *Pectorale Iudicij*, quod contineat Iudicium & sententiam Dei: vel uti non malè videtur istæc verba *sumere Cornelius à Lapide ad c. 28. v. 15. Exodi p. 568.* Vbi ita commentatur: Dicitur Rationale Iudicij: *Iudicii*, inquam, partim *humani*, hoc est, *debiti*, & officij sacerdotis, & populi Israel, cu-

jus ipse eos admonebat: partim *divini*, quo scilicet Deus sententiam suam dicebat per Pontificem. Pontifex enim *Rationali* indutus de rebus dubiis consulebat Dominum, & ab eo de iisdem erudiebatur tanquam fungens munere Pontificio nomine totius populi: ac mox ipse *Dei judicium*, id est, *Sententiam & Oraculum* populo enunciabat. Similiter & Sacerdos Ægyptius non reddebat Ius nisi ornatus *Sapphiro veritatis*: quandoquidem ista ratione videbatur sui Dei judicium & sententiam portare, ut in iure dicundo non potuerit aberrare. Hinc. 4. Quemadmodum verum dicebat Sacerdos Hebræus etiam cum Jus statueret: planè & Sacerdos Ægyptius veritatem enunciavit, & quod statuit ex inspiratione fortè sui Dæmonis, illud ore protulit. *Pierius l. 54.* Veritatem pingebant quasi *Malum Persicum, cui folium unum adhærebat*. Pomum namque Persicum simile est cordi: folium verò simile est linguæ. Sicut ergo Pomo folium adhæret: ita Cordi adhærere lingua & vita debet, illudque tantum proferat sermone & operibus, quod continetur corde, non aliud quippiam falsum aut ementitum, *Cornel. à Lapide ad c. 28. v. 30. p. 577.* Addi potest 5. Sicuti Deus verus nullo modo respondere voluerit Ei, quem ob impietatem & improbos mores semel reiecisset; ita etiam dubio procul illud & Dæmon imitatus erit suum alloquium in enormitate scelerum viventibus subtrahendo. Cœterùm vecors aut singulari judicio dementatus fuerit, *qui docere velit: Hebræos in hoc ritu Mores AEgyptiorum voluisse æmulari*: Cùm potius è locis *AEliani*, & *Diodori Siculi*, *& Mor Isaacs* appareat, teste *Hugone Grotio c. 6. n. 8. p. 135. de Offic. Summar. potest. circa sacra*: Gentes vicinas imitatas esse morem Hebræorum ut *solet Diabolus esse Dei Simia*. Et qui historiam sacram rectè examinant, invenient: quòd sanctissimum Numen suæ genti præ reliquis populis electæ per varia media suam voluntatem voluerit patefacere: qua tamen in re aliorum sacra nedum Idololatrarum mores & ritus imitatus non est; quin ipse potius è singulari providentia populo jura & ceremonias sacrorum revelavit, quibus ipse coli vellet. Deinde si Urim & Thummim ad exemplum Ægyptiorum constituisset Deus, dubio procul aliqui saltem ex Israelitis hoc observassent, utpote, quibus sacra & ritus Ægyptiorum ex tot annorum conversatione non potuerunt essent incogniti. Sed nihil horum in S. Scriptura observare licet. Neque vero videtur simile voluisse Jehovam il-

lud ordinare in sua gente, quod apud Ægyptios fuerit in usu, ut pote, quam ab eorum sacris, ritibus, cultu divino, moribus & conversatione planè alienam esse voluit, eamque summa potentia, tot editis prius prodigiis & miraculis, exinde abduxit. Constat autem Ægyptios fuisse Idololatras Deo vero exosos, qui nunquam imitari potuit, nedum voluit impii istius populi instituta & fanaticos ritus in regenda sua gente præ reliquis omnibus delecta. Verius igitur erit illud: Dæmonem divinas actiones, sacras ceremonias, & alia instituta à Deo tradita etiam apud Ægyptios imitari voluisse, & ita in exemplum sancti Pectoralis *Sapphirum Veritatis* ordinasse, nec non illius pretiosum simulacrum è sacerdotis collo dependere voluisse, licèt non eodem modo, quo apud Hebræos. Patet itaque non Deum imitatum esse sacra Ægyptiorum: sed potius Dæmonem, quæ viderit à Deo ordinata & constituta, voluisse apud Paganos introducere. Tantùm de hac controversia.

CAPVT IIX.

Quibus de causis Oracula fuerint consulta.

SCribit quidem *Erasmus Schmidius ad Odam. 8. Olymp. Pindari p. 219.* quod duplex fuerit causa petendi Oracula, quarum alteram vocat *positivam*, scilicet rerum arduarum susceptionem, cum consulentes negotium aliquod magnum & cum periculo conjunctum suscepturi erant: alteram dicit *privativam*, seu remotivam, sive petitionem liberationis è malis & periculis, ut cum maximis in angustijs essent consulentes constituti, sive, quòd jam tum in discrimen incidissent: sive quod fatum grave capiti immineret, & exitium ipsis minitaretur, soliti sunt interrogare Oraculum, quem eventum calamitas habitura esset, additis etiam precibus, ut ex istis malis liberati in tuto vivere possent. Quamvis ex historiis pateat, antiquos ob duas istas causas solitos fuisse adire & consulere Oracula: penitius tamen intuenti antiqua monumenta occurrent & aliæ causæ, quibus commoti gentiles ad Oraculum confugerunt. Causas omnes ut adducam, instituti ratio fortean non permittit: quapropter aliquas saltem enarrabo subjectis exemplis, reliquis industriæ lectoris commissis. Et

Et quidem *Bellum gesturi* Oraculorum consilium explorabant, numquid secundis adversus hostem usuri essent prælijs. Ita Athenienses fedus cum Lacedæmonijs initum fregerunt, atque injustè erga illos egerunt: ut proinde Lacedæmonij unanimi consensu decreverint illam injuriam bello esse vindicandam. Quorum vi licèt armis resistendum esse censerent, adeoque contra hostilem invasionem se milite & idoneis armis alijsque ad defensionem idoneis medijs sibi providerent, non tamen visi sunt justam belli causam fovere. Lacedæmonij verò ne inconsulto Deo tam anceps contra vicinos suos bellum susciperent, Oraculum prius consulendum esse putarunt. *Thucydides lib. 1. p. 76* refert sequentia: πέμψαντες δ' εἰς Δελφοὺς, ἐπηρώτων τὸν θεὸν εἰ πολεμοῦσιν ἄμεινόν ἐσαι. Ὁ δὲ ἀνεῖλεν αὐτοῖς, ὡς λέγεται, κατὰ κράτος πολεμοῦσι νίκην ἔσεσθαι. καὶ αὐτὸς ἔφη συλλήψεσθαι, καὶ παρακαλούμενος, καὶ ἄκλητος, id est, Lacedæmonij Delphos missis (scilicet Legatis) *Deum interrogarunt, an res sibi feliciter esset successura, si bellum susciperent. Ille vero respondit ipsis quod forent victores, si totis viribus bellum gererent. Quin etiam dixit: se & vocatum & non vocatum ipsis adfuturum.* Quo accepto responso divino, evocarunt iterum socios, & ijs denuo quæstione proposita de bello adversus Athenienses gerendo, & constituerunt; bellum illis inferendum, tantamque injustitiam armis ulciscendam esse. *E qua Thucydidis* narratione animadvertere licet, quod *Francis. Portius in Comm. ad Thucyd. p. 83.* observat: *Probari* nimirum *Lacedæmoniorum cunctationem, qui res graves temerè non susciperent, sed diligenter prius ac maturè de ijs*, adhibito simul in consilium Deo, *deliberarent.* Quam Spartanorum cunctationem attingit *Livius l. 45. c. 23. p. 570.* ubi mores Atheniensium & Lacedæmoniorum inter se comparat: *Atheniensium populum fama est celerem & supra vires audacem esse ad conandum: Lacedæmoniorum vero* (populum) *cunctatorem & vix in ea, quibus fidit, ingredientem.* In simili causa *Crotonienses* Delphos ad Oraculum miserunt legatos, ut victoriæ facultatem, bellique prosperos eventus deprecarentur. Quibus tamen hoc responsum datum est: *Prius votis hostes, quàm armis vincendos.* Cumque hi *decimas prædæ* vovissent Apollini, Locrenses, & voto hostium, & responso Dei cognito *Nonas* voverunt, tacitamque eam rem habuerunt, *ne votis vincerentur.* Cum igitur processissent in aciem, Locrenses conspecta tanta Crotoniensium multitudine, & suorum militum paucitate, abjecta spe victoriæ in destinatam mor-

tem

tem conspirarunt. Tantus tamen ardor ex desperatione cœpit singulos, ut putarent se victores, si non morerentur inulti. *Sed dum mori honestè quærunt, feliciter vicerunt: Nec alia causa victoriæ fuit, quàm quod desperaverunt, sicuti Iustinus l. 20. c. 3. p. 314.* factum hoc enarrat. Clades istæc contigit apud fluvium *Sagram* teste *Strabone lib. 6. p. 262.* Inde natum est proverbium in illos, qui rei derogant fidem; aut in incredulos, non credentes nisi magno suo malo veritatem intellexerint, nempe: *Certiora esse, quam illa apud Sagram*, cujus meminit *Cicero lib. 3. c. 5. p. 168. de Natur. Deorum.* illudque explicat *Erasmus in Adagiis pag. 448.* Interdum quoque de constituendo Duce seu Præfecto aut Magistratu Oraculum interrogarunt, quemadmodum Athenienses Chersonesum colonos missuri, cum viderent magnum illorum numerum, Oraculum interrogarunt, quisnam foret Dux tantæ multitudinis ac novæ fermè gentis? Respondit Deus: illum fore Miltiadem. *Nam si Miltiadem sibi sumerent Imperatorem, incepta prosperè futura.* Quo Oraculi responso Miltiades cum delecta manu classe Chersonesum profectus, cum accessisset Lemnum, & incolas ejus sub potestatem redigere vellet Atheniensium, idque *ut Lemnii sua sponte facerent,* postulasset, illi irridentes responderunt: *Tum id se facturos, cum ille domo navibus proficiscens vento Aquilone venisset Lemnum.* Hic enim ventus à septentrionibus oriens adversum tenet Athenis proficiscentibus. *Miltiades morandi tempus non habens, cursum direxit, quo tendebat, pervenitq; Chersonesum. Ibi barbarorum copiis brevi tempore disjectis, tota regione, quam petierat, potitus, loca castellis idonea communivit: multitudinem, quam secum duxerat, in agris collocavit, crebrisq; excursionibus locupletavit.* Hæc pluribus narrat *Cornel. Nepos in Vita Miltiad. c. 1.* Eandem historiam paulo fusius persequitur *Herodotus l 6. c. 34. 35. p. 344. & 345* quando rem ita narrat: *Dolonci Thraces* qui Chersonesum tenebant, cum ab *Absinthiis* bello vexarentur, Reges suos miserunt Delphos, ut Oraculum ibidem de bello consulerent: *quibus Pythia respondit:* ut *coloniæ in suam terram (Chersonesum) deducendæ eum Autorem reciperent, qui primus eos templo seu Oraculo abeuntes hospitio invitaturus esset.* Dolonci sacram viam ingressi per Phocenses atque Bœotios iter fecerunt, à quorum nemine invitati, Athenas diverterunt, uti tum temporis Pisistratus regnabat, & simul cum ipso imperium tenebat Miltiades. Hic sedens in domus suæ vestibulo cum videret *Doloncos* prætereuntes

tes non illius loci vestem nec tela gerentes, homines inclamavit, accedentibusque obtulit domicilium & HOSPITUM CONGIARIUM. Illi in domum recepti apuerunt ei Oraculum precesque addiderunt, ut Deo obsequeretur. Miltiades sermone horum commotus, & Pisistrati Tyrannidis pertæsus Delphos profectus est interrogaturus Oraculum, an *Doloncorum* verbis fidem habere liceret: Quem Phythia jussit, quibusdam voluntarijs ad expeditionem ineundam assumtis, unà cum Doloncis navigare. Ubi ad locum illum venit, Tyrannus creatus est ab illis, â quibus illuc deductus erat Hæc *Herodotus*. Præterea ob publicam calamitatem solebant Oraculum interrogare, veluti ob pestem, quod fecerunt Romani. Nam cum Romæ quondam in medio foro, disruptâ terra, venenatus prodiret halitus, isque inficeret aërem, ut tabida lue, & venenoso mortis genere ingens civium multitudo periret: Ex hausta certê magna incolarum parte Dei consilium explorandum esse statuerunt, quonam medio ingens istud malum ab urbe posset averti. Tum vates monuit, finem tantæ calamitatis futurum *si Iuvenis quidam nobilis se vivum in istam demissurus esset foveam.* Postquam sacrum hoc responsum innotuit, sine cunctatione sua nomen suum profitetur *Marcus Curtius*, qui, si impetrare posset licentiam breve ad tempùs suo more in omni luxuria ac libidine vivendi, promisit, se Oraculi monitum & mandatum adimpleturum esse. *Patrés Conscripti*, licêt nihil antiquius habuerint unquam, atque virtutem, adeò ut verum fuerit illud *Afranij Poeta* dictum:

Cive Romano per urbem nemo vivit justius

Quippe malo unum Catonem, quàm trecentos Socrates

Idque ideo, *quòd Græci dicerent, & disputarent saltem de virtute, Romani verò secundum illam viverent*; tamen quia crediderunt tàm grande malum hac ratione ab Urbe posse removeri, maluerunt unum interire, quàm civitatem suam tot egregiis privari civibus Historiam tangit *Livius l. 7. c. 6. p. 122* Tempore *Tarquinii* insolitum quoque pestilentiæ genus sub ejus imperio grassabatur, quod non modò puerorum & virginum magnam tollebat multitudinem; *sed etiam prægnantibus infestissimum, matres una cum ipso fœtu passim per vias sternebat.* Tum Rex Aruntem & Titum filios misit Delphos, ut morbi causam & remedium ex Deo cognoscerent. *Dionys. Halicarnass. lib 4. p. 262. Antiqu. Roman.* qui tamen responsum vatis Delphicæ non commemorat. De

rat. De Bœotiis narrat *Iustinus l. 16. c. 3 p. 273.* quòd pestilentia laborantes ab Oraculo Delphico remedium expetiverint, quod jussit eos: *Coloniam in Ponti regione condere, quæ Herculi esset sacra.* Cum autem propter metum longæ & periculosæ navigationis, mortem in patria omnibus præoptantibus cunctis, res omitteretur, interea *Phocenses* in illos arma converterent, quorum *cum adversa prælia paterentur*, iterato ad Oraculum confugerunt, à quo tamen hoc responsum acceperunt: *Idem belli quod pestilentiæ remedium fore.* Quapropter Dei monitis paruerunt, & conscriptâ colonorum manu in Pontum delati, urbem Heracleam condiderunt. Similiter *Metapontini & Crotonienses* peste & subinde seditionibus vexati sunt, quòd *interfecissent quinquaginta Iuvenes Minervæ simulacrum amplexos, & sacerdotem Deæ ornamentis velatum, & quidem inter ipsa altaria.* Crotonienses Delphicum Oraculum priores adierunt, quibus responsum est: *Finem mali fore, si violatum Minervæ Numen, & interfectorum Manes placassent.* Itaque cum statuas juvenibus justæ magnitudinis & imprimis Minervæ fabricare cœpisset, *Metapontini* cognito Oraculo Deorum, *occupandam Manium & Deæ pacem rati, Iuvenibus modica & lapidea simulacra ponunt, & Deam panificiis placant*: ceu hoc legi potest apud *Iustin. lib. 20. c. 2. p. 312.* Ob recuperandam quoque sanitatem *:: alyattem* consuluisse Oraculum refert *Herodotus lib. 1. p. 7.* Sed *Pythia* negavit, prius se responsum daturam, quàm templum Minervæ in terrą Milesiorum apud Assesum concrematum perfectè esset reparatum. Quo restituto, *Haliattes* pristinam recepit valetudinem. Ulterius notandum, quod recitat *Herodotus lib. 1. p. 35.* de Crœso habente filium mutum qui interrogavit Oraculum, quanam ratione loquendi facultatem consequi posset filius? Cui *Py. bi:* respondit quatuor verlibus.

Λυδὲ γένος, πολλῶν βασιλεῦ, μέγα νήπιε Κροῖσε,
Μὴ βούλευ πολύευκτον ἰὴν ἀνὰ δώματ' ἀκούειν
Παιδὸς φθεγγομένου. τόδε σοι πολὺ λώϊον ἀμφὶς
Ἔμμεναι. αὐδήσει γὰρ ἐν ἤματι πρῶτον ἀνόλβῳ.

Lydæ genus Rex multorum, valdè inscie Crœse
Ne cura gnati ex optatam audisse loquentis,
Intra ædes vocem: sinè quæ potior tibi longè
Ille die quoniam primum infelice loquetur.

Postea quidam in sibi ignotum Crœsum invadebat; id ubi filius mutus

lus vidit timens patri, in vocem erupit, & articulatè loquens dixit: ἄνθρωπε μὴ κτεῖνε Κροῖσον: *Homo ne perimas Crœsum*. Addit *Herodotus*. οὗτος μὲν δὴ τοῦτο πρῶτον ἐφθέγξατο, μετὰ δὲ τοῦτο ἤδη ἐφώνεε τὸν πάντα χρόνον τῆς ζωῆς. *Atque hoc ille primum effatus, postmodum per omne vitæ tempus vocalis extitit.* Simile ferè exemplum habetur apud *Iustinum lib. 13. c. 7. p. 242.* in Cirno, qui ob ligamentum linguæ dictus fuit *Battus*. Hujus pater *Cirnus*, qui imperium tenebat in Theramenem insulam ad Oraculum profectus ob dedecus filii adolescentis nondum loquentis Deum deprecaturus tale accepit responsum, nempe, ut filius *Battus* Africam peteret, & urbem Cyrenem conderet, quod tum linguæ usum esset percepturus. Cum autem responsum videretur ludibrio simile propter solitudinem Insulæ Theramenis, ex qua coloni ad urbem condendam in Africam tàm vastæ regionis proficisci iubebantur, res omissa est. Interjecto tempore velut contumaces, pestilentiâ Deo parere compelluntur, quorum tam insignis paucitas fuit, ut vix unam navem complerent. Cum venissent in Africam, pulsis accolis montem Cyram, & propter amænitatem loci, & propter fontis ubertatem occupavere. *Ibi Battus Dux eorum linguæ nodis solutis loqui primum cœpit, quæ res animos eorum ex promissis Dei jam parte percepta in reliquam spem condendæ Vrbis accendit.* Præterea consultum est Oraculum de futuro imperio sicuti â *Bruto* misso, cum fratribus suis *Arunte & Tito* Delphos id factum est, ubi vates respondit: *Ei Imperium competiturum, qui prior matrem osculatus esset.* Id ubi Brutus de communi omnium matre *Terra* intellexit, eique osculum, irridentibus licèt fratribus, infixit, non malus fuit Oraculi interpres, quandoquidem reipublicæ potestatem ad se pertraxit. Rem narrat *Dionys. Halicarnass. l. 2. p. 264. & 265. Antiqu. Romanar.* Referunt quoque de Romanis quòd ipsi Oraculum de duratione Templi Pacis consuluerint. Etenim cùm tot adversus varios hostes præclaras reportassent victorias, inde *in memoriam tantæ felicitatis* in bello acceptæ etiam *apud posteros continuandam* templum extruere voluerunt. Antequam verò fundamenta tanti ædificii jacerent: Delphicum Deum interrogarunt: *Quod seculis tam operosa moles duratura esset.* Oraculum dicitur respondisse. Tamdiu illam permansuram: *Donec virgo pareret.* Ea propter, quia fieri haut posse existimabant, *virginem parituram*, ædem illam perpetuam futuram falsò crediderunt, fanumquę illud TEMPLUM ÆTERNUM appel-

appellarunt. Ea tamen nocte, qua B. virgo Maria peperit *Servatorem mundi* templum illud corruisse traditur ab *Aloys. Lipoman. Tom. 1 & Laurent. Surio Tom 6.* Unde autem illi hanc traditionem acceperint, nescitur; tacentibus de ea historijs Romanis. Hinc pius pariter & in eruditorum scriptis probè versatus *Hieremias Drexelius*, qui *par. 1. c. 2. n. 3. p. 24. Deliciar. Gent. humanæ* eandem historiam recitat, addit: *Penes Autorem sit fides.* Quibus tanquam incertis repudiatis, de luxuriosis Sybaritis per totum orbem ob insignem voluptatis abusum celeberrimis populis adjiciam, quòd & illi, teste *Athen. l. 12. c. 3. p. 520. Deiphnosoph.* ad Apollinis Oraculum miserint Legatos, interque illos *Isamyrim* sciscitatum, quamdiu *Sybaritarum* felicitas esset duratura? Proposita quæstione respondit *Pythia* sequentibus versibus:

Εὐδαίμων σὺ ἔσῃ τιμῶν γένος αἰὲν ἐόντων
Εὖτ' ἂν δὴ πρότερον θνητὸν θεοῦ ἄνδρα σεβίζῃς
Τηνίκα σοι πόλεμός τε καὶ ἐμφύλιος στάσις ἥξει.

Quæ verba è Dalecampii versione ita sonant:

Felix omnino felix Sybarita futurus
Dum rebus lætis venabere Numina Divum
At simul atque illis mortalis homo antefertur
Tum veniet bellum sævum atque domestica turba.

Acceptô hoc Oraculo putarunt, quamvis falsò, Deum ipsis perpetuam polliceri felicitatem: ideo animum manciparunt voluptatibus, & in otio ac delicijs non sine maximo tamen sui detrimento vixerunt. Turpe dictu est usque eò prolapsos esse Sybaritas, ut mulieres toto anno ante ad convivium invitarint, ne spatium deesset aut *Convivatori* conquisitis terra marique deliciis epulas instruendi, aut *mulieribus* corpus auro gemmisque exornandi. *Plutarch. in lib. de VII. sapient. conviv. p. 147. Athenæus l. 12. c. 4. p. 521.* Qui etiam hoc addit, quòd in Urbe sua non toleraverint eos artifices, qui dum opera sua conficiunt, strepitum edunt, ut Fabros. Gallos gallinaceos quoque non habuerunt, ne illi cantu suo somnum dormientium quem melle dulciorem ipsi judicabant, interturbarent. Repetit quoque *Casaubonus in Animadv. ad lib. 12. c 3. pag. 834 Athenæi.* de Sybarita quodam, quòd Sybari Crotonem navigaturus conducto navigio pactus sit cum navis Magistro ἵνα μὴ ῥανθῇ *ne aqua guttis aspergeretur.* Præterea equos suos docuerunt ad tibias saltare, quæ causa illorum fuit interitus. Accessit ad

illas delicias animus superbus & ad injurias faciendas pronus: inde etiam non dubitarunt, violato Gentium jure, *Crotoniatarum legatos interficere, & illorum corpora bestiis devoranda objicere, quod ipsis malorum initium fuit irato tàm impio facinore Deo.* Et licèt futuri mali prodigia non pauca in Urbe & quidem in Iunonis delubro, in quo fons sanguinis scaturiit, visa sint; *non* tamen *istis moniti à fastu & superbia destiterunt, donec à Crotoniatis sunt deleti*: quemadmodum illud persequitur *Athenæus lib. 42. c. 4. p. 521. Deipnosoph.* Ob istam igitur injuriam legatis illatam Crotoniatæ bellum contra Sybaritas gesserunt, & loco tubarum, quibus classicum canitur, tibias in aciem assumserunt, easque inflari jusserunt, quibus auditis, uti *AElianus l. 16. c. 23. p. 939. de Histor. animal.* Sybaritarum equi *saltationis domesticæ memoria tanquam in mediis versarentur conviviis, excussis sessoribus, saltare & tripudiare cœperunt, & confuso Sybaritarum ordine stragis & cladis causa suis fuerunt dominis.* Casum hunc infelicem & calamitosum attingit. *Strabo lib. 6. p. 293. Geograph.* & addit: *Ita luxu sybaritarum ac petulantia factum est, ut septingentorum dierum spatio universam illis Crotoniatæ felicitatem eriperent, captam autem urbem immisso flumine obruerent.* Eandem historiam enarrat *Iustus Lipsius Cent. 3. Epist. 56. p. 510. ad Belgas.* Similem tragicum casum refert *Athenæus l. 12. c. 3. p. 520. Deiphnos.* de Cardianis, quibus Oraculū datum fuerat, olim futurum, ut Bisaltæ eos invaderent. Sermo in tonstrina sedentibus de illo bello frequens, quem cum subauscultasset Onaris servus in tonstrina, sed postea Bisaltarum Dux, in patriam aufugit è Cardia, & Bisaltis persuasit, ut bello adorirentur Cardianos. Imperator ipse delectus est à popularibus. Equos porro Cardiani docuerant in conviviis ad tibiam sic saltare, ut in posteriores erecti pedes ac stantes prioribus modorum intelligentia uterentur ad saltationem. Hoc Onaris cum sciret, è Cardia nactus est tibicinem, qui ad Bisaltas accedens inflare tibias multos docuit, quos ita institutos suscepta adversus Cardiam expeditione secum Onaris adduxit ad prælium; *illosq́ue, ubi ad manus ventum est, jussit canere illos numeros, quos Cardianorum equi didicerant. Sono illo percepto, equi statim in pedes se posteriores sublevarunt ad saltationem conversi. Hac ratione victi Cardiani sunt, quorum præcipua vires in equitatu erant.* Credo equidem Dæmonem rem ita direxisse, ut non tantùm de bello Cardianis inferendo magnus spargeretur rumor, & de eo in tonstrinis frequentes fierent

sermo-

sermones; sed etiam Onaris, relicta officina sui Magistri, in patriam reverteretur, suisque popularibus fidem Oraculi referret, nec non subinde magno terrore Cardianos ob id esse perculsos tanquam certum affirmaret, & ita illos ad bellum incitaret, animum illis inspirans de felici illius exitu, ob autoritatem Oraculi. Dardanus cùm majorem populi partem transportaret in Asiam, Oraculum de sedibus & loco fixo consuluit, quod respondit *Sacra esse reservanda, Palladia siquidem & Deorum imagines secum abstulerat.* Verba Oraculi sunt.

Εἰς πόλιν ἣν κτίσσῃς, Θεοῖς σέβας ἄφθιτον αἰεὶ
Θεῖναι, καὶ φύλακαις τε σέβειν θυσίαις τε χοροῖς τε
Ἔστ' ἂν γὰρ τάδε σεμνὰ καθ' ὑμετέραν χώραν ᾖ
Δῶρα Διὸς κούρης ἀλόχῳ σέθεν, ἡ δὲ πόλις σοι
ἔσται ἀπόρθητος τὸν αἰεὶ χρόνον ἤματα πάντα.

Perpetuum Divis cultum sancibis in urbe
Quam statues; ritúque coles sacrisque chorisque,
Nam dum sancta manent regioni munera vestra
Uxori, qua dona tua dedit inclyta Pallas
Vastatrix urbem non tanget dextera Martis.

Dona illa, quæ *Chryse Pallantis filia, & Dardani* uxor à *Minerva* accepit, sunt *effigies ipsius Deæ, simúlque sacra magnorum Deorum*: Hæc simulacra *Dardanus* in urbe à se condita & denominata juxta mentem Oraculi reposuit. Postea verò postquam *Ilium* habitari cœpit, nepotes istùc illa sacra *gentilitia* transtulerunt, dicatumque his est ab Iliensibus in arce templum cum adyto; ibique asservata sunt, quàm potuerint, diligentissimè, cunctis existimantibus, illa missa esse divinitus, & penes illa esse incolumitatem publicam. *Dionys. Halicarn. lib. 1. Antiqu. Roman. p. 55.* De Hercule quoque referunt Historiæ, quòd ex Oraculo quæsiverit de mortis genere, quo tandem esset periturus. De quo scribit *Seneca in Hercule Oetæo v. 1470. p. 191. & sequ.*

Habet, peractum est: fata se nostra explicant.
Lux ista summa est: quercus hanc sortem mihi
Fatidica quondam dederat, & Parnassio
Cyrrhea quatiens templa mugitu nemus.
Dextra peremti victor Alcide viri
Olim jacebis: hic tibi emenso freta
Terrasque & umbras finis extremus datur.

Adducit *Marc. Antonius Delrio* in *Comm. ad illum locum p. 348.* de hoc Oraculo *Herculi* dato testimonium è *Sophocle*, quod ita sonat: *Olim à patre summo Iove hoc Oraculum accepi: superstitis Herculem nullius manu occisum iri: Apud Inferos stygij Orci incolam aliquem fore qui vitam ei eriperet.* Insuper Messenij anno belli contra Lacedæmonios gesto vigesimo ad Oraculum ablegarunt quosdam, qui sciscitarentur, quando finis tanti belli tandem esset futurus, ubi *Pythia* consultoribus in hunc ferè modum respondit.

Τὺς τρίποδας περὶ βωμὸν Ἰθωμάτα Διὶ πρῶτος
Στήσωσι δεκάδων ἀριθμὸν δὶς πέντε δίδωσι
Σὺν κύδει πολέμου γαῖαν Μεσσηνίδα δαίμων,
Primus Ithomæ tripodas circum Jovis aram
Cui statuet decies denos, cum laude tenebit
Messenem. Id enim Iovis immutabile Numen decrevit.

Additur ab interprete hic versus: *Vtere sorte tua, Fatum his nunc, nunc favet illis.* Messenij interpretati sunt hoc Oraculum, ac si per id sibi promitteretur victoria, eò maximè, quod cùm ipsi intra muros Ithomatæ Jovis ædem haberent, Lacedæmonij nullo modo prius dedicare possent tripodas. Ligneos igitur tripodas fecerunt, quòd ad faciendos æneos pecunia deficeret. Exceptam hanc Oraculi vocem è Delphorum numero nescio quis pertulit Lacedæmonem. Cum igitur nihil ibidem in publicis consultationibus excogitari posset ad Tripodum dedicationem occupandam, *Spartanus* quidam *Oebalus* homo callidus & solers, tripodas finxit è luto, eosque in peram conjectos assumptis retibus cum venatoris habitu Ithomeæ agresti turbæ immixtus, & ignotus noctu tripodas istos fictiles dicavit Jovi, & hoc facto reversus ad suos, quid actum esset, exposuit. Re comperta Messenij vehementer commoti sunt; & facilè conjecerunt, Lacedæmoniorum astu se delusos fuisse. *Pausanias lib. 4. p. 222. 223.* Deprehendo quoque super re inventa, cuinam illa tradenda foret, Oraculum fuisse interrogatum. Historia ita se habet: A piscatoribus in Milesia regione verriculum trahentibus quidam jactum emerat; extracta deinde magni ponderis aurea mensa delphica, orta controversia est: illis piscium capturam se vendidisse affirmantibus: hoc fortunam jactus seu ductus se emisse dicente. Itaque placuit Oraculum Delphicum consuli, cuinam adjudicari mensa deberet. Deus respondit: Illi esse dandam, qui sa-

pientia

pientia cœteris præstaret his verbis: Ὃς σοφίῃ πάντων πρῶτος, τούτῳ τρίποδ' ἂν δῶ. *Qui sapientia præstat omnibus, illi da tripodem.* Tum Milesij habita consultatione unanimi consensu decreverunt, mensam illam Thaleti dandam esse: qui verò eam transmisit ad *Biantem*: Bias illam *Pittaco*. Hic alij: deincepsque per omnium septem sapientum orbem rediji ad *Solonem*, qui & titulum amplissimæ sapientiæ & præmium ad ipsum Apollinem transtulit. *Valerius Maximus lib. 4. c. 1. n. 7. p. 149. 150.* Eandem historiam persequitur *Diogenes Laertius in vita Thaletis pag. 18. & 19.* Paulò aliter eam recenset *Plutarchus in vita Solonis p. 80*, qui existimat illud contigisse eo tempore, quo Rex *Periander* septem illos per totum orbem celebres sapientes excepisset convivio. Item, quòd fama sit vulgata à plerisque, non mensam in piscatione inventam, sed vel *phialam à Crœso* missam: vel *relictum à Bathycle poculum* fuisse. Lycurgus autoritate Delphici Dei leges suas commendavit civitati Lacedæmoniorum. Delphos namque ipse est profectus, consultoque Deo & sacris peractis regressus domum est cum celebrato illo Oraculo, *quo Dijs charum eum & Deum potius, quàm hominem vates appellavit*: rectam reipublicæ institutionem petendi concedere & annuere Deum respondit, eam, quæ longè omnium rerumpublicarum futura esset excellentissima. His erectus conciliavit sibi principes civitatis, eosque ad unà capessendam rempublicam excitavit. *Plutarch. in vita Lycurgi. p. 42.* In confesso hoc est, Oraculum Delphicum plurimum ad hanc νομοθεσίαν contulisse, sive Pythia Lycurgo exposuerit instituta, quæ Spartanis ille tradidit: sive etiam constitutio illa reipublicæ, quam ipse mente agitabat, Oraculo probata, inde quandam conformationem acceperit. Vide *Eduardum Simsonem par. 3. Chron. Cathol. pag. 28.* Adducta hæc exempla satis probant, pluribus quàm duabus de causis Oracula fuisse consulta. Sanè non de illis tantùm negotijs, quæ publicam concernunt salutem: sed etiam quæ privatam cujusque fortunam respiciunt, Oraculi responsum fuisse perquisitum, passim historiæ loquuntur. Futura igitur omnia, sive ad fortunæ prosperitatem, sive ad casus adversos pertinerent, potuerunt hominibus ansam suppeditare interrogandi Oraculum. Siquidem enim cuilibet innata est sui suorumque conservatio; ita & homines, ut hac de re certiores redderentur, ad Oraculum confugerunt, & ab eo perscrutati sunt, quid ipsis eventurum esset. Quemadmodum ulterius homines maximis in calamitatibus constituti ad Deum, à quo liberatio-

nem petant: & ad sapientes, unde consilij vel solatij vim accipiant, se convertunt: sic olim refugium miseris erat Oraculum, à cujus responso toti pendebant, & quis demum mali & infortunij futurus esset exitus cognoscere certò se posse firmiter persuasi erant. Quæcunque igitur ad hominis vitam, statum, conditionem, fortunam secundam & adversam pertinebant; illa sufficientem causam præbere potuerunt illi, qui planè incertus fuerit, vel saltem dubitaverit ea de re, accedendi ad Oraculũ, & ex ejus consilio suum animum vel informandi, vel etiam, uti tum fides erat, confirmandi. Et hoc exinde ostenditur: quod Oraculum creditum fuerit opus divinum, ipseque Deus per illud succurrere consulentibus. Hujus itaque consilium non erit ad pauca negotia publica pariter & privata restrictum: verùm ad omnes casus, qui præviderі possunt: vel qui præsentes jam tum existunt, & hominis statum dubium vel incertum sive ad bonum sive ad malum reddere poterunt, rectissimè extenditur. Incidit dubium aliquod: numquid etiam de præteritis potuerit interrogari Oraculum? quod dubium vel inde firmari potest, quoniam Crœsus de filio suo, qui mutus erat natus. nec non emtores jactus à Piscatoribus Milesiis, inventa aurea mensa, Delphicum Oraculum consuluerunt: Iam illæ res erant præteritæ: filius Crœsi erat mutus, & mensa retibus extracta erat ex aquis. Verum Respondetur. 1. quòd de præteritis, uti frustra instituitur deliberatio, *Aristot. l. 3. c. 3. Ethic.* utpote, quia factum reddi nequit infectum & nemo capit consilium, olim captam esse Troiam: ita etiam non possit consuli Oraculum, quandoquidem quod præteriit, est irrevocabile, fierique nequit absolutè, ut quod est factum vel præteritum, non sit factum vel præteritum. 2. Distinguendum est in Præterito, (1) quatenus simpliciter est præteritum vel (2) quatenus aliquid cum eo conjungitur quod rationem futuri habere possit. Priore modo inutiliter Oraculum interrogatur: non enim intelligitur, quem ob finem talis quæstio instituenda foret. Non certè ideo, quod illud factum sit; tale siquidem, cùm factum sit, non potest fieri infectum. Neque ideo, an illud non potuerit impediri, ne fieret. Frustra de potestate impediendi factum consulitur, ubi factum existit. Posteriore modo fieri potest, ut quæstio habeatur de eo, quod cum præterito conjungitur, & induit vim rei futuræ. Ut, an illud quod factũ est, perpetuò sit duraturũ, an verò possit tandẽ averti? Sic cum pestis in urbẽ ingruit, & passim extat, multiq; homines morbi acerbitate

pitate absumti sunt: tum hic potest Deus consuli, non quòd peste mortui sint tot homines; bene tamen super eo, an illud malum non possit averti, & quibus mediis. Pari modò quando hostis alterius regionem invasit, ibi super facta invasione, qua tali, frustra interrogatur Oraculum, quoniam ingressus verè contigit: Id tamen sub quæstionem rectè venit; an diu hostis occupatam provinciam detinere aut num iterum ex ea expelli, & quibus auxiliis id tutò fieri possit? Sive bonum igitur sive malum contigerit, quæstio institui commodè poterit de eo: an illud bonum diu sit permansurum, & qua ratione illud sit retinendum? An malum, quod accidit, tandem possit averti & quomodo? ubi quoque nonnulli causam rei præteritæ sub quæstionem vocari posse contendunt, non ac si, ea intellectâ, res præterita desinat esse talis; sed ut exinde cavere sibi liceat, ne simile malum in posterum contingat. Dubio procul Israëlitæ in tantas angustias servitutis per bellicas calamitates redacti causam indagârunt tàm grandis & dirissimi infortunii, quæ nulla alia fuit, quàm violatio Legis divinæ, & præcipuè horrenda Idololatria, cui ad exemplum aliarum gentium sese dederant. Intellexerunt quoque, si, abiectis illis Idolis, & verâ pænitentia tam enormium peccatorum ducti, ex animo ad Deum esse reversuri, quòd ipse omnibus bonis eos cumulatim esset affecturus. Fieri porro & hoc potest, ut causa facti sit dubia: & pro causa habeatur illa, quæ revera talis non sit. Inde Oraculum potuit de vera causa rei factæ interrogari, ut ea perceptâ, cognosceretur, quid agendum vel vitandum esset. Quod Crœsi mutum filium attinet, Oraculum quidem consultum fuit, non quòd ipse factus esset mutus: talis enim ipse erat; sed quamdiu debuerit mutus permanere? & numquid facultatem loquendi aliquando recepturus esset? Similiter, cùm invento aureo tripode, inter Piscatores Milesios, & emtorem jactus seu ductus lites existerent, ad quosnam inventa res propriè pertineret, Delphicum Deum quidem interrogandum esse decreverunt, non tàm super re inventa, sed cui illa foret tradenda. Manet itaque certum, quod de præterito, quatenus est præteritum, nulla institui possit quæstio, sed de eo, quod cum præterito sub quadam ratione futuri conjungitur.

CAPUT

CAPUT IX.

De

Quibusdam ceremoniis, quas consulturi Oraculum adhibere solebant.

Qui consulere volebant Oraculum, non illotis, uti dicimus, pedibus accedebant; quemadmodum nonnullis vel hodie mos est, ut imparati, sine devota mente, & intentione Deum colendi, ad sacra velut ad rem profanam temerè accedant; sed illi certis adhibitis Ceremonijs modestè Numen suum interrogabant. Ceremoniæ erant certi ritus in diversis locis, ubi Oracula habebantur, ordinati, ad hoc, ut accedentes interrogaturi Oraculum talium adhibitione idonei efficerentur ad consulendum Deum, & ad responsum aliquod ab eodem obtinendum. E quibus timor erga Numina haut mediocris eluxit, quippe quæ non vulgariter, sed debitis divinitusque præscriptis ritibus ac ceremonijs sunt colenda & adoranda. Ideoque consulentes Oraculum summò studio, de superstitione non dicam, ceremonijs receptis usi sunt; partim, ut placatum haberent Numen: partim, ut fausto atque exoptato dimitterentur responso; ne si ad Deum, tanquam ad hominem, vel locum quendam profanum se conferent, neglectis aut contemtis istis ceremonijs, Numinis iram in se concitarent, & quod desiderarent ipsi, non assequerentur, quin potius gravi subinde mactarentur infortunio. Hinc *Fulgentius* iudicavit: *Acerbissimorum malorum causas à Dei contemtu provenire.* Interea non ubique locorum, in quibus Oracula erant, eædem observatæ sunt ceremoniæ; sed in illis pro locorum distinctione magna diversitas est deprehensa, ita ut alibi aliæ, alibi iterum aliæ usurpatæ fuerint. Apollini Delphis vaticinanti sacrificia afferebant ipsum de futuris interrogaturi, & quidem de ovibus, ut eò facilius commoveretur ad dandum ex voto responsum. Qua de causa *Pytho* (est urbs, quam *Delphos* appellant à *Delpho Apollinis* & *Thyiæ* filio dictam *Pausanias lib. 10. p. 566*) appellatur à *Pindaro* μηλοδόκος, id est, *ovium receptrix*; vocabulum autem μηλοδόκος *Schmidius in Comment. ad Od. 3. Pyth p. 117. Pind.* interpretatur, ut idē sit ac πολλὰ δεχομένη θύματα μήλων, id est, *multa ovium sacrificia recipiens. Plutarch. in lib. de Defect. Oraculor. p. 455.* hunc morem sacrificandi attingit. Antequam Oraculum peti-

petitur, victimam immolamus, coronamus, libamus: verba ejus ita se habent: ἡμεῖς δὲ καὶ θύομεν καὶ προσευχόμεθα, τί μαθόντες ἐπὶ τοῖς χρηστηρίοις, εἰ δύναμιν μὲν ἐν ἑαυταῖς μαντικὴν αἱ ψυχαὶ κομίζουσιν, ὁ δὲ κινοῦσα ταύτην ἀέρος, τίς ἐστι κρᾶσις ἢ πνεύματος. Id est, *Nos autem & sacrificamus & vota facimus, nescio sane cur Oraculorum istac gratia, siquidem animi nostri in se vim habent, quam aeris aliqua aut venti excitet temperies.* Addit Plutarchus sequentia: *Quid sibi volunt constitutiones Antistitarum, & quod Oraculum non editur, nisi hostia tota ab imis talis contremiscat, dum liquor inter libandum ei invergitur, & concutiatur? Non enim satis est quassare caput, ut in alijs sacrificijs: sed oportet omnibus membris trepidationem & concussionem accidere cum tremulo sonitu. Hoc nisi fiat, negant Oraculum respondere, neque Pythiam introducunt.* Sacrificijs autem maximè se placari posse Deo crediderunt antiqui: ideo, ut illum haberent propitium sibique faventem, ab immolationibus fecerunt initium, atque ita veluti reconciliati jam Numini de grato quodam responso non dubitabant. Vidit & Dæmon in gente Israelitica solemnem eumque varium Sacrificiorum usum, quem ipse apud Ethnicos introduxit, eumque non minimam partem sacrorum sibi constituit. Mactatis igitur hostijs homines, accedente gravi superstitione, se expiatos esse, & in gratia apud Deos vivere arbitrati sunt: proinde vel eò magis sacra fecerunt, antequam Oraculi mentem perquirerent, & desiderij sui redderentur compotes. Non tamen uno modo hæc Sacrificia fuerunt usurpata: alicubi enim pecudes non fuisse mactatas *Luctatius Placidius* ex antiquis Scriptoribus deducit. Nempe *qui Delium Oraculum volebant interrogare, procidebant in terram coram altari, querimonijs sese macerantes, deinde libabant, vel etiam frugum primitias offerebant. Soliti quoque* fuerunt thus adolere, lucernas accendere, & in ara nummum dedicare. Hisce ferè ceremonijs colitur Oraculum, quod *Pharis* est in oppido *Achaeorum* teste *Pausania lib. 7. p. 403.* Etenim, *Qui Deum sibi consulunt, Vestam primum thure incenso placant: deinde oleo infuso lucernas accendunt: tum verò in ara dextera parte nummum patria nota signatum (appellant* Æreum) *dedicant.* Vbi *quod ex usu fuerit interrogari, aurem simulacro admovet; inde è foro abiens manibus aures premit. Vbi è foro excessit, amota manu, quam primùm excepit vocem, eam sibi Oraculi loco ducit. Talis etiam apud AEgyptios in Serapidis fano celebratur Oraculi religio.* Ad sacrificia verò ut revertar, illa tribus de causis è judicio Theologorum Gen-

tilium fuerunt usurpata. *Lilius Giraldus Syntagm. 17. pag. 488* partim, *ut venerarentur Deum: partim ut ipsi eidem gratias agerent: partim verò ut saluberrima ab ipso peterent.* Quod utique quàm maximum sibi vindicare potuit locum in impetrando responso ab Oraculo. Quandoquidem ab eo rerum variarum sed futurarum notitiam habere desiderabant, ut exinde nihil reliquum æstimaverint, quàm placato sacrificijs Numine benigna obtinere responsa. Sacrificijs istis adjunctæ erant preces, quibus Deum ad eloquium aliquod commodum & auspicatum reddendum supplices invocabant. Adhibitæ autem sunt preces à sacrificantibus, quia putabant fas non esse, Deos rite sine precatione consuli posse. Sic *Plinius l. 28. c. 2. p. 565.* Quippe, ait, *victimas cædi sine precatione non videtur referre, nec Deos rite consuli.* Nonnulli putant *precationibus* tum fuisse locum, cum aliquid esset commendandum; & quidem autoritate *Valerij Maximi lib 1. c. 1. p. 2.* quando ait: *Prisco etiam instituto rebus divinis opera datur,* cū aliquid commendandum est, precatione: *cùm exposcendum, voto: cum* solvendum, *gratulatione: cum inquirendum vel extis vel sortibus, impetrito: cum solenni ritu peragendum, sacrificio.* Vbi observandum obiter, quod in adducto loco non sit lectio mendosa, neque vox *Impetrito* corrigenda, sicuti fortean *Turnebus l 23. c. 11. p. 468. Advers.* existimat, quandoquidem uti *Stephanus Pighius in Annotat. ad Valer. Max. p. 421.* sentit, hoc vocabulum est vetustum & augurale; & *Festus* illud exponit, quasi *impetratum*, hoc est, firmum ac securum, seu, juxta aliorum interpretationem tanquam *in petra fixum.* Inde *Sacra Impetrita* in inquirendis rerum eventibus ante *ORACVLA*, auspicia vel sortilegia fiebant conciliandorum Numinum causa, ut certa, firma, ac secura petentibus denunciarent. Hæc *Pighius.* Interea & *Cicero lib. 2. de Divinat.* ait: Qui evenit, ut is, qui *impetrire* velit, convenientem hostiam rebus suis immolet. *Plautus in Asinar. Act. 2 sc. 1. v. 10. p. 114.* etiam hoc verbum usurpat: *Impetritum, inauguratum est, quovis admittunt aves.* Inde quoque apud *Plinium* d l. perperam se habet textus: *Præterea alia sunt verba impetrantis, alia depulsoris, alia commentationis*, nam uti *Pighius ad Valer. Maxim. p. 421.* judicat, ita restitui debet: *Præterea alia sunt verba Impetritis, alia depulsorijs, alia commendationibus.* Jam verba *depulsoria* sunt, quæ ad portenta pertinebant, quæque conceptis verbis depellebant & avertebantur. *Precatione* Dijs *quod salvum esse volebant, commendabant.* Redeundo

deundo in viam, licèt singulari modo precandi id quod salvum & in columne esse cuperent, Dijs suis commendaverint Gentiles; illud tamen non infringit nostram sententiam, qua dicimus; antequam Oraculum accederent consulentes, adhibita ab illis fuisse & sacrificia & preces. Sana siquidem suadet ratio, preces ideo fuisse additas, ut & sacrificia à Dijs clementer reciperentur, & ipsi ex Oraculo sui desiderij redderentur compotes. Non enim hîc *Lindij Sacra* celebrata fuerunt. Quod ut intelligatur. Apud *Lindum*, quod est *oppidum Rhodi*. Herculis sacra sunt: quæ maledictis & execratione celebrantur. Eaque pro violatis habentur, si quando inter solennes ritus vel imprudenti alicui exciderit bonum verbum. Causa hæc fuit. Hercules fame quondam pressus ab aratore è duobus saltem, quos habebat, bobus, unum emere voluit: renitente autem rustico, ipse ambos sustulit. Miser iste ubi vidit boves suos mactari, injuriam suam maledictis ultus est. Dum igitur Hercules cum comitibus suis epulas apparat, & alienos boves devorat, illum sibi amarissimè convitiantem cum risu & cachinnis audiebat. *Postquam verò Herculi divinos honores ob admirationem virtutis deferri placuit, à civibus ei ara posita est, quam de facto βούζυγον, id est, bovis jugum nominavit, ad quam duo juncti boves immolarentur, sicut illi, quos abstulerat aratori: eumq; ipse sibi constituit sacerdotem; ac præcepit, ijsdem maledictis semper in celebrandis sacrificiis uteretur: quod negaret, se unquam epulatum esse jucundius.* Rem totam narrat *Lactantius Firmianus lib. 1. c. 21. p. 122. divinar. Instit.* Vult quoque *Zenodotus*, istum apud *Lindios* inolevisse morem, jubente etiam Oraculo, ut inter peragenda sacra convitia quædam jactarentur, uti illud *Erasmus* notat in *Adag. p. 623* Precationes fuisse institutas ab illis, qui voluerunt Oraculum interrogare, illustre testimonium suppeditat *Pausanias lib. 7. p. 411.* Vbi de Herculis Buraici Oraculo agit. *In proxima spelunca*, inquit, *non utiq; magnum Herculis signum, Buraico & ipsi cognomen, Oraculi sortes capiuntur ex tabula per talos. Qui consultum venere*, precatione ad signũ peracta, *votisq; nuncupatis, talos ex ea quæ in promtu est, copia jaciunt quatuor super mensam.* De precibus ad Oraculum directis nullus, uti equidem spero, poterit dubitare Pergendum igitur erit ad aliã ceremoniam, quòd soliti sint vestem mutare, qui ab Oraculo accipere responsum voluerunt. Hujus rei testem habeo *Strabonem lib. 17. p. 804. Geograp.* Is narrat de Alexandro M quod ambitione quadã permotus ad Oraculum *Iovis Ammonij* contenderit, cum intellexisset. Perseum & Herculem prius eò ascen-

disse. Addit autem sequentia: Μόνῳ γὰρ τῷ βασιλεῖ τὸν ἱερέα ἐπιτρέψαι παρελθεῖν εἰς τὸν νεὼν μετὰ τῆς συνήθους στολῆς, τοὺς δ' ἄλλους μεταδῦναι τὴν ἐσθῆτα, ἔξωθέν τε τῆς θεμιστείας ἀκροάσασθαι πάντας πλὴν Ἀλεξάνδρου, τοῦτον δὲ ἔνδοθεν εἶναι. id est, *Soli Regi à Sacerdote concessum, ut in templum ingrederetur habitu consueto: cæteros vestem mutare jussos, & foris omnes Oraculum audivisse, excepto Alexandro, qui ingressus intro fuerit.* Non moror, quæ forsan hic aliquis posset opponere, ac si in hoc comitatu Regis cum suis ministris ex singulari causa Sacerdos Regem solum consueta veste indutum accedere ad Oraculum jusserit ob Majestatem: reliquos verò vestem mutare, quo vilior eorum conditio isto pacto indicaretur; ut ita non è consuetudine quadam, sed è peculiari quadam ratione vestium istæc mutatio contigerit: Etenim libenter illud concederem, nisi *Scholiastes Euripidis* annotasset: *In Jovis Ammonii templi Oraculum interrogaturi vestem mutarunt; nisi quòd Sacerdos Regi Alexandro circa hoc speciale quid indulserit.* Non tamen calculum adjicio *Honoris Ognati* divinationi, sed satis incertæ, quasi vestium mutatio ideo recepta fuerit, ne cum simulacrum Jovis circumportaretur ob vestes quotidianas, sordidas, ac profanas illud dehonestaretur. Illo siquidem tempore simulacrum istius Jovis fuisse circumlatum, cum Rex desideraret responsum, quis hoc affirmabit? Proinde glossa istæc valido fundamento niti non videtur. Si conjecturæ dabitur locus, rectius dicetur: ob sanctitatem loci, & Numinis Majestatem, nec non Oraculi antiquitatem, ut & majoris divinitatis famam voluisse Deum istum præ aliis etiam vestium mutatione honorari. Quæ opinio est *Casalini*, uti suo loco dicetur: qui etiam pluribus confutat, quod nonnulli perhibent, vestium mutationem ideo necessariam fuisse, quòd profecturi ad hoc Oraculum per multas arenas, & pulveres coacti fuerint iter facere; ubi illorum vestimenta sordibus contaminata in loco sacro ob Dei præsentiam mutari debuerint. Enimverò istæc ratio ex parte potuit etiam apud alia valere Oracula, ad quæ pluviis & luto contaminati accesserunt ubi tamen vestium mutatio non fuit in usu. Et hoc est, de quo supra dictum est: varias esse apud Oracula ceremonias: & alibi Deum hisce: alibi eum aliis coli ceremoniis, prout illæ usu receptæ vel ordinatæ sunt. Ad alium porrò ritum nunc quidem erit deveniendum, qui consistit in lustratione, quæ sacro quodam actu expiandi precantes, & ab Oraculo consilium eò felicius impetrandi absolvebatur. Equidem

de Lu-

de Lustratione in genere nihil dicam: neque fusè attexam, quomodo singuli, & Universi soliti fuerint expiari: Id saltem paucis monstrabo, peractas fuisse lustrationes *circumlatione in Orbem*. Nam qui rem quampiam lustrabant, illi solebant eam circumferre. Inde *circumferre* est pro *purgare* positum. Hinc *Plautus*: Pro larvato Te circumferam id est, *purgabo*. Et *Nonius* ait *in libr. 2. Satyr.* Tum fortè omnia sunt *circumlata*, id est, *purgata & lustrata*. Quamvis autem lustratio multis modis fieret; tamen & aquam adhibuerunt ad hanc rem perficiendam. *In qua titionem tingebant sumtum ex altari, in quo sacrum peregerant*, sicuti loquitur *Athenæus lib. 9. c. 18. p. 409.* Proinde aqua erit lustralis seu ad conspersionem destinata, in qua titio ex ara sacrificii sumtus fuerit tinctus. Nũ verò Oraculũ consulturi ubiq; tali aqua fuerint conspersi, an istæc aliis ritibus ad hunc lustrandi usum fuerit consecrata, hactenus certô deprehendere non potui Illud tamen constat: nulla sacra â veteribus sine lustratione adiri potuisse, ergo nec Oraculũ; Deum certè interrogare, & ab ipso rerum futurarum notitiam petere, res fuit sacra, & negotium, religiosum quod nemini nisi purgato licuit suscipere. Huc tendit, quod *Aristides* laudans insignem imperatoris *Antonini* humanitatem dicit: Facilem fuisse aditum ad ipsum *ὥσπερ ἔσω περιῤῥαντηρίων*, quasi lustrati essent, qui ad illum accederent. *Pighius in notis ad Orpsium l. 7 p. 518.* qui pagina sequente è *Plutarcho* addidit *Lycurgi Oratoris* facetum dicterium in Athenienses. Illi enim cum deliberarent, ut *Alexandrum* facerent *Deum*, is ridendo dixit: *ποδαπὸς ὁ Θεὸς, ὃ τὸ ἱερὸν ἐξιόντας δεήσει περιῤῥαίνεσθαι; qualis hic est Deus, è cuius templo exeuntes oportet lustrari.* Apponit & hoc *Ludovicus de la Cerda ad l. 6. Virgil. Æneid. p. 634.* (qui eandẽ historiã recenset) quasi *Lycurgus* dixisset. *Lustrationẽ, quæ necessaria est ad aditum, ut purè sic fiat, necessariam esse ad exitum è templo Alexandri.* Interim cum nemine contendam an ex communi consvetudine, vel speciali quadam ordinatione lustrati fuerint Oraculum consulturi. *Pausanias lib. 1. p. 62.* qui multa de Oraculis hinc inde in suo opere tradidit, de *Amphiarai* Oraculo loquitur, quòd omnes, qui ad illud consulendi causâ accedunt, *lustrentur.* Dubio procul & alibi id fuit receptum: quod Deum consulere, cum ipso quasi loqui, ab eo ad propositam quæstionem desiderare responsum, sit res sacra, quâ defungi absque lustratione nefas fuit gentilibus. Quin quod ex *Hippocratis* libro *de sacro morbo p. 87.* notavi: morem fuisse apud illos ut in-

ut ingredientes templum respergerentur aqua lustrali. *Maxima* inquit, *& sceleratissima peccata Deus expiat, & purificat, tutelaq́ nostra existit. Nosq́ Diis ipsis templorum ac delubrorum terminos constituimus, quos nemo nisi purus transcendat: & ingressi, non tanquam inquinati respergimur, sed ut, si quod ante scelus contraximus, illud expiemus.* Notatu digna est historia, quam recenset *Sozomenus l. 6. c. 6. p. 489. Hist. Eccles.* Cum *Iulianus Apostata* templum ingrederetur, secutus eum est à tergo præsidii causâ ex antiquo Romanorum more *Valentinianus* præfectus militum. Hic autem limen delubri transgressurus à sacerdote juxta ritus sacros Gentilium virides olivæ ramusculos madefactos manu tenente aspersus est aqua, ita ut gutta quædam in ipsius vestem delaberetur. *Quod adeò graviter tulit, ut sacerdotem ea propter convitiis adortus sit: &* Iuliano *inspectante particulam vestis cum ipsâ gutta abscideri, abiecerità.* Unde Iulianus ei admodum iratus & infensus, non longè post condemnavit eum exilio, ut scilicet *Melitinam urbem Armeniæ* perpetuò incoleret, causa quidem simulatâ, quod milites sibi subjectos negligenter admodum gubernasset. Alium ritum in Oraculis fuisse usurpatum deprehendo apud *Plutarch. in Quæstion. Roman. p. 266.* nempe: cymbalis sonum datum fuisse, quo tota ædes perstrepebat, *ne Oracula consulentes male auspicatis vocibus turbarentur.* Etenim quærit *Plutarchus* in dictis quæstionibus, quare in sacris homines velato essent capite, & inter alias causas hanc quoque affert, quòd circumvolutis capitibus non ita facile verba mali ominis, quæ sacra turbare credebantur, exaudiri potuerint. Et hoc probat exemplo eorum, qui Oracula consulebant: tàm enim gravi tinnitu perstrepebant omnia, ne, uti dictum, Oracula consulentes male auspicatis vocibus turbarentur. Vide *Boxhorn. Zuer. Animadv. ad Plutarch. Quæst. Rom. p. 106.* Morem illum tangit quoque *Arnobius lib. 7. p. 237. contr. Gentes.* rationem tamen istius videtur ignorasse, quandoquidem consuetudinem istam falsè ridet his verbis. *Etiamne Dii sertis & coronis afficiuntur & floribus? etiamne æris tinnitibus & quassationibus cymbalorum? etiamne tympanis? etiamne symphoniis? quid efficiunt crepitus scabillorum? ut cum eos audierint Numina honorificè secum existiment actum & ferventes animos irarum oblivione deponant. At numquid ut parvuli pusiones ab ineptis vagitibus crepitaculis exterrentur auditis: eadem ratione & omnipotentia Numina tibiarum stridore mulcentur, & ad numerum cymbalorum*

balorum mollita indignatione flaccescunt. Hæc Arnobius: in cujus tamen verbis non licet invenire veram causam *à Plutarcho* allatam: Etenim passim id observare est in scriptis veterum Christianorum adversus Paganos, ut in explicandis sacrorum rituum causis, veris neglectis, ineptas quandoque etiam ridiculas iis imponant. Quæ fuerint ceremoniæ in consulendo Oraculo, vel simulacro in usu Oraculi consecrando apud Ægyptios, exponit *Athanas. Kircher. in par. altera Tom. 2. classe. 11. c. 5. p. 452. & 453.* sequentibus verbis: *Quod si de publico aliquo Regni aut urbis negotio Numina consulenda forent, aut peculiare quippiam à Dæmonibus petendum foret, aut simulacra in Oraculorum usum consecranda, tum dictis præmissis paulò ante ceremoniis sacerdos, qui teste* Apuleio in Apol. *rite callere ceremoniarum Leges fas sacrorum, Ius religionum debebat,* & ut *Libanius Declam. 43.* ἐπίσασθαι τοὺς Θεοὺς, καὶ τ' ἀκείνων ἀπόρρητα καὶ ποῖ χαίρουσι καὶ τίσιν ἕλκονται, καί τι λαβόντες ἀντιδῶσιν. Scire Deos eorumque arcana & quibus gaudeant, quibus trahantur & quid capientes reddant: *horrido murmure imperiosisq́ verbis teste* Luciano in Necricis, *Deos superos manesq́ torquet, noxium ære circumlatur carmen, tum horrentibus verbis urna opertanea precluditur, ter novies carmen magico demurmurat ore.* Et in *classe 12. c. 8. dict. Tom. 2. par. alt. p. 537. Oedipi Ægyptiaci*: ubi declaravit, qua præparatione Sacerdotes intraverint adyta, quid ibi fecerint, addit: *Quibus omnibus mysticè peractis fieri non posse credebant, quin Numina ultro sese sisterent, & postulata à sacerdotibus exequerentur: credebant enim animam expiatam ad supremas illustrationes consequendas perfectè dispositam esse, vaticinii & Prophetiæ donum Deorum munere nunc consequi.* Et tantum de Ceremoniis hac vice.

CAPUT X.

De
VARIIS respondendi modis, quibus usus fuit Dæmon.

IN respondendo autem ad consulentium interrogata Dæmon non unum observavit modum, sed uti varijs in templis, ubi Oracula consulere fas erat, diversæ fuerunt ceremoniæ ac ritus colendi Deum: ita etiam diversimodè consulentes ab Oraculo certo quodam instructi responso

sponso dimissi sunt ad suos. Respondebat Oraculum I. VOCE, & quidem in ea lingua, in qua interrogabatur, uti *Delphicum* & *Branchidarum* Oraculum: Pythia tamen dicitur versibus hexametris respondisse, quod è diversis responsis, quæ apud historicos extant, videre licet. Et scribit *Eunapius in vita AEdesii p. 42.* ὁ μὲν θεὸς ἐφίστατο πρὸς τὴν εὐχὴν, καὶ ἔχρησεν ἐν ἑξαμέτρῳ τόνῳ τάδε. Descenderat, ad preces Deus, & hexametris versibus Oraculum ediderat. Quamvis numeri in versibus istis non adeò accuratè observentur. *Strabo* interim *in lib. 9. Geogr. p. 419* putat: Pythiam etiam in prosa oratione respondisse, sed poëtas adfuisse, qui verba Oraculi in versus redigerent. πυθία δεχομένη τὸ πνεῦμα ἀποθεσπίζει ἔμμετρά τε καὶ ἄμετρα ἐντείνουσι δὲ καὶ ταῦτα εἰς μέτρον ποιητάς τινας ὑπουργοῦντας τῷ ἱερῷ Pythia, postquam Spiritum exepit, carmine & soluta oratione respondet: quidam Poëtæ verò qui inserviunt templo, illa responsa in versus redigunt. De talibus Poëtis loquitur etiam *Plutarchus in lib. de Pythiæ Oraculis. p. 407.* πολλῶν δ' ἦν ἀκούειν ὅτι ποιητικοί τινες ἄνδρες ἐκδεχόμενοι τὰς φωνὰς καὶ ὑπολαμβάνοντες ἐπὶ καθήμενοι περὶ τὸ χρηστήριον, ἔπη καὶ μέτρα καὶ ῥυθμοὺς οἷον ἀγγεῖα τοῖς χρησμοῖς ἐκ τοῦ προστυχόντος περιέπλεκον; id est, *Multos quoque audivisses, qui dicerent, Poëtas quosdam etiam apud Oraculum desidere, qui voces exciperent, iisque subitò versus & numeros tanquam vasa quædam circumplicarent.* Hic quoque Plutarchus conatur investigare causas, quare desierit Pythia carminicè loqui. Olim quidem versu respondebat ipsa; postea pressa oratione ferè responsum dedit, raro autem carmine. Causa hæc affertur: Quasi Apollo Pythiam jusserit desistere à more suo respondendi carminicè: atque ita Oraculis detraxerit carmina, obscuras voces, ambages. perplexitatem, nec non eidem (scilicet Pythyæ) præceperit consulentibus responsa dare, *uti leges cum civitatibus, reges cum populis, Magistri cum discipulis loquuntur, ad evidentiam & probabilitatem ea accommodans.* Probè enim tenendum est, uti *Sophocles* ait: Θεὸς σοφοῖς μὲν αἰνικτῆρα θεσφάτων ἀεὶ, σκαιοῖς δ' φαῦλον κἂν βραχὺ διδάσκαλον: *Deum Sapientibus per ambages fata eloqui fatuis, magistrum esse inutilem.* Illata oraculis perspicuitate, fides etiam sic mutata est cum aliis rebus: ut cum *antiquitus, quod rarum & insolens esset, planeq; obscuritate & circuitionibus obductum plerique sub opinione divinitatis alicujus pavidi venerarentur: postea apertè omnia & facile ac sine fastu & figmentis discere cupientes, Poësin, quæ oracula velabat, incusaverint: non tantùm quia adversaretur intelligentiæ in vero percipien-*

cipiendo; obscuritatem & umbram dictis admiscens: sed quod jam translationes & ænigmata, atque ambiguitates divinationis quasi quosdam fucos, & effugium, quibus ea se tueretur, si quid secus evenisset, suspecta haberent. Ita de illis causis differit Plutarchus. Putat itaque Scriptor iste, causam illam consistere in præceptione Apollinis, tanquam Oraculi præsidis & moderatoris summi, qua Pythia jussa sit, omissis carminibus, in posterum in prosa oratione simpliciter respondere, & quidem ideo potissimùm, ut, cùm versus propter observationem metri non semper claris & perspicuis verbis proponi queant, Oraculorum dictis omnis ambiguitas & obscuritas detrahatur; atque ita ad pleniorem illorum intelligentiam, & majorem fidem illis adhibendam soluto sermone Pythia mentem Dei consulentibus exponat. Sed quis non videt, causam hanc vel nullam esse, vel prorsus incertam. Etenim unde Plutarcho constitit de jussu Apollinis, quod scilicet Pythia coacta fuerit abstinere à carminibus: nudæ enim isti assertioni fidem adhibere quis poterit? Deinde si quicquam veri sub hac narratione latet, convenientius esset factum ab Apolline, si is in principio simpliciter jussisset suam mentem declarari, quam postea, ubi cœperint homines fidem Oraculi habere suspectam, ob contrarium planè eventum, quàm interdum prædictum fuerat. Neque potest indicari tempus, quo hoc præceptum datum fuerit Pythiæ, aut quando ipsa cœperit absque ambagibus, apertè & perspicuè vera responsa suppeditare, ejusque ædem non amplius tanquam Sophistæ Scholam habere debuerint homines. Ingeniosè quidem hoc à *Plutarcho* est effictum, verùm paulò altius rem pensitantibus ipse hoc nunquam persuadebit, ut illi istud credant. Frequentia præterea fuerunt illa oracula, quæ voce responderunt, quàm alia, quæ nutu, signis, vel etiam insomnijs quodammodo consulentium intentioni inservire voluerunt. Quæri solet, si Oraculum fuerit consultum à quibusdam, qui diversa uterentur lingua, quàm in Græcia fuerit usitata, quomodo tum responsū fuerit? Nonnulli existimant Pythiam se non accommodasse ad linguam interrogantium, ut eadem qua consulentes uterentur, ipsa responderit: quia nuspiam illud legatur: alij credunt per interpretes propositam fuisse quæstionem, sed hoc divinæ scientiæ contrariatur. Proinde satius fuerit hic *ἐπέχειν*, & judicium suspendere. Quorum enim certa non dantur vestigia, de illis nihil certi licebit tradere. Quod si tamen unum ex hisce

foret eligendum dicerem: prius videri verius; quandoquidem Dæmon, qui ubique hominibus insidiatur, & illis adest, eorumque actiones observat, facilè hujus vel illius gentis linguam perdiscere potest; ut ita in exotica lingua propositam quæstionem intelligere, & ad eam in tali lingua respondere potuerit. Neque obstat: Pythiam non calluisse istam linguam: enimverò ipsa à Dæmone occupata verba furoris locuta est, nec ipsa quæ diceret, intellexit: proinde per Pythiam respondit Dæmon inspirando ei, quid, & qua lingua loqui debuerit. Meam sententiam confirmo autoritate Pausaniæ, qui *lib. 9. p. 527.* refert, à Mardonio missum esse hominem Europensem *Myn* nomine ad Oraculum *consulendi causa*: illique *sua lingua* interroganti Deum non Græca sed etiam barbarica lingua respondisse. II. Nutu & Signis, cum quidem non verbis aut voce articulata, sed nutu, vel signo quodam mens Oraculi indicata postmodum à Sacerdote exponebatur. Talem modū respondendi indicat *Strabo lib. 17. p. 814 Geograph.* Responsa, inquit, non ut apud Delphos & Branchidas verbis, sed magna ex parte nutu & signis, quemadmodum apud *Homer. Iliad. A. v. 528* Dixit & *superciliis cæruleis* Pater almus *innuit*, vate nimirum Jovem imitante. Sacerdotes namque præsto aderant consulentibus Oraculum, hinc datâ & propositâ quæstione, expectabant nutum vel signum sui Dei, quo viso, tanquam certo quodam responso accepto, quærentibus mentem Oraculi interpretabantur. Verum quia in libro secundo de hoc *Jovis Ammonii* Oraculo uberior differendi materia mihi suppeditabitur, hic calamum inhibeo. III. Per Insomnia: quando consulentibus inter dormiendum fuit inspiratum, quidnam scire ipsi cuperent. Ea propter etiam in templo dormiebant expectantes à Deo responsum. Ea ratione in Amphiarai fano responsa dabantur quod docet *Pausanias lib. 1. p. 62.* his verbis: *Arietem et* scilicet Amphiarao *immolant*, *cujus substrata pelle dormientes nocturna visa expectant.* Qui ita in æde sacra dormiebant ad accipienda Oracula dicebantur *Incubare.* Apud *Plaut. in Curculione Act. 2 Scen. 2. v. 15.* legitur: Namque *incubare* satius te fuerat *Iovi*, id est, *in Iovis templo.* Taubmannus ad *Act. 1. Scen. 1. v. 62. Plauti Curcul. p. 311.* annotat: Qui à Dijs aliquid petere cogitabant, cubabant in eorum fanis, quorum ope indigebant; tanquam responsa ab ijs vel vigilantes, vel dormientes accepturi. Huc pertinet quod canit *Virgilius lib. 7. AEneid. vers. 86. & seqq.*

Huc dona sacerdos
Cum tulit, & caesarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnosq; petivit.

Ad hunc locum commentatur Servius: *Incubare dicuntur propriè hi, qui dormiunt ad accipienda responsa*: Unde est, ille incubat Iovi, *id est, dormit in Capitolio, ut responsa possit accipere.* In templo Pasiphaes etiam hic ritus reddendi responsa valuit: quod indicat *Cicero in lib. 1. c. 43. p. 189. de Divinat.* ubi ait: *In Pasiphae fano, quod est in agro propter urbem somniandi causa excubabant, quia veris Oracula ducebant.* Celeberrimi nominis *AEdesius* qui per precatiunculam, cui fidebat maximè ad divinationem confugit, *quæ fiebat per insomnium*, uti illud refert *Eunapius p. 41. & 42.* Præterea de Sacerdotibus *Dodonæ Sylvæ*, qui vocantur χαμαικοῖται, & χαμαιεῦναι & χαμεῦναι quod cubarent in solo accepturi Oracula, scribit *Maximus Tyrius diss. 26. p. 95.* οἱ δὲ χαμεῦναι καὶ ἀνιπτόποδες ἐν Δωδώνῃ θεραπεύοντες δρῦν, παρ' ἐκείνης, ὡς ὁ Θεσπρωτῶν λόγος, μαθόντες χρησμῳδοῦσιν: *Humicubæ illi & siccipedes quercum colunt in Dodona, ejusq; instinctu ut Thesproti tradunt, discunt futura, & aliis dicunt.* Sic *Selli* sacerdotes & vates Iovis humi dormiebant, apud *Homer. lib. 16. Iliad. v. 527.* Dubio procul *Prudentius* ad hunc locum alludit *in Apotheosi v. 254. p. 170.* quando dicit; *Et quis in Idolio recubans inter sacra mille Ridiculosq; deos venerans sale, cespite, thure, non putat esse Deum summum & super omnia solum?* Ad quem locum *Iohan. VVeitzius p. 635.* sequentia apponit: *Incubatio in templis usitata fuit religionis causa, quod ex Plauto & Virgilio constat. Manet adhuc in Italia. Nam memini Patavij certa nocte in* Divi Antonii *adolescentes & puellas rusticanas incubare* eo cœnobio, *quo nullum ea urbe aliud frequentius.* Addit locum ex *Hieronymo ad Eustoch. Tom. 1.* Nonne scandalizatur frater, si te viderit *in Idolio* recumbentem. Præterea In via Inus fanum & Oraculum visitur In eo futura *dormientes* prævident. Consulentibus enim per somniorum visa, quæ opus est, Dea denunciat *Pausan. lib. 3. pag. 198.* De Æsculapii templo constat, ægrotos ibi dormivisse ad remedium per somnia accipiendum contra illum morbum: putabant enim inter dormiendum sibi ab Æsculapio præscriptum iri remedium. *Plautus in Curcul. Act. 1. sc. 1. v. 61.* hoc videtur innuere his verbis: *Id eò fit, quia hic leno ægrotus incubat in AEsculapii fano.* Egregiam historiam narrat *Philostratus lib. 1. de vit: Sophistar. p. 534. & 535.* de Polemone quod articulari morbo vexatus Pergamum profectus fuerit; & cum ibi requiesceret in sacello, *AEscula-*

I 2 *pius*

pius ipsi apparuit, admonuit, ut frigido potu abstineret. Idem Scriptor *l. 2. c. 14. p. 100 & 101. de vita Apollon. Thyanei* de ratione vaticinandi per insomnia non ineptè disserit: *Per somnia*, ait, *vaticinationem, quæ apud homines divinissima existimatur multò facilius conspicit anima vino non suffocata, sed pura mundaque omnia, quæ viderit facilè colligit & discernit. Quapropter somniorum Interpretes, quos ὀνειροκρίτας appellant Poëtæ de nulla unquam visione antea consultoribus respondebant, quàm visionis horam sciscitati essent. Nam si matutino tempore somnium apparuisset, tunc de illo aliquid conjectare se posse arbitrabantur, quia tunc rectè vaticinari posset anima, cum esset vino ciboq; liberata. Sin verò primo somno aut media nocte, cum adhuc vino suffocata demersaq; est anima somnium dicitur apparuisse, sapienter quicquam respondere abnuebant. Quin etiam Deos ipsos itidem Iudicare, & sobriis animis Oracula tribuere.* Quem locum saltem interspergere volui obiter occasione nimirum præsentis argumenti: Nam somnia non tantum à Numine immittebantur, sed quædam etiam fuerunt naturalia, sic tamen comparata, ut, quid futurum esset, significarent. Itaque certi fuerunt Interpretes seu vates, qui ex istis insomnijs de futurarum rerum eventû judicabant, vel potius vaticinabantur. Putabant autem istis insomniis quæ prima vel media noctè facta essent, non esse inhærendum, quòd ortum trahant â vaporibus è stomacho ad cerebrum ascendentibus: illa verò quæ matutino tempore obtigissent, ea demum esse, è quibus certi quippiam posset colligi. Vide *Boissardum p. 172. & 173 de Divinat.* Sed redeo in viam à qua digressus sum. In Asia in via inter Tralles & Nysam est antrum Charoneum, in quo ægroti adhibitis solennibus sacris, remedium per somnia discebant ad recuperandam valetudinem. De quo *Strabò lib. 14. p. 649. Geograph.* sequentia effert. *Ajunt morbis gravatos, & qui horum Deorum curationi aliquid tribuunt, eò commeare, & visitare in pago prope antrum apud peritos sacerdotes: hos pro iis excubare, & ex somniis præscribere curationes. Hi sunt, qui etiam invocant. Adducunt autem sæpius in antrum, ibique tanquam in fovea per complures dies desident absque cibo. Interdum ægroti propriis somniis animadvertunt; tamen illis, ut pote sacerdotibus & initiatoribus, & consiliariis utentes.* Aliàs iste locus inaccessus est, & exitiosus. Apud Ægyptios quoque ægroti, quibus medici sua arte succurrere non poterant, in delubrum Isidis deferri se curabant, & illic sacris de more peractis,

lecta-

lectulis sacris in sanctuario decumbentes, in somnis videbant remedia salutaria & ad valetudinem necessaria. Quod Isis ægrotis remedia morborum in somniis suppeditaverit, indicat *Diodor. Siculus lib. 1. p. 22.* Totius orbis testimonio nituntur, qui effusis Deam honoribus ob præsens in medicando numen remunerentur. *In somnis enim assistentem ægrotis remedia contra morbos subiicere, eiq; morigerantes nec opinatò convalescere.* De hac ratione ægrotis restituendi valetudinē egregiè differit *Athanas. Kircher. Tom. 3. Syntagm. 1. §. 3. p. 157. & 158. Oed. Ægypt.* qui Autor cùm à non omnibus habeatur, non possum, quin locum ex eo huc adducam: *Genii*, inquit, *quibus sacra dictis ritibus & ceremoniis persolvebant* (scilicet Ægyptii) *putabantur illis prævia dispositione expiatis in somno apparere, & de medela morborum docere eos, quemadmodum de* Epie sacro Scriba *narrat* Astrampsychus. *Hic Isin de morbo incurabili consulens noctu eandem adstantem vidit, cornibus bovinis, titulo florigero, veste variegata, eo prorsus modo, quo eam hyeroglyphicè adornatam in adytis ponebant spectabilem, manibus ipsi* Motmutin *herbam morbi, quem patiebatur unicum medicamentum offerebat; quam à somno vigil illum invenisset, & se & quotquot eo morbo infectabantur ejus applicatione à manifesto mortis periculo liberavit. Hoc eodem pacto de omnibus difficultatibus & dubiis Deos consulebant per simulacra mystico ritu adornata, quorum ideas intenta mente dum contemplarentur, per varia signa, nutus, gestus, de veritate vel falsitate vel in somno, vel mentis raptu se commone fieri credebant.* Hæc pluribus ex Athan. Kirchero allata Lectori non inamœna erunt. Ara Ardali quoque hoc genere divinandi per insomnia fuit celebris: ubi Musis (quæ ab Ardalo Vulcani filio dicuntur Ardalidæ) & somno sacra fiunt. *Pausan. l. 2. p. 135.* Ad quam dormientes si procubuissent, facta secretâ Musarum inspiratione, multa ad salutem facientia didicerunt: quos tamen aliquot ante dormitionem dies potu vini abstinere oportebat. *Boissard. de Divin. p. 172. Et Cælius Rhodiginus l. 27. c. 16. p. 1508. Lection. antiqu.* Illustre quoque testimonium in hoc vaticinandi genere perhibet *Dio Cassius lib. 72 p. 820.* de Oraculo Malli in Cilicia ubi etiam dormientibus per somnia respondebat Apollo. Verba sunt pauca: Ἔστιν ἐν Μαλλῷ πόλει τῆς Κιλικίας Ἀμφιλόχου χρηστήριον, καὶ χρᾷ δι' ὀνειράτων· ἔχρησεν οὖν καὶ τῷ Σέξτῳ ὃ διὰ γραφῆς ἐκεῖνος ἐδήλωσε. *Est Malli quod est oppidum Ciliciæ, Oraculum Apollinis & somniorum interpretatio, ubi Apollo Sexto responsum dedit, & pictura, quid*

futurum esset, significavit. Quæ verba hoc modo declarantur: In oppido Mallo Ciliciæ est Amphilochi oraculum, quod per somnia consulentibus respondet. Illud Oraculum *Sexto* quoque responsum dedit, quod ille pictura hujusmodi expressit. Hæc exempla uberrimè declarant, quòd malus Genius per inspirationem quandam singularem dormientibus suam voluntatem revelare voluerit. Qua in re imitatus est Deum verum, qui Israelitis per somnia respondere solitus fuit. Egregium & luculentum habemus in S. Scriptura testimonium *1. Samuel. 28. v. 6.* ubi Deus Sauli non respondet neque per somnia, neque per Urim & Thummim, neque per Prophetas. *Hieronymus* quidem ex Hebræorum sententia hoc profert; solitos fuisse Iudæos, cum per somnia aliquid à Deo sibi offerri vellent, ieiunare prius, & orationi vacare: sed unde hoc sumserit ipse viderit. *Gaspar Sanctius in Comm. ad illum loc. p. 418.* Rectius dicetur: Deum reiecisse Saulem, adeoque illum nullo amplius responso dignari voluisse. Ulterius & hoc oportet addere: Quænam causa sit, quare dormientes in templo responsa ibidem expectaverint? & Dii dormientibus per somnia significaverint futura, vel, quæ desiderabant ipsis operuerint? Quidam existimant, id ideo factum esse, quòd credantur Dij noctu in terris agere, & de sedibus suis exire. Fundamentum ponunt in *Fabij Quintiliani Declam. 10.* quæ agit de *Sepulchro Incantato* in qua *p. 126. & 127* hæc leguntur verba: *Quotiescunque domus fuerat grato sopore prostrata, aderat ille* (scilicet defunctus) *quales humanis se offerunt oculis propitij Dij, quale latissimum Numen est cum se patitur videri. Sicut omnis religio templorum, omnis religio lucorum, cum tacuere, & profani procul erraverunt sedibus totis, solitudine frui &. de SVIS DICITVR EXIRE SIMVLACRIS.* Et aliquot interjectis *pag. 128.* addit: *Inde evocatos prodire manes, inde corpus & vultus, & quicquid videmus, accipere occurrere suis imagines charas. aliquando ET ORACVLA FIERI ET NOCTVRNIS ADMONERE PRAECEPTIS.* Alij putant, voluisse Deos ideo per insomnia hominibus voluntatem suam de re quæsita manifestare, ut ipsi consulentes soli scirent divinum responsum, nec istius haberent testes, neque aliis id in illorum perniciem renunciaretur. Aut si fortè non ita eventus responderet votis, quærimonias non possent instituere illi contra Divinum Oraculum, sed semet ipsos incusarent, quod somnium cum omnibus circumstantiis non rectè comprehendissent, sed istius ex parte obliti: aut etiam verum e-

jus sensum non exactè fuissent assecuti. Verum hisce opinionibus album calculum adjicere non possum. Etenim 1. Illud, quod in quæstione est, apud *Quintilianum* d. l. non habetur. Ipse quidem vult, Deos de simulacris suis exire tum in templis, tum in lucis, quando profani homines secesserint: at tum illos dormientibus in æde sacra immittere somnia, & per ea desiderijs consulentium in dando responso facere satis, Declamator non meminit. Neque sequitur: Dij noctu fruuntur solitudine, exeuntque de suis simulacris; ideo somniantibus in templo ad quæstionem prolatam respondent. Alter locus est de evocatione Manium conceptus; quod illi suis amicis & propinquis sub grata & suavi occurant imagine: interdum & Oracula, & nocturna præcepta per illos fiant; sed quis exinde concludet, quod somno oppressis in loco sacro Dij interventu somniorum suam mentem declarent. Non nescio, apud Ethnicos certis carminibus animas defunctorum fuisse ab inferis evocatas, quæ quoque se humanis oculis præbuerint videndas, locutæ sint, & futura prædixerint, uti apud *Lactant. l. 7. c. 13. p. 690 & 691. divinar. Institut.* Quo tendit etiam *Prudent. lib. 1. contr. Symmach. v. 96. pag. 263.* quando ita illum magicum ritum describit:

Murmure nam magico tenues excire figuras
Atque sepulchrales scitè incantare favillas
Vita itidem spoliare alios ars noxia novit.

attamen evocatos manes responsa dedisse in templo dormientibus, hoc è Quintiliani textu colligi non potest. Interim non nego & animas fuisse evocatas ob futurorum notitiam ab illis consequendam, easque interdum & Oracula locutas esse, & præceptis suos amicos monuisse, quod in lib. 2. plenius tradetur: neutiquam verò admitto ex hisce & similibus arcessendas esse causas somniorum, à Dijs consulentibus, & ob Oracula accipienda in templo dormientibus immissiorum. Neque altera sententia probari potest: quandoquidem si Deorum fuisset consilium ideo per insomnia agere cum hominibus, ut ipsi soli scirent mentem Dei, quare constituti fuissent interpretes, qui insomnia immissa interpretarentur: illi utique intellexerunt Dei mentem in redditis illis Oraculis, & ita ipsi consulentes non soli eam cognoverunt. Præterea, quia non semper, ubi viva voce datum est Oraculum, eventus respondit conceptæ spei, & homines suæ inscitiæ acceptum tulerunt, quòd malè intellexissent voluntatem divinam,

non

non poteſt hoc pro ratione ſubſtitui, quare per ſomnia Dij voluerint notum facere, quod expeterent conſulentes. Veritati magis videtur conſentaneum; illud ita peculiari ratione à Dæmone fuiſſe conſtitutum & ordinatum, adeoque ipſum certis in locis non niſi per inſomnia voluiſſe reſpondere, ita ut alibi VOCE; alibi NUTU & SIGNIS; alibi verò per INSOMNIA Oracula daret; & quidem ut ibidem non aliter, quàm per Somnia cupientibus futura ſcire de Deorum mente conſtaret. Sic ſcribit *Strabo lib. 11. p. 508.* in Anariaca eſſe urbem, quæ *Navarce* dicitur, ubi ajunt monſtrari ORACULUM DORMIENTIUM. In Græco textu legitur *μαντεῖον ἐν κοιμωμένων*: *Caſaubonus in Comm.* ad illum textum *p. 208.* putat verba eſſe mendoſa, quòd quis non facilè repererit *κοιμωμένων μαντεῖα* (*Dormientium*) ſed *ἐγκοιμωμένων*, id eſt, *incubantium*, quorum apud Plautum, Virgilium alioſq; Græcos Latinoſq; Scriptores paſſim eſt mentio. Voluit autē Dæmon etiam in hoc negotio imitari verum Deum, qui per ſomnia ſe etiam nonnullis manifeſtavit; ne igitur quicquam deeſſet, quod in Hebræa gente obtineret, ſummo ſtudio eò contendit, ut exemplo JEHOVÆ ipſe in ſua Idololatrica Eccleſia iſtæc media conſtitueret, quibus propitia mens, & benevolus animus Deorum erga homines innoteſceret. Antea namque oſtenſum eſt, Deum per Vrim & Thummim, per Viſiones, Alloquia & Inſomnia cum ſuis locutum fuiſſe: hæc imitatus eſt Dæmon, & ſimilia inter ſuos obſervari voluit. Inde etiam multi ad ea ſe contulerunt loca, ubi in ſomnijs Deorum voluntatem exquirerent: *Nulla ferè fuit gens uſpiam terrarum, quæ vulgata hæc dæmonum Oracula non adiret, divinationemq; per inſomnia non quæreret, captaretq;. Narret nobis alius divinationis vel inſanæ potius vanitatis Oracula Clarium, Pythium, Didymeum, Amphiaraum.* Quod ſi velit, monſtrorum inſpectores, augures, aruſpices & ſomniorum conjectores unà cum illis conſecret. *Georg. Ambianates ad Tertull. lib. de Anima. c. 46. p. 1004.* In ſpecie addit de *AEſculapio* & ejus templo: Ibi ſcilicet incubaſſe ægrotos, ibi dormiviſſe, Deum apprecantes, medelamque in ſomnis expectantes. *Eſt namq; AEſculapius apud Gentiles medicinæ Deus, quem ægrotantes conſulebant, expectato in ſomniis reſponſo.* Inde proverbium: *Ecce eſt in AEſculapij fano,* ſcilicet *incubans, dormitansq;, adeò frequens turba conſulentium indormientiumq;: quamvis Dæmones non minus vigilantibus quàm dormientibus illuſerint.* Hucuſque Ambianates. An verò ſomnijs

tutò

utò haberi potuerit fides non usque quaque videtur constare, cùm *omnia fallaci ludant temeraria nocte*, uti canit *Ovidius*, nihil & incertius it, quàm somnijs credere, ob defectum fundamenti, quò veritas niti possit: nam si naturam ejusque operationem spectamus, ex illis somnijs naturalibus nihil certi poterit inferri: si à Dæmone immissa somnia consideramus, neque illis tutò fidere par est, cùm ipse homines non amet, sed ob infensum erga eos odium ijs illudat. Somnia naturalia quod attinet, illa veniunt partim *ab alimento*, sunt siquidem cibi, qui præ alijs somnia excitare solent. De quibus scribit *Plutarchus lib. 8. qu. 10. Sympoßiac. p. 734.* ὅτι δὲ ἔστι τῶν βρωμάτων ἔνια δυσόνειρα, καὶ ταρακτικὰ τῶν καθ' ὕπνον ὄψεων, μαρτυρίοις ἐχρῶντο τοῖς τε κυάμοις, καὶ τῇ κεφαλῇ τοῦ πολύποδος, ὧν ἀπέχεσθαι κελεύουσι τοὺς δεομένους τὸ διὰ τῶν ὀνείρων μαντικῆς, Id est, *esse cibos quosdam, qui molesta gignant somnia, animamq́ perturbent, testatum faciebant fabis, & capite polypi: quibus abstinere jussi, qui divinare ex somniis cuperent*: partim *ab affectibus*, hi siquidem magnam vim obtinent in hominis animo: partim *à Temperamento & humoribus prædominantibus.* Dequibus somnijs nihil certi statui potest. Prout enim isti humores variant, ita etiam variant somnia exinde descendentia. Illud tamen arbitror, somnia ex humoribus provenientia minus esse turbulenta aut confusa illis, quæ à cibis oriuntur: partim *à cogitationibus diurnis.* De quo *Lucretius lib. 4.* sequentia recitat:

In somnis eadem plerumq́ videmur obire
Causidici causas agere, & componere Leges
Induperatores pugnare, prælia obire.

Hæc somnia etiam diligenter esse attendenda quidam è Medicorum schola docent teste, *Aristotele Tom. 1. oper. p. 429.* qui & ipse quandam illis vim divinandi inesse non negat: *sed qua certitudine veritatis non nitatur.* Si ad divina somnia me converto, è S. literis patet: Deum per somnia verissima sæpe futurorum eventum etiam impiis hominibus manifestasse: quemadmodum constat de somnio *Pharaonis & Nabuchodonosoris.* Deus enim, utpote ipsa Veritas, neminem decipit: sed & Dæmonis insomnia non semper fuere fallacia: cùm enim ipse hoc modo velut Oraculum reddere ipsis voluerit, non potuit in omnibus dormientes inter somniandum decipere. Ut proinde credam, somnia in Æsculapii fano cubantibus inspirata non semper fuisse à vero aliena. Quò pertinere poterit, quod dicit *Iamblichus segm.*

K 5.c.3.

3. c. 3. de Mysteriis AEgyptior. p. 88. apud *Vossium l. 1. c. 35. p. 901. de Orig. & Progr. Idololat.* Medicinæ scilicet artem sacris constare nocturnarum apparitionum insomniis, inque Æsculapii fano morbos hoc pacto tolli insomniis divinitùs immissis. *Augusti Imperatoris medico Artorio* somnum capienti nocte, quæ Romanorum excercituum in campis Philippicis concursum præcessit, Minervæ species oborta in somnis præcepit, ut illum gravi morbo detentum moneret, ut propter adversam valetudinem proximo prælio interesset. Quod ubi Cæsar intellexit, lectica se in aciem jussit deferri: quæ res ei attulit salutem. *Dio Cassius lib. 47. p. 351. & 352.* Historiam illam tangit *Velleius Patercul. l. 2. c. 70. n. 1.* & *Appianus Alexandrin. lib. 4. p. 652. & 653.* Ingentes fastos conscribere deberem, si omnia à Diis immissa somnia, quæ somniantibus ita contigerunt postmodum, uti visum ipsis fuerat, velim consarcinare. Sufficiat illud me ostendere: ab opinione sapientum illud non videri alienum, etiam Dæmonem hominibus interdum vera immisisse insomnia, & per ea, quodcunque desideraverint, illis aperuisse. Semper autem somnia illa fuisse certa dicere non possum: cùm multa extent descripta apud historicos insomnia, quibus somniantes fuerint delusi.

CAPUT XI.

De *Locis, ubi Oracula dabantur.*

VT inscriptionem hujus capitis rectè intelligamus, sermo mihi non est de provincijs, civitatibus, regionibus & lucis, in quibus Oracula inclaruerunt; nam de istis in libro secundo agam: verùm de locis specialibus, in quibus Dæmones interrogantibus responsa dabant, uti sunt vel templa, cryptæ, & antra profunda, quandoquidem è distinctis locis Oracula esse percepta apud scriptores licet observare. Invenio 1. *Adyta* inhabitasse malum Genium. *Eusebius l. 2. de præparat. Evangel. p. 61.* ait *Nolite scelerata impiaq; adyta curiosius explorare.* Quæ verba è *Clemente in Protrept.* adduxit *Georg. Ambianates* ad *c. 46. lib. de Anima Tertulliani p. 1004.* Impia, inquit, adyta ne investigetis, nec barathorũ ora vestigiis plena. Et paucis interspersis, addit: Jam *Adyta* Ægyptiorũ & ne-

& necromantiæ Hetruſcorum demandantur tenebris. *Virgilius l. 2. v. 115. AEneid.* adytorum meminit:

Suſpenſi Eurypilum Scitatum *Oracula Phœbi*
Mittimus, isq́; adytis hæc triſtia dicta reportat.

n quibus verbis non habetur mendum, nam *ſcitari* eſt poſcere, quæ-ere, adire & conſulere Oracula. Idem *l. 6. v. 92. AEneid.* canit:

—— —— *totusq́; moveri*
Mons circum, & mugire adytis cortina recluſis.

Et *v. 98.* *Talibus ex adyto dictis Cumæa ſibylla*
Horrendas canit ambages, antroq́; remugit.

Adytum ſignificat locum inacceſſibilem, non quòd ad eum perve-iri planè non poſſit, ſed, quod ad eum cuilibet absque diſcrimine on pateat acceſſus ob religionem & ſanctitatem: Sacerdotibus licuit ntroire & aliis jam tum debito modo juxta Paganorum ritus expia-s. Per Adytum intelligunt nonnulli cryptam illam, ſeu antrum & ocum ſubterraneum, ubi poſitus erat tripus: quo aperto, reddebantur Oracula. Heſychius vocat illud σπήλαιον antrum profundum & obſcu-um. *Georg. Ambianates l. cit.* deſcribit Adyta *per antra, ſeu loca ſub-rranea non alii quàm vati acceſſibilia*: quamvis alii putent præter Sa-erdotes quibusdam Oraculum conſulentibus patuiſſe viam ad ady-um. Sed hi per Adytum non intelligunt antrum ſeu ſpeluncam ſub-erraneam; verùm *Sacrarium aliquod extructum prope templum, in quo poſita erant Deorum ſimulacra & imagines.* Et hoc conantur oſten-ere è *Dionyſ. Halicarn. lib. 1. p. 55. Antiqu. Roman.* ubi is de Dardano git, qui dona uxori ſuæ donata à Minerva in urbe à ſe condita & de-ominata repoſuit, & poſtea, ubi *Ilium* habitari cœpit, nepotes iſtûc ranstulere ſacra illa Gentilitia: ποιήσαθαι, ait, δὲ τοὺς Ἰλιεῖς νεών τε καὶ ἄδυτον ...ἐπὶ τῆς ἄκρας: *Fecerunt Ilienſes templum & adytum in arce:* Ubi ne-ant per adytum intelligi cryptam quandam ſubterraneam: ſed lo-um quendam ſacrum vel prope templum, vel in templo, in uo ſimulacra iſtæc aſſervarentur. Deinde adducunt locum è *Iu-* *Ceſare lib. 3. c. 20. p. 378.* qui refert prodigium in Adyto accidiſſe: *ergami,* inquit, *in remotis & occultis templis, quò, præter Sacerdotes, dire fas non eſt, quæ Græci ἄδυτα appellant, tympana ſonnerunt.* Hîc on intelligi poſſe cryptam ſubterraneam, ſeu ſpecum monſtrare vo-nt autoritate *Valerii Maximi,* & *Dionis Caſſii,* quorum ille *lib. 1. c. 6.*

n. 12. p. 25. rem ita narrat: ſomnum tympanorum *Pergami* abditis *delubris* editum: Hic *lib. 42. p. 182.* ait: ἐν τῷ Περγάμῳ τυμπάνων τε τινὰ ϗ κυμβάλων ψόφον ἐκ ϗ Διονύσου ἀρθέντα διὰ πάσης τῆς πόλεως χωρῆσαι. *Pergami tympanorum cymbalorumq́; ſonitus à fano Bachi ortus totam urbem peragravit.* Quæ loca oſtendunt, inquiunt ipſi, per delubra, fanum, aut remotum templum non poſſe intelligi cryptam aliquam ſubterraneam; ſed ædiculam in templo vel prope templum: *capellam* aut *Sacrarium* poſſis dicere, ubi habuerunt ſimulacra ſuorum Deorum, in quod cuivis intrare non fuit integrum. In hunc finem allegant quoque *c. 8. Ezechielis. v. 8.* Ubi Propheta jubetur perfodere parietem: quo facto, vidit ipſe oſtium. Per illud ingreſſus aſpexit omnem ſimilitudinem reptilium, & animalium abominationem, & univerſa Idola domus Iſrael depicta in pariete in circuitu per totum. Obiter notari poteſt: Iſraelitas putaſſe, ſe minus peccare, ſi non eminentes, ſed pictas ſaltem haberent figuras: quamvis talium formarum picturæ quoque fuerint vetitæ. *Levit. 26. v. 1. & Numeror. 33. v. 52.* Tales autem formas in parietibus pingere, teſte *Philaſtrio*, proprium fuit *Troglodytarum.* Ad rem: in textu ſacro, (dicunt,) locus iſte in quo depictæ erant imagines animalium non fuit ſpecus, aut crypta, ſed locus ſuper terra, ſacer tamen, & rebus ſanctis dicatus. Alij arbitrantur per Adytum intelligi ſanctum in templo locum, tapetibus vel macerie ſeparatum à communi area, ad quem nemo poterat accedere, niſi ſolus ſacerdos Deum interrogaturus. Putant quoque ad exemplum *Sancti Sanctorum* in Tabernaculo, & Salomonis templo tale quid conſtitutum eſſe: locumque iſtum dici poſſe *Adytum*, propterea quòd præter Sacerdotem nemini fas fuerit ad illum accedere. Verùm quid in hoc diſſidio Criticorum tandem ſit eligendum, lectoris judicio committam. Non poſſum, quin addam & hoc: ſcilicet, Ægyptiorum adytis nihil fuiſſe celebrius, quod tot egregiorum Philoſophorum ſuſcepta itinera ad ea viſenda ſatis monſtrant. Pythagoras certè maximo illorum ferebatur deſiderio; & ſcribit *Clemens Alexandrin. lib. 1. Stromat.* ὁ Πυθαγόρας περιετέμνετο, ἵνα δὴ ϗ εἰς τὰ ἄδυτα κατελθὼν τὴν μυστικὴν παρ' Αἰγυπτίων ἐκμάθῃ φιλοσοφίαν. *Pythagoras circumcidebatur, ut ingredi Adyta, & ab Ægyptiis myſticam Philoſophiam diſcere poſſet.* Summo ſiquidem deſiderio accenſus ingrediendi Ægyptiorum adyta, & perdiſcendi ſacram illorum Philoſophiam non renuit circumciſionem. *Euſeb. lib. 2. de præpar.*

Evan-

vangel. de Ægyptiorum adytis scribit: *Adyta AEgyptiorum & Tyrrhenorum necromantia caligine damnantur, furiose omnino sunt fraudes hominum infidelium, & erroris meri ludibria.* Et *Iustinus Quæst. ad Orthodoxos* scribit de hieroglyphica scientia Ægyptiorum, illam eo tempore in pretio fuisse apud Ægyptios, utpote *quæ in adytis traderetur lectissimis quibusque, non hominibus de trivio.*

Pagani olim Servatorem nostrum ob tot miracula hinc inde edita diris calumnijs onerabant, ac si esset Magus, &, sunt verba *Arnobij lib. contra Gentes p. 25.* clandestinis artibus omnia perficeret, *AEgyptiorumque ex adytis angelorum potentium nomina & remotas furatus esset disciplinas.* Magos autem angelorum & potestatem nomina usurpasse in incantationibus suis docet *Origenes l. 5. p. 269. contra Celsum.* Ad locum ex Arnobio adductum annotat *Desiderius Heraldus p. 40*: Legerant Pagani Christum ob Herodis furorem translatum in Ægyptum, ideo dicebant: eum in Ægypto maleficis artibus operatum: atque ijs instructum in Judæam remeasse ad populares, ibique Dei nomen sibi arrogasse. Per remotas disciplinas significantur artes secretæ, absconditæ, quæ non quibusvis erant obviæ, sed sub figurarum involucris latebant, ideo, ut profani homines in istius notitiæ penetralia non inspicere, nec mysteria sacra Philosophiæ possent perdiscere. Addi possunt, quæ ad *Arnobium* observat *Elmenhorstius p. 40.* Adytorum in Ægypto descriptionem exhibet curiosus & judicij subacti Vir *Athanas. Kircherus Tom. 1. Syntagm. 4. c. 23. p. 393. Oedipi AEgyptiaci*, in qua delineatione deprehendo, & ipsum in eam inclinare sententiam, ac si fuerint loca subterranea, sed verba ejus exhibebo: *Erant adyta loca quædam solitaria, subterranea, & ab omni hominum consortio remota, omnigena monstrosorum idolorum varietate referta, quibus sub symbolis hieroglyphicis Deorum colendorum ratio, cæterarumq; clandestinarum artium præcepta tradebantur. In hisce adytis Dæmonibus per varias ceremonias, adjurationes, suffumigia ex variis speciebus aromatum herbarum, succorumq; confecta, per hymnos denique & carmina magica in idola attractis de vitandis malis & consequendis bonis consulentes responsa capiebant. Iuxta quæ facientes perenni felicitate se potituros esse credebant. Hebræi itaque vicinaque ipsis gentes Assyrii, Babylonii, Persæ cum hoc ce arcano Deorum cultu Ægyptios secundo rerum successu efferri cognoscerent, ad similem fortunam adspirantes per media similia ad finem intentum se pervenire*

posse sibi persuaserunt. Quare effictis omnigenis Deorum monstris, adyta seu occulta quædam ac caliginosa latibula ad ea colenda selegerunt. Quæ sequuntur non addo: Et hucusque de Adyto 2. in *ANTRO* reddita fuisse Oracula constat, quod etiam illi urgent, qui distinguunt Adytum ab Antro. Quo pertinet *Eusebii* locus *l. 2. de Præpar. Evangel. p. 1.* Nolite profundorum antrorum hiatus præstigiis monstrisque plenos explorare. *Clemens Alexandrin.* illa vocat: *barathra præstigiis plena.* Ita vocem illam usurpat *Prudentius in Apotheosi v. 506.* Delphica damnatis tacuerunt sortibus *antra*. Atque hinc *Antrum* erit locus aliquis profundus Deo alicui sacer, è quo consulentes Oraculum ab ipso accipiebant responsum. Tale antrum fuit Delphis, in quo Pythia hærebat, quando vaticinabatur. Singulare est illud Jovis Trophonij antrum in Lebadia, de quo in lib. 2. agetur, quod fuit in hiatu subterraneo tetro & horrido, imò in angusto recessu, in quem descendebatur scalis. Inde Antrum sacrum describitur 1. *A Situ*, fuit namque sub terra locus: an autem adeò profundus is fuerit, ut scalis in eum descendere necessum fuerit, uti in in antro Jovis Trophonii, non exprimitur. 2. *A Qualitate:* Antrum siquidem Deo cuidam sacrum erat. Unde non fuit locus profanus & communis; ad quem quisque potuit pro lubitu suo accedere: sed locus divinis rebus destinatus, & ipsi Deo consecratus, quem potuerunt sacerdotes seu vates ingredi ad explorandam Numinis mentem. Alios quoque certis ritibus prius expiatos in antrum habuisse aditum dubitare me vetat Antrum Trophonium. Numquid verò in omnibus antris idem licuerit, non dixerim, nec negaverim. 3. *Ab effectu*: tale antrum emittebat Oraculum. Quare appellatur *fatidicum*, non quod illud Antrum dederit responsum; sed quòd Deum in se continuerit, à quo proferretur illud. Numen enim vim Oraculi ad illud antrum restrinxerat; hinc quoties aliqui de re sua certi essent vellent, proposita quæstione, sacerdos in antro desidens Oraculum proferebat, seu, è voluntate Dei consulentibus respondebat. Ut aliam qualitatem talium locorum nempe *Obscuritatem* declarem, opus non est: cùm illud sua sponte intelligatur: *Loca obscura esse, quæ sub terris sunt.* Nam amarunt Dæmones talia loca ut illorum caligine hominibus timorem quendam incuterent, & ob lucernas ardentes omnia ipsis apparerent religiosa. Inde ob accensas lampades depictæ in pariete Deorum imagines cognosci potuerunt. 3. Ex ARBORI-

BORIBUS in sylvis & lucis densis: quia uti *Plinius lib. 12. c. 1. p. 245.* ait: *Arbores fuerunt Numinum templa, priscoq́ue ritu simplicia rura etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant.* Inde processit religio lucorum, ta, ut quæque ferè arbor suo dedicata sit Numini. Ex illis arboribus data fuisse responsa *Cedrenus p. 250.* confirmat, qui laurum in Oraculo quodam reddito vocat *μαντίδα*. Et Sophocles meminit *πολυγλώσσου δρυὸς*, d est, quercus Oracula dantis: credebantur enim arbores loqui, & dare Oracula. Huc pertinent apud Ovidium *lib. 7. Metamorph. fab. 17. p. 247.* Æaci preces ad Jovem directæ, cui etiam Jupiter è quercu respondit. Oraculum Fauni, quod à *Virgilio l. 7. AEneid. v. 81.* describitur, reddebatur in luco juxta Albuneam fontem. In quem lucum conuere solita fuit tota Italia ad petenda oracula in rebus dubijs, & uidem hisce ritibus. *Ferebat Sacerdos secum dona*, id est, *oves*, uti *Cer-a* ad illum locum *p. 18.* explicat, *quibus cæsis in earum pellibus dormieat. Ac tum in somnis mira quædam videbat simulacra, audiebat voces, ruebatur Deorum colloquio, loquebatur cum Averno.* Crediderunt aque Dii habitare in arboribus, tanquam in templis: easque sibi concrare ad Oraculum ex ijs accipiendum. Inde olim quoque vetitum uit in lucis arborem excidere, ne metus suboriretur: fanum aliquod ivinum eo pacto exscindi, & sic Deum ad iram provocari. Plura non ddam, sequentur alia in libro secundo. 4. E CORTINA & tripoe, sicuti Delphis factum est à Pythia: nam quando ipsa conscendet tripodem, tum vaticinabatur ipsa ex impulsu Dei sui. Quomoo autem illa ita rem egerit, etiam declarabitur in lib. 2. ubi de Oraulo Delphico agetur. 5. IN TEMPLIS, id est, in ædibus sacris eum finem extructis, ut res divinæ in illis peragerentur. Nam & ibi uibusdam in locis Oracula dabantur sive voce, sive signo vel nutu, ve per insomnia, uti è præcedente capite patet. Præterea & privatis ædificijs peculiari ratione homines habuisse Oracula, unde rerum certarum, dubiarum & futurarum haurirent notitiam è sequentius elucescet.

CAPUT XII.

De

PRIVATIS ORACULIS.

Ræter publica Oracula, etiam privatos homines in suis ædificijs Ido-

la sa-

la fatidica coluisse, & ab ijs responsa petijsse ex antiquis constat monumentis. Nullam certè occasionem prætermittere voluit Dæmon, qua ipse homines tum publicè tum privatim in obsequio & sui veneratione contineret devinctos. *Servius* de *Coritho* urbe *Tusciæ* refert, ibi primores in suis ædibus privata habere Lararia, in quibus singulari ritu colant *Penates* ob responsa ad illis impetranda. *Et Basilius M.* exclamat: *O nefandam paganorum impietatem! qui Diabolum patrem* mendacij *venerantur*, eique, *à quo tamen decipiuntur, credunt, dum publicè & domi ab eo sciscitantur futura, quorum tamen veritatem ipse non perfectè intelligit.* Quid faciunt illi, qui in sacellis privatis suarum ædium colunt penates, & ab illis futura expiscantur, inquit, *Clemens Alexandrinus.* De Penatibus nonnulli locuti sunt ita, ac si sint Dii per quos spiremus, per quos habeamus corpus & rationem animi. *Alex. ab Alexandro l. 6. c. 4. pag. 119. Genial. dier.* Inde etiam Præsides vitæ dicuntur, qui hominis salutem conservant, eique omne id procurant, quod ad illius conservationem facere videtur. Quod ut rectius cognoscatur Penates fuere in triplici differentia. 1. Quidam erant *provinciarum & regionum*, qui vocantur Penates *absolutè*; quales intelligit *Virgilius lib. 1. v. 531. AEneid.*

Non nos aut Lybicos *ferro populare* Penates

Ubi Lybicos Penates vocat tanquam totius Asiæ Præsides, & hi credebantur totius regionis aut provinciæ sustinere curam. 2. Quidam erant certarum Urbium, qui illis præsidere, illasque tueri ac defendere tanquam Patroni quidam putabantur. Et hi dicebantur *Patrij*, quod iterum colligo è *Virgil. l. 2. AEneid. v. 717.*

Tu Genitor cape sacra manu Patriosque Penates.

Planè uti Hector dicebat ad Æneam: sacra *suosq;* tibi commendat Troja *Penates* & in *lib. 4. v. 598.* Quem secum *patrios* ajunt portare *Penates.*

3. Quidam fuerunt singularum ædium, quarum ipsi curam saltem subibant, ut omnia, quæ ad victum, amictum, vitam, fortunam, & salutem cunctorum in illis habitantium pertinerent, feliciter cederent. Et hi appellabantur *Domestici*, nec non *Parvi Penates*, prout iterum illud ex *Virgilij lib. 8. vers. 543.*

—— *hesternumq; Larem, parvosq; Penates*

Lætus adit. Hos quoque vocabant parvos & ædium penates, ad discrimen Penatium Provincialium & Urbanorum. Dicti quoque sunt

Paterni

Paterni, quod in ædibus paternis colerentur; quod Epitheton illis tribuit *Iuvenalis Satyr. 12. v. 89.* quando dicit, quòd domum repetere, Jovem placare, & Laribus paternis thura dare, & omnes violæ jactare colores velit: id est, simulacra variorum colorum violis conspergere cupiat. Idem quoque *Satyra. 9. v. 136.* illos cum *Virgilio* appellat *Parvos.* *O parvi* nostrique *Lares*, quos thure minuto, aut farre, aut tenui soleo exornare corona. Neque quicquam proficient nobis objecturi, *Iuvenalem* loqui de *Laribus*, non vero de *Penatibus*, nam illos inter se interdum confundi multis posset ostendi, si necessum foret. Illustre testimonium hujus rei *Cicero* præbet in *Orat. pro Quintio c. 26. p. 11.* Atque hic quidem jam de fundo expulsus; jam à suis *Dijs Penatibus* præceps ejectus est. Et statim *cap. 27.* addit: Illud dico, dominum expulsum esse de prædio, domino à familia sua manus allatas ante suos *Lares familiares.* Qui locus affabré illustrat, duas istas voces non semper adeò accuratè discerni. *Isidorus l. 8. c. 9. p. 1032. Origin.* scribit: *Penates gentiles dicebant omnes Deos, quos domi colebant.* Quod si etiam & *Lares* in ædibus privatorum culti fuerint unà cum *Penatibus*, quid mirum istos interdum a Scriptoribus confundi. Antequam pergam, & hoc monendum est: sæpe à Penatibus homines derelictos, & in calamitatem detrusos esse. Quo respicit *Horatius l. 2. Carmin. Od. 14. v. 5.* quando ait: *Penates* mœret iniquos. Iniquos vocat, qui tutelæ ipsorum fidentem tam dura sorte in servitutem cadere permiserint. *Levin. Torrent. ibid. pag. 135.* Sed hisce immorari nolo, revertor ad Penates, quos domi cultos fuisse etiam *Cicero* refert. *in Orat. Pro domo sua ad Pontific. c. 41. p. 315.* ubi ait: *Quid est sanctius, quid omni religione munitius, quàm domus uniuscujusque civium? hic aræ sunt hic foci, hic Dii* Penates, *hic sacra, religiones, ceremoniæ continentur: hoc perfugium est ita sanctum omnibus, ut inde abripi neminem fas sit.* Nullum itaque dubium est, quin Penates privatis in ædificijs culti fuerint, & ab ijs futurorum prædictiones promanaverint. Operæ pretium fuerit & hoc addere: formam Penatium fuisse effigiem seu figuram duorum juvenum. *Dionys. Halicarn. lib. 1. p. 54. & 55.* de hac re ita scribit: *Templum Romæ non procul foro ostenditur, secundum viam, quæ ad Carinas fert compendio, situm in loco obscuro propter circumjecta ædificia, quæ Romano vulgo* sub *Velivis dicitur, in eo posita sunt Troianorum Deorum imagines, quas cuivis fas est inspicere, cum inscriptione* DENAS, *quæ* Penates *significat. Viden-*

tur e-

tur enim mihi prisci ante inventum S. *usurpasse pro eo* D literam. *Sunt autem hastati duo juvenes habitu sedentium admodum antiquis operis. Alia quoque multa in antiquis templis horum Deorum idola conspeximus, & in omnibus duos juvenes militari habitu.* Invenio quoque, Penates in somno admonuisse, homines sicuti illud Æneæ contigit. Is enim Penatium Deorum simulacra in Italiam importaturus recordatus est, sibi aliquando Oraculum datum, urbi noviter condendæ quadrupedem futuram Ducem. Cum igitur scrofam è navi produceret ad immolandum, illa enixa est triginta parvulos, & quidem eo in loco, ubi nunc est Lavinium. Equidem ibi constituerat Æneas urbem condere? verum sterilitate loci deterritus animi consilium mutasset, nisi ei per quietem fuissent visa simulacra Deorum Penatium adhortantium, ut perseveraret in condenda urbe, quam cœpisset. Vide *Tractat. de Origin. gent. Romanæ Dionys. Halicarn. Operi annexum p. 774. & 775.* Deprehendo quosdam reperiri, qui Idolum Michæ, cujus meminit Sacra Scriptura *in c. 17. lib. Judic.* ad privati Oraculi constitutionem volunt pertrahere, quasi Michas sibi Idolum fecerit, sacerdotem constituerit, Ephod eidem adiecerit, ut & privata haberet sacra, & domesticum Oraculum, à quo statum turbatæ reipublicæ Judaicæ, ejusque exitum posset cognoscere. In illo quidem capite de constituto Oraculo nihil habetur: sed saltem narratur, quod 1. Michas argenteum Idolum sibi conflaverit. 2. ædiculam seu sacellum, in quo repositum illud divinis honoribus afficeretur in domo sua separaverit. 3. Effecerit *Ephod* seu vestem sacerdotalem. 4. conduxerit quoque Sacerdotem, ejusq; manus impleverit, id est, introduxerit illum in possessionem Sacerdotii. Et ita 5. sacra privata ibidem fieri curaverit: Verum enimvero in sequ. capite expressè dicitur: Sacerdotem istum consuluisse suum, cui ipse inserviebat, Idolum. Nam Danitæ eum rogarunt, ut consuleret Dominum, numquid prospero itinere ipsi essent perrecturi, & quem effectum res habitura esset? Quibus sacerdos respondit: *Ite in pace; Dominus respicit viam vestram, & iter quo pergitis.* Danitæ siquidem viderant Ephod illud factum secundum formam Ephod legalis, ideo putarunt, hinc sibi dandum Oraculum, præsertim cùm Teraphim adessent, ex quorum inspectione, quæ futura erant, nonnunquam Dæmonis revelatione cognoscebantur; etiamsi illi secus crederent, nempe quod vel per astrorum influentiam, vel per divinam revelationem

futuri

futuri eventus ex Teraphim inspectione innotescerent. *Munsterus & Isidor. Clarius ad c. 8. v. 5. Indic. p. 2124. & 2126. in Tom. 2. Critic. sacror.* Michas autem, quoniam Sacerdotes publicè officio non fungebantur per culpam aut loca infesta latrociniis, existimavit vel privata religione Deum sibi colendum: ideoque cum primum filium sibi voluisset esse sacerdotem, mox repertum Levitam eidem prætulit, ut quàm proximè ad Legum instituta accederet. Colere enim volebat verum Deum. *Grotius ad c. 17. v. 5. Indic. p. 2124.* Existimo itaque verè Micham sibi constituisse Oraculum privatum cum sacris, quamvis non malum sibi proposuerit finem, cum adhuc verum Deum coleret: an autem illud institutum probari potuerit, dum sibi finxerit Idolum amictum vestimento Sacerdotali, inque eo dubio procul verum Deum colere voluerit, judicent alii. Illud statuit *Iohan. Seldenus Syntagm. 1. c. 2. p. 99. de Diis Syris*: Micham malè cultum Dei veri & Idolorum seu Dæmoniorum hic miscuisse: Ephod enim & Levitam Deo vero sine omni dubio: Teraphim autem & conflatile & sculptile Dæmoniis sacravit, à quibus etiam tanquam à Deo Optimo Maximo oraculum impetrarunt Danitæ. Teraphim quoque ut Dii habiti sunt ob egregium eorum in divinatione usum. Nunc pergam ad oracula privata Labani, quorum mentio fit *Genes. 31. v. 9.* & quid propriè illa fuerit, expediam. Ipse exprobrat Iacobo genero, quod furatus esset suos Deos: vocantur *Imagines* in Hebræo textu *Teraphim*. De quibus non omnes eandem fovent sententiam. *Christopher. à Castro Comm. in minor. Prophet. l. 3. c. 3. Prolegom.* censet, *Vrim & Thummim* fuisse *Teraphim*. Nam *Hoseæ c. 3. v. 14.* Septuaginta Interpretes pro Teraphim vertunt δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν, hoc est, manifestationem & veritatem: quomodo ipsi vertunt *Vrim & Thummim. Exod. 28. v. 30.* Teraphim autem erant imagunculæ seu Idola, quæ interrogata dabant responsa voce manifesta. Erant ergo, inquit ipse, *Vrim & Thummim* duo parvula simulacra affabrè facta vel Dei vel artificum manu, quæ ferebat sacerdos inter plicas *rationalis*, & quoties aliquid erat interrogandum, efferebat, & per illa Deus vel Angelus nomine Dei clarè, & perspicuè quid agendum esset, vel non agendum, respondebat, & propter sermonis perspicuitatem quo manifestabantur responsa, Unum vocabatur *Vrim*, id est, *Illuminationes Perspicuitates* propter veritatem dicti vel promissi certò complendi: Alterum vocabatur *Thummim*, id est, consummationes,

tiones, completiones, veritates. Dum autem Sacerdos ea *Idolula* ostenderet, verisimile est ea coruscare solita, ad captandam populi attentionem & admirationem. Verùm quis credat Deum hostem Idolorum Idola inservisse *Rationali* apud populum tum in idola maximè proclivem. Hæc prolixè quidem, sed non omnia rectè accommodat *Castro*, ne dum, quòd falsa nitatur hypothesi (Locum integrum exhibet *Cornelius à Lapide ad c. 28. v. 30. p. 574. & 575. Exodi*) dum per Teraphim intelligit *Urim & Thummim* magnum illud in Pectorali Pontificis reconditum Oraculum. Sunt qui per Labanis Deos seu Teraphim intelligunt Labanis divitias, & quando Rahel patris Deos dicitur suffurata, illud explicant de divitijs: Mammon enim divitias ac lucrum denotat. Quæ tamen sententia, ut molliter loquar, est affabrè inepta. Nam. 1. Quo in loco extat: Teraphim poni seu usurpari pro Mammone, aut divitijs? Si nuspiam illud extat, quare tam ineptam glossam sacro textui adjiciamus. 2. Qua ratione potuisset Laban expostulare cum Iacobo de Diis suis furtò ablatis, si divitias suas ipsi eripuisset Rahel: cum nihil ferè, nisi quod justo modo sibi acquisiverat, ipse secum abstulisset. 3. Si divitiarum nomine intelliguntur greges seu armenta boum, quæ olim non minima pars divitiarum erant, vix ab absurdo se liberabit propugnator insipidæ opinionis Deorum ablatorum nomine divitias intelligi 4. Præterea si fortean isto nomine intelligere velit pecuniam numeratam, ne sic quidem istæc sententia poterit admitti. Enimverò tum temporis pecunia aliam habuit rationem, quã hodie: nec potuit tam facili negotio de uno in alium asportari locum. uti nostris quidem fit moribus; nedum, quòd Rahel potuerit tantam vim pecuniæ occultare. 5. Nullum verbum in S. Scriptura de ablatis divitiis hoc loco habetur: Sed unicè Laban de eo conqueritur: Quare suos Deos Iacobus ipsi abstulisset? Si pecuniam, aut aliud, præter armenta, quod divitiarum nomine exprimi poterit, amisisset Laban; utique illud indicasset, & non speciali vocabulo de ereptis sibi Diis suis conquestus fuisset. 6. Rationi videtur magis consentaneum, Rahelem istæc simulacra Teraphim quæ vim divinandi continebant; secum clam patre sumsisse. ne ipse ex illorum inspectione hariolari posset, quam viam ingressus esset maritus cum suis omnibus, cùm jussu Dei secederet à domo soceri, & iter subiret iterum in patriam. Ea propter prior opinio omni sane probabilitate destituta suo relinquenda erit Autori;

tori. Rem ipsam itaque aggrediar, & videbo, quid ab alijs de illis Oraculis, quæ Teraphim dicuntur, fuerit judicatum. Quidam docuerunt *Teraphim* fuisse imagines, juxta quarum inspectionem gentes faciebant vel omittebant opus. Cujusmodi figuras & imagines quidam Astrologi facere solent sub certis constellationibus, putantes illas capaces esse cælestium influxuum. Alii putarunt, imagines istas fuisse instrumenta ærea, quibus partes horarum cognoverunt. Nonnulli existimarunt Teraphim fuisse imagines, quas Astrologi sub certis constellationibus ea arte & industria fecerint, ut loqui potuerint, & quarum inspectione res futuras cognoverint. *Hugo Grotius ad c. 31. Genes. v. 19. pag. 303. in Tom. 1. Critic. Sacror.* existimat Teraphim fuisse *imagines ad certum stellarum positum factas, cum stellarum figuris ex vetere Syrorum & Arabum superstitione.* Aliter *Vatablus ad c. 17. n. 5. Iudic. p. 2120. in Tom. 1. Critic. Sacror.* qui per Teraphim intelligit simulacra & imagines habentes figuram humanam. Dicunt enim: homines simulacra illa in honorem Dei prætextu quodam religionis ac superstitionis ductos fecisse. *Hugo Grotius ad dictum c. 17. v. 4.* ita ait: *Teraphim Cherubinorum habuisse formam censet Hieronymus ad Marcellam. Est autem vox media ad bonas malasq; imagines pertinens. Hanc interpretationem si sequimur, hæc Teraphim dicemus infra vocari Angelos, quia Angelos significabant.* Vocem istam negant esse Hebraicam, licèt formam idiomatis Hebraici videatur præ se ferre: quia, dicunt esse penitus eam externam vel ascititiam: argumentum suæ opininis inde petunt, quòd vox istæc extra Scripturam apud Hebræos Doctores non usurpetur, nec juxta hanc significationem ullibi in singulari numero legatur aut inveniatur. *Iohann. Seldenus c. 2. Syntagm. 1. p. 98. de Dis Syris* dicit: *vocabulum hoc non infrequens Arabibus, etiam ubi de Diis peculiari nomine cognitis locos Sacræ Scripturæ vertunt.* Alij volunt: vocem illam esse Ægyptiacam, idemque esse quod *Serapim*, quod *Athanas. Kircherus Tom. 1. Syntagm. 4. c. 3. p. 259. Oedip. e Ægyptiaci* testimonio *Abenephij lib. 1. de relig. Ægyptior.* confirmare vult. Sed quicquid de nomine sit, *Benedictus Pere. in Genes.* generaliter isto nomine intelligi vult quascunque imagines, & figuras tàm hominum, quàm Deorum, quæ Idola vocantur: licèt plurimi existiment, isto vocabulo significari Idola divinis honoribus culta. *Lib. 1. Samuel. c. 19. v 13.* vox istæc non accipitur pro Idolo, sed pro imagine secundum formam

 corpo-

corporis humani facta. Sicuti etiam *Vatablus ad illud cap. 19. p. 2338. in Tom. 2. Critic. Sacror.* explicat per statuam, vel imaginem quandam. Et addit: *Hæc vox hic pro quavis effigie referente speciem hominis accipitur, sive sit lignea, argentea, sive lapidea.* Nam Michol Saulis filia posuit in lecto statuam, quæ repræsentaret Davidem vel dormientem vel etiam ægrotantem. *Iohan. Seldenus c. 2 Syntagm. 1. p. 102. de DIS Syris.* Septuaginta Interpretum autoritatem secutus, reddit vocabulum per κενοτάφιον quantumvis hæc vox propriè significet *sepulchrum vacuum.* Dici tamen figmentum illud seu statua hominis potest cenotaphium καταχρηστικῶς, uti docet *Theodoretus qu. 48.* Quia sicuti *Cenotaphium* vocatur sepulchrum, quod quidem speciem continentis cadaver præ se fert, intus autem cadaver nullum habet; sic statua, cum sit imago hominis, nihil tamen humani præter externam figuram, quæ tamen umbra saltem est, repræsentat, *Cenotaphium* potest appellari, quòd non magis hominem contineat vivum, quàm Cenotaphium hominis cadaver. Vide *Caspar. Sanctium ad l. 1. Samuel. c. 19. v. 13. pag. 381.* Certum igitur est, in dicto capite Teraphim non poni pro Idolo sacro; sed pro statua vel imagine, quæ Davidis, cui Saul insidiabatur, eumque interfici curabat, vel dormientis, vel ægrotantis speciem referret. Nihil attinet autem plures hujus vocis significationes evolvere, tantùm, illâ retentâ, quæ præsenti argumento inservit, expediamus, quid fuerint Teraphim? Quidam existimant, fuisse imagines cœli astrorumque certa observatione confectas, & ad divinandi usum consecratas. Quos sequitur *Samuel Montanus lib. 2. c. 31. p. 283. Sacrar. Lection.* Teraphim, inquit, licèt varia denotent; *cap. 31. tamen Genes. nihil aliud significant, quam imagines quæ sub certa constellatione seu astrorum positu factæ sunt in usum divinationis, è quibus futura cognoscere poterant, tanquam ex Oraculis.* Qui itaque cognitionem astrorum habuerunt, certis horis observatis, confecerunt sibi imagines ad divinandum aptas. Cœlitùs enim vis & potentia intelligendi varia nec non futura per astrorum influxum illis inspirata fuit. Vim arcendi mala & reddendi Oracula fuisse in statuis istis indicat quoque *Iohan. Selden. d. c. p. 103.* Locutas quoque fuisse illas imagines Teraphim, indicat *Thargum Hierosolymitanum*, cum de Teraphim Labanis ait: *ponebant talem statuam vel imaginem in lecto, vel simili aliquo receptaculo, & loquebantur cum eo.* Et hoc comprobat *Athan. Kircherus Tom. 1. Oedipi Ægypt.*

Syntagm.

Syntagm. 4. c. 3. p. 257 testimonio *Mor Isaaci Maronitæ in philosoph. Syra cap. 6.* Verba hic adscribam: *Constituebant Idola varia, variis ceremoniis ea colentes, & nominibus eorum insignita super columnas sublimes, & murorum fastigia collocabant, ea variis modis repræsentantes. His quoque victimas & sacrificia offerebant, incensantes ante ea aromata: Diabolus verò certis temporibus loquens ex singulis earum petentibus responsa dabat, futura prædicens & abscondita revelans. Ea quoque quæ in remotis fiebant; mortem & secreta quoque cordium, ut putabant, prodebat, atque sic quàm plurimas decipiebat animas, quas rerum novitate in servitio suo misere detinebat.* Hac descriptione & statuas Teraphim contineri, dubio videtur carere. Illas namque habuerunt uti privata Oracula, quæ consuluerunt in rebus dubijs aut futuris cognoscendis. Quæ si si erint locutæ, id sanè à Diabolo factum est, qui per statuas istas hominibus secreta, nova, vel futura aperuit. Statua enim licèt sub certo siderum p. situ fuerit præparata ad munus divinandi; tamen nunquam eo pacto id efficietur, ut ipsa voces proferat, loquatur, & ita beneficio sermonis futura revelet. Nec moror illa, quæ è R. Mose Ægyptio adducit *Seldenus Synt. 1. c. 2. de Dis Syris p. 103. Posuerunt in eis* (scilicet in honorem Solis vel Lunæ ædificatis palatijs) *imagines, & dixerunt, quod splendor potentiorum stellarum diffundebatur super illas imagines, & loquebantur cum hominibus, & annunciabant iis utilia:* Etenim stellarum vis, quàm magna licet fuerit, & quàm fortiter super illas imagines diffusa fuerit, & quàm potenter in illas influxerit; tamen facultatem loquendi ipsis non potuit communicare. Neque hæc doctrina in scholis Astrologorum, illorum, inquam, qui omnes casus, & rerum eventus astris adscribunt facilè, audietur, tantam potentiam esse in astris, ut statuæ, rei inanimatæ vim loquendi impertiri possent. Hoc enim si admittendum erit, multò magis supponendum erit, imaginibus istis necessariò communicandum esse Intellectum: non potest siquidem ad interrogata prius responderi, quam interrogata fuerint intellecta & mente rectè apprehensa. Sed vix à dementiæ nota se excusabit, qui id velit probare aut statuere. Illud quoque credo, varijs ceremonijs istæc Idola culta: sed sacrificia, in illorum honorem accensa fuisse, fateor hactenus præter unum istum locum me non observasse. Alij quoque subdubitant: An Teraphim potuerint loqui? Quos interest *Samuel Montanus l. 2. c. 31. p. 285. Sacrar. Lection.* Admitto, inquit, *Teraphim*

phim habuisse vim divinandi: usi enim illis homines sunt tanquam domesticis Oraculis, quæ arcanorum notitiam fatidica quadam arte reserarent. Non credo tamen, quod Oleaster ad c. 31. Genes. *vult: Teraphim significare imagines hominum, quæ loquebantur; quoniam perscrutatus varia antiqua monumenta, & studii anxietate pervestigare volui, quo sensu tribus posset Teraphim loquela, sed nihil certi inveni, quòd circa hanc materiam discrepent homines. Quod si locuta sint, illud factum erit ope Dæmonis; cùm tamen hoc nolim dicere de Labani Teraphim, is enim superstitioni etiam Idololatriæ fuit ex parte deditus, verùm Diabolum non coluit expressè, multò minus eum loquentem in ædibus suis habuit, alias Iacobus Patriarcha ibidem commoratus haut fuisset; Sed, si liberè dicendum est; non per vocem, sed aliis modis consulentibus responderunt Teraphim.* Hæc Samuel Montanus. Quanquam ipsi incertum est, an vocem articulatam reddiderint Teraphim; id tamen certum est, statuas istas futura aut alia hominibus indicasse, & itam vim Oraculorum habuisse.

Alphonsus Tostatus ad l. 31. Genes. de Teraphim ita disserit; *Erant quadam capita ex metallo in certo quodam tempore, & sub certis siderum adspectibus & coniunctionibus planetarum facta; ut inde virtus è cœlo derivaretur in illud caput, fieretq; potens respondendi consulentibus & interrogantibus ipsum: Idq; fiebat partim per astronomiam, partim per necromantiam. Fecit hujusmodi caput Albertus M. de ordine Prædicatorum, quod discipulus ejus Thomas quodam die confregit.* Quæ de siderum adspectibus, & planetarum conjunctionibus affert Tostatus, quasi sub illis certa observata horâ Teraphim condita sint, illud plurimi docent; sed virtutem respondendi ad interrogata consulentium ab astris derivatam, illud paucissimi & quidem absque ratione statuunt. Quapropter ipse fortean diffidens isti opinioni dicit responsa data fuisse partim per *astronomiam*, partim per necromantiam: sed necromantiam fuisse opus Dæmonum, nemo sanus negabit. Quod de *Alberto M.* profert, pro fabula meritò habetur; aut si vera est historia, & reapse Albertus tale caput sibi præparavit, non liberabitur ipse à suspicione peculiaris pacti cum Dæmone initi, & usurpatæ nigromantiæ. Similiter narrant de *Gereberto*, qui primus fuit Episcopus *Rhemensis* in Gallia; depositus ab officio, & postea in gratiam Imperatoris receptus, creatus est Archiepiscopus *Ravennatensis*, quem *Otto III. Cesar* sede vacante, sunt verba *Theodori de Niem de Privileg. & Iurib. Imper.* apud

apud *Lehmann. lib. 5. c. 11. p. 401. Chron. Spirens.* sublimavit in Papam; quam dignitatem ubi assecutus est, *Sylvestrum II* se nominavit. Hic Sylvester dicitur fuisse Papa factus auxilio diaboli, *eiq; fecisse homagium,* ut cuncta ei ad votum succederent, *sed finem solitum citò habuit, utpote, qui spem suam fallacibus Dæmonibus commisit,* quemadmodum de eo scribit *VVernerus Rolfinck in Fascic. Tempor. fol. 71.* apud *Pistor. Tom. 2. Scriptor. German.* Magiæ habitus non tantùm fuit suspectus, sed etiam istius criminis publicè insimulatus fuit, licèt eum excuset *Baronius in Annalib. Ecclesiast. ad Annum 999.* Nam quia reconditarum rerum scientia Mathematicis cumprimis disciplinis instructus erat, magus ab imperita multitudine est creditus. *Ludov. Aurelius in Epitome Annal. Ecclesiast. Baronii, p. 724. Francisc. Iunius in animadvers. ad lib. 4. Bellarmini de Pontif. not. 19. pag. 162.* itidem Sylvestrum II. à suspicione tanti criminis liberare annituntur. De eo referunt nonnulli, quòd Oraculum sibi conflaverit. *Iohannes Selden. Syntagm. 1. c. 2. p. 109. de Dis Syris* recenset *è Malmesburiensi de rebus gestis Regum Angliæ 2. c. 10.* sequentia: *De Gereberto fama dispersit fudisse illum sibi statuæ caput, certa inspectione siderum; cùm videlicet omnes Planetæ exordia cursus sui meditarentur, quod non nisi interrogatum loqueretur, sed verum vel affirmativè, vel negativè pronunciaret. Verbi gratia* cum diceret Gerebertus. *ero Apostolicus?* responderet statua, *Etiam.* Morior antequam cantem Missam in Jerusalem? *Non.* Sed responso de mortis tempore deceptus est; cogitavit enim Pontifex urbem Jerusalem: Oraculum verò sacras ædes Romæ sic dictas voluit. Quæ Malmesburiensis narrat de capite statuæ ad interrogata respondente, illa *B. Platina in vita Sylvestri II. p. 153.* hoc modo profert: *Cum Gerebertus regnandi cupidus Diabolum sciscitaretur, quamdiu in Pontificatu victurus esset, respondit* humani generis hostis *ambiguè, ut solet:* Si non attigeris Hierusalem, diu vives. *Cum itaque Pontificatus sui anno quarto, mense uno, die decimo in Basilica S Crucis in Hierusalem Romæ sacrificaret, fato se moriturum statim cognovit: Unde pœnitentia motus & errorem suum coram populo fassus, omnes primò posthabita ambitione & diabolicis fraudibus ad bene & sanctè vivendum adhortatus est.* Quod etiam recens scriptor Italus nomine *Ciro Spontone del governo di stato. l. 4. c. 3. p. 230.* attingit, quando ait: videns Sylvester (recito verba è versione) se deceptum à Dæmone, errorem suum agnovit, & pœnitentia seria ductus Romæ mortuus est.

M Num-

Numquid verò tam miserè vitam finierit, uti in *Compilatione Chronologica apud Pistorium Tom. 1. Scriptor. Germanic. p. 733.* illud narratur, nempe *quòd jusserit seipsum amputatis manibus suis & pedibus & aliis membris enormiter & crudeliter mutilari,* & *eo pacto in capella* sacra *ipse mortuus fuerit,* illud usquequaque expeditum non est, cum *Baronius* loco supra citato illud fabulam esse dicat. Platina tamen, licèt capellæ non meminerit, refert: Papam hunc unumquemque rogasse, ut *post mortem corporis sui laceri & disjecti, quemadmodum meritus esset, bigæ imponerent, eoq; loci sepelirent, quò sponte ab equis vectus foret. Ferunt itaque Dei nutu & providentia equos sponte ad Lateranensem Basilicam pervenisse, ibiq; ejus corpus sepultum fuisse.* Eadem recenset *Johannes Nauclerus Vol. 2. Chronograph. Generat. 34. pag. 742.* Ex hac narratione deprehendimus: Sylvestro non caput istud arte quadam in usum divinandi constructum; sed ipsum Diabolum respondisse secundum Platinam. Et hoc est, quod volo: effici neutiquam posse, ut statua vel imago sub certa constellatione ad recipiendam virtutem loquendi præparetur: sed si illa loquatur, illud ab ipso Dæmone fieri. Illud non disputo, ac si *Sylvester* habuerit oraculum domesticum, quod consulere, & ab eo responsum rerum abstrusarum consequi potuerit: sed in eo assentior Platinæ, Diaboli illud opus fuisse, neutiquam verò sideralis virtutis ac potestatis. Figuram Teraphim ex *Elia Thisbite* describit *Athanas. Kircherus Tom. 1. Syntagm. 4. c. 3. p. 257. Oedipi AEgyptiaci.* Accipiebant, inquit, *caput alicujus pueri primogeniti & sacrificati in honorem Dæmonis, istudque caput abscissum sale & aromatibus condiebatur, ut à putredine diu illæsum perduraret, & super linguam ejus lamina aurea ponebatur dæmonis cujusdam nomine insignita, & sic dabat responsa consulentibus & interrogantibus.* Quod si verum est, procul dubio illud ab Ægyptiis dimanavit, à quibus Hebræi hæc & alia superstitionum genera edocti in suum cœtum introduxerunt. Præterea *Idola Teraphim* ferè in forma pueri involuti, & ad portandum idonea parabantur; & sine manibus pedibusque erant constructa. Timebant namque Ægyptii, quòd, si à statua vel imagine ista aliquid detraheretur, vel confringeretur, sicut facilè fieri posset, si additæ fuissent manus vel pedes, illi detraheretur vis divinandi, & ita simulacrum istud in vaticinando deficeret. Imaguncularum talium figuras quinque exhibet lumen istud bonæ eruditionis *Kircherus* in præclaro suo Opere *Oedipi*

AEgyp-

AEgyptiaci dicta pag. 261. Porro videamus, in quem usum Teraphim olim exstruerentur? 1. Ob rerum incertarum & futurarum cognitionem; nam instar Oraculorum domesticorum privatis in ædibus certis ceremoniis culta istæc fuerunt idola; unde si scire nova, arcana, recondita, & futura voluerunt homines, ad istæc Idola Teraphim accesserunt, & ab iis talium rerum cognitionem indepti sunt. 2. Ob arcenda & profliganda mala, inde phylacteriorum loco fuerunt. Quod etiam doctissimus *Seldenus c. 2. Synt. 1. p. 103. de Dis Syris* inuit. *Teraphim statuis vis inerat arcendi mala, & oracula reddendi.* Et nonnullis intermixtis dicit: *Secundum præcepta Astrologica τὰ Teraphim fieri solita, & ad certos siderum positus, & secundum figuras in cœlo creditas, uti velut Ἀλεξητήριοι seu Averrunci Dii essent formata.* Quapropter portatiles hi Dii Teraphim habebantur quoque in hunc finem, ut malum prohiberent, & averterent: & si adesset, illorum ope averruncaretur. Quæ superstititio itidem ab Ægyptiis provenit. 3. Invenio quoque hunc usum, quod Teraphim discrimina horarum ostenderint olim. Et ita *Aben Ezra* describit Teraphim, fuisse illa ænea instrumenta facta ad dignoscendas horarum partes.

Ex *Hervvartii* Thesauro hieroglyphico exhibet ingeniosus *Kircherus* virum togatum, qui ferula porrecta simulacrum quoddam minutum in formam adaptatum pusionis demortui, & quod cæteras corporis partes præter caput involuti contingit, quasi gradus viginti quatuor horarum, qui in eo videntur delineati, demonstraturus. Et hæc de Usu Teraphim. Unde autem istæc Idola ad Hebræos pervenerint, non immeritò quæri potest. *Abenephius* vult; Abrahami servos istæc ex Ægyptiis reportasse. Non possum, quin iterum ad *Sapientem Kircherum* accedam, & ex ejus admirando Opere *Oedipi AEgyptiaci p. 259.* locum *Abenephi* excerpam: *Erant AEgyptiis simulacra quædam pueri specie, quæ vocabantur nomine AEgyptiaco Serapis; hæc adorabant illi, de futuris & absconditis ea interrogantes. Omnibus in locis celebrioribus urbium ea collocabant adolentes ante ea: secum quoque ea contra eventus malorum portare solebant. Atque hæc Idola similia sunt Teraphim, quæ Israelitæ colebant, & quæ Laban adorasse Scriptura memorat, & dicitur, quòd domestici Abrahami in AEgypto commorantes ea secum reduces attulerint.* Et hoc non videtur carere probabilitate. Postquam enim Abraham ob gravissimam annonæ caritatem, qua terra

Canaam premebatur, in Ægyptum secesserat, ipsius famuli, ut fieri solet, cœperunt cum domesticis Ægyptiorum conversari, & in illorum consuetudines & mores inquirere. Tum dubio procul viderunt illorum sacra, ceremonias, & istæc Idola de quibus mira audierunt, & cum mens hominis ad insolita obstupescat, & nova scire desideret, admirati sunt, quæ ipsis etiam de Idolis istis fuerunt narrata: præcipuè, ubi intellexerunt: Idola istæc interrogantibus de rebus futuris dare responsa, & eorum cultoribus felicitatem in omnibus actionibus promittere. Et licèt ipsi nesciverint, à Dæmone istæc Idola animari, & ab illis talia responsa provenire; nihilominus tamen in ipsis hoc accendit desiderium habendi similia simulacra, unde & futura perquirere, & mala à se suisque profligare possent. Ubi igitur Abraham in patriam regressus est, comparata istæc Idola & imagines secum asportarunt; & assumtos istos in Ægypto errores disseminarunt, & ita istæc Idola reddiderunt nota. Animus autem hominis semel imbutus superstitione non facilè à pravitate erroris absistit. Unicum adhuc adjiciam: Quare Rahel patris sui Laban Idola (scilicet Teraphim) clam secum sumserit? Non existimo id factum esse ideo, ut patrem suum ab Idololatria revocaret: quandoquidem illud potuisset antea fieri commodius, præcipuè autoritate sui mariti Jacobi, utpote qui potuisset non tantum gravissimi istius erroris eum admonere, sed etiam convincere. Verior hæc erit ratio, ne pater consulendo hæc domestica Oracula posset cognoscere, quò Iacob fugisset, & per quam viam progressus esset. Ubi igitur audivit Laban, generum suum esse in fuga, adeoque cum uxoribus, liberis, gregibus pecorum, & omnibus aliis bonis, insalutato socero discessisse, dubio procul ex istis Teraphim voluit cognoscere, quô se contulisset Jacobus. Quæ ubi non invenit, & ita, quod desiderabat statim cognoscere nequivit, ira percitus non destitit inquirere, donec tandem de via, per quam transisset Jacobus, certior redditus fuerit. Hinc quoque irarum plenus increpat suum generum: *Quare furatus es Deos meos?* Putabat enim, ijs sublatis, omnem simul fortunam & felicitatem sibi fuisse ablatam. Quod verò Rahel ob curiositatem aliquam istæc Idola suffurata sit, ut ex ijs futura cognosceret, aut felices rerum eventus sibi promitteret: vel etiam post discessum Patris ijs esset abusa clam marito, Scriptura non dicit: nec præsumitur Jacobi conjux dubio procul in rebus divinis melius informata

istis

tis superstitionibus quicquam tribuisse, etiamsi sexus muliebris ad ta- a pernoscenda & arripienda facilè possit permoveri. Sed hæc de eraphim dixisse sufficiant.

Quæ omnia copiosius adducta satis luculenter monstrant, privata Dracula apud antiquos fuisse in usu, per quæ Dæmon curiositati ho- minum nova & futura cognoscere cupientium inservivit, eorumque esiderium adimplevit. Hodie quidem, postquam SERVATOR NOSTER unc in mundum venit, ut opera Diaboli destrueret, de Oraculis do- mesticis non adeò constat, loquor de illis in eo sensu, quem hactenus xposui: multos tamen esse, qui cum Dæmone inierint pactum, & ab o in rebus suis agendis felicem precentur successum, nec non notitiam llorum, quæ in locis remotis fiant, quæve post futura sunt, consequan- ur, omni caret dubio. Pactum istud sive expressum sive tacitum aut nplicitum fuerit est velut fundamentum, quo nititur improba *Dæmo- icolarum* ars, quod *Augustin. lib. 2. de doctr. Christiana. c. 19. 20. & 21.* ulchrè ostendit, unde *Gratianus* nonnulla in Decretorum Codicem etulit. *c. Illud 26. qu. 2.* ubi in fine dicti capituli ait: *Omnes igitur ar- es hujusmodi vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis ex quadam pestifera cietate hominum & Dæmonum quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ con- itutæ penitus sunt repudiandæ & fugiendæ Christiano.* Ex hoc conse- uuntur improbi, ut Dæmones ad nutum ipsis serviant, mandata illo- um exequantur, &, quæ scire volunt, ipsis subinde aperiant. Nescio n non huc pertineat exemplum *Mantensium in Normandia Magorum,* ui scripserunt libellum, quem offerre voluerunt Sibyllis Magiæ Ne- romanticæ Præsidibus. Cujus hoc ferè fuit argumentum: scilicet, *orare Dominas, ut dignentur suos libros magicos consecrare; & quidem d eum effectum, ut mali spiritus ipsis per omnia prompte obediant, juxta ormulas conjurationis in libris contentas; &, ut vocati ipsis sine noxâ ppareant in forma pulchri hominis, & ne sit necessum circulum ullum fa- ere, aut subire in domibus aut agris. Secundò ut Sibyllæ libris signum uum seu characterem imprimant; quo plus efficaciæ & dominii libris inesset i prædictos Spiritus. Tertio ut supplices reddantur tuti à Judicum insi- iis & punitione. Quartò ut cœpta omnia & studia illis prosperè succedant aulis & Principum amicitiis conciliandis. In ludis quoque semper, uandocunque volent, lucrentur. Quintò ne inimici ipsis valeant nocere. ro his vicissim polliceri sese, quod prædictas Sibyllas pro Dominabus &*

Principibus suis perpetuò sint habituri, & quotannis singulas animas se eis oblaturos (hoc est, necaturos & sacrificaturos, vel certè ad hunc eundem perfidiæ ritum initiaturos hominem unum) *quamdiu vivant, hoc ipso consecrationis librorum die, hac tamen lege, ut Sibyllæ hæc postulata eis bona fide præstarent.* Sed, uti narrat *Crespetus* in libro de *Odio Satanæ, disc. 15.* hi omnes cum ipsis libris combusti sunt Parisijs. *Delrio l. 2. qu. 4. p. 101. Disqu. Magic.* Quando hæc & similia consideramus, deprehendere licet. 1. Dæmonem ad hominis voluntatem comparere. 2. ejusdem imperata facere 3. ijs indicare, quæ ipsi scire desiderant. 4. ijsdem patrocinari, & efficere, ut feliciter ipsis succedant omnia. Ea propter ipsis. 5. suppeditat divitias, aut alias ad vitam sustentandam res necessarias. Quæ sanè nihil aliud ostendunt, quam Dæmones haberi tanquam privata quædam Oracula. Cumprimis si & hoc consideretur, quod à Diabolo sciscitentur: Num hic vel ille dies sit faustus, quo propositum possit ad effectum perduci? An liceat huic vel isti homini nocere? Legere licet in historijs, Dæmonem interdum negasse, fieri id posse. Sæpe Dæmon præsens loquitur cum homine, eique multa manifestat, nec non insolita quæque ipsis communicat, quorum auxilio alijs gravissimè nocetur. Quod utique nihil aliud est, quam privatum venerari oraculum: & ab eo auxilium, & abstrusarum rerum scientiam petere & impetrare. Magus certè quid aliud agit, quam ut à Dæmonum responsis, consilijs, & suasionibus pendeat totus, eosque ut Deos privatos veneretur & colat. Unde multi tam subitò ditescunt? unde multi præter ætatem stupendam variarum rerum scientiam nanciscuntur, nisi quòd Dæmone utantur consultore. *Psellus* existimat: *Nihil eorum, quæ Diabolus promittit, exsc præstare illum posse, sed visu tantum inania suis cultoribus præbere:* At experientia testatur, quòd revera ipse quibusdam magnum pecuniæ acervum brevi temporis spatio attulerit, ut ita hic non sit illusio. An verò ipse nummos furetur: an verò metallo imprimat figuram nummi, de eo non disputabo. Quid dicendum de spiritibus familiaribus, qui stupidis sæpe incredibilem suppeditant scientiam: ita ut ad singula, quæ hactenus nec audiverunt, nec didicerunt, promptè respondere possint. Ejusmodi Spiritus, quid aliud sunt quam privata Oracula, à quibus petunt homines responsionem ad ea, quæ nesciunt: seu sunt Dæmones, quorum secreta inspiratione homines ea cognoscunt actutum, quorum tamen

notitiam antea sibi non pepererunt. Qui Spiritus sub varijs formis assistunt homini, nulla alia de causa, quam ut interrogentur de futuris, vel etiam ab ipsis promta habeantur responsa super illis, de quibus interrogantur ab alijs. Nunc expeditum est, hominem ἀπαίδευτον, & rudem ex se non posse ad tanta interrogata respondere, igitur, cum Deus non agat extraordinariè & immediatè, quoties media in promtu sunt bonum aliquod consequendi, necessum est, ut aliud subjectum intelligens adsit, unde talis peritia derivetur: quod non est aliud, quam impurus Spiritus, qui ex pacto ad hunc effectum se obligat, ut homini ignavo, vel etiam stupido suppeditet incredibilem variarum rerum cognitionem, illique etiam semper adsit, nec non in omni colloquio, discursu, aut familiari conversatione se præsentem sistat, & ita homini paratam hoc in genere præstet operam. Quæ quoque dubio procul erit causa, quare appelletur Spiritus familiaris? quod scilicet, cum homine familiariter conversetur, eiq; tanquã præceptor, consiliarius, patronus, & bonus amicus præstò sit & in omnibus eidem obsecundet. Sicuti *Spillerus* in collectaneis de hisce Spiritib⁹ disserit. Legi etiam de illis poterit *Delrio l.2.qu 27.sect. 2.p.324. Disquis. Magic.* Cogi quidem Diabolus ab homine non potest, ut stet promissis: sicuti etiam exempla non desunt, quibus ostendi facilè queat, multoties homines, pacto illo non obstante, fuisse deceptos; Nihilominus tamen promissa servat, ut alij ad similia præstanda invitentur. Interea sensu suo abundent, qui negant, dari Spiritus familiares, qui tantopere appropinquent hominibus ob odium erga illos conceptum: & quod ipsi ignorent talia, quæ interrogantur. Etenim constitit de quibusdam hebetis ingenij adolescentibus, eos admiranda sapientia instructos etiam supra ætatis captum potuisse cum alijs conferre: hic causa non fuit solertia & vis ingenij, quippe quam nullam fuisse suppono; nec proprio labore talem notitiam fuisse paratam dico, quandoquidem eruditio, quam præ se tulit, ætatem superavit, qualis in homine stupido non præsumitur: neque, uti antea indicatum est, Deus absque medijs ordinarijs hominibus inspirat dona sapientiæ, quòd illa debitis medijs sint impetranda: neque Angeli boni ejusmodi ministerio, cum omnia tendant ad malum finem, nempe ad hominis perditionem, sese submittunt; igitur superest, ut totum hoc opus proveniat ab improbo Spiritu, qui suo hoc servitio & alijs inserit, quo plures circumvenire, & sibi addictos habere possit. Tales

autem

autem homines ope Dæmonis illam scientiam ad tempus indipisci exinde redditur manifestum, quòd, si isti maturè ab illo pacto & ministerio Diaboli liberentur, stupidi & inscij iterum reperiantur. Quare hæc temporanea eruditio à forma assistente Dæmone pròfecta est. Odium quod attinet, quod Dæmones fovent erga homines, illud indelebile est: verumtamen illi odium hac ratione celant, ut sub specie falsæ amicitiæ multis insidientur. Accedunt itaque ad homines; non ut hostes infensi, sed ut amici, qui *astutam vapido gestant sub pectore vulpem*. Deinde licèt non omnia sciant, & Dæmones: multa tamen sciunt, longè plura, quā homines ipsi. Ideo grave ipsis non est respondere: aut si fortean ignorent, quod interrogatur, nihilominus obscurè respondent, ut interrogantem confundant, & suo discipulo laus eruditionis maneat. Sed hic finio discursum de privatis Oraculis.

CAPUT XIII.

De Oraculi ambiguitate in respondendo.

POstquam hactenus varia de Oraculis tradita sunt, necessum est, ut porro videamus, quomodo Oraculorum responsa fuerint comparata. Id ex antiquis monumentis elucet: perplexo Dæmones usos fuisse resp nso, sine dubio, ut sermonis ambiguitate delusos in errorem deducerent. Neque hoc causam diffidendi præbuit mortalibus, quia cœca eos effascinaverat superstitio; divina esse ea, quæ ab Oraculo proderentur: ipsique circumventi putarent: Dei mentem è verbis propositis minus rectè fuisse perceptam. Sed quia de ambiguis Oraculorum responsis hoc in capite agere propositum est, ideo argumentum hoc tum testimoniis, tum exemplis illustrabimus. Et quidem ut à testimoniis fiat initium. *Pausanias l. 3. p. 159* Oraculum vocat ambiguum & perplexum: *Spartani* ait, *ambigui & perplexi Oraculi autoritatem secuti in spem venerunt, capturos se Tegeatas, Tegeatumq́, campos Arcadibus adempturos.* Morem esse Oraculis ambiguè loqui dicit *Tacitus l. 2. c. 54. n. 5. Annal.* Ferebatur Germanico p r ambages, *ut mos Oraculis*, maturum exitium cecinisse Sacerdotem Apollinis Clarii. Huc pertinet dictum *Senecæ in Oedipo Act. 2. v. 212.* Resp nsa dubiâ sorte perplexa latent. Et *vers. 214.* ait: *Ambage flexa Delphico mos est Deo*

Deo arcana tegere. Quidam hic legunt *nexa*: sed uti *Delrio. p. 43* notat: rectius legitur *flexâ*, cùm dictum desumtum videatur ex illo *Pacuvii* in Periboea: *Flexa non falsa autumare dictio Delphis solet.* Et hæc lectio poterit etiam autoritate *Ciceronis lib. 2. de Divinat. c. 56. p. 208.* confirmari, quippe qui Oraculi responsa vocat *flexiloqua.* Locus est valdè præclarus, unde non pigebit illum adscribere: *Sed iam ad te venio, inquit, ô sancte Apollo, qui umbilicum certum terrarum obsides: Vnde superstitio primum seva evasit vox fera. Tuis enim Oraculis Chrysippus totum volumen implevit partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione sepissime: partim* flexiloquis *& obscuris, ut interpres egeat interprete, & res ipsa ad sortes referenda sit: partim ambiguis, quæ ad Dialecticum referenda sint.* Quo facit, quod ævi nostri *Varro Iohan. Gerard. Vossius l. 1. c. 6. p. 44. de Orig. & Progr. Idolol:* repetit: *Oracula ita erant ambigua, ut ad illorum intelligentiam altero esse Oraculo opus videretur.* Quam verborum amphibologiam vitandam esse docent Rhetores, quippe quæ sermoni conciliat obscuritatem. Inde etiam *Aristot. l. 3. c. 5. Rhetor. p. 335.* dicit: Vaticinantibus ambiguitatem Orationis familiarem esse. *Luctatius Placidius ad lib. 1. v. 509. Statii Papinii.* Oraculi fidem vocat *Latentem.* *Et Lucanus lib. 5. v.* Terrent *ambiguis* frustratum *sortibus.* Accedit *Claudianus de Bello Getico, p. 27.* qui ita canit:

> —— *attollunt vanos Oracula fastus.*
> *O semper tacita sortes ambage malignæ*
> *Eventuq́ patens, & noxia vatibus ipsis*
> *Veri sacra fides.*

Præterea *Sophocles* apud *Plutarch.* in *lib. de Pythiæ Oraculis p. 406.* ait: sapientibus *fata per ambages eloqui Deum*, fatuis magistrum prorsus esse inutilem. Propter sermonis ambiguitatem Apollo dicitur loqui *instar Sophistæ* apud *Philostratum lib. 1. de vit. Sophistar. p. 486* Et apud *Demsterum ad l. 2. c. 7. Rosini. p. 261.* dicitur: Apollinem vocatum esse λόξιαν, id est, obliquum, scilicet uti *Iodocus Velareus* interpres *Phornuti* hoc epitheton explicavit: dictus est à λόξοις ab incurvis, tortuosis, & obliquis Oraculi responsis. *Lucianus Tom. 2. in Dialog. Iunonis & Latonæ pag. 18. & 19.* videtur Apollinem ob ambiguitatem responsorum reprehendere, dum ita sermocinatur: ὁ δ' Ἀπόλλων προσποιεῖται μὲν πάντα εἰδέναι, καὶ τοξεύειν, καὶ κιθαρίζειν, καὶ ἰατρὸς εἶναι, καὶ μαντεύεσθαι, καὶ καταστησάμενος ἐργαστήρια τῆς μαντικῆς, τὸ μὲν ἐν Δελφοῖς, τὸ δ' ἐν Κλάρῳ, καὶ ἐν Διδύμοις, ἐξαπατᾷ τοὺς

χρώμενος αὐτῷ, λοξὰ καὶ ἐπαμφοτερίζοντα πρὸς ἑκάτερον τῆς ἐρωτήσεως ἀποκρινόμενος ὡς ἀκίνδυνον εἶναι τὸ σφάλμα. Verba hæc ita interpretatur *Iacobus Mycillus. Apollo verò simulas quidē omnia se scire, & jaculari, & citharam canere, & medicum esse, & vaticinari: & erectis vaticinandi tabernis, hic in Delphis, illic in Claro & Didymis decipit consulentes, obliqua & in utramque partē quæstionis propositæ inclinantia respondendo, ne videlicet erroris possit damnari.* Huc facit testimonium *Ammiani Marcellini. l. 23. pag. 263.* ubi ait: *Et oracula dubia legimus, quæ non nisi casus discrevere postremi.* Insignis quoque extat locus apud *Iohannem Saruberiensem l. 2. c. 27. p. 125. Policrat.* quando peregregiè de ambiguitate verborum ab Oraculis prolatorum ita loquitur: *Pythonicorum verò eo perniciosior est consultatio, quò fallacia malignorum spirituum in his manifestior est, qui sive mentiantur, sive non, in proposito semper habent, ut noceant. Fallunt autem interdum studio fallendi, interdum cæcitatis suæ errore decepti; id tamen agunt assiduè, ut futurorum conscii per omnia videantur. Inde est, quod ambiguitate verborum obnubilare student oracula, ut cum mendaces aut fallaces inventi fuerint, aliquo rationis velamento suam queant tueri, sicutique fallere non desistunt, donec auditores suos præcipitent in ruinam.* Hic incusat Oracula ob fallaciam, quod fallant homines vel studiô & datâ opera, vel ex errore & ignorantia: deinde ob verborum ambiguitatem: & quod homines præcipitent in ruinam. Et hoc est, quod alij statuunt: Oraculi mentem non nisi subsecuto demum eventu intelligi posse. Qua in sententia quoque est *Natalis Comes l. 6. c. 12. Mythol. p. 603.* qui hæc verba in medium affert: *Erant ambigua admodum antiquorum Oracula, quippe quæ non nisi transactis negotiis plerumque intelligi possent.* Incomparabilis *H. Grotius lib. 4. c. 9 de verit. relig. Christiana p. 1663. in Tom. 9. Critic. Sacror.* postquam præmisit: meritos esse homines, ut ipsis eluderetur, pergit: *Tum verò verba Oraculorum fermè ambigua, & quæ facilè interpretionem ex qualicunque eventu acciperent.* Hisce addo, quod tradit *Lactantius l. 2. c. 16 p. 224. Divinar. Institut.* & quidem verbis sequentibus: *In Oraculis autem vel maximè fallunt. quorum præstigias profani à veritate intelligere non possunt, ideoq; ab illis attribui putant & imperia, & victorias, & opes & eventus prosperos rerum: denique ipsorum nutu sæpe rempublicam periculis imminentibus liberatam, quæ pericula & responsa denunciaverunt, & sacrificiis placati averterunt. Sed omnia ista fallacia sunt.* Non aliter ferè *Eusebius lib. 4. c. 1. p. 132. de Præpar. Evangel.* qui Ora-

cula

cula accusat de ambiguitate, licèt videatur istam fovere opinionem, ac si callidi homines & impostores artem vaticinandi & divinandi saltem tractaverint: quam opinionem supra *c. 6. p. 25.* impugnavi. Sed præstat locum ipsum adscribere: *Accedat porrò cum plebeiorum ingeniorum stultitia rudisq; multitudinis imbecillum ac nulla probatum experientia judicium, tum verò callida versutaq; eorum, qui maleficam artem assiduè tractant versantq; solertia, impostorumq; mores ad omnem fallaciam, astutiamq; compositi*; qui *modò læta cuique ante ac jucunda pollicentur, præsentemq; fortunam meliori spe consolantur, modò etiam de futuro conjicientes* incerto dubioque sensu vaticinia fundunt, responsique mentem verborum amphiboliis ac tenebris involvunt, *uti ne quis Oraculum intelligat, iisi verò* ambiguitate verborum *ansam reprehensionis effugiant.* Et paulò post pergit: *Conjuncta Oraculorum carmina quæ cum structura verborum ornata, tum verò tumore & granditate Orationis inflata sunt, multo vocis & reliquæ ostentationis fuco, ipsaq; specie præsentis afflatum Numinis mentiuntur, atque universum ferè populum* dubia vocum significatione *decipiunt.* Julianus Apostata dicitur afflatum divinum, quem præ se ferunt vates, pro mendacio habuisse, si *Cyrillo Tom. 6. Oper. lib. 6 contra Julian. p. 198.* credimus, qui ait; *Afflatum divinum Julianus appellat falsorum vatum instinctum, qui divinum furorem ac vatidicam vim præ se ferre solebant, ut* mendacium suum *facile venditarent.* Vult igitur negare Julianus ac, si vates isti afflatum divinum sentiant; sed affirmat, ipsos mentiri, & hoc suo mendacio, ac si ex instinctu seu inspiratione Dei loquantur, alios decipere. Alij tamen putant, Cyrillum saltem ex odio erga Julianum scripsisse, cùm aliâs constet, ipsum post defectionem à vera fide strenuum fuisse Idololatram, multumque tribuisse Oraculis, adeò, ut ipse ea vaticiniis Prophetarum anteferre non dubitaverit, supra *c. 4. p. 19.* Nisi fortean isto ævo quidam Pythonium Spiritum se habere dicentes afflatum divinum præ se tulerint, & mentiti fuerint, ac si ea, quæ ipsi prædicerent, è singulari Dei instinctu & revelatione facerent & loquerentur: Imperator verò tanquã vir prudens animadversa illorũ fraude istæc vaticinia contẽserit, & illorum jactantiã de divino instinctu mendacium interpretatus sit. Interea fateor, quod *Porphyrius* non erubuerit Deos accusare mendacij apud *Eusebium lib. 6. c. 5. p. 241. de Præparat. Evangel.* Sed quoniam inquit, *accuratam & exquisitam astrorum motus ac proinde futurorum ex eo pendentium cognitionem assequi non homines*

mines modo, sed ne Dæmonum quidem plerique possunt: fit, ut ii persæpe multis de rebus consulti mentiantur. Mox ita subdit: *Et aërem quidem circumfusum in causa esse ajunt, quamobrem falsa edantur Oracula, non autem præsentes Deos sponte mendacium attexere, sæpe etiam falsum dicturos se esse prænunciant. Hærent isti nihilominus, atque illos, quæ stultitia sunt, vel invitos respondere cogunt. Apollo sanè, cum ejusmodi aliquando esset, quam ante descripsimus, ambientis cœli molestior difficiliorq; tempestas hunc in modum cecinit:*

Ne me ultra precibus cogas: nam falsa præfabor.

Ac nihil à nobis affingi, vel Oracula ipsa fidem facient, sic enim evocatus è Diis quispiam respondit:

Non hodie licet effari, qui sidera cursus
Quæ sedes habeant, vis quippe futura canendi
Nunc astris constricta manet.

Huic exemplo, quod Oraculum se excusat, quo minus possit respondere, simile habemus in Juliano Imperatore, qui exposcebat Dei consilium pro expeditione, quam parabat in Persas. Sed *Pythius Apollo*, qui in Daphne Antiochiæ fano reddebat Oracula, respondit consulenti: *Se nihil respondere posse eorum, quæ ad interrogata pertinerent*, propterea *quod ipsum impedirent mortui Christiani, qui ea in urbe essent sepulti.* Quos inter erat *Babylas*, & alij multi martyres. Quapropter Imperator jussit defunctorum reliquias aliò transferri: quibus translat s templum Apollinis fulmine tactum & incensum est: statuaque Dei lignea & auro tecta in cineres redacta est. *Sozomenus l. 5. c. 18. & 19. p. 483. Histor. Eccles.* Ipse Julianus *in Misopogon. p. 96.* non potest negare, templú istud Daphneũ flammis ustulatũ perijsse: sed alios, vel ex imprudentia, vel non ex imprudentia templum inflammasse, & horrendum exteris spectaculum præbuisse. Addit autem Imperator: ἐμοὶ μὲν ἂν ἐδόκει, ἢ πρὸ τοῦ πυρὸς ἀπολελοιπέναι τὸν νεὼν ὁ θεός. *Mihi quidem videtur Deus multò ante conflagrationem templo excessisse.* Videtur itaque Julianus in ea sententia fuisse, ac si templum ab hominibus malis fuisset incensum: Apollinem verò suam ibi sedem constitutam arte obortum incendium deseruisse. Sed testimonia hæc dubio procul sufficient; nunc adjungemus exempla, quibus ostendatur, quomodo decepti & in periculum deducti fuerint illi, qui temerè Oraculo fidem habuerint, & verba ejus fallacia tanquam sibi proficua & salutaria in optimam partem inter-

interpretati sint; nec nobis obesse poterit *Pacuvii* autoritas, qui docet: *Tortuosa quidem esse Oracula, sed non mendacia*, vide *Taubman ad Plauti Menechm. v. 118. p. 740.* nam aliud in rei veritate compertum esse subsequentia varia monstrabunt exempla: Cum Spartani Pausaniam supplicem in templo, loco utique sacro, quo confugerat, inedia interfecissent; Numen ob violatam supplicum tutandorum religionem in gravem iram adversus illos exarsit. Itaque Delphos miserunt Legatos *ad capessendum Oraculum*, à quo responsum acceperunt: ἀποκαταστῆσαι τῷ θεῷ τὸν ἱκέτην: id est, *ut restituerent Deo supplicem*. Quod responsum utpote valde ambiguum vehementer torsit Spartanos, quidnam Deus istis verbis vellet? διόπερ οἱ Σπαρτιᾶται τὴν μαντείαν ἀδύνατον νομίζοντες εἶναι, ἠπόρουν ἐφ' ἱκανὸν χρόνον οὐ δυνάμενοι ποιῆσαι τὸ προσταττόμενον ὑπὸ τοῦ θεοῦ. ὅμως δ' ἐκ τῶν ἐνδεχομένων βουλευσάμενοι, κατεσκεύασαν εἰκόνας δύο τοῦ Παυσανίου χαλκᾶς, καὶ ἀνέθηκαν εἰς τὸ ἱερὸν τῆς Ἀθηνᾶς. id est, *Quapropter cum Spartani nullo pacto Oraculi jussum se exsequi posse arbitrarentur, ambigui diu mentibus, quid facto opus esset, inter se disquisiverunt. Consilio tamen, qualecunque tunc succurrit, invento, duas ex aere statuas Pausaniae extructas in templo Minervae dedicarunt.* Uti prolixè hanc historiam recitat *Diodor. Siculus. lib. 11. pag. 35. Tom. 2.* De Croeso refert *Xenophon, lib. 7. p. 182. & 183. Cyripaediae* quod Oraculum interrogarit, scilicet, quid fieri oporteret, ut, quod reliquum esset vitae, quam felicissimè posset exigere? Respondit Deus: σαυτὸν γινώσκων εὐδαίμων Κροῖσε περάσεις: *Crœse transibis beatus, si temet ipsum cognoscas.* Quo audito Oraculo ipse gavisus est, existimans: Deum, qui rem facillimam imperaret, sibi felicitatem polliceri. Sed infelici adversus Cyrum expeditione edoctus deprehendit Apollinem non fuisse veracem, ea propter quoque ipse contra eum cum Cyro disputat. Idem *Crœsus* cum in Regno suo, sunt verba *Camerarii lib. 1. c. 55. p. 247. Operar. Subcisivar.* otii impatiens esset, & bellum Cyro Regi Persarum absque ulla legitima causa, sed tantum prosperitate rerum, & luxu superbus inferre vellet, eamque ob causam Legatos misisset ad Delphicum Oraculum, dissimulato habitu, & unde venirent, tum respondit Pythia, *Cedreno* teste:

Est mensura maris numerus mihi notus arenae
E linguis animi sensa & cognosco tacentis
Sed mihi Rex Crœsus cupiuntq; illudere Lydi
Crœsus Halyn penetrans magnam pervertet opum vim.

Istic tria, nisi fallor, erant ambigua. *Unum*, utrum Cyri & Persarum regnum esset periturum? *Alterum*, an ipsius Crœsi potius & Lydium? *tertium*, utrum conditionibus justis bellum deponeretur? *Chalcidius in Timaeum Platonis. p. 261.* Cum autem ex Oraculi mente esset dubium, cujus nam regnum extingui deberet; tum Crœsus potentiæ præcupidus sibi promisit victoriam, & regni sui perpetuitatem. Sed spe sua excidit, & stragẽ passus demum intellexit, quænam fuerit mens Oraculi. *Propterea autem Sors dubia, dubiq; intellectus processit Oraculum, ut quodcunque accidisset, id prædictum ab Apolline videretur.* Antequam verò aleam belli aggressus est Crœsus, dona misit Delphos, & tertiò Oraculum consuluit, numquid sibi diturnum foret imperium? cum Pythia hisce respondit verbis:

> Ἀλλ' ὅταν ἡμίονος βασιλεὺς Μήδοισι γένηται
> Καὶ τότε Λυδὲ ποδαβρὲ πολυψηφῖδα παρ' Ἕρμον
> Φεύγειν· μηδὲ μένειν, μηδ' αἰδεῖσθαι κακὸς εἶναι.

> *Regis apud Medos mulo jam sede potito*
> *Lyde fugam mollis scruposum corripe ad Hermum*
> *Neve mane; ignavo positus sis Lyde pudore.*

Magnam ex his versibus voluptatem dicitur Cræsus cœpisse, sperans utique nunquam fore, ut apud Medos regnaret MULUS: & proinde nec ipsi, nec posteris suis Principatus abrogaretur. *Herodot. lib. 1. c. 55. & 56. p. 20. & 21.* Fraus latet in vocabulo ἡμίονος *Mulus*, quod propriè significat animal ex equa & asino generatum. Sed eo hîc denotatur *Cyrus* ab Oraculo, ita dictus, quòd ipse esset è nobili matre *Mandane Astyagis Medorum Regis filia*, patre autem *Cambyse obscuri generis Persa* genitus. *Eduard. Simson par. 3. Chron. Cathol. pag. 130.* An autem hoc responsum Crœso sit ab Oraculo datum, dubitat *Cic. l. 2. c. 56. p. 208. de Divinat.* sicut & de eo, quod redditum est Pyrrho. Verba ita se habeat: *Cur autem hoc credam unquam editum Crœso? aut Herodotum cur veraciorem ducam Ennio? num minus ille potuit de Crœso quam de Pyrrho fingere Ennius? quis enim est, qui credat, Apollinis ex Oraculo Pyrrho esse responsum? Aio te Æacida Romanos vincere posse.* Primùm *Apollo nunquam Latinè locutus est.* Deinde *ista Sors inaudita Græcis est.* Præterea *Pyrrhi temporibus jam Apollo versus facere desierat.* Postremò, *quanquam semper fuit, ut apud Ennium est;*

..... *Ste-*

Stolidum genus Æacidarum
Bellipotentes sunt magis quam sapientipotentes

tamen hanc amphiboliam versus intelligere potuisset, VINCERE TE ROMANOS, nihilo magis in se, quàm in Romanos valere. Nam illa amphibolia, quæ Crœsum decepit, vel Chrysippum potuisset fallere. Hæc Cicero. Nihilominus Tertullianus in Apolog. c. 22. p. 165. ait: In Oraculis, quo ingenio ambiguitates in eventus sint, sciunt Crœsi, sciunt Pyrrhi: quo loco vel hoc saltem ostenditur, istæc Oracula, quibus fidem detrahere conatus est Cicero, pro fabulis non fuisse habita. *Eusebius* quoque *l.* 5 *c.* 10. *p.* 211. & *c.* 2. *l.* *de Præpar. Evangel.* veram hanc historiam esse putat. Nam, narrata prius Crœsi pietate, & tot donis, quibus ipse voluerit Deum Delphicum honorare, addit: *Quid autem præclarus vates? ille ipse, qui Delphis colebatur, Pythius ille amicitiæ præses? Clientem suum aucè religiosum, quique ad unum se confugerat, non ditione tantum à sena non tinget, sed etiam exuit evertitq; sua, non prudens opinor ac sciens, sed rerum futurarum ignorantia* (Nec enim præscius futuri Deus, utpote qui ne Deus quidem esset, nec alia vis ulla homine major, responsum unquam suum veteratoriè in utramque partem flexisset) *unoq; hoc ferè versiculo:*

Crœsus Halyn superans magnam pervertet opum vim.

tantum illud, tamq; diuturnum Lydiæ regnum, quod à majoribus ad religiosum hominem hereditario Jure devenerat, funditus exscindit; nam ejusmodi fructu Regis Deorum amantissimi eximiam erga se voluntatem pietatemq; compensans. Et in eodem capite *p.* 212. 213. insignia habet, è quibus pauca saltem delibabo: Crœsus explorata Delphici vatis certitudine, paulò post ex eo quæsiturus erat, num in Persas expeditionem adornare deberet, ipsum in furoris cupiditatisque suæ causa consiliarium adhibiturus. Vatem vero nihil puduit hoc ei suppeditare responsum:

Crœsus Halyn superans magnam pervertet opum vim.

Itaque ambiguo Oraculo ad invadendum alienum imperium est incitatus. Exprobratur autem Delphico Deo, quòd is vocem in utramque significationem æqualiter propendentem non protulerit unde Crœsus justum dubitandi & ita amplius inquirendi causam fuisset nactus. *Nam illud καταλῦσαι, id est, evertere, uno duntaxat sensu apud Græcos usurpatur, nec jam de imperio deturbari suo, sed alienum præter rem suam in potestatem redigere significat.* Quandoquidem Cyrus ille quidem *Semimedus*

medus aut *Semipersa*, seu mavis, ejusmodi, qui matrem si spectes, *tyrannico* (Regio) sin patrem, *privato genere* natus in ænigmate (difficili & obscuro Oraculo) *Muli* nomine adumbratus non modò stolidum Musæ tumorem ac fumũ indicat, sed etiam divinationem divinationis expertem; cum vates ignoraret, vim ænigmatis seu perplexi responsi à Cræso capi nonposse aut si illud probè scivisset antea, quomodo tàm malitiosè aut petulanter ludere potuerit: quippe quod hoc Dei moribus non conveniat. Hinc ait *Oenomaus*: Papæ! quales ludos Dii agunt. *Et si ne id quidem* (quod ex malitia locutus sit vates) *sed tantùm, quod ita rem evenire oportuerit.* Primum *certè profanum ille ad modum sese probat, qui verbis ad ludificandum compositis abutatur: Deinde, esto, rem ita evenire oportuisse, quid tu Delphis tamen infortunatè sessitas, rebus vanis ac futilibus occinendis occupatus?* Quid porrò te nobis opus? quæ nos intemperiæ *tenent, quod ad Te universo ex orbe concurrimus? quorsum denique tibi tot sacrificiorum nidorem?* Sed valeat Oenomaus, qui poterit hanc litem cum Delphici Oraculi Præside in Schola vel Judicio Inferorum expedire, & quare tantopere is in reddendis responsis ludificatus fuerit, coram experiri, fortean ambo uno in loco hospitabuntur. *Athenienses* aliquando duplici calamitate erant afflicti: *Peste*, qua absumebantur homines intra muros: & *Bello*, foris namque ager ab hostibus devastabatur, quod tertium malum inducebat *famem*, & annonæ caritatem. Hisce malis vexati in memoriam sibi sero revocarunt antiquum Oraculum, quod seniores olim prolatum esse dicebant: ἥξει δωριακὸς πόλεμος καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ: *Doricum veniet loimos* comitante duellum. Sed ibi orta est disputatio ob vocem λοιμὸν, an per illam fames debeat intelligi, quæ Græcis dicitur λιμὸς: an verò pestis per illam à vate fuerit significata. Istud dissidium, uti quibusdam videtur, ortum præsumitur ob diversam pronunciationem τοῦ οι, ut ita dubitatum fuerit, nunquid Deus Delphicus famem vel pestilentiam intellexisset: cum prior syllaba cujusque vocabuli simili sono efferretur. Nihilominus, quia pestis prævalebat, compertum est: Oraculum ut ut dubiè prolatum voluisse ista voce intelligere pestem. *Thucydides. lib. 2. p. 134. Histor.* H[illegible] peste dicuntur Periclis filii absumti. *Ælian. l. 9. c. 6. p. 236. Vari. histor.* Præterea Pythia erga Delios valdè ambiguè locuta est in voce *Cornicis.* Nam Delii, cùm pulsati essent patria sua, jussi sunt locum quærere, quo Apollo

pollo esset natus, ibique sacrificia peragere. Mirantibus autem & dubitatione perculsis, quòd non in Delo, sed alibi natus Apollo diceretur, addidit Pythia; *Cornicem illis locum indicaturam.* Profecti deinde venerunt *Chæroneam*, & ibi mulierem, in cujus caupona erant, audiverunt cum hospitibus quibusdam *Tagyras* euntibus de Oraculo colloquentem: qui cum secederent, eam *Cornicem* (hoc enim erat mulieri nomen) consalutarunt, atque sic percepta oraculi sententia, *Tagyris* ubi natum esse ajunt Apollinem, rem sacram fecerunt, nec multo tempore post reditum in patriam consecuti sunt. Plutarch. de Oraculor. Defectu p. 412. Simile est exemplú in oraculo Epaminondæ dato: Apollo namque eum monuerat, ut pelagus caveret. Quare præcipuè hanc impendit operam, ne aut triremibus aut oneraria navi unquam veheretur. At monuerat Deus, non mare, sed saltum, cui pelagus erat nomen, devitandum esse. *Pausan. l. 8. p. 434.* Interfectus Dux iste acerbam sui reliquit memoriam: *quandoquidem ablato Duce Thebanorum, rei quoque publicæ vires hebetatæ sunt, ut non tam illum amisisse, quàm cum illo omnes interiisse viderentur. Nam neque hunc ante Ducem ullum memorabile bellum gesserunt: nec postea virtutibus sed cladibus insignes fuere; ut manifestum sit, patriæ gloriam & natam & extinctam cum eo fuisse.* sicuti indicat *Justinus l. 6. c. 8. p. 119.* De morte ejus legi possunt *Pausan. l. 9. p. 516.* & *Ælianus l. 12. c. 3. p. 303. Orosius l. 3. c. 2. p. 135. & 136. adverſ. Paganos.* Memorabilis casus est, quo ex ambiguitate Oraculi periit Philippus. Hic enim summus Dux à Græcis constitutus bellum Persicum inchoavit, ac statim Attalum ac Parmenionem cum parte copiarum & mandatis, ut urbes ibi Græcas liberarent, in Asiam præmisit. Ipse Deorum consensu bellum suscipere maturans, an victoriam de Rege Persarum adepturus esset, Pythiam interrogavit, quæ ejusmodi Oraculum ipsi cecinit:

ἔστεπται μὲν ὁ ταῦρος, ἔχει τέλος, ἔστιν ὁ θύσων,

Serta gerit taurus, jamque adstat, qui immolet illum

Illud satis ambiguè dictum Philippus ad suam detorquebat utilitatem, quasi fatidico carmine prædiceretur, Persam victimæ instar jugulatum iri. Sed veritas rei aliter se habuit: quòd ex adverso significaretur, fore nimirum; ut Philippus in frequenti hominum conventu, sacroque Deorum epulo veluti *taurus coronis redimitus* mactandus esset. *Diodor. Siculus lib. 16. p. 479.* Sic Alexander Molossus ambiguitate vo-

cis ab Oraculo deceptus periit apud Pandosiam in Bruttiis. Etenim Oraculi Dodonæi responso jussus erat *Pandosiam Acherontemq;* vitare: cum autem in Thesprotia id nominis loca ei fuissent ostensa, ipse in Bruttiis ad idem gerentia nomen succubuit. *Strabo lib. 6. p. 256.* Oraculum tale fuit:

> Αἰακίδη προφύλαξο μολεῖν Ἀχερούσιον ὕδωρ
>
> Πανδοσίαν θ' ὅπη τοὶ θάνατος πεπρωμένος ἐστί

Casaubon. ad Strabon. lib. 6. p. 120. Vide *Justinum*, quoque, qui Regis istius exitum descripsit *lib. 12. c. 2. p. 198.* De Nerone turpissimo omnium Tyranno refert *Boissardus p. 122. de Divinat.* quod ei à Delphico Oraculo fuerit injunctum, ut caveret *Septuagesimum tertium annum*, quo ille periclitaturus, & in discrimen vitæ venturus esset. Ille existimans, seusque ad eam ætatem superstitem fore, & imperaturum sine metu, luxui, libidinibusque variis se dedidit, belluina feritate raptis & cædibus vacans. Neque intellexit, illam ætatem ad *Galbam* referri debere, qui, Nerone interfectô, Imperium occupavit, cum annum septuagesimum tertium jam esset ingressus. Hic possumus applicare illud dictum *Eusebii l. 2. c. 53. p. 139. de Vita Constantini*: *Impia illa Oraculorum Apollinis divinatio vim quandam adulterinam & adumbratam, qua in fraudem inducebantur, in se est complexa.* Unicum saltem adducam exemplum & quidem *è Nicolao à Myddelburg. in praeambul. pag. 19. Topic. Legal.* quòd Dæmon quispiam *Alberto Scoto Domino Placentiæ* consulenti ipsum de suo statu responderit: *Domine stes securè, inimici tui suaviter intrabunt terram tuam, & subiicientur domui tuæ.* Quod responsum supra modum incertum fuit & ambiguum. Equidem *Albertus* verba istæc in suas partes interpretatus est, cùm tamen malus Genius longè aliud intenderit, scilicet hoc modo: DomiNE stes securus, inimici tui *SVAVITER*, id est, tribus vicibus intrabunt terram tuam, & subjicient *VR* hoc est, ignem domui tuæ. Et juxta posteriorem sensum oraculum fuisse ad impletum, testatur *Albericus de Rosate ad l. Nemo Judaeorum C. de Iudæis & Cœlicol.* Vaferrimum sanè hoc fuit responsum, quo vir iste simplex credens omni verbo innocentis instar *c. Innocens. 22. qu. 4.* deceptus in extremam coniectus est calamitatem. Quomodo autem homo magis possit circumveniri, quàm tanta dictionis fallacia, non video. Cæterùm inquirendum

dum est in causam, quæ commoverit Dæmonem tàm obscurè & per-
plexè ad interrogata respondere? Certè interdum ipsa tàm suspecta
fuerunt, ut ad eorum intelligentiam altero oraculo opus esse videre-
tur. Sed vix melior causa reddi poterit, quàm ideo perplexè oracu-
lum & ambiguè respondisse, ne, si responso eventus rei non conveniret,
oraculum non posset accusari erroris: ὁ Ἀπόλλων ἐξαπατᾷ τοὺς χρωμένους
αὐτῷ λοξὰ καὶ ἐπαμφοτερίζοντα πρὸς ἑκάτερον τῆς ἐρωτήσεως ἀποκρινόμενος, ὡς ἀ-
κίνδυνον εἶναι τὸ σφάλμα. Id est, *Apollo decipit consulentes se, obliqua &
in utramque partem quæstionis propositæ inclinantia respondendo, ne videlicet
erroris possit damnari*: sicuti scribit *Lucianus in Dialog. Iunon. & La-
tona. Tom. 2. Oper. p. 18. & 19.* Quo cum consentit *Chalcidius in Timæum
Platonis pag. 261.* dum ait: *Propterea dubia sors dubiique intellectus processit
oraculum, ut quodcunque accidisset, id prædictum ab Apolline videretur.*
Quam causam tanquam generalem alij fundant in speciali quadam
ratione, quòd scilicet, Dæmones futurorum certam habere nequeant
notitiam. Et ita sentiunt *Conimbricenses ad lib. 2. c. 3. p. 246. & 247.
Aristot. de Cælo*: Ubi ad solutionem sexti argumenti quod habetur *pag.
238.* respondent: *Negandum imprimis est, Dæmones aut cæli intuitu, aut ali-
unde futura contingentia, & eventus fortuitos certa notitia prævidere. Qua-
re ipsi cum ejusmodi futura enunciant, oratione in diversas partes flexibili, &
ad utrumque eventum* Sophisticè & ambiguè *composita uti consueverunt
ut si res secus eveniret, non ipsorum falsitati aut ignorationi, sed interpre-
tum inscitiæ adscribatur.* Quod Conimbricenses tradunt, simpliciter spe-
ctando non est de nihilo. Nam si Dæmones futurorum notitiam ex
se non habent, illorum autem cognitio ex astris non semper est certa,
sed obscura; inde aliter fieri non potuit, quàm ut consulentibus du-
bium dederint responsum, ut, quomodocunque id cecidisset, autori-
tatis jacturam non facerent. Quandoquidem sin ita, uti prædictum
erat, res eveniebat, illud oraculi prædictioni tribuebant: sin minus?
culpa residebat in hominibus, quod mentem Dei non rectè fuissent
assecuti aut interpretati. Quò tendit etiam *Vossius lib. 1. c. 6. p. 44.
de Orig. & Progr. Idololat.* his verbis: *Dæmones ipsi futurorum contin-
gentium nescii, subtili quidem, sed fallaci sæpe conjectura utebantur. Qua-
re & Dæmonibus opus fuit verbis obscuris & perplexis, quo Oracula malè
crederentur intellecta, si eventus non responderet.* Ipsum Oraculum,
cum ei obiiceretur, aliter rem evenisse, atque prædicta esset, ab ipso,

hancexcuſationem adhibuit: quod *reſponſa data non rectè fuiſſent intellecta.* Res ita ſe habet: Poſtquam ætate jam adulta fuerunt Ariſtomachi filij, Oraculum de reditu ſuo conſulentes, idem, quod antea ab Apolline acceperant reſponſum. Verùm unus ex illis nomine *Temenus* vehementer querebatur ſibi rem infeliciter ſucceſſiſſe, quod reſponſo fidem habuiſſent. Tum Pythia reſpondit: *Ipſos ſuæ infelicitatis autores fuiſſe, quòd reſponſa data non rectè intellexiſſent.* Uti hoc ex *Apollodori lib. 2. Biblioth.* narrat *Eduardus Simſon par. 2. Chron. Cathol. p. 97. Plutarchus in lib. de Defectu Oraculor. Tom. 2 Oper. p. 409.* docet, homines ſua ratione Dei cogitationem aſſequi haut poſſe: Et quando ait: κἂν τὴν αἰτίαν μὴ ἱκανῶς πύθωνται, ἀπίασι τοῦ θεοῦ καταγνόντες οὐχ ἡμῶν, οὐδ᾽ αὑτῶν ὡς ἀδυνάτων ὄντων ἐξικνεῖσθαι τῷ λογισμῷ πρὸς τὴν τοῦ θεοῦ διάνοιαν. Id eſt, *quando cauſam non ſatis intelligunt, abeunt Deum accuſantes, non nos, neque ſeipſos ut quibus impoſſibile eſt, ratione ad Dei cogitata pervenire.* Verùm ideo Oraculum conſulitur ab hominibus, ut hi certiores reddantur de illis, quorum notitiam vel circa evitandum periculum, vel conſequendam aut retinendam ſalutem ex Deo ſcire deſiderant. Numquid ergo peccant, qui ſimplicem iſtis reſponſis adhibent fidem, utpote exiſtimantes, ſe ad veritatis fontem acceſſiſſe, & ibi verum & certum hauſiſſe conſilium? Quod ſi igitur Numen voluerit dubiè & perplexè reſpondere, ut conſulentes veritatem ſub obſcuris dictis latentem conjectare non potuerint, & juxta ſenſum, quo ipſi oraculum intelligebant, in periculum imò in extremum detruderentur exitium, utique quinam prudens poterit ejuſmodi ambigua Deorum reſponſa probare? proinde jure olim potuerunt oraculorum reſponſis decepti vates illos errantes dicam an fallentes incuſare. Ænigmata quondam & hieroglyphica dogmata à Pythagora & Ægyptiis fuerunt tradita, & quidem data opera: ut optimi ſaltem tanta myſteria diſcerent, vulgus hominum verò à ſanctæ ſcientiæ penetralibus planè ſubmoveretur. At ſic Oraculi reſponſa non debuerunt eſſe comparata; ſed ita potius concepta, ut ſingula verba in utilitatem interrogantis cederent, cùm debuerint eſſe velut conſilia vel ad devitandum infortunium: vel ad conſequendum aut etiam retinendum bonum ſuppeditata. Quoniam verò non ſemper Apollo hominibus conſuluit, ſed, teſtantibus hiſtorijs querelarum hac de re plenis, multi turpiter in errorem, & ſummum vitæ diſcrimen fuerunt conjecti, exiſtimo: Voluiſſe Dæmonem

monem studio responsum suum ambiguis verborum involucris obvelare, quoties ipsi non constiterit de rei eventu, eumque ipse nec conjectando nec ex astris divinando percipere aut assequi potuerit. Etenim si ita res eveniret, ut esset prædicta; tum Numinis vaticinio & directioni eventus ille tribueretur: sin minus? imputatâ hominum ruditati vel inscitiæ culpa, quasi ipsi mentem Dei parum rectè intellexissent, autoritas Oraculi maneret integra. Ubi verò ex astrorum inspectione, vel aliis quibusdam modis rei futuræ exitum prævidere potuerunt, ibi sæpe Oraculi veritas innotuit, & consulentibus illud contigit, prout illi erant admoniti à vate. Triplicem autem ex illis, quæ in sequentibus capitibus dicenda veniunt, deprehendo causam, quare Oracula dubiè & intricatè responderint. *Prima* est Ignorantia, quòd rei futuræ exitum non præviderint. Etenim quantumvis aliquo modo etiam à prudentibus hominibus prædici queat, quem successum res aliqua sit habitura; tamen istæc notitia non est simplex, sed ratiocinando comparata, nisi fortean speciali revelatione Deus illam ipsis aperuerit: pari modo nec ipsi Dæmones, licèt prudentum scientiam excedere videantur, certi quicquam prædicere poterunt, nisi habeant medium, beneficio cujus illam peritiam sibi parent. Oportet itaque vel ex circumstantijs, vel è siderum positu, vel alia aliqua ratione de rei futuræ successu vel exitu aliquid certi colligere, quo consulentes idoneo quodam responso dimittantur. Quod si verò istis medijs veritatem assequi non licuerit, nullum promtius fuit consilium, quàm responsa ambiguè concipere, ut, quodcunque postea accidisset, Oraculorum dignitas & veneratio sarta tectaque subsisteret. Si enim dictis responderet eventus, id adscribebatur prophetiæ Oraculi: sin vero homines spe sua exciderent, & damno suo tandem fidem Numini temere adhibitam experirentur, illud illarum simplicitati tribuebatur ob sensum divini responsi perperam intellectum. *Altera* est Malitia vel Invidia; dum Dæmon veritatem rei futuræ satis intelligens nihilominus ambiguis dictis illusit hominibus, ut vel impendentia mala nec rectè avertere; nec bona recipere possent. Neque obstat, quod Diabolus istos quidem mortales sibi obsequentes habuerit, ut ita non verosimile videatur simile, voluisse eos decipere, cum illis saltem insidietur, quorum studia a SE noverit esse aliena: Nam, uti *Porphyrius* ait, *Voluptas est Dæmonibus ludere cum hominibus eosq. divexare: sicut qui se amicum*

simulat, solet interdum amico supplantare, ut sub specie amicitiæ ipsum fallat, vel ipsi bonum melius invideat. Quod certè malum indicat animum; licèt dolus & lædendi propositum occultetur. *Tertia* est ultio vel vindicta, ut si Oraculum esset ludi brio habitum vel contemtui expositum, sub verborum ambiguitate interrogantem præcipitaret in periculum; sic tamen ne ille hoc animadverteret, sed tandem successu temporis sua damna sentiret.

CAPUT XIV.

De Difficultate intelligendi verba Oraculi.

POstquam multis ostensum est, quam ambiguis responsis consulentes ab Oraculis instructi fuerint, fieri aliter non potuit, quàm ut difficultas in interpretando responso sese exsereret: quandoquidem nihil certi propter obstantem sermonis perplexitatem poni potuit: aut si hoc factum fuit, incertis conjecturis freti, homines quod sibi in prosperitatem cessurum arbitrabantur, sibi perniciem conciliare senserunt. Solet autem difficultas in assequendo vel intelligendo aliquo negotio enasci. 1. Ob ignorantiam rationis vel causæ, per quam res debet & potest cognosci: nam cum scire sit rem per causas cognoscere, sequitur, rem aliquam intellectu difficilem cuique fore, qui rationem percipere nequit. 2. Ob rei ipsius sublimitatem, quam intellectus statim apprehendere nescit: dum neque illam viribus ingenij penetrare, neque rectum de ea judicium ferre potest. Sicuti in reconditis scientijs multa latent abdita, quæ nonnullis in discendo præbent difficultatem non minimam. 3. Ob verborum obscuritatem, & ambiguitatem. Obscuritas inducitur à verborum significatione, quando non perspicuis & claris verbis, quorum significatiò obvia est, res quædam proponitur. Atque hinc opus est Interpretatione, quæ consistit in verborum obscurorum declaratione. Et cum ob verborum obscuritatem res vocibus expressa itidem obscuretur, inde fit, ut dilucidatione vocum res ipsa quoque clara reddatur. Ambiguitas consistit in verbis æquivocis, quorum sensus hinc inde flecti & interpretando trahi potest. 4. ob rerum & verborum obscuritatem simul, ut, quando ejusmodi voces diversa significantes connectuntur, quas quis in dextram & sini-

iniſtram partem, pro aut contra ſe, bene vel ſecus interpretari poteſt. ſic tamen, ut, cum bonum ſenſum ſibi accommodarent aliqui, & fide habita Oraculo negotium ſuſciperent, in errores acti poſtmodum viderint: Se malos fuiſſe Oraculi interpretes. Hoc pacto igitur Dæmon voluit & in reipſa, & aptatâ ei verborum ambiguitate obſcuritatem involvere ſuis Oraculis, ut dubitarent interrogantes de illorum ſenſu, vel difficultatem in illis deprehenderent: vel etiam ſi reſponſum atum pro ſe interpretarentur, & poſtea tamen contrarius ſequeretur effectus, ſuam deplorarent fatuitatem: quod aliter debuiſſent illud eloquium divinum exponere. Conſideret aliquis magnam difficultatem in illo Oraculo Crœſi:

Crœſus Halym ſuperans magnam pervertet opum vim

Jam hoc poteſt explicari ob ambiguitatem verborum & rerum pro Crœſo & contra eum: nempe, quod *Crœſus* fluvium iſtum tranſiturus vel *hoſtis* vim & opes diſperdet, & evertet: vel ſuas proprias vires diſturbabit ab hoſte vincendus. Hanc ſiquidem geminam interpretationem illa verba: *magnam pervertet opum vim* admittunt. Quia verò Crœſus pro ſe interpretabatur Oraculum, putabatque: *Se hoſtem ſuperaturum*, ejusque vires perverſurum: aliter res cecidit, quàm ipſe ſibi imaginabatur, à Cyro namque devictus eſt, & ſuam vim perverit ipſe. Data autem hominibus ſæpe ejuſmodi dubia Oracula fuiſſe, ſequentia exempla illud affatim confirmabunt. Conditoribus urbis Byzantii valdè obſcurum & difficile intellectu datum eſt Oraculum, de quo refert *Strabo lib. 7. Geograph. pag. 320.* ſequentia: *Iis, qui (condita jam Megarenſibus Chalcedone) Byzantium exſtruxerant, Apollo mandaſſe dicitur* ποιήσασθαι τὴν ἵδρυσιν ἀντιπέραν τῶν τυφλῶν, id eſt, *ut è cæcorum regione ſedem urbi caperent.* Cœcorum *nomine denotans* Megarenſes, *qui cum priores ad iſta loca navigaſſent, omiſſo ulteriore littore, in quo tanta eſſet commoditas, deterius ſolum occuparunt.* Quo in Oraculo difficultas eſt in verbo *Cæcorum*, quomodo enim ſtatim potuit intelligi, quòd Apollo per Cœcos denotaret Megarenſes. Eandem hiſtoriam *Cornelius Tacitus lib. 12. c. 63. p. 210. Annal.* attingit his verbis. *Byzantium in extrema Europa poſuere Græci, quibus Pythium Apollinem conſulentibus*, ubi conderent urbem? *redditum Oraculum eſt*, quærerent ſedem cœcorum terris adverſam. *Ea ambage* Chalcedonij *monſtrabantur, quòd priores illuc advecti prævisâ locorum utilitate pejora legiſſent.* Ad quem locum notat

tat *Curtius Pichena p. 416.* quantumvis *Chalcedonis utilitatem locorum prævidissent, nihilominus* sedem illam neglexerunt, ac *peiorem delegerunt, fortasse utiliorem rati ac decepti*: Chalcedonij illi intelliguntur Megarenses, qui urbem Chalcedonem condiderunt, ut ita hîc non sit pugna inter Strabonem & Tacitum. *Herodotus* quoque *l. 4. c. 144. p. 270.* ad hanc historiam collimat, nisi quod non ab *Apolline*, sed à *Megabyzo Persarum* Duce Chalcedonios cæcos dictos fuisse pronunciet, & inde æternam sui memoriam reliquerit. οὗτος δὲ ὁ Μεγάβαζος εἴπας τόδε ἔπος, ἐλίπετο ἀθάνατον μνήμην πρὸς Ἑλλησποντίων, γενόμενος γὰρ ἐν Βυζαντίῳ, ἐπύθετο ἑπτακαίδεκα ἔτεσι πρότερον Χαλκηδονίους κτίσαντας τὴν χώρην Βυζαντίων. πυθόμενος δὲ ἔφη Χαλκηδονίους τοῦτον τὸν χρόνον τυγχάνειν ἐόντας τυφλούς. οὐ γὰρ ἂν τοῦ καλλίονος παρεόντος κτίζειν χώρου, τὸν αἰσχίονα ἑλέσθαι, εἰ μὴ ἦσαν τυφλοί. *Megabyzus autem hic immortalem sui memoriam apud Hellespontios reliquit hoc dicto, quòd cum apud Byzantium agens audisset Chalcedonios decem & septem annis ante Byzantios urbem condidisse, inquit: Chalcedonios eo tempore cæcos fuisse, qui cum pulchrior ad esset locus ad urbem condendam nequaquam turpiorem, id est, deteriorem seu viliorem elegissent, nisi cæci fuissent.* Ita difficile intellectu responsum datum fuit Tarquinii filiis sciscitantibus quemnam ex ipsis Fata futurum Romanis constituerent Principem? nam respondit Deus: *Eum qui primus matrem osculatus esset.* Adolescentes, *cum non perciperent sensum Oraculi,* pacti sunt inter se, ut simul matrem oscularentur, communibus auspicijs regnum administraturi. *Dionys. Halicarn. lib. 4. p. 265. Antiqu. Roman.* Præterea *Daphitæ Grammatico* Oraculum datum est, ut sibi caveret à Thorace: quod ipse non intellexit: donec in loco, cui nomen erat *Thorax*, perierit. Historiam narrat *Strabo lib. 14. p. 647. Geogr.* Mons est, cui nomen Thorax, in quo Daphita Grammaticus in crucem actus est, quod Pergamenos Reges hoc disticho incessisset:

Πορφύρεοι μώλωπες ἀπορρινήματα γάζης
  Λυσιμάχου Λυδῶν ἄρχετε καὶ Φρυγίης.

Purpureæ vibices, scobs, limataq; gaza
  Lysimachi, Lydos & Phrygiam regitis.

Moriturus igitur demum intellexit Daphitas mentem obscuri Oraculi. Sic Thebanis oraculum suppeditatum est non minus obscurum, ut si patriam perpetuò cuperent beatam, ossa Hectoris ab Ilio ad Oedipodiam transferrent. Aqua autem dicta est Oedipodia ideo, quòd in ea

n ea paternæ cædis cruorem abluerit Oedipus. *Pausan. lib. 9 pag. 520.* Sic cùm Xerxes Persarum Rex cum ingenti suo exercitu in Græciam rajecturus magna formidine Græcorum animos imbuisset, illi Delphos profecti Oraculum interrogarunt; quôd obscurè respondit; *Ut muris ligneis se munirent.* Id consilium, sunt verba *Cornelii Nepotis n vita Themistocl. c. 2. n. 7.* quô valeret, cùm *intelligeret nemo,* Themistocles rectè exposuit. Qua de historia dicam infra *cap. 16.* De Siphniis populis constat, eos habuisse aurifodinas, de quarum fructibus jussit Apollo sibi decimam offerri. *Pausanias lib. 10. p. 574.* Itaque cùm psi sibi parassent thesaurum, consuluerunt Oraculum, numquid præentia bona diu ipsis possent permanere, tum Pythia respondit;

Ἀλλ᾽ ὅταν ἐν Σίφνῳ πρυτανήϊα λευκὰ γένηται
Λευκόφρυς τ᾽ ἀγορὴ τότε δὴ δεῖ φράδμονος ἀνδρὸς,
Φράσσασθαι ξύλινόν τε λόχον κήρυκά τ᾽ ἐρυθρόν.
Cum tamen in Siphno fuerint prytanæa cana,
Cana foris facies, tunc vir vafer adsit oportet,
Qui notet è ligno agmen legatumq; rubentem.

Erant eo tempore Siphnijs Prytanejum forumque Pario lapide exculta, *Hoc autem Oraculum Siphnii neque tunc statim, neque post adventum Samiorum intelligere potuerunt.* Nam Samii cùm velocissimè ad Siphnium appulissent, miserunt ad urbem cum legatis unam è navibus. Veteri autem instituto naves omnes erant rubrica delibutæ, Atque hoc erat, quod Siphniis Pythia prædixerat; *Vt observarent ligneum agmen ac rubrum Legatum.* Nuncii venientes precati sunt, ut sibi mutuò darent decem talenta. Negantibus illud Siphniis, Samij illorum agros populati sunt. Videri integra poterit historia apud *Herodot. lib. 3. c. 57. & 58. p. 184. 185:* Adhuc aliud risu dignum pariter & intellectu difficile oraculum acceperunt *Dorienses* cùm ipsi cum Aristomachi filijs comparatâ sibi classe reditum pararent in Peloponnesum: Etenim classis Imperatores à consulto Oraculo hoc responsum impetrarunt, ut remigrationis Ducem facerent *Triocul um.* Quô auditô vehementer dubitarunt, quid ambiguo isto sermone significaretur? se enim istum intelligere haut posse apertè conquesti sunt. Dubitantibus istis ea de re occurrit vir quidam, qui *mulum altero oculo privatum* agebat. Tum *Cresphontes* acutè conjecit: *Oraculi vocem pertinere ad istum hominem,* utpote penes quem tres reperirentur oculi; ipse siquidem

ambobus erat instructus oculis: mulus autem unum perdiderat. Fuit iste vir *Oxylus*, qui ex *Ætolia* in exilium abierat, quod *disco ludens hominem quendam imprudenter occidisset*. Illum igitur Dorienses juxta *Cresphontis* interpretationem vel conjecturam potius sibi constituerunt Ducem. Sicuti illud pluribus refert *Pausanias l. 5. pag. 270.* Ulterius de *Eumeli* & *Satyri* fratrum exitu Oracula paulò vaniora quidem, sed percepta difficilia memoriæ sunt prodita. Τῷ μὲν Σατύρῳ λέγουσι χρῆσαι τὸν θεὸν φυλάξασθαι τὸν μῦν, μήποτε αὐτὸν ἀνέλῃ. *Dicunt Satyro per Oraculum respondisse Deum, ut sibi caveret à musculo, ne ille ipsum interimeret.* Ille accepto hoc responso neque servum, neque ingenuum quendam inter subditos id nominis habere passus est. Domesticos præterea & rurales formidabat mures, puerisq; assiduè præcipiebat, ut illos necarent, & cavernas illorũ probè oblinerent. Itaq; cũ omnia, uti sibi quidẽ videbatur, quã maximo studio perfecisset, & nunc à muriũ insidiis se tutũ fore, fatumq́, exsuperaturum se arbitraretur; attamen *brachii musculo* vulnerato mortuus, & sic in felici istius exitu cognitum est, quidnam Oraculum per vocem musculi voluerit denotare. *Eumelum* fratrem quod attinet, αὐτῷ χρησμὸς ἦν τὴν φερομένην οἰκίαν φυλάξασθαι: hoc est: Ipsi datum erat Oraculum, ut vitaret domum portatilem. Quapropter iste domum temerè non intrabat, nisi famuli prius & tectum & fundamentum probè perscrutati fuissent. Τελευτήσαντος δ' αὐτοῦ διὰ τὴν ὀχουμένην ἐπὶ τῆς τεθρίππου σκηνὴν ἕκαστος ὑπελάμβανε τετελέσθαι τὸν χρησμόν. Póstquam vero occasione tentorij, quod curru gestabatur, mortuus est, quilibet existimavit: Fidem oraculi fuisse adimpletam. *Diodor. Sicul. l. 20. p. 765. Biblioth.* Hi duo fratres Oraculi mentem planè non perceperunt, neque cognitum fuit, quid sibi voluerint talia responsa, donec post obitum utriusque vim sermonis satis dubii saltem intellexerint alij. Inter Messenios & Lacedæmonios diu acerrima gesta sunt bella, ubi de istorum exitu Delphicus vates consultus est Sed Aristodemus tale reportavit responsum, quod *nec ipse, nec Oraculorum Interpretes potuerunt intelligere* imò ne quidem conjectando assequi, quid Deus significaret. Lacedæmonii verò hoc responsum impetrarunt.

οὔ σε μάχης μόνον ἔργ' ἐφίησι Φοῖβος ἀνώγει

ἀλλ' ἀπάτῃ μὲν ἔχει λείας Μεσσηνίδα λαός

ταῖς δ' αὐταῖς τέχναισιν ἁλώσεται αἷσπερ ὑπῆρξεν.

Non

Non Martis tantum suadet tibi munera Phœbus
Astu capta fuit quondam Messenia tellus
Prisca fraude novo rursus capietur ab hoste.

Post acceptum hoc oraculum Lacedæmonii ad astum conversi, cùm nihil aliud derepente in mentem venisset, placuit imitari, quod Ulysses quondam fecit ad Ilium. Centum igitur homines emiserunt, qui simulando se perfugas esse, ad *Ithomen* perscrutarentur hostium consilia. Ut autem ita appareret, & Messeniis per hoc glaucoma objiceretur, Lacedæmonij viros istos publico decreto damnarunt, tanquam qui violata Jurisjurandi religione malitiosè aufugissent. Verùm Aristodemus cognito hoc dolo statim illos homines dimisit his verbis: Λακεδαιμονίων τὰ ἀδικήματα καινὰ εἶναι, τὰ δὲ σοφίσματα ἀρχαῖα: id est: *Novas esse Lacedæmoniorum injurias, dolos verò antiquos*: uti illud pluribus persequitur *Pausanias lib. 4. p. 221. & 222.* Messenii dubium & incertum oraculum acceperunt, quod ipsi intelligere planè non potuerunt. Sed si Delphicum Numen voluisset integra fide agere, potuisset Messenios certo responso dehortari, ne cum Lacedæmoniis belli aleam tentarent; sed potius admonere, ut se submitterent illorum imperio, aut pacem cum illis facerent, quàm eos ambiguo suspensos oraculo frustra detinere. Verùm licèt *Lacedæmonii* hac vice acceperint clarum quodammodo responsum à Delphici Oraculi Præside, alio tamen tempore experti sunt, & se à Pythia obscuro & difficili Oraculo fuisse dimissos. Nam & bonitate terræ, & copiosa hominum multitudine freti discurrerunt hinc inde, & feliciter rem gesserunt. Sed amplius fruitio non contenti, cùm se Arcadibus præstantiores esse arbitrarentur, de omni illorum terra *Occupanda* Oraculum Delphicum consuluerunt. Quibus Pythia respondit.

Ἀρκαδίην μ' αἰτεῖς; μέγα μ' αἰτεῖς. ὔτοι δώσω
Πολλοὶ ἐν Ἀρκαδίῃ βαλανηφάγοι ἄνδρες ἔασιν
οἵ σ' ἀποκωλύσουσιν. ἐγὼ δέ τοι ὔτι μεγαίρω
δώσω τοι Τεγέην ποσσίκροτον ὀρχήσασθαι
καὶ καλὸν πεδίον χοίνῳ διαμετρήσασθαι.

Me petis Arcadiam? multum petis: haut tibi tradam.
Multi apud Arcadiam vescentes glande viri sunt,
Qui te rejicient. Tibi ego haut invidero quicquam,

 Saltan-

Saltandam Tegeam planta plaudente daturus,
Utque queas campum metiri fune feracem.

Lacedæmonii isto responsô acceptô, missis cæteris Arcadibus, bellum intulerunt Tegeatibus, secumque attulerunt compedes: captioso siquidem freti Oraculo putarunt, se Tegeatas in captivitatem redacturos esse. Sed adversam fortunam ipsi experti in fugam acti sunt: & quicunque ex illis vivi capti sunt, ijsdem, quas ipsi attulerant, compedibus vincti campum Tegeatem fune metiti coluerunt. Compedes autem, quibus vincti fuerant circa templum *Minervæ Aleæ* apud Tegeam suspensæ sunt. *Herodot. lib. 1. c. 66. p. 26.* Superati à Tegeatibus Legatos misêre Delphos, qui Oraculum sciscitarentur, quemnam Deorum ipsi placarent, ut Tegeatum victores existerent. Quibus respondit Pythia, tum demum id fore: *Si Orestis filii Agamemnonis ossa referrent Spartam.* Disquirentes igitur locum, ubi conditum esset cadaver, cùm Orestis sepulchrum invenire non possent, iterum de loco, quo sepultus esset Orestes, Oraculum interrogarunt. Sed Pythia valdè obscurum, & difficillimum illis suppeditavit responsum:

ἔστι τις Ἀρκαδίης τεγέη λευρῷ ἐνὶ χώρῳ
ἔνθ' ἄνεμοι πνείουσι δύο κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης
καὶ τύπος ἀντίτυπος, καὶ πῆμ' ἐπὶ πήματι κεῖται.
ἔν θ' Ἀγαμεμνονίδην κατέχει φυσίζοος αἶα
τὸν σὺ κομισσάμενος, τεγέης ἐπιτάῤῥοθος ἔσσῃ.

Est quædam Arcadiæ Tegea in regione patente:
Hic duo flant venti vi pervehemente coacti.
Forma hostis formæ, & plagæ superindita plaga
Hic Agamemnonides terra omniparente tenetur,
Quo tu sublato Tegeæ sperabere victor.

Isto oraculo significatum est: Orestis ossa in officina fabrili seu æraria esse defossa. Sed quis potuit hoc ex illis verbis vel divinando assequi? Nihilominus Liches Spartanus Oraculi mentem tandem pervestigavit. Cùm enim aliquando in ærariam officinam apud Tegeatas venisset, intuitus est non sine admiratione, quomodo procuderetur ferrum. Faber ferrarius ubi hominem vidit stantem admirabundum, indicavit ei, quòd ante annos aliquot invenerit in illa officina cadaver postmodum terra iterum obrutum. Liches narrationem fabri secum considerans, conjectavit: ossa istæc dubio procul Herculis esse, & datum oracu-

oraculum hîc applicari posse: unde ærariæ fabricæ instrumenta singula retulit ad verba Oraculi. *Nam duos, quos cernebat, fabri ferrarii folles, totidem comperit esse ventos; incudem verò & malleum explicavit Typum & Antitypum. Typus quippe est malleus qui ictum incudi impingit: quem cum vicissim repellat incus, antitypus vocatur, quasi vicissim verberans. Hominum perniciem seu plagam interpretatus est ferrum, quod in plagam hominis sit inventum: quoniam istius usus jam in prælio est ad occidendos homines.* Quæ ubi secum cogitavit Spartam regressus rem omnem Lacedæmonijs retulit. Hic igitur tandem astu quodam effosso sepulchro ossa Herculis collegit, eaque asportans domum redijt. Quo ex tempore Lacedæmonij, quoties cum Tegeatibus congressi sunt, superiores extiterunt. *Herodot. d. lib. 1. c. 68. p. 27. Et Pausanias lib. 3 p. 153.*

Unum adhuc exemplum adducam de *Petro Aloysio Pauli III.* Pontificis filio, qui cum de conjuratione adversus se satis certus esset, sed de personis ac loco ignarus, ad vetitas artes, quas à Patre, ut conjurati ajebant, edoctus familiariter colebat, confugit, & incantationibus evocatum Dæmonem de conjuratorum nominibus interrogavit. Diabolus verò nihil aliud respondit, quàm ut Dux suam monetam inspiceret diligenter, quippe quòd ibidem & locum conjurationis, & nomina consciorum esset reperturus. Id tunc minimè intellectum pro delusione fuit habitum, quod postmodum facta cæde verum fuisse compertum est. Nam cum in antica parte Farnesiorum nummorum scriptum sit: *P. ALOIS. FARN. PARM. ET. PLAC. DVX*, vocis *Placentina* ubi cædes facta est, prima quatuor elementa seu literæ initiales *Pallavicinum, Landum, Anguisciolam, & Confalonerium* designarunt. Quod inter memorabilia magicæ delusionis exempla meritò recenseri potest. Interea successus consiliorum hic fuit, ut, occupata arce conjurati *P. Aloisium* gladio transfigerent, & cadaver catena suspensum è muro plebi ostentarent, & ad ludibrium aliquamdiu illud agitatum præcipitarent in fossam, addito elogio, quo nefandæ libidinis crimen mortuo exprobrabatur. *Thuanus lib. 4. p. 84. Histor. Iohan. Sleidan. lib. 19. p. 592. & seqq.* Plura equidem adderem exempla, quibus ostendi posset, quomodo Dæmon miseros mortales opem & consilium postulantes incertis, dubijs, & intellectu difficillimis responsis ibire passus fuerit, nisi scirem, ea, quæ allata sint, propositum argumentum satis illustrasse. Pergendum igitur erit ad aliud.

CAPUT XV.

Non omnia Oracula fuisse falsa.

QVod multa Oracula falsa fuerint, quibus homines se deceptos tandem viderint, negari non potest. Ipse siquidem Apollo confessus aliquando fuit; è tripode falsa prolata esse Oracula. Quem in finem adduco testimonium *Eusebii lib. 2. c. 49. p. 139. de vita Constantini*, qui de Apolline sequentia refert: *Apollinem autem*, inquit, *ad temporis ex antro quodam & tenebricoso recessu non ex sacerdotis ore hoc Oraculum edidisse ferunt. Iustos, qui in terris versabantur, impedimento ipsi fuisse, quo minus* Vera loqueretur, *& propterea* falsa Oracula *ex tripode edita esse: indeq; etiam factum esse, ut comam demitteret.* Pleni sunt libri, plena exemplorum vetustas de Oraculorum falsitate, qua simplices & creduli homines in exitium sensim pertracti sunt: cùm verò falsitas istæc se magis atque magis exsereret; antiquiores isti, præsertim doctrinis & prudentia exculti neutiquam istis deceptionibus fidem habuerunt, uti non malè judicat *Petr. Crinitus l. 8. c. 4. p. 210. de honest. disciplina.* Mirum quidem nonnullis videbitur, qua de causa Dæmon falsis responsis deceperit consulentes: sed quia in superioribus hac de re abundè actum est, superfluum esse puto, uberius idem argumentum hîc exponere. Julianus Imperator, cum ad expeditionem Persicam profecturus esset, post secessionem à vera fide, quam professus erat hactenus, suasu quorundam Philosophorum de suarum rerum successu Pythium Deum consuluit; cui tamen Dæmon ideo illusit mendacio, ut Gentium Idololatriam ubivis ferè abolitam restauraret. Oraculum tale erat:

Νῦν πάντες ὁρμήθημεν θεοὶ, νίκης τρόπαια κομίσασθαι
Παρὰ θηρὶ ποταμῷ: τῶν δ' ἐγὼ ἡγεμονεύσω πολεμόκλονος Ἄρης.

Nunc omnes Dei ad Theram fluvium appulimus relaturi trophæa Victoriæ: horum ego Dux ero. acer belli turbo Mars. Ita alio responso Diabolus *Iuliano* adulatus est, falsò illi promittens victoriam contra Persas, ubi tamen sagitta transfossus interijt. Verba Oraculi ita se habent.

Ἀλλ' ὁπόταν σκηπτροῖσι θεοῖς περσήϊον αἷμα,
Ἄχρι Σελευκείης κλονέων ξιφέεσσι δαμάσσῃς,
Δὴ τότε σε πρὸς ὄλυμπον ἄγει πυριλαμπὲς ὄχημα,
Ἀμφὶ θυέλλῃσι κυκλούμενον ἐν στροφάλιγξι

Ρύσαν-

ῥώψαντα βεστίων ἐτέων πολύτλητον ἄτην.
ἥξεις δ' αἰθερίων φάος πατρώϊον αὐλῶν
Ἔνθεν ἀποπλαγχθεὶς μεροπήϊον δέμας ἦλθες.

Jamq́ ubi Persigenam gladio victore domabis
Usque Seleucea sternens ad mœnia gentem;
Tum te flammivomi rapient ad sidera currus,
Æthereos inter ventoso turbine gyros
Mortali humanis posito cum corpore curis.
Atque ita cœlesti patriam splendore revises.
Unde es mortales quondam delapsus in artus.

...us Boissard. c. 3. de Divinat. pag. 11. Tragicum vitæ exitum hujus pes-...ni Principis egregiè ob oculos posuit *Carion lib 3. Chron p. 279.* Falsis ...aque Oraculis delusos fuisse homines nullum est dubium. Nam & ...*enomaus* de falsitate oraculorum conquestus Delphicum vatem ita ...loquitur: *Miser tu, qui Delphis habitans inde ad universum orbem in-...iafundis responsa. Insani autem omnes, qui ad Te, quasi ad veridicum ...eum accurrunt. Nec me ipsum insanum fuisse inficior*, qui & bis *ambi-...itate, ne dicam, Ignorantia tua fuerim deceptus.* Deceptionis causam ...cit *Ignorantiam & ambiguitatem*, quippe quæ occasione Inscitiæ ...urpatur. Et licèt *Cœlius Calcagninus in lib. de Oracul.* scribat: Apol-...nem non semel interrogantibus hoc responsum dedisse.

Quid frustra petitis? non nostrum est scire futura.

...ihilominus quicquid dixerint alij, non semper Oracula fuerunt falsa. ...nde autem veritas istæc derivetur, inter se discrepant Autores. 1. ...lij sunt, qui omnem futurorum præscientiam Dæmonibus abjudi-...nt, ita, ut nihil certi ipsi præscire nedum prædicere queant: Quod ... tamen prædictioni re spondeat eventus, illud totum casui attribuunt. ...uo tendit *Eusebius l. 4. c. 2. de præpar. Evangel.* quando asserit: *Peripa-...ticos, Cynicos, & Epicureos contemnere omnia Oracula tanquam falsa ...stolidæ vanitatis plena. Et cap. 1. p. 132.* dicit: *Antiqua omnia responsa ...æmonum mendacia inveniri: Quod si qua vera reperirentur* CASU ...*agis, quam* JUDICIO CERTO in exitum perducta fuisse. Igitur si ...asu quodam vera deprehensa fuerunt Oraculorum responsa, nullo ...ubnixa fuerunt fundamento; & ita Dæmon obiter aliquid ex inscitia ...uadam sciscitantibus respondit; incertus, an res ita subsecutura esset, ...ti ipse prædixisset. Quod si verò responsum datum ipso rei eventu

adim-

adimpleretur, illud unicè caſui imputandum eſſe, quòd ſcilicet ita præter opinionem ita eveniſſet, uti Apollo vaticinatus fuiſſet. Et quem-admodum alias Caſu id evenire dicimus, quod nulla præeunte ratione ita contingit, veluti ſi tegula de tecto decidens prætereuntem vulneret: pari modo & Oracula caſu impleri dicuntur, cùm reſponſa data à proferente adhuc ſint incerta, an ita futura ſint nec ne: ſed absque ulla ratione prævia ejusque directione temerè exiſtant; in tantùm ut Dæmon ipſe nec præviderit nec præſciverit Oraculi veritatem, ejusque futuram adimpletionem uti ipſe antè hominibus denunciaſſet. Expectandus itaque ab ipſo Deo ejusmodi fuit caſus, ſicuti ab ipſis conſulentibus, qui tamen ſpe pleni, & fiducia effectus certò futuri juxta vaticinium acceptum freti nihil certius crederent, quàm id ſibi eventurum, quod ex Oraculo audiviſſent. 2 Alij certitudinem Oraculorum ex parte admittunt, & quidem certis in rebus, quarum ſucceſſum Dæmones vel ex Aſtris potuerunt cognoſcere. *Porphyrius* aliàs magnus Oraculorum irriſor dicit apud *Euſebium l. 6. c. 4. de Præpar. Evangel.* Quæ de morbis, bello, aliisque caſibus prædicunt, ea omnia ex aſtris eorumque motibus, ſicuti noſtri aſtrologi, habent; quos (ſcilicet Aſtrologos) tamen ipſi certiore experientia & uſu ſuperant. Quod quoque *Iohannes Caſalinus* approbat hiſce verbis: *Dæmones tam longo uſu edocti magnam ſibi aſtrorum pararunt notitiam, è quorum inſpectione certò, & longè certius quàm homines ſcire & prædicere norunt, quæ in hominum ſocietate ſint eventura, uti ſunt morbi, bella, & ſimilia, quæ ex eorum influxu præcipuam exiſtentiæ originem capiunt.* 3. Alij tamen & hoc concedunt; poſſe ſcilicet Dæmonem è notitia & inſtituta examinatione rerum præteritarum de futuris judicare, atque ita certi quippiam prædicere. Etenim ſi vir prudens è comparatione præteritorum cum futuris certò ſtatuere queat, quid ad præſentia tandem ſubſequi poſſit: utique etiam & Dæmon qui prudentiâ, ob majorem experientiam eorum, quæ in negotiis humanis & potiſſimùm civilibus accidere ſolent, multos ſuperat, in talibus rebus prædicere valet, quid probabiliter ad minimum ſit eventurum. Si enim eadem deprehenditur cauſa in præſenti negotio, atque quæ antea in ſimili re extitit: rectè concludere poterit: Qualis eventus ad talem cauſam ſubſecutus fuit: eundem eventum certiſſimò in ſimili negotio ſubſecuturum: Cujuſmodi ratiocinatio in civilibus, niſi alia interveniant, fallere non ſolet. 4.

Qui-

Quidam multum tribuunt ſolertiæ in conjectando: experientia namque teſtatur: multos in rebus dubijs, & quarum exitus incertus eſt ſæpe in conjecturis ſuis non aberrare; ſed rem, uti poſtea contingit, prædicere: Quidni ergò & Dæmon in talibus valdè exercitatus conjectando aſſequi & indagare queat, quæ adhuc ſunt dubia, ut in prædictionibus ſuis minimè fallat. 5. Sæpe quoque Dæmon hominum mores habet exploratos, naturam, temperamentum, ut & deſideria eorum perfectè callet, quapropter poterit ſe in iſtis providè gerere ut nihil prædicat, niſi quod certò eventurum probè calleat. Hinc ſi unus deſideret alterius regionem occupare ad dilatandum imperium ſuum, uti Crœſus cupiebat Cyri Regnum diſturbare, illudque ſui Iuris facere: hinc facilè Dæmon collatis inter ſe utriusque Regis viribus & potentia potuit ſcire, quòd *Cyrus* ſub *Mulinomine* indigitatus viribus ſuperaret *Crœſum*, eumque, ſi ab eo laceſſitus foret, tandem ſubjugare poſſet, quod etiam poſtea ita accidit. Intelligit quoque quo animo homines inter ſe ſint affecti, an alter alterum oderit, vel amore proſequatur: iſti invideat, vel eidem bene velit: Inde ſi is de talium affectuum effectu conſulatur, in proclivi fuerit eidem verum proferre reſponſũ. Nullum igitur eſt dubium, quin ex Oraculis vera & certa ab hominibus accepta fuerint reſponſa: unde autẽ fuerint pertracta, ut ulterius operosè perſcrutemur, neceſſũ non eſt: ſufficiat ſaltem exemplis monſtraſſe, non ſemper conſultores ab Oraculis in impetratis reſponſis fuiſſe circumventos; ſed ea fuiſſe vera, & rem contigiſſe juxta Dæmonis vaticinium. Unde quoque locus datus eſt quibusdam proverbiis: *Ex Tripode dictum*, quod *Eraſmus p. 246.* exponit de illis, quæ vehementer ſeu valde vera ſunt. Inde è tripode dicta ſunt reſponſa ſeu verba certiſſima, ac ſi Deus ea ipſe locutus eſſet. Quo facit *Cicero* in *Epiſt. ad Brutum*, Hæc, ait, *ex Oraculo Apollinis Pythii edita tibi puta.* Et Comicus ait: *Non Apollinis magis verum atque hoc reſponſum eſt.* Plato lib. XII. de LL. *Ne ſi Pythius quidem affirmaverit.* Et *Tacitus l. 6. c. 21. l. 5. Annal.* dicit: *Oraculi vicem accipere*, id eſt, tam certò illud credere, acſi ab ipſo Deo eſſet prolatum. Quæ omnia ſatis monſtrant: veteres haut minimam Oraculis tribuiſſe fidem, in tantum, ut ad ea interdum non aliter, atque ad portum ſalutis confugerent; quorum nonnulli quoque voti ſui facti ſunt compotes, & reipſa veritatem Oraculi deprehenderunt. Et hinc eſt, quod quidam tàm firmiter dictis Ora-

culi crediderint, uti Deo ipsi per Oracula loquenti. Quemadmodum de Messenijs refert *Pausanias lib. 4. p. 218.* quòd eos fiducia Oraculi perduxerit, ut belli aleam experirentur, sociorum copijs non expectatis. Macrinus quoque expertus est Oraculi veritatem. *Is natu grandis usu & experientia rerum præstabat cum quadam virtutis significatione: sed tanti exercitus Imperator à puerulo, cujus ne nomen quidem ipse noverat antea, oppressus est. Dio Cassius lib. 78. p. 889.* Μακρῖνος γέρων ὢν καὶ ἐμπειρίᾳ πραγμάτων προφέρων ἀρετήν τε ὑποδεικνύων, καὶ τοσούτων στρατευμάτων ἄρχων ὑπὸ παιδαρίου, οὗ μηδὲ τὸ ὄνομα πρότερον ἠπίστατο, κατελύθη. Id ei oraculo prædictum erat his versibus.

ὦ γέρον, ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταὶ
Σὴ δὲ βίη λέλυται, χαλεπὸν δέ σε γῆρας ἱκάνει·
O senior belloque juvenum quem dextra fatigat,
Iam tibi deficiunt vires repitque senectus.

Lacedæmonij ut ut contra fedifragos Athenienses justam nacti essent bellandi causam, noluerunt tamen Numine inconsulto bellum suscipere: sed missis Delphos legatis Oraculum interrogaturis, numquid bellum liceret suscipere? hoc responsum receperunt: non tantùm ipsos fore victores, si armis strenuè essent decertaturi, sed & Deum ipsum vocatum & non vocatum illis adfuturum. *Thucyd. lib. 1. p. 76.* Qui quoque *lib. 2. p. 134.* addit: *Lacedæmonios conjecisse, ea, quæ tum fiebant, cum Oraculo convenisse.* Præterea narrat *Pausanias lib. 7. p. 403.* quod pro Cereris æde sit fons, qui à templo lapideo pariete secludatur. Ad eum fontem per exteriorem tramitem descenditur. Ibi *Oraculum maximè veridicum est.* Cognoscuntur ex eo *non rerum omnium*, sed *morborum duntaxat eventa.* Speculum tenui suspensum funiculo demittunt, ita librantes, ut in fonte omninò non mergatur, sed imo ambitu aquam contingat. Exinde ubi odores adoleverint, & rite Deam precati fuerint, *inspiciunt in Speculum, & ex ejus imaginibus, periturus ne an victurus is æger sit, de quo consuluerunt,* divinant. Neque latius hujus aquæ divinatio patet. Idem *lib. 9. p. 527.* dicit: Thebis, antequam exciderentur ab Alexandro, fuisse *Oraculum minimè fallax*: sed in suis responsis fuisse verissimum: seu illa, quæ prædicebantur ab Oraculo certissimè subsequuta fuisse. *Calchanti.* quoque vati celeberrimo evenit, uti prædixerat ei Oraculum; scilicet fatis eum subitò concessurum, quam primum in meliorem vatem incidisset. Incidit autem in *Mopsum*

Apolli-

Apollinis & Mantus filium, à quo in certamine superatus est. Nam cùm hi duo plurima inter se de Oraculis & Deorum responsis communicassent, Mopsus proposuit Calchanti arborem caprificum, ut conjiceret, quot in ea ficus essent, ceu refert Herodotus. Sed *Pherecides* non de arbore, verùm de scrofa gravida, quæ quot suculas utero gestaret, sciscitatus est: quod cùm se ignorare diceret Calchas, Mopsus tres esse dixit, & ex illis unam femellam: idque aperta sue verum inventum est. Quapropter pudore vel mœrore contabescens Calchas mortuus est, prout ab Oraculo ei fuerat prædictum. *Strabo lib. 14. p. 643. Geograph.* Aliàs *Mopsus* ob excellentiam artis divinatoriæ per orbem valdè celebris fuit, adeò ut de eo proverbium extiterit hoc: *Mopso verior*: vel *Mopso certior*, de illis dictum, qui singulari mentis acumine futura certò prævident & prædicunt: quandoquidem latentia & pene extra hominis captum posita Mopsus ob divinandi præstantiam egregiè prævidit & enunciavit, *Erasmus in Adagiis. pag. 611.* Et *Cælius Rhodiginus lib. 17. c. 15. p. 1634. Lect. Antiqu.* De Pherone Sesostris successore legimus, quòd is luminibus oculorum captus & ita decennio integro cœcus fuerit. Et quidem hac de causa. *Cùm flumen eo tempore copiosissimum manaret, ita ut supra decem & octo cubitos rura transcenderet, vento ingruente, qui fluctus cieret, ferunt hunc Regem facinus admisisse, quod sumtum spiculum in medios fluminis vortices conjecerit: statimq; laborasse ex oculis, ac visum amisisse, decennioq; cæcum fuisse.* Undecimo autem anno ex urbe *Buti* ei Oraculum advenit, jam exactum esse tempus calamitatis: visumque ei rediturum: *Si oculos abluisset lotio mulieris, quæ ad suum solius virum accessisset, aliorum virorum expers.* Hic igitur ante omnia urinam suæ uxoris usurpavit, eaque oculos lavare cœpit. Sed cùm nihil videret, reliquarum mulierum urinam probavit, & visum recuperavit. Quo facto omnes reliquas mulieres, unâ illa excepta, cujus lotio ablutus visum receperat, unam in urbem coëgit, quæ ἐρυθρὴ βῶλος, id est, *rubra gleba* dicitur, & coactas ad unam omnes cum civitate concremavit. Eam verò, cujus urina lotus visum recuperaverat, uxorem duxit. Hoc Oraculum non fuit vanum, sed reipsa Pheroni contigit, quod ei promissum erat. Historiam describit *Herodotus lib. 2. c. 111. pag. 129.* Ita & Oraculum verum fuit, quod Crœso suppeditatum fuit de muto filio suo, scilicet: Eum tum demum locuturum, quando ipse Crœsus in vitæ discrimen incidisset.

Herodot. lib. 1. c. 85. p. 35. similiter verum fuit & illud Oraculum de *Nodo Gordio*: nam edita erat Oraculo fors: *Asiæ eum potiturum, qui inexplicabile illud vinculum solvisset: Curtius lib. 3. c. 1. n. 16.* Nunc verò series vinculorum ita fuit adstricta, ut unde nexus inciperet, quove se conderet, nec ratione nec visu percipi posset. Alexander autem M. nequaquam diu cum latentibus nodis luctatus: *nihil*, inquit, *interest, quomodo solvatur: gladioq; ruptis omnibus loris Oraculi sortem vel elusit, vel implevit.* Eandem historiam refert *Iustinus lib. 11. c. 7. n. 16. p. 178* & ait: *Alexander M. cum capita loramentorum intra nodos abscondita reperire non posset, violentius Oraculo usus, gladio loramenta cædit; atque ita resolutis nexibus latentia in nodis capita invenit.* Addi possunt, quæ habet *Plutarchus Tom. 1. in vita Alexandri pag. 674.* Plenius res exponitur ab *Arriano. lib. 2. p 87. de Expedit. Alexandri*: ubi hanc historiam ita persequitur: *Alexander cùm nullam planè solvendi nexus rationem inveniret, insolutum tamen* (nodum) *prætermittere nollet, ne id motum aliquem in multorum animis excitaret: sunt qui dicant, illum ensis ictu vinculum discidisse, & solutum esse dixisse. Aristobulus verò autor est, Alexandrum ex empto paxillo temonis (erat is clavus ligneus per medium temonem trajectus, cui vinculum adstrictum erat) jugum temoni detraxisse. Equidē quomodo nodus ille ab Alexandro solutus fuerit, affirmare non ausim. Ipse certè & qui cum eo erant ita à curru discesserunt, perinde ac si vaticinium de solutione nexus impletum esset. Quod quidem & tonitrua & fulgura ea nocte excitata satis declarant: eaq; de causa postero die Diis sacrificavit, tum ob prodigia edita, tum ob rationem solvendi nodi ostensam.* Hæc Arrianus. Inde proverbium: *Nodus Gordius* quod de re prorsus inexplicabili dicitur. *Erasm. in Adag. p. 170.* vel de ijs. qui ægrè dissolvenda expedire possunt. *Zenobius Cent. 4. Adag. 46.* Παροιμία ἐπὶ τῶν δυσλυτόντι λύειν ἐπιχειρέντων. λόγιον γὰρ τοῖς φρυξὶν ἐπεπλώκει περὶ τῆς κομισάσης τὸν Μίδαν ἁμάξης, ἥτις ἐπιλύσειε τὸν δεσμὸν ὅτον τῆς Ἀσίας ἄρξειν. Ἀλέξανδρος δ' ἔλυσεν. Id est, *Proverbium de iis, qui ægre dissolvenda expediunt. Phrygibus enim Oraculum datum de Mida curru, quo vehebatur, siquis ejus vinculum dissolveret, Asiæ potiturum. Dissolvit autem Alexander Magnus.* Quod autem Oraculo satisfecerit, inde colligere licet, quia Asiæ factus est Dominus, & ita vaticinium istud non fuit fallax, sed ejus veritatem ex ipso eventu deprehensam esse loquuntur historiæ. Pari modo verum fuit responsum, quod Lacedæmonij à Delphico Deo de belli

exitu

tiut interrogantes acceperunt. Hi enim cùm quærerent Oraculum, uo pacto possent isto difficili bello liberari, ipsis responsum est: *Si Atheniensem hominem sibi asciscerent Consiliarium.* Quare cum Athenas misissent Legatos, ut ipsi talem virum deposcerent, cujus uterenur consilio: ea re perturbati sunt Athenienses. Nam & divinis vocibus non parere, nefarium esse putabant; & rursus periculosum fore eipublicæ suæ judicabant, si Lacedæmonij parte Peloponnesi optima otirentur. Consilium ut in re dubia anceps capiunt. Erat Athenis uidam διδάσκαλος γραμμάτων seu Ludimagister, qui neque mente sas valere credebatur, & altero claudicabat pede Hunc ad Spartanos isere. Is ubi Spartam venit, modò civitatis Principes, modò plebem egos & anapæsta carmina decantans, quid facto opus esset, edocebat. *ausanias lib. 4. p. 217.* Verùm licèt in contemtum Spartanorum Athenienses claudum istum hominem miserint, ipse tamen providit, ut ndem victoria esset Lacedæmoniorum. *Iustinus l. 3. c. 5. n. 15. p. 74.* ide & *Strabonem lib. 8 p. 362. Geogr.* Itaque & hoc casu datum Oraulum fuit verum. Quo tendit etiam *Suidas*, quando ait: *Tyrtæus Archembroti filius Lacon vel Milesius, elegiarum poeta & tibicen: quem fama est carminibus suis incitasse Lacedæmonios bello Messeniaco, eosq; hostius superiores in pugna reddidisse.* Hunc Tyrtæum Spartani donarunt civitate non ob præclara facta, ut grati animi indicia erga eum de se præerent; sed ne de illis dici posset, *quod unquam peregrino Duce fuissent si*: quam rationem ut veriorem reddit *Plutarchus.* de *Quæstion. Laconic. p 240.* Similiter Mardonio contigit, uti ei prædictum erat ab Oraculo. *Pausan. l. 9. p. 527. Plutarch. de Oracul. defectu pag. 412.* Verum uoque repertum fuit Oraculum Lacedæmonijs datum, scilicet ipsos rbe Athenarum nunquam potituros, si *Codrum Regem Atheniensium* esent interfecturi. Apud *Cononem Narrat. 26.* legitur: Aletam Heraclidam huic bello interfuisse: ἐπῄει κατὰ τῆς Ἀττικῆς (ὁ Ἀλήτης) ὅτι καὶ χρησμὸν λαμβάνει νικήσειν, εἰ ἀπόσχοιντο τοῦ βασιλέως Ἀθηναίων. Hoc est, *Pergebat Aletes adversus Atticam, cum Oraculi responsum accepisset; victores fore Peloponnesios, si ab Atheniensium Rege abstinerent.* Hoc responsum ubi resciverunt Athenienses, persuaserunt Codro viro septuagenario, ut ponte se pro patria devoveret. Cum ventum esset in bellum, hoium militibus ante omnia præcipitur custodia Regis, ne scilicet Atheniensium Regem interficiant Verùm *Rex Codrus* responso Dei & præ-

Q 3 ceptis

Saltandam Tegeam planta plaudente daturus,
Utque queas campum metiri fune feracem.

Lacedæmonii isto responsô acceptô, missis cæteris Arcadibus, bellum intulerunt Tegeatibus, secumque attulerunt compedes: captioso siquidem freti Oraculo putarunt, se Tegeatas in captivitatem redacturos esse. Sed adversam fortunam ipsi experti in fugam acti sunt: & quicunque ex illis vivi capti sunt, ijsdem, quas ipsi attulerant, compedibus vincti campum Tegeatem fune metiti coluerunt. Compedes autem, quibus vincti fuerant circa templum *Minervæ Aleæ* apud Tegeam suspensæ sunt. *Herodot. lib. 1. c. 66. p. 26.* Superati à Tegeatibus Legatos misêre Delphos, qui Oraculum sciscitarentur, quemnam Deorum ipsi placarent, ut Tegeatum victores existerent. Quibus respondit Pythia, tum demum id fore: *Si Orestis filii Agamemnonis ossa referrent Spartam.* Disquirentes igitur locum, ubi conditum esset cadaver, cùm Orestis sepulchrum invenire non possent, iterum de loco, quo sepultus esset Orestes, Oraculum interrogarunt. Sed Pythia valdè obscurum, & difficillimum illis suppeditavit responsum:

ἔστι τις Ἀρκαδίης τεγέη λευρῷ ἐνὶ χώρῳ
ἔνθ' ἄνεμοι πνείουσι δύω κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης
καὶ τύπος ἀντίτυπος, καὶ πῆμ' ἐπὶ πήματι κεῖται.
ἐν δ' Ἀγαμεμνονίδην κατέχει φυσίζοος αἶα
τὸν σὺ κομισσάμενος, τεγέης ἐπιτάῤῥοθος ἔσσῃ.

Est quædam Arcadiæ Tegea in regione patente:
Hic duo flant venti vi pervehemente coacti,
Forma hostis formæ, & plaga superindita plagæ:
Hic Agamemnonides terra omniparente tenetur,
Quo tu sublato Tegeæ sperabere victor.

Isto oraculo significatum est: Orestis ossa in officina fabrili seu æraria esse defossa. Sed quis potuit hoc ex illis verbis vel divinando assequi? Nihilominus Liches Spartanus Oraculi mentem tandem pervestigavit. Cùm enim aliquando in ærariam officinam apud Tegeatas venisset, intuitus est non sine admiratione, quomodo procuderetur ferrum. Faber ferrarius ubi hominem vidit stantem admirabundum, indicavit ei, quòd ante annos aliquot invenerit in illa officina cadaver postmodum terra iterum obrutum. Liches narrationem fabri secum considerans, conjectavit: ossa istæc dubio procul Herculis esse, & datum oracu-

oraculum hîc applicari posse: unde ærariæ fabricæ instrumenta singula retulit ad verba Oraculi. *Nam duos, quos cernebat, fabri ferrarii folles, totidem comperit esse ventos; incudem verò & malleum explicavit Typum & Antitypum. Typus quippe est malleus qui ictum incudi impingit: quem cum vicissim repellat incus, antitypus vocatur, quasi vicissim verberans. Hominum perniciem seu plagam interpretatus est ferrum, quod in plagam hominis sit inventum: quoniam istius usus jam in prælio est ad occidendos homines.* Quæ ubi secum cogitavit Spartam regressus rem omnem Lacedæmonijs retulit. Hic igitur tandem astu quodam effosso sepulchro ossa Herculis collegit, eaque asportans domum rediit. Quo ex tempore Lacedæmonij, quoties cum Tegeatibus congressi sunt, superiores extiterunt. *Herodot. d. lib. 1. c. 68. p. 27. Et Pausanias lib. 3 p. 153.* Unum adhuc exemplum adducam de *Petro Aloysio Pauli III.* Pontificis filio, qui cum de conjuratione adversus se satis certus esset, sed de personis ac loco ignarus, ad vetitas artes, quas à Patre, ut conjurati ajebant, edoctus familiariter colebat, confugit, & incantationibus evocatum Dæmonem de conjuratorum nominibus interrogavit. Diabolus verò nihil aliud respondit, quàm ut Dux suam monetam inspiceret diligenter, quippe quòd ibidem & locum conjurationis, & nomina consciorum esset reperturus. Id tunc minimè intellectum pro delusione fuit habitum, quod postmodum facta cæde verum fuisse compertum est. Nam cum in antica parte Farnesiorum nummorum scriptum sit: *P. ALOIS. FARN. PARM. ET. PLAC. DUX*, vocis *Placentinæ* ubi cædes facta est, prima quatuor elementa seu literas initiales *Pallavicinum, Landum, Anguisciolam, & Confalonerium* designarunt. Quod inter memorabilia magicæ delusionis exempla meritò recenseri potest. Interea successus consiliorum hic fuit, ut, occupata arce conjurati *P. Aloisium* gladio transfigerent, & cadaver catena suspensum è muro plebi ostentarent, & ad ludibrium aliquamdiu illud agitatum præcipitarent in fossam, addito elogio, quo nefandæ libidinis crimen mortuo exprobrabatur. *Thuanus lib. 4. p. 84. Histor. Iohan. Sleidan. lib. 19. p. 592 & seqq.* Plura equidem adderem exempla, quibus ostendi posset, quomodo Dæmon miseros mortales opem & consilium postulantes incertis, dubijs, & intellectu difficillimis responsis abire passus fuerit, nisi scirem, ea, quæ allata sint, propositum argumentum satis illustrasse. Pergendum igitur erit ad aliud.

CAPUT XV.

Non omnia Oracula fuisse falsa.

QVod multa Oracula falsa fuerint, quibus homines se deceptos tandem viderint, negari non potest. Ipse siquidem Apollo confessus aliquando fuit; ê tripode falsa prolata esse Oracula. Quem in finem adduco testimonium *Eusebii lib. 2. c. 49. p. 139. de vita Constantini*, qui de Apolline sequentia refert: *Apollinem autem*, inquit, *id temporis ex antro quodam & tenebricoso recessu non ex sacerdotis ore hoc Oraculum edidisse ferunt. Iustos, qui in terris versabantur, impedimento ipsi fuisse, quo minus* Vera loqueretur, *& propterea* falsa Oracula *ex tripode edita esse: indeq́, etiam factum esse, ut comam demitteret.* Pleni sunt libri, plena exemplorum vetustas de Oraculorum falsitate, qua simplices & creduli homines in exitium sensim pertracti sunt: cùm verò falsitas istæc se magis atque magis exsereret: antiquiores isti, præsertim doctrinis & prudentia exculti neutiquam istis deceptionibus fidem habuerunt, uti non malè judicat *Petr. Crinitus l. 8. c. 4. p. 210. de honest. disciplina.* Mirum quidem nonnullis videbitur, qua de causa Dæmon falsis responsis deceperit consulentes: sed quia in superioribus hac de re abundè actum est, superfluum esse puto, uberius idem argumentum hîc exponere. Julianus Imperator, cùm ad expeditionem Persicam profecturus esset, post secessionem à vera fide, quam professus erat hactenus, suasu quorundam Philosophorum de suarum rerum successu Pythium Deum consuluit; cui tamen Dæmon ideo illusit mendacio, ut Gentium Idololatriam ubivis ferè abolitam restauraret. Oraculum tale erat:

Νῦν πάντες ὁρμήθημεν θεοὶ, νίκης τρόπαια κομίσσαι
Παρὰ θηρὶ ποταμῷ: τῶν δ' ἐγὼ ἡγεμονεύσω πολεμόκλονος Ἄρης.

Nunc omnes Dei ad Theram fluvium appulimus relaturi trophea Victoriæ: horum ego Dux ero. acer belli turbo Mars. Ita alio responso Diabolus *Iuliano* adulatus est, falsò illi promittens victoriam contra Persas, ubi tamen sagitta transfossus interijt. Verba Oraculi ita se habent.

Ἀλλ' ὁπόταν σκηπτροῖσι θεοῖς περσήϊον αἷμα,
Ἄχρι Σελευκείης κλονέων ξιφέεσσι δαμάσσῃς,
Δή τοτε σὲ πρὸς ὄλυμπον ἄγει πυριλαμπὲς ὄχημα,
Ἀμφὶ θυέλλῃσι κυκλούμενον ἐν στροφάλιγξι

Ῥύψαντα Βεγρίων ἐτέων πολύτλητον ἄγλην.
Ἥξεις δ' αἰθέριον φάεος παλαίτερον αὐλὴν
Ἔνθεν ἀποπλαγχθεὶς μερόπων δέμας ἦλθες.
Iamq́; ubi Persigenam gladio victore domabis
Vsque Seleuceæ sternens ad mœnia gentem;
Tum te flammivomi rapient ad sidera currus,
Æthereos inter ventoso turbine gyros
Mortali humanis posito cum corpore curis.
Atque ita cœlesti patriam splendore revises.
Vnde es mortales quondam delapsus in artus.

...us Boissard. c. 3. de Divinat. pag. 11. Tragicum vitæ exitum hujus pes...ni Principis egregiè ob oculos posuit *Carion lib 3. Chron p. 279.* Falsis ...que Oraculis delusos fuisse homines nullum est dubium. Nam & *...nomaus* de falsitate oraculorum conquestus Delphicum vatem ita ...oquitur: *Miser tu, qui Delphis habitans inde ad universum orbem in-...fundis responsa. Insani autem omnes, qui ad Te, quasi ad veridicum ...eum accurrunt. Nec me ipsum insanum fuisse inficior,* qui & bis *ambi-...itate, ne dicam, Ignorantia tua fuerim deceptus.* Deceptionis causam ...it *Ignorantiam & ambiguitatem*, quippe quæ occasione Inscitiæ ...rpatur. Et licèt *Cœlius Calcagninus in lib. de Oracul.* scribat: Apol-...em non semel interrogantibus hoc responsum dedisse.

Quid frustra petitis? non nostrum est scire futura.

...hilominus quicquid dixerint alij, non semper Oracula fuerunt falsa. ...nde autem veritas istæc derivetur, inter se discrepant Autores. 1. ...ij sunt, qui omnem futurorum præscientiam Dæmonibus abjudi-...nt, ita, ut nihil certi ipsi præscire nedum prædicere queant: Quod ...tamen prædictioni respondeat eventus, illud totum casui attribuunt. ...uo tendit *Eusebius l. 4. c. 1. de præpar. Evangel.* quando asserit: *Peripa-...icos, Cynicos, & Epicureos contemnere omnia Oracula tanquam fa sa ...stolidæ vanitatis plena. Et cap. 1. p. 132.* dicit: *Antiqua omnia responsa ...monum mendacia inveniri: Quod si quæ vera reperirentur* CASU *...gis, quam* JUDICIO CERTO in exitum perducta fuisse. Igitur si ...u quodam vera deprehensa fuerunt Oraculorum responsa, nullo ...nixa fuerunt fundamento; & ita Dæmon obiter aliquid ex inscitia ...adam sciscitantibus respondit; incertus, an res ita subsecutura esset, ... ipse prædixisset. Quod si verò responsum datum ipso rei eventu

adim-

adimpleretur, illud unicè casui imputandum esse, quòd scilicet ita præter opinionem ita evenisset, uti Apollo vaticinatus fuisset. Et quemadmodum alias Casu id evenire dicimus, quod nulla præeunte ratione ita contingit, veluti si tegula de tecto decidens prætereuntem vulneret: pari modo & Oracula casu impleri dicuntur, cùm responsa data à proferente adhuc sint incerta, an ita futura sint nec ne: sed absque ulla ratione prævia ejusque directione temerè existant; in tantùm ut Dæmon ipse nec prævideret nec præsciverit Oraculi veritatem, ejusque futuram adimpletionem uti ipse antè hominibus denunciasset. Expectandus itaque ab ipso Deo ejusmodi fuit casus, sicuti ab ipsis consulentibus, qui tamen spe pleni, & fiducia effectus certò futuri juxta vaticinium acceptum freti nihil certius crederent, quàm id sibi eventurum, quod ex Oraculo audivissent. 2. Alij certitudinem Oraculorum ex parte admittunt, & quidem certis in rebus, quarum successum Dæmones vel ex Astris potuerunt cognoscere. *Porphyrius* aliàs magnus Oraculorum irrisor dicit apud *Eusebium l. 6. c. 4. de Præpar. Evangel.* Quæ de morbis, bello, alijsque casibus prædicunt, ea omnia ex astris eorumque motibus, sicuti nostri astrologi, habent; quos (scilicet Astrologos) tamen ipsi certiore experientia & usu superant. Quod quoque *Iohannes Casalinus* approbat hisce verbis: *Dæmones tam longo usu edocti magnam sibi astrorum pararunt notitiam, è quorum inspectione certò, & longè certius quàm homines scire & prædicere norunt, quæ in hominum societate sint eventura, uti sunt morbi, bella, & similia, quæ ex eorum influxu præcipuam existentiæ originem capiunt.* 3. Alij tamen & hoc concedunt; posse scilicet Dæmonem è notitia & instituta examinatione rerum præteritarum de futuris judicare, atque ita certi quippiam prædicere. Etenim si vir prudens è comparatione præteritorum cum futuris certò statuere queat, quid ad præsentia tandem subsequi possit: utique etiam & Dæmon qui prudentiâ, ob majorem experientiam eorum, quæ in negotiis humanis & potissimùm civilibus accidere solent, multos superat, in talibus rebus prædicere valet, quid probabiliter ad minimum sit eventurum. Si enim eadem deprehenditur caussa in præsenti negotio, atque quæ antea in simili re extitit: rectè concludere poterit: Qualis eventus ad talem causam subsecutus fuit: eundem eventum certissimò in simili negotio subsecuturum: Cujusmodi ratiocinatio in civilibus, nisi alia interveniant, fallere non solet. 4.

Qui-

Quidam multum tribuunt solertiæ in conjectando: experientia namque testatur: multos in rebus dubijs, & quarum exitus incertus est sæpe in conjecturis suis non aberrare; sed rem, uti postea contingit, prædicere: Quidni ergò & Dæmon in talibus valdè exercitatus conjectando assequi & indagare queat, quæ adhuc sunt dubia, ut in prædictionibus suis minimè fallat. 5. Sæpe quoque Dæmon hominum mores habet exploratos, naturam, temperamentum, ut & desideria eorum perfectè callet, quapropter poterit se in istis providè gerere ut nihil prædicat, nisi quod certò eventurum probè calleat. Hinc si unus desideret alterius regionem occupare ad dilatandum imperium suum, uti Crœsus cupiebat Cyri Regnum disturbare, illudque sui Iuris facere: hinc facilè Dæmon collatis inter se utriusque Regis viribus & potentia potuit scire, quòd *Cyrus* sub *Muli nomine* indigitatus viribus superaret *Crœsum*, eumque, si ab eo lacessitus foret, tandem subjugare posset, quod etiam postea ita accidit. Intelligit quoque quo animo homines inter se sint affecti, an alter alterum oderit, vel amore prosequatur: isti invideat, vel eidem bene velit: Inde si is de talium affectuum effectu consulatur, in proclivi fuerit eidem verum proferre responsũ. Nullum igitur est dubium, quin ex Oraculis vera & certa ab hominibus accepta fuerint responsa; unde autẽ fuerint pertracta, ut ulterius operosè perscrutemur, necessũ non est; sufficiat saltem exemplis monstrasse, non semper consultores ab Oraculis in impetratis responsis fuisse circumventos; sed ea fuisse vera, & rem contigisse juxta Dæmonis vaticinium. Unde quoque locus datus est quibusdam proverbiis: *Ex Tripode dictum*, quod *Erasmus p. 246.* exponit de illis, quæ vehementer seu valde vera sunt. Inde è tripode dicta sunt responsa seu verba certissima, ac si Deus ea ipse locutus esset. Quo facit *Cicero* in *Epist. ad Brutum*, Hæc, ait, *ex Oraculo Apollinis Pythii edita tibi puta.* Et Comicus ait: *Non Apollinis magis verum atque hoc responsum est.* Plato l. XII. de LL. *Ne si Pythius quidem affirmaverit.* Et *Tacitus l. 6. c. 21. s. Annal.* dicit: *Oraculi vicem accipere*, id est, tam certò illud credere, acsi ab ipso Deo esset prolatum. Quæ omnia satis monstrant: veteres haut minimam Oraculis tribuisse fidem, in tantum, ut ad ea intardum non aliter, atque ad portum salutis confugerent; quorum nonnulli quoque voti sui facti sunt compotes, & reipsa veritatem Oraculi deprehenderunt. Et hinc est, quod quidam tàm firmiter dictis Ora-

culi crediderint, uti Deo ipsi per Oracula loquenti. Quemadmodum de Messenijs refert *Pausanias lib. 4. p. 218.* quòd eos fiducia Oraculi perduxerit, ut belli aleam experirentur, sociorum copijs non expectatis. Macrinus quoque expertus est Oraculi veritatem. *Is natu grandis usu & experientia rerum præstabat cum quadam virtutis significatione: sed tanti exercitus Imperator à puerulo, cujus ne nomen quidem ipse noverat antea, oppressus est. Dio Cassius lib. 78. p. 889.* Μακρῖνος γέρων ὢν καὶ ἐμπειρίᾳ πραγμάτων προφέρων ἀρετήν τε ὑποδεικνύων, καὶ τοσούτων στρατευμάτων ἄρχων ὑπὸ παιδαρίου, οὗ μηδὲ τὸ ὄνομα πρότερον ἠπίστατο, κατελύθη. Id ei oraculo prædictum erat his versibus.

ὦ γέρον, ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταὶ
Σὴ δὲ βίη λέλυται, χαλεπὸν δέ σε γῆρας ἱκάνει·
O senior belloque juvenum quem dextra fatigat,
Iam tibi deficiunt vires repitque senectus.

Lacedæmonij utut contra sedifragos Athenienses justam nacti essent bellandi causam, noluerunt tamen Numine inconsulto bellum suscipere: sed missis Delphos legatis Oraculum interrogaturis, numquid bellum liceret suscipere? hoc responsum receperunt: non tantùm ipsos fore victores, si armis strenuè essent decertaturi, sed & Deum ipsum vocatum & non vocatum illis adfuturum. *Thucyd. lib. 1. p. 76.* Qui quoque *lib. 2. p. 134.* addit: *Lacedæmonios conjecisse, ea, quæ tum fiebant, cum Oraculo convenisse.* Præterea narrat *Pausanias lib. 7. p. 403.* quod pro Cereris æde sit fons, qui à templo lapideo pariete secludatur. Ad eum fontem per exteriorem tramitem descenditur. Ibi *Oraculum maximè veridicum est.* Cognoscuntur ex eo *non rerum omnium,* sed *morborum duntaxat eventa.* Speculum tenui suspensum funiculo demittunt, ita librantes, ut in fonte omninò non mergatur, sed imo ambitu aquam contingat. Exinde ubi odores adoleverint, & rite Deam precati fuerint, *inspiciunt in Speculum, & ex ejus imaginibus, periturus ne an victurus is æger sit, de quo consuluerunt,* divinant. Neque latius hujus aquæ divinatio patet. Idem *lib. 9. p. 527.* dicit: Thebis, antequam exciderentur ab Alexandro, fuisse *Oraculum minime fallax*: sed in suis responsis fuisse verissimum: seu illa, quæ prædicebantur ab Oraculo certissimè subsequuta fuisse. *Calchanti.* quoque vati celeberrimo evenit, uti prædixerat ei Oraculum; scilicet fatis eum subitò concessurum, quam primum in meliorem vatem incidisset. Incidit autem in *Mopsum*

Apolli-

Apollinis & Mantus filium, à quo in certamine superatus est. Nam cùm hi duo plurima inter se de Oraculis & Deorum responsis communicassent, Mopsus proposuit Calchanti arborem caprificum, ut conjiceret, quot in ea ficus essent, ceu refert Herodotus. Sed *Pherecides* non de arbore, verùm de scrofa gravida, quæ quot suculas utero gestaret, sciscitatus est: quod cùm se ignorare diceret Calchas, Mopsus tres esse dixit, & ex illis unam femellam: idque aperta sue verum inventum est. Quapropter pudore vel mœrore contabescens Calchas mortuus est, prout ab Oraculo ei fuerat prædictum. *Strabo lib. 14. p. 643. Geograph.* Aliàs *Mopsus* ob excellentiam artis divinatoriæ per orbem valdè celebris fuit, adeò ut de eo proverbium extiterit hoc: *Mopso verior*: vel *Mopso certior*, de illis dictum, qui singulari mentis acumine futura certò prævident & prædicunt: quandoquidem latentia & pene extra hominis captum posita Mopsus ob divinandi præstantiam egregiè prævidit & enunciavit, *Erasmus in Adagiis. pag. 611.* Et *Cœlius Rhodiginus lib. 17. c. 15. p. 1634. Lect. Antiqu.* De Pherone Sesostris successore legimus, quòd is luminibus oculorum captus & ita decennio integro cœcus fuerit. Et quidem hac de causa. *Cùm flumen eo tempore copiosissimum manaret, ita ut supra decem & octo cubitos arva transcenderet, vento ingruente, qui fluctus cieret, ferunt hunc Regem facinus admisisse, quod sumtum spiculum in medios fluminis vortices contorserit: statimq; laborasse ex oculis, ac visum amisisse, decennioq; cœcum fuisse.* Undecimo autem anno ex urbe *Buti* ei Oraculum advenit, jam exactum esse tempus calamitatis: visumque ei rediturum: *Si oculos abluisset lotio mulieris, quæ ad suum solius virum accessisset, aliorum virorum expers.* Hic igitur ante omnia urinam suæ uxoris usurpavit, eaque oculos lavare cœpit. Sed cùm nihil videret, reliquarum mulierum urinam probavit, & visum recuperavit. Quo facto omnes reliquas mulieres, unâ illa excepta, cujus lotio ablutus visum receperat, unam in urbem coëgit, quæ ἐρυθρὴ βῶλος, id est, *rubra gleba* dicitur, & coactas ad unam omnes cum civitate concremavit. Eam verò, cujus urina lotus visum recuperaverat, uxorem duxit. Hoc Oraculum non fuit vanum, sed reipsa Pheroni contigit, quod ei promissum erat. Historiam describit *Herodotus lib. 2. c. 111. pag. 129.* Ita & Oraculum verum fuit, quod Crœso suppeditatum fuit de muto filio suo, scilicet: Eum tum demum locuturum, quando ipse Crœsus in vitæ discrimen incidisset.

xiut interrogantes acceperunt. Hi enim cùm quærerent Oraculum, uo pacto possent isto difficili bello liberari, ipsis responsum est: *Si Atheniensem hominem sibi asciscerent Consiliarium.* Quare cum Athenas misissent Legatos, ut ipsi talem virum deposcerent, cujus uterentur consilio: ea re perturbati sunt Athenienses. Nam & divinis vocibus non parere, nefarium esse putabant; & rursus periculosum fore eipublicæ suæ judicabant, si Lacedæmonij parte Peloponnesi optima otirentur. Consilium ut in re dubia anceps capiunt. Erat Athenis uidam διδάσκαλος γραμμάτων seu Ludimagister, qui neque mente sas valere credebatur, & altero claudicabat pede. Hunc ad Spartanos misere. Is ubi Spartam venit, modò civitatis Principes, modò plebem egos & anapæsta carmina decantans, quid facto opus esset, edocebat. *Pausanias lib. 4. p. 217.* Verùm licèt in contemtum Spartanorum Athenienses claudum istum hominem miserint, ipse tamen providit, ut andem victoria esset Lacedæmoniorum. *Iustinus l. 3. c. 5. n. 15. p. 74.* Vide & *Strabonem lib. 8 p. 362. Geogr.* Itaque & hoc casu datum Oraculum fuit verum. Quo tendit etiam *Suidas*, quando ait: *Tyrtæus Achembroti filius Lacon vel Milesius, elegiarum poeta & tibicen: quem fama est carminibus suis incitasse Lacedæmonios bello Messeniaco, eosq; hostibus superiores in pugna reddidisse.* Hunc Tyrtæum Spartani donarunt civitate non ob præclara facta, ut grati animi indicia erga eum de se præberent; sed ne de illis dici posset, *quod unquam peregrino Duce fuissent usi*: quam rationem ut veriorem reddit *Plutarchus.* de *Quæstion. Laconic. p. 230.* Similiter Mardonio contigit, uti ei prædictum erat ab Oraculo. *Pausan. l. 9. p. 527. Plutarch. de Oracul. defectu pag. 412.* Verum quoque repertum fuit Oraculum Lacedæmonijs datum, scilicet ipsos Urbe Athenarum nunquam potituros, si *Codrum Regem Atheniensium* essent interfecturi. Apud *Cononem Narrat. 26.* legitur: Aletam Heraclidam huic bello interfuisse: ἐπῄει κατὰ τῆς Ἀττικῆς (ὁ Ἀλήτης) ὅτι καὶ χρησμὸν λαμβάνει νικήσειν, εἰ ἀπόσχοιντο τοῦ βασιλέως Ἀθηναίων. Hoc est, *Pergebat Aletes adversus Atticam, cum Oraculi responsum accepisset; victores fore Peloponnesios, si ab Atheniensium Rege abstinerent.* Hoc responsum ubi resciverunt Athenienses, persuaserunt Codro viro septuagenario, ut sponte se pro patria devoveret. Cum ventum esset in bellum, hostium militibus ante omnia præcipitur custodia Regis, ne scilicet Atheniensium Regem interficiant. Verùm *Rex Codrus* responso Dei & præ-

 ceptis

ceptis hostium cognitis, permutatô Regis habitu, pannosus, sarmenta collo gerens, castra hostium ingreditur, ibi in turba obsistentium à milite, quem falce astu vulneraverat, interficitur Et ita Athenienses virtute Ducis pro salute patriæ morti se offerentis bello liberantur. *Justinus l. 2. c. 6. n. 20. & sequ. p. 42.* Atque ita Regis interitu effectum est, ne Athenæ occiderent. *Valerius Maximus. lib. 5. c. 6. p. 224.* sed Codrum cum morte *æterna gloria*: Athenienses vero secuta victoria est. *Vellejus Patercul. lib. 1. c. 2. n. 3.* Addi hisce poterit *Eduardus Simson par. 3. Chron. Cathol. p. 4. & 5.* Impletum quoque Pythiæ Oraculum fuit in Miltiade, qui delectus Dux Chersonesum profectus ibidem Tyrannus constitutus est. *Cornel. Nepos in vita Miltiad. c. 1. n. 3. 4. & seqq.* vide supra *c. 8. p. 45.* Illustre exemplum adimpleti Oraculi habetur apud *Socratem l. 4. c. 8. Histor. Eccles. pag. 272.* Cum urbis Chalcedonis muri jussu Imperatoris Valentis dejicerentur, lapides eorum *ad balneas publicas* Constantinopolis, quæ dicuntur *Constantiana* transportati sunt. In quorum uno Oraculum incisum repertum est, quod antiquitus quidem abstrusum fuisset, sed tùm primum in lucem prolatum. Ex quo constabat: *Muros tum balneis inservituros, cùm magna aquæ copia urbi suppeteret: cumq; infinitæ barbaræ gentes in fines Romanos excursionem facerent, Romanos multis afficerent incommodis, ipsæq; ad extremum interirent.* Oraculum ita se habet.

Laurigeram Nymphæ dum miscent cantibus urbem,
Raucaq; multigemens defendit balnea murus,
Gens fera, gens numerum superans superabit & Istrum
Quæ Scythicas franget glacies, Mysosq; rebelles.
Conteret: hostili penetrans sed cuspide Thraces.
Prælia committet. sed committendo peribit.

Ita se habet Oraculum. Non longo temporis spatio interposito, aquæductus à Valente exædificatus permagnam aquæ abundantiam urbi Constantinopoli suppeditavit: eodemq; tempore gentes turbatæ contra Romanos bellum concitavere. Cœterùm etiam Oraculum alio etiam modo intelligi poterit. Nam aquæductu in civitatem derivato, Clearchus urbis præfectus ὑδρεῖον, id est, tubum amplissimum *in foro Theodosiano* construxit: quod δαψιλὲς ὕδωρ, id est, aqua copiosa appellabatur, ubi lætum festum agitavit civitas. Atque hoc est, quod in Oraculo dictum fuit:

Laurige-

Laurigeram nymphæ dum miscent cant bus urbem
Raucaq; mu'tigemens d fendit balnea mur u.

Veritas Oraculorum vel exinde confirmari poterit, quòd Dæmones sæpe prudenter responderint, & talia virtutum testimonia suis dictis immiscuerint, quæ sint rectæ rationi consentanea adeoq; non potuerint veritate destitui: cùm nihil quod cum ratione consentit dici possit falsum. Cujusmodi Oracula adhuc extant & optima nempe virtutum documenta veritati quam maximè conformia. Insignis est illa Apollinis sententia in vestibulo Delij Apollinis scripta: κάλλιστον τὸ δικαιόν λῷστον δ' ὑγιαίνειν: quod est justissimum, id est pulcherrimum: sanitas verò seu valere est optimum scilicet, in hominum bonis naturalibus. Qui versus in vestibulo dicti templi scriptus erat de votis bonorum. *Aristot. lib. 1. ad Eudem. c. 1. pag. 115. Tom. 2. Oper. Et lib. 1. c. 9. Ethic. ad Nicom.* Audita quoque à Delphico vate hæc fuit sententia: διά τ' ἀνὴρ ῥέξῃ τοῖον τέλος αὐτὸν ἱκάνει: Qualia quis fecerit, talem aliquando habebit finem seu exitum. Memorabilem casum refert *Ælianus l. 3. c. 43. p. 134. variar. histor.* de Sybaritis, qui posthabita loci sacri veneratione citharædum, qui ad aram Iunonis confugerat, in ipso templo nefariè trucidarunt. Sed paulò post visus est in æde Iunonis non aliter quàm è perenni quodam fonte scaturire sanguis. Quô prodigio exterriti Sybaritæ Delphos ablegarunt nonnullos, ut illi propter hoc consulerent Oraculum: à quo tamen graviter reprehensi sunt ob cædem in publico fano perpetratam: additis dictis moralibus, quod Deus ejusmodi delinquentes gravissimis pœnis soleat afficere. Locus est egregius:

Βαῖν' ἀπ' ἐμῶν τριπόδων, ἔτι τοι φόνος ἀμφὶ χέρεσσιν
πουλὺς ἀποστάζων ἀπὸ λαΐνου οὐδοῦ ἐρύκει.
οὔ σε θεμιστεύσω, μουσῶν θεράποντα κατέκτας,
ἥρης πρὸς βωμοῖσι, θεῶν τίσιν οὐκ ἀλεείνας,
τοῖς δὲ κακὰς ῥέξασι δίκης τέλος οὐχὶ χρονιστὸν,
οὐδ' ἀπαραίτητον οὐδ' εἰ Διὸς ἔγγονοι εἶεν
ἀλλ' αὐτῶν κεφαλῇσι καὶ σφετέροισι τέκεσσιν
εἰλεῖται καὶ πῆμα δόμοις ἐπὶ βήματι βαίνει.

Cede meis mensis manibus nam sanguis adhærens
Distillansq; recens prohibet tibi limina templi.
Non tibi fata canam magna Iunonis ad aram
Musarum innocuum stravisti cæde ministrum.

Non

Non immortales hoc Dii patientur inultum.
,, *Si quis enim prudens scelerata è mente profectum*
,, *Committat facinus, gravis hunc prope pœna sequetur.*
,, *Non exorabit, neque si genus ab Iove summo*
,, *Duceret: ipse suo collo, collisq; nepotum*
,, *Hoc luet & generi cumulatim damna ferentur.*

Insigne utique hoc est Oraculum & verissimum: Deus siquidem ejusmodi delicta non relinquit impunita. Qua in re Pythia se veracem ostendit. Verum quoque & illud fuit, quod Philippo Regi Macedonum fuit datum: ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου καὶ πάντα νικήσεις: pugna hastis argenteis, & omnia vinces. Omnia siquidem pecuniæ obediunt: & pro auro & argento, fides, amicitia, jusjurandum, religio & omnis virtus venalis redditur. Solon aliquando verum quoque ab Apolline recepit responsum de felicitate civitatis, scilicet eam esse felicem civitatem, quæ Unius Principis imperio regitur. εὐδαίμων πόλις ἔσθ' ἑνὸς κήρυκος ἀκούων: *Beata est civitas, quæ unius vocem audit*, id est, unius imperio obtemperat. Ita si fides habenda sit narrationi, *Oraculum Serapidis Thulidi Ægyptiorum Regi potentissimo datum fuit valdè verum, imò maximè divinum.* Hic enim Rex postquam consuluit Oraculum Serapidis, quisnam se esset beatior vel etiam potentior? tum talem responsionem inde reportavit.

Πρῶτα θεὸς, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς
Principio Deus est, tum Verbum, his spiritus una est:
Congenita hæc tria sunt, cuncta hæc tendentia in unum,

Quod dictum è Suida adduxit *Athanasius Kircherus Tom.1, Syntagm.3. c.5. p.105. Oedipi Ægyptiaci.* Sunt & multa alia præclara ab Oraculo prolata, quæ hinc inde in voluminibus Scriptorum ad huc legi possunt: pauca saltem volui hac vice adducere, quibus ostendi potest, quod saltem volo; non omnia Oracula falsa, sed quædam etiam vera fuisse. Illud tantum subnectam, quod refertur de *Alexio Comneno*, qui fuit Imperator Græcorum: hic de duratione familiæ suæ Oraculum consuluisse, & ab eo hoc responsum accepisse dicitur: nempe seriem Comnenæ familiæ in tot personis duraturam, quot literas nomen ΑΙΜΑ haberet. Ideóque quatuor ex illa saltem familia fuerunt, *Alexius, Iohannes, Manuel*, & hujus filius *Alexius Iunior*, in quo desiit successio Imperij, & quidem studio & opera pessimi tutoris *Andronici*, qui, ut ipse

ipse imperium ab se trahere posset, pupillum suum interfecit. Et ita non potuit fatum adhibita licèt cautione per patrem in constituendo tutore devitari. Vide *Johann. Cluver. in Epit. Histor. p. 538.* Facinus istud crudele refert *Carion lib. 4. Chronicor. p. 602.* his verbis: *Alexium filium pater regno decedens puerum prorsus Andronici patruelis tutelæ commendavit. Hic Andronicus statim, ut est Imperium ingressus, amovit amicos omnes, quos impedituros suspicabatur, ne quod animo conceperat de Imperii raptu perficeret. Moxq; omni metu liberatus Alexium quoque pupillum Imperii heredem cum vix annum attigisset decimum quintum, nervo arcus elifo, immaniter strangulatum inclusumq; arcæ plumbeæ demersit in mare, acclamantibus cædis sociis, veluti ἐπιτάφιον ᾆσμα. Homericum illud:*

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω εἷς βασιλεύς.

Non est bona r. s multorum imperium, unus esto Dominus, unus Rex.

Itaque jussu impij Tutoris *Stephanus Hagio-Christophorita, Constantinus Tripsychus, & Theodorus quidam Badibrenus* lictorum præfectus noctu Alexium sub tutela Andronici constitutum adorti nervo arcus strangulant. Andronicus cadaveris latus pede tundit: & parentum ejus alterum (scilicet patrem) tanquam perjurum & injurium: alteram (nempe matrem) ut vulgati corporis mulierculam contumeliosè insectatur. Deinde veru auris ei perforatur, trajectoque filo, appensa cerâ, Andronici annulo signatur, reliquum corpus in profundum maris abijci, caput verò à cervice revulsum ad Andronicum referri jubetur. Peractis mandatis caput clam in *Catabaten* (loci nomen id est) abijcitur: truncus arcæ plumbeæ involutus in mare demergitur. Cymba, qua miserrima illa sarcina vecta erat, à duobus claris viris cum carminibus & tripudijs Johanne Camatero Caniclæi præfecto, qui post Bulgariæ Patriarcha extitit, & à Chartulario Thedoro Chumno est reducta. Hæc de infelici Alexij exitu narrat *Nicetas Choniates in Annalib. Alexius Manuel. Filius. pag. 298.*

CAPUT XVI.

De
Iis, qui rectè Oraculi mentem assecuti & interpretati sunt.

Hucusque multis demonstratum est, Oracula seu divina illa, uti tum

habebantur, responsa, non tantùm interdum ambigua, & obscura, adeoque multis involucris recondita; sed etiam difficillima fuisse intellectu, adeò, ut multi in interpretandis iis valdè aberraverint, & ob nimiam securitatem, quòd autoritate divina freti temerè nonnunquam susceperint negotia, sibi ruinam acceleraverint. Reperti tamen quidam sunt, qui non mali fuerunt Oraculi Interpretes, quandoquidem eventus probavit, ipsos mentem Numinis rectè percepisse, dum illud ipsis contigit, quod ex Oraculo audierant & cognoverant, sicuti illud sequentia testabuntur exempla. Antequam verò ad ea accedam, & inscriptionem hujus capitis probem, paucis examinabo hanc quæstionem; *Unde aut* quibus *mediis nonnulli Oraculi sensum indagare potuerint?* Causas hujus rei omnes, quæ forsan apud diversos reperiuntur scriptores, exponere non licet: saltem quasdam probabilitate haut destitutas cognovisse sufficiet. Et quidem 1. *Verborum claritas* optimum fuit medium percipiendi mentem Numinis. Multa enim extitisse Oracula verbis perspicuis prolata, historiæ testantur: de quorum interpretatione cura non fuit habita; sermonis scilicet evidentia sensum dati responsi suppeditante. Tum autem perspicuum est Oraculum: quando verba, prout jacent, intelliguntur, & sic quoque intelligi debent; neque sub illis alius latet sensus, ut audientes dubij potuerint reddi: Sed ex illis statim apertè cognoscitur, quid Dæmon intendat, quidve velit. 2. *Casualis interpretatio*, quando nulla ratione, aut consilio suscepto Oraculi mentem invenerunt; verùm, quòd rectè eam apprehenderint, id unicè casu factum est. Reperti namq; sunt, qui, audito Oraculo, non statim certi fuerunt quid agendum esset: nihilominus interdum secundum proprium arbitrium judicarunt; tentandam esse rem, forsan Dei mentem ita fuisse. Ubi nonnunquam feliciter ipsis contigit, quod existimare non poterant illud ita eventurum esse. Tigrani Oraculum de filij morbo ferè desperato consulenti datum est. *Desperant medici; tu non despera, si corpus laves in calido, ne membra madefiant.* Mirum responsum; cujus vim Tigranes non assecutus; corio involutum puerum in aqua fervida lavit, sed frustra. Postea eum in arena ad Solem exponi jussit, qui, uti istæc ætas id permittit, pulvere solaribus radijs calefacto corpus conspersit, & ita sanitatem juxta mentem oraculi recepit. Hanc fuisse sententiam Numinis, nemo intellexit: casus tamen detexit ita declarandũ fuisse sensum Oraculi. 3 *Conjectura,* qua

qua quis acumine quodam ingenij dicta Oraculi penetrat: Equidem certò non scit, hanc vel illam interpretationem, quæ ipsi in promtu est, eloquio isti divino convenire, animi tamen solertia tandem verosimiliter indagat, quid Numen voluerit per istud responsum ipsi denunciare. Conjectura siquidem est operatio animi, qua homo circa aliquod negotium dubium è quadam naturali sagacitate probabiliter verum assequitur. Dico probabiliter, nam hic subest ad huc formido, an is rectè rem intellexerit? an verum invenerit? an ita negotium sit comparatum, uti ille sentit? cessante enim hoc metu, certa sese exserit notitia, quæ multis modis distat à Conjectura. Quod enim certo scitur, de eo non potest esse formido de contrarij veritate, quandoquidem illa notitia fundatur in certitudine rationis, per quam illa acquiritur: At conjectura non excludit metum oppositi; quinimò dubium cum ipsa adhuc conjungitur, nisi quòd mentis humanæ solertia quodammodo de veritate judicare, & ita vim negotij intelligere valeat. Et hoc modo absque ulla certa causa quidam in ambiguis sortibus invenerunt, quod Apollo intendebat. 4. *Ratiocinatio*, qua ex alijs certi quippiam colligitur. Interdum enim ex circumstantijs loci, objecti, temporis, causæ efficientis, & finis deprehendere sensum Oraculorum potuerunt percipere, præcipuè sapientes, qui in ejusmodi dubijs hoc pacto divinum responsum rectè exposuerunt. Quemadmodum aliàs in negotijs humanis sæpe numerò evenit, ut si suscepta de illis consilia inveniantur dubia, quidam tamen ex istorum circumstantijs certi quippiam inferre & statuere possunt: pari ratione etiam beneficio ratiocinationis & olim Viri sapientes veritatem in explicando Oraculo invenire potuerunt. Cui addi solet. 5. *Cautio in verbis rectè examinandis*: ne verba ambigua, perplexa, aut etiam obscura temerè sibi quis in meliorem partem accommodet: verùm ante omnia verba ipsa, eorum proprias vel improprias significationes, eorumque structuram in Oratione bene perpendat: & consideret, quinam exinde eliciatur sensus, planus ne an verò anceps: an eo modo videatur cum intentione proferentis convenire, vel ab eadem discrepare. Et qui animum habuerunt ab affectuum impetu liberum, illi serena mente secum ejusmodi dicta Oraculorum examinarunt, & vim illorum probè pensitarunt, ea propter etiam tanquam in rebus dubijs providè sibi & saluti suæ prospexerunt: & experti sunt reipsa, quidnam Sa

crum Numen prædicere voluerit: At quorum mens affectibus exæstuans cœco velut impetu Deorum responsa, prætermissâ illa consideratione, sibi applicavit, deprehendit: temeritatem istam non vacasse periculo. 6. *Comparatio cum aliis Oraculis.* Qui modus ex parte potuit consulentibus post acceptum responsum proficuus esse: cumprimis si de simili quodam negotio Deum interrogarunt: vel ex alio jam tum dato Oraculum suum interpretati sunt. Ita enim obscuro responso lucem attulerunt ex alio responso, & inde interpretationem hauserunt. Pulchrum hac de re extat exemplum apud *Herodot. l. 5. c. 93 pag. 322.* Corinthijs ejusmodi erat status, ut pauci haberent imperium. Cum igitur illi, qui Bacchiadæ dicuntur, apud Corinthios ad summum potentiæ gradum pervenissent (licet illorum regnum per immoderatam luxuriam postea dissolutum fuerit *Ælian. l. 1. c. 19. p. 15. Variar. histor.*) matrimonia inter se contraxerunt, & ita vires imperij sibi suisque posteris firmare voluerunt. Contigit autem, ut uni ex his, qui *Amphion* vocabatur, nasceretur filia sed clauda, cui nomen erat Labda: Quam nullus Bacchiadarum in matrimonium ducere voluit, duxit tamen illam *Eetion Echecratis* filius è *Petra* quidem *tribu*, sed à *Cæneo Lapitha* oriundus. Qui cum neq; ex hac muliere neq; ex alia liberos gigneret; Delphos missus est ad consulendum de prole. Introeuntem Pythia statim his verbis compellavit:

Ἠετίων, οὔτις σε τίει πολύτιτον ἐόντα
Λάβδα κύει, τέξει δ' ὀλοίτροχον: ἐν δὲ πεσεῖται
Ἀνδράσι μουνάρχοισι, δικαιώσει δὲ Κόρινθον.

Eetion te nemo, licèt sis tantus, honorat.
Conceptum pariet saxum grave Labda, monarchos
Quod cadet in cives, emendabitq; Corinthum.

Hoc Oraculum Delphicum eodem pertinebat, quo & alterum, quod olim Corinthijs editum fuerat.

Αἰετὸς ἐν πέτρῃσι κύει: τέξει δὲ λέοντα
Καρτερὸν, ὠμηστήν: πολλῶν δ' ὑπὸ γούνατα λύσει
Ταῦτα νῦν εὖ φράζεσθε Κορίνθιοι, οἳ περὶ καλὴν
Πειρήνην οἰκεῖτε καὶ ὀφρυόεντα Κόρινθον.

Concepit in petris aquila, enixura Leonem
Robustum, sævum, genua & qui multa resolvet.

Hac

Hæc bene nunc animis verſate Corinthia proles
Qui colitis pulchram Pallenem, altamq́, Corinthum.

Bacchiadæ, qui hujus Oraculi ſibi prius redditi mentem aſſequi non poterant, poſtquam ea, quæ Eetioni Deus reſponderat, audiviſſent, tum etiam prius illud vaticinium intellexerunt. Igitur ſilentio rem ſupprimunt naſcituram Eetioni prolem interfecturi. Edito igitur filiolo, miſerunt decem viros ad tribum, in qua habitabat Eetion, ut recens natum infantem occiderent. Labda mater ignara, cur illi veniſſent, affert filium, & in unius eorum porrigit manum. Erat autem inter eos conſtitutum, ut qui primus puerum cœpiſſet, is humi eum alliderct. Sed divina quadam providentia factum, ut puerulus viro iſti, cui traditus erat, arriſerit: qui propterea miſeratione motus eum tradidit alteri: hic tertio, & ita ulterius, donec ultimus, nemine eum interimere volente, eum reddiderit matri. Egreſſi ſe mutuo incuſabant, quod è conventione infantem non extinxiſſent. Tandem concludunt, quòd denuo introire, & omnes cædis participes eſſe velint. Labda mater in foribus ſtans iſtæc omnia audivit: Igitur puerulum ſub menſura frumentaria (κυψέλη Græcis dicitur) occultavit. Ingreſſis illis & ſcrutantibus puerulus non apparet: quapropter viſum eſt illis abire, & dicere: ſe mandato paruiſſe, & infantem occidiſſe. Poſtea Eetionis filio impoſitum eſt nomen Cypſeli ob periculum vitæ, quod devitaverat in Cypſela abſconditus. *Plutarch. de Sept. Sapient. conviv. pag. 163. & ſequ.* Qui adultus Corinthum aggreſſus occupavit, & imperium ad ſe traxit, fretus Oraculo, quod ei datum erat. Hiſtoria hæc indicat, alterum Oraculum ex altero fuiſſe intellectum. 7. Non repugnabo, quod nonnulli putant: *Conſultores ſenſum Oraculi ab aliis vatibus percepiſſe:* ſcilicet, quod acceptum reſponſum intellectu difficile, vel etiam anceps aut obſcurum alijs vatibus, & artis divinatoriæ peritis recitaverint, & ab illis declarationem petiverint. An verò illi vates verum illis enunciaverint, vel & ipſi aberraverint, dicere equidem non potero. Neque in promtu ſunt teſtimonia, quibus illud probari queat. Quod autem alij addunt 8. Fortean Dæmonem ipſis clàm & remotis arbitris mentem Oraculi aperuiſſe vel per inſomnium, vel alio quodam modo, id ut credam, cauſam non invenio dignam. Quid opus habuiſſet Dæmon dubium reſponſum in ſecretis locis interpretari, cùm illud potuiſſet apertius proferre? Plura, quæ hac

de re dici poterant, prudens omitto, & confero me ad selecta hûc pertinentia exempla Inter quæ non minimum est, quod Æneas rectè oraculum interpretatus sit. Nam Oraculum jussit eum in Latio, & quidem eo in loco consistere, ὅπου ἂν τὴν τράπεζαν καταφάγῃ, ubi mensam comedisset. Id ei in Latio apud Lavinium usu venit, ubi loco mensæ ob inopiam habuit panem magnum, qui una cum carnibus devoratus est. *Strabo lib. 13. Geogr. pag. 608.* Huc tendit *Virgil. lib. 7. v. 112. Æneid.*

Consumtis hic fortè aliis, ut vertere morsus
Exiguam in Cererem penuria adegit edendi:
Et violare manu, malisq; audacibus orbem
Fatalis crusti, patulis nec parcere quadris
Heus etiam mensas consumimus, inquit Iulus,
Nec plura alludens. Ea vox audita laborum
Prima tulit finem.

Et paulò post. *versic. 123. & seqq.*

Hic domus, hæc patria est: genitor mihi talia namq;
(Nunc repeto) Anchises fatorum arcana reliquit.
Cum Te nate fames ignota ad littora vectum
Accisis coget dapibus consumere mensas,
Tum sperare domos defessus, ibiq; memento
Prima locare manu molirīq; aggere tecta
Hæc erat illa fames: hæc nos suprema manebant
Exitiis positura modum.

Ubi igitur panis magnus loco mensæ suppositus fuit devoratus, rectè interpretatus est Oraculum sibi datum Æneas, scilicet hoc intelligendum de illo pane jam comesto, & ita Oraculum fuisse adimpletum. Oraculum autem istud secundum quosdam acceperat à Dodonæo Jove prope Epirum. Rem eleganter describit *Dionysius Halicarnassensis lib. 1. p 44.* Nempe prope *Laurentum, ubi* appulit *Æneas*, monstratæ sunt ipsi duæ aræ, altera versus Orientem: altera versus occidentem, in quibus ipse primam victimam Deo mactavit, & quidem tanquam χαριστήριον τῶν ὑδάτων; seu grati animi memoriam ob egregias aquas fontanas ibidem repertas. Deinde prandium ijs humi sumentibus multi *Mensa vice* substraverant apium, vel (sicut alij dicunt) crusta triticea: quo vescerentur mundius. Absumtis autem cibis appositis, cùm

cùm unus atque mox alter non temperarent ab apijs seu crustulis suppositis, quidam ex Æneæ filiis, sive is fuit alius quispiam è contubernalium numero exclamat: *ἀλλ' ἡμῖν γε ἤδη καὶ ἡ τράπεζα κατεδήδοται*: *Sed à nobis & mensa est comesta.* Quo audito omnes tumultuati sunt, ut qui jam primum Oraculi eventum cernerent. Acceperant enim quoddam responsum apud *Dodonam*, ut nonnulli scribunt; aut, ut alij malunt, in *Erythris Idæ viculo*, ubi habitabat Sibylla ejus loci nympha *χρησμῳδὸς* fatidica, seu Oracula reddens. Hæc jusserat eos navigare occidentem versus, donec eo locorum pervenirent, ubi *Mensas comederent.* Hoc Oraculum fuit obscurum, & intellectu non adeò facile: postquam verò in Latio epulas instruit Æneas, & mensæ copiam habere nequit, tum cibis substravit magnum panem loco mensæ, qui tamen à socijs & commilitoribus devoratus est. Inde interpretatus est Oraculum de comedendis mensis de suo actu tum præsente, & rectè judicavit, nunc quidem Oraculum istud fuisse adimpletum. De hoc Oraculo scribit M. Terentius Varro: Acceperant quoddam responsum Troës apud *Dodonam*, uti nonnulli scribunt: ut alij malunt, in *Erythris Idæ viculo*, ubi habitabat *Sibylla* ejus loci nympha. Hæc jusserat eos navigare occidentem versus, donec eò loci pervenirent, ubi mensas comederent: quod simul atque factum animadvertissent quadrupedis ductu, ubicunque fessa procubuisset animans, ibi condere oppidum. *Ianus Boissard. de Divinat. pag. 91.* Ita & Brutus Oraculum de osculanda matre bene interpretatus est. Nam cum Tarquinij filijs, quibus ludibrium potius quàm comes associatus erat, Delphos profectus aureum baculum corneo, vel ut Plinius vult, sambuceo cavato ligno inclusum obtulit Apollini donum. Perfectis patris mandatis Juvenes cupido incessit sciscitandi ad quemnam eorum regnum Romanum esset venturum? Quibus ex *infimo specu* vox reddita est: *Imperium summum Romæ habebit, qui vestrum primus ô Iuvenes osculum matri tulerit.* Ipsi inter se, uter prior cum Romam rediisset, matri osculum daret, Sorti permittunt: quamvis paulò aliter rem narret *Dionys. Halicarnas. l. 4. pag. 261.* vide supra *c. 7. p. 47.* & c. 9. Brutus verò ratus aliò spectare Pythicam vocem, velut si prolapsus recidisset, terram Osculo contigit; scilicet *quod ea communis omnium mortalium mater esset.* Qui quoque ejectis Tarquinijs consularem Imperium auspicatus est Romæ. *Livius lib. 1. c. 56. p. 20.* Ubi obiter notandum

dum est: Bruto inditum fuisse hoc nomen ob stupiditatem vel fatuitatem. brutus siquidem significat stupidum, gravem & tardum: non quod re vera esset stolidus, & fatuus, sed ut tutus esset à Tarquinij insidijs. Quod præter *Livium dicto loco* indicat quoque *Ovidius lib 2. Fast. p. 51.*

Brutus erat stulti sapiens imitator: ut esset
Tutus ab insidiis dire superbe tuis.

Passus itaque sibi cognomentum Bruti imponi, & tanquam morionem convitijs & contumelijs affici. *Guilelm. Godelevaus ad l. 1. c. 56. Livij. pag. 340.* Præterea *Eurysthenes & Procleas* in matrimonium ducturi feminas ad Delphicum Oraculum profecti sunt, ut Deum consulerent, *quo cum Græcorũ Barbarorumve affinitate devincti pulche & prudenter nuptiis alligari viderentur.* Illis Deus respondit jubendo: ἐπανιέναι μὲν εἰς Λακεδαιμονίαν ὑποστρέφειν κατὰ τὴν ὁδὸν ταύτην. καθ' ἣν δὲ ἀφίκοντο ἔνθα δ' αὐτοῖς χώρας τὸ ἀγριώτατον ἀπαντήσῃ ζῶον φέρων τὸ πρᾳότατον, ἐντεῦθεν τοι ἁρμόσασθαι γάμους ὄντως γὰρ αὐτοῖς ἔσεσθαι λῷον, id est, *per eandem viam qua venissent, reverti in Lacedemoniam. Vbicunque porro terrarum summè ferum animal portans mitissimum eis occurreret, inde ducendas uxores esse, sic enim feliciter & prosperè ipsis processurum esse. Cui oraculo obtemperantes cum in Cleonæorum regionem venissent, occurrit ipsis lupus portans agnum, quem ex aliquo grege diripuerat. Ex eo illi coniecerunt, Apollinem de iis animalibus Oraculo significationem dedisse: proinde Thesandri probi viri filias duxerunt uxores.* Hi itaque ex conjectura quadam veri interpretes Oraculi extiterunt. Vide *Ælianum, lib. 12. c. 31. p. 627. Histor. Animal.* Aliàs oraculum istud satis fuit obscurum, & intellectu difficile: lupi tamen ore gestantis agnum occursu conjicere potuerunt Eurysthenes & Procleas. ut, cùm ovis sit mitissimum & mansuetissimum animal, isto facto intelligere deberent nuptias cum probi viri filiabus contrahendas esse. Porrò Bœotis, qui *Arnen* quondam habitabant, dictum fuit ab Apolline ἐκπεσοῦνται τῆς χώρας λευκῶν κοράκων φανέντων, hoc est, *ipsos ex ea regione expulsum iri, cum albi corvi apparuissent.* Adolescentes autem quidam ebrij corvos ceperunt, & per ludibrium gypso inductos dimiserunt. Quibus visis Bœoti perturbati sunt, quasi exitum jam sortiente Oraculo. *Suidas in prov:* ἐς κόρακας Et ex eo *Eduard. Simson par. 2. Chron. Univers. p 96.* Nunc ad illud à multis historicis descriptum Oraculum de muris ligneis me conferam. Xerxis adventus in Græciam inter alios & Athenienses summo terrore impleverat, itaque dum ipse per Thraciam, Mace-

Macedoniam, inde usque ab Hellesponto ad Thermophylas ducit exercitum, Athenienses miserunt Legatos ad Delphicum Oraculum, inquisituros, quid facerent de rebus suis. Deliberantibus Pythia respondit, *ut salutem suam muris ligneis tuerentur.* Verba Oraculi ita se habent;

Τεῖχος τριτογενεῖ ξύλινον διδοῖ εὐρύοπα Ζεὺς
Μοῦνον ἀπόρθητον τελέθειν, τό τε τέκνα τ' ὀνήσει,

Id responsum quô valeret, nemo statim intellexit, donec *Themistocles illud rectè interpretabatur. Quandoquidem fuit Themistocles οἰκείᾳ ξυνέσει, καὶ οὔτε προμαθὼν ἐς αὐτὴν οὐδὲν, οὔτ' ἐπιμαθών, τῶν τε παραχρῆμα δι' ἐλαχίστης βουλῆς κράτιστος γνώμων, καὶ τῶν μελλόντων ἐπὶ πλεῖστον τοῦ γενησομένου ἄριστος εἰκαστής:* id est, *naturali prudentia praditus, nec quicquam aut ante aut postea didicerit, quod eam augeret, & rerum improvisarum cum brevissima deliberatione Iudex erat praestantissimus, & futurarum ac eventus ipsarum plerumque optimus coniector.* Itaque & hic verum se praestitit Oraculi interpretem. Nam persuasit Atheniensibus, uti ait *Cornelius Nepos in vita Themistocl. cap. 2. n. 7*: consilium esse Apollinis, *ut in naves se suaq; conferrent: Eum enim significari murum ligneum:* Et patriam municipes esse, non moenia: *civitatem non in aedificiis, sed in civibus positam. Melius itaq; salutem navibus, quàm urbi commissuros. Hujus sententiae etiam Deum autorem esse*, uti mentem Themistoclis profert *Iustinus l. 2. c. 12 n. 14. 15. p. 56.* Huc tendit *Aristot. l. 1. c. 15. p. 46. Rhetoric. ad Theodect.* ubi ait: Themistocles navibus pugnandum esse suadet, id enim significare murum ligneum. Autorem hujus consilij ex mente Oraculi fuisse Themistoclem Atheniensibus refert quoque *Sextus Iulius Frontinus lib. 1. c. 3. p. 9. Stratagem.* Themistocles ait, *adventante Xerxe, quia neque praelio pedestri, neque finium tutela, neque obsidioni credebat sufficere Athenienses, autor fuit eis liberos & conjuges Troezena & in alias urbes emittendi, relictoq; oppido statum illis ad navale praelium transferendi.* Probatô igitur hoc consiliô Themistoclis, conjuges liberosque cum pretiosissimis rebus abditis insulis, relicta urbe, demandant, ipsi naves armati conscendunt. *Iustin. d. l.* Transportarunt autem omnia, quae moveri poterant, partim *Salaminem*, partim *Troezenem*: arcem sacerdotibus paucisque majoribus natu ad sacra procuranda tradiderunt, reliquam verò oppidum reliquerunt. Historiam hanc quoque attingit *Plutarch. in vita Themistoclis. p. 116.* Responsum hoc falsè perstringit *Eusebius l. 5. c. 23. p. 215. de Praepar.*

Evangel. & quidem his verbis: *Persarum ingens adversus Athenienses exercitus in armis erat. Hi cum nullam sibi spem salutis nisi in uno Deo reliquam viderent, quem ipsi non satis noverant, tutelarem tamen ac patrium defensorẽ invocabant. Nimirum is Apollo Delphicus erat. Quid ergo hic Numen egregium! An pro suorum salute dimicavit? an libaminum aut nidoris aut cæterorum meminit, quæ suum in honorem immolandis more institutoq; majorum hecatombis ab iis fiebant. Nihil minus. Quid ergo jubet? fugere; sed ita fugere, ut ligneo muro (quomodo classem vocabat) ad fugam uterentur: atque hanc unam, inflammatâ jam urbe, salutis expediendæ rationem esse dicerent. Præclarum certè Numinis auxilium, deinde non aliorum tantùm urbis ædificiorum, sed eorum quoque, quæ sacra Diis erant, pestem se fingit excidiumq; prædicere. Atqui satis id vel ex ipsa hostium impressione citra ullum Oraculum expectari potuit.* Hæc Eusebius. Interea tamen si Oraculum hoc utut ambiguis prolatum verbis, aliquanto accuratius examinabimus, ex eventu patebit, per illud non malè consultum fuisse Atheniensibus. Nam si conjuges & liberos, & omnes suas fortunas navium ope non alibi maturè transtulissent, certè occupatâ urbe, omnes homines fuissent trucidati, vel in captivitatem abducti: bona fuissent rapta, & in prædam militum cessissent: vel una cum ipsa civitate flammis absumta perijssent. Quæ omnia tamen contra vim hostilem servata sunt ab interitu: cumprimis, quòd Urbs Athenarum tam firma haut esset, nec tanto rerum bellicarum apparatu instructa: nec tantis præsidijs, aut civium multitudine repleta, ut tam ingenti exercitui, qui, aquæ inundantis instar in Græciam irruebat, potuerit resistere, aut sub spe, si non vincendi, saltem non pereundi hostium armis opponere arma. Ubi itaque Dæmon intellexit magnas copias, quas Xerxes trajiciebat in Græciam: & Atheniensium vires satis infirmas expertus erat, vidensque, quòd hi suas conjuges, liberos, & opes servare queant, si auxilio navium eas deportaturi sint in alium locum; ideo sub occulto isto postmodum à Themistocle declarato responso commendare illis voluit fugam per mare.

CAPVT.

CAPUT XVII.

De

Iis, qui malè Oraculum interpretati sunt.

Superius caput exhibuit nobis exempla eorum, qui rectè Oraculum declararunt: nunc paucis videndum de illis, qui malè & perperam)racula sunt interpretati. Malè Oraculum declarare est sensum ejus on penetrare, & nihilominus tamen illud sibi vel alteri accommoare. Unde illa perversa interpretatio potissimùm in se continet duo. Inscitiam, seu ignorantiam significationis, quam verba prolata imortant. Extra dubium hoc est positum, nullum sermonem intelligi osse, nisi prius perceptæ sint vocum significationes: hæ enim sunt signa erum, quæ in intellectu res ipsas exhibent, ut ita, quid dicatur, ex osis verbis clarè & perspicuè cognosci possit. Verba enim si sint ubia, totus sermo, & quodcunque eodem profertur, rectè percipi equit. 2. Inconsultam & temerariam applicationem: dum verba Oraali tanquam probè intellecta sine prævia eaque diligente examinatine arripiuntur in bonam vel malam partem, & vel aliquid esse agenum, quod satius fuisset intermittere: vel aliquid esse fugiendum, quod men negligi non debuisset, perperam concluditur. Sicuti è vera ac sta applicatione tandem apparet certitudo rei & eventus speratus: contra è falsa accommodatione apparet tandem judicij error vel æcipitantia. Quod potest simili quodam illustrari. In artibus & sciplinis multæ sunt regulæ, multaque præcepta, quæ licèt cognoantur, hominem tamen hucusque non reddunt eruditum; nisi accesrit verus regularum intellectus, & earum dextra accommodatio ad templa: quandoquidem in debita præceptorum rectè cognitorum oplicatione posita est hominis eruditio: pari modo in Oraculis editis esfuit comparata: Quorum verba si quis compositè intellexerit, & erpensis rerum circumstantijs rite sibi vel aliis applicaverit, utique otuit videre, se haut vanum fuisse istorum responsorum interprem. Qui verò hisce omnibus neglectis, inconsultò verba interdum bscura, ambigua, & perplexa admiserunt, & illorum sensum in boam flectentes partem sibi temerè accommodarunt, nec non exinde

negotium arduum pariter ac periculoſum ſuſceperunt, ſuæ temeritatis tandem dederunt pœnas. Et certè ſi exempla conſideraverimus, quibus vaticinia Oraculorum non adeò ſalutaria fuerint, conſtabit, ipſa infelicem habuiſſe exitum maximè vel exinde, quod improvidè Oraculorum dicta ſibi ſuæque cauſæ potiſſimùm favere exiſtimaverint. Inde ſubſecuta eſt mala applicatio reſponſi divini ad propoſitum opus, unde miſeriæ, calamitates, damna, & ſæpe imperiorum interitus evenerunt; Non malè igitur dictum eſt, quòd homines exinde perperam Oraculorum voces explicaverint; tùm ob pravam verborum, & quæ in illis reperitur, ſtructuræ notitiam: tùm ob præcipitem & malam accommodationem ad illam rem, quam Oraculum non intendit, ſed potius contrarium denunciare voluit, verbis licet ambiguis. Quod cum difficultate careat, plenius non declarabimus: verùm unum ſaltem & alterum exemplum afferemus in medium. Ariſtomachus Oraculi verba malè interpretatus eſt. Cum enim ante pugnam conſuluiſſet Apollinem, hoc reſponſum accepit: Νίκην σοὶ φαίνουσι θεοὶ δ' ὁδοῖο στενύγρων. *Euſeb. lib. 5. de Præpar. Evangel.* Quibus verbis Oraculum ei victoriam promittere videtur redeunti per viam anguſtiarum. Ariſtomachus putabat hic Iſthmum Corinthiacum ſignificari. Quapropter ipſe cum copijs ſuis per Iſthmum aggreſſus eſt Peloponneſum, & in pugna occubuit. Quod indicat *Apollodorus lib. 2.* Commiſſa iterum pugna, Peloponneſij vincunt Heraclidas, & Ariſtomachus interficitur. Huc pertinet, quod *Pauſanias lib. 2. p. 92.* hac de re ſcribit: *Ariſtomachus Cleodami filius cum ab Oraculo ipſi edito aberraſſet, à reditu itidem in Peloponneſum aberravit.* Hic Ariſtomachus verba illa ὁδὸν στενύγρων Viam anguſtiarum non intellexit, quæ ipſe interpretatus eſt malè de Iſthmo Corinthiaco: & ſuppoſita hac interpretatione tanquam vera, quæ tamen falſa eſſet, Oraculi verba ita ad ſe applicavit, ut, ſi per Iſthmum iſtum cum exercitu ſuo invaſurus eſſet Peloponnenſum, certa ſibi foret ſpes de reportanda victoria, & reſtituendis Heraclidis. Expertus autem eſt, ſe Oraculum parum rectè intellexiſſe, & ea propter in applicando valde aberraſſe. Ipſa quoque Pythia apertè fatetur, ipſum ſuæ infelicitatis autorem eſſe, quòd reſponſum datum non percepiſſet, ſeu rectè aſſecutus eſſet: ſe enim per *Stegyram* indicaſſe profundum mare, quod venienti (in Peloponneſum) per Iſthmum à dextris eſt. *Eduardus Simſon par. 2. p. 96. & 97. Chron. Cathol.* Athenienſes

nses quoque Oraculum de ducendis colonijs in Siciliam pravè interpretati sunt. Illi enim per Siciliam intellexerunt Insulam celeberriniam: hac falsa hypothesi freti magnam classem construxerunt, & ellum intulerunt Syracusanis. Se tamen in interpretando hoc esponso aberrasse à vero infelix postmodum ostendit eventus: Etenim agnam ipsi stragem passi redierunt domum. *Pausan. lib. 8. pag. 432.* ntellexit autem Deus per *Siciliam* locum quendam Athenis vicinum, ui nomen erat *Sicilia*. Præcipitanter itaque & temerè Athenienses hic gesserunt, quòd nondum mente Dei rectius exploratâ cœco velut npetu correptis armis fuerint in Siciliam, ibique pœnam suæ temeratis senserint. Nam ubi deprehensa fuit æquivocatio in verbo *cilia*, tanquam prudentes Viri debuissent prius in verba Oraculi inuirere, quàm ex interpretatione falsa, & inde subsecuta mala applitione arma inferre Syracusanis. Similiter Dionysius acceperat raculum de morte sua: ipsum scilicet tum demum moriturum, uando meliores se vicisset. Is fatidicam hanc vocem detorquebat ad arthaginenses, quos SE potentiores existimabat. Itaque bellum cum sis gessit quidem, sed victoriam non reportavit; verùm hæc non erat ens Oraculi, quippe quod per MELIORES non Carthaginenses, d Poëtas in hoc artis genere Dionysium superantes denotabat. Ipse im affectabat studium poëseos, & publicis in certaminibus cum Poëcongressus suos versus, qui sæpe pessimi erant, proferre non dubitat. Aliquando autem accidit, ut cum Dionysij carmina in solenni negyri prælegerentur, ob decoram histrionis vocem populi concurfieret, omnesque mirarentur. Ubi verò quam futilia essent Diosij carmina, intellexerunt, *effuso Dionysium risu prosecuti, eò contemtus cesserunt*, ut tabernacula erecta discerpere auderent. Quàm malus tem licèt Poëta ipse fuerit, nihilominus tamen aliquandò ex Athensium judicio præstantiores Poëtas vicit, quô factô, juxta Orai intentionem diem suum obijt. *Diodor. Siculus lib. 15. p. 385* ita scri: Ἀλλὰ ποιητὴς ὢν κακὸς ϗ διακριθεὶς ἐν Ἀθήναις ἐνίκησε τοὺς κρείττονας ποιητὰς ... τοις ὢν κατὰ τὸν χρησμὸν διὰ τὸ περιγενέσθαι τῶν κρειττόνων, ἀκολούθως ἔχει τοῦ βίου τελευτήν. Sed cùm ipse malus exsistens Poëta se longè præntiores in hoc genere artifices Atheniensium judicio superasset; id Athenienses judicassent, cujusnam versus inter decertantes fuissent liores, adeoque palmam tribuissent Dionysio, tum consentaneum

fuit Oraculo, ut qui meliores seu præstantiores SE vicisset, vitæ terminum consequeretur. Dionysius itaque mentem Oraculi non intellexit: adeoq; perperam contra Carthaginenses suscepit bellum, in quo tamen ipse inferior periculo suo eductus est, longè alium sensum Oraculi dictis inesse: Quod postea Atheniensium judicio comprobatum est. Solebat autem populus interdum aliquid affectibus concedere, nec è solida aliqua ratione formare judicium: unde in publicis carminum vel Orationum recitationibus sæpe lauream deferebat non merenti, sed ei, cui favebat. Quare etiam nonnulli recitaturi sua poemata publicè desiderabant populum habere judicem, ut victoriam ex illius judicio consequerentur. Qua de re legi potest eximius *Iohan Gerhard. Vossius* in *Libello* de *Recitationib. c. 10. & 11. p. 49. & seqq.* Supra *c. 13. p. 105.* attuli exemplum Philippi, qui itidem parum commodè exposuit Oraculum à Pythia datum: *Serta gerit taurus, jam adstat, qui immolet illum.* Hic Philippus putabat, illud responsum sibi promittere victoriam de Persarum Rege victimæ instar mactando. Ideo fiducia plenus bellum indixit Regi isti, sed satis infeliciter: ipse namque succubuit, fuitque victima illa, quam intendebat Pythia. Quoniam verò consulentes plerumque in acceptis Oraculis dubijs & perplexis circa interpretationem errarunt, dum quæ contra se essent dicta, in bonam pertrahentes partem sibi applicabant, inde hoc argumentum pluribus exemplis illustrare desistam.

CAPUT XIIX.

De Absurdis & impijs quibusdam Oraculorum responsis.

NOn suffecit Dæmoni contorta & dubia consulentibus suppeditare responsa, quibus ipsi in periculum sæpe conjecti deprehenderunt turpiter se in sua fide fuisse deceptos; verùm etiam ipse interdum absurda, iniqua, impia, turpia, & humanam conditionem excedentia mandavit. Quæ Ethnici, licèt lumine rationis non destituti, ex Oraculi jussu interdum ita fecerunt, uti præceptum erat, non quòd impietatem istam non animadverterent; sed quòd in ea essent opinione: Deum nec mali quippiam imperaturum, nec ejus consilijs ac præceptis resi-

esistendum esse. Quô positô principiô tanquam verô, si id in se consi-
leretur, Diabolus facilè ab hominibus impetrare potuit, ut, quod ipse
ræcepturus esset, quantumvis adversaretur rectæ rationi, & publicæ
tilitati, nihilominus ipsi talibus mandatis essent obsecuturi: Nam quæ
emo prudens & rectæ adhuc rationis judicio præditus probare, vel
fficere posset, ea sunt executioni data ob autoritatem divinam:
uandoquidem Deo non parere grave est piaculum. Et quantumvis
b hominibus prudentibus Oraculorum absurditas & iniquitas obser-
ata fuerit; ipsi tamen Deo parendum esse censuerunt, quòd ea rati-
ne, quæ sunt improba, vel iniqua in se, ob jussum divinum statim ta-
a esse desinant, & ex autoritate Dei licita esse credantur. Putabant
quidem veros esse Deos à quibus Oracula ducerentur: inde in spissos
tos prolapsi errores quodcunque Oraculum pro divino responso ad-
niserunt. Unde facilè quidvis imperare mortalibus potuit à falsis istis
Dijs. Iniquum certè fuit Oraculum, quod de Regibus Sabæorum erat
atum. Illi Reges quidem videbantur absolutè imperare, quod ratio-
em reipublicæ reddere non tenerentur ulli hominum. Ἀτυχεῖν δὲ νομί-
ται καθότι οὐκ ἔξεστιν αὐτοῖς οὐδέποτε ἐξελθεῖν ἐκ τῶν βασιλείων. Εἰ δὲ μὴ γί-
ται λιθόλευστοι ὑπὸ τῶν ὄχλων κατά τινα χρησμὸν ἀρχαῖον: At infelix eorum
onditio existimatur, quatenus nunquam è regia arce illis licet exire:
n contra egerint, lapidibus poterant obrui à populo juxta antiquum
raculum. *Diodor. Sicul. l. 3. p. 180.* Sed quid absurdius in civilibus
xcogitari potest, quàm populo concedere jus vitæ & necis in Reges
ios, & quidem ob levem quandam causam, cujusmodi profectò hæc
uit, si ipsi excederent ex aula Regia. Equidem me non latet, rarita-
em conspectus Regi non minimam parere autoritatem, adeoque pru-
entiæ civilis doctores statuere: ad conciliandam Regi Majestatem
on parum facere, si ipse raro se conspiciendum præbeat; cùm *Livio*
este, continuus conspectus minus verendos faciat homines. Sicuti Per-
s in more fuit positum, ut ibidem Rex populo sui copiam perraro
ceret. *Justin. lib. 1 c. 9. n. 11. p. 19.* Addi potest *Barnab. Brisson. lib. 1.*
17. & sequ. de Regno Persar. Et ita apud *Medos* hoc etiam ordinavit
Deioces Rex, ne cui ad Regem ingredi liceret; sed per nuncios omnia
ransigerentur, adeò, ut ne conspici Regem à quoquam fas esset, adhæc
ec ridere, nec exspuere coram eo liceret. *Herod. l. 1. c. 99. p. 43* Attamen
Regem, si in publicum prodeat, aut arce sua egrediatur statim populi
judicio

judicio & pœnæ mortis ſubjicere, uti apud Sabæos ex Oraculo quodam vetuſto iſtud obſervari cœpit, eſt contra civilia principia, contra ſanam rationem: contra juſtitiam & omnem æquitatem. Unde apud Sabæos, ſunt verba Photij in Bibliotheca p. 1374 eandem hiſtoriam enarrantis, *bonorum eminentia* nempe dignitas Regia, *fuit valde nociva.* Abſurdum quoque eſt Oraculum, quod apud Æthiopas inolevit, ut, cùm ſacerdos ad Regem mittit, ut ſe interficiat is quoque ſtatim tanquam divino præcepto cogatur parere, & ſe occidere. Hiſtoriam itidem deſcribit *Diodorus Siculus lib. 3. pag. 146. Biblioth.* Præ omnibus, inquit, maximè inſolens eſt, quod in morte Regum accidit. Nam qui in Meroë Deûm cultus & honores adminiſtrant Sacerdotes (Ordo autem hic maxima pollet autoritate) quandocunque ipſis in mentem venerit, *miſſo ad Regem nuncio, vitâ ſe illum abdicare jubent.* τοὺς γὰρ θεοὺς αὐτοῖς ταῦτα κεχρηματικέναι, καὶ δεῖν τὸ πρόσταγμα τῶν ἀθανάτων ὑπὸ θνητῆς φύσεως μηδαμῶς παροραθῆναι. Id eſt: Oraculis Deorum hoc præcipi vel edici, nec fas eſſe ab ullo mortalium, quod Dij immortales juſſerint, contemni. Sanè prorſus incivile eſt imperantium vitam ſuſpendere à ſacerdotum arbitrio, ita, ut quando illis viſum fuerit, iſti teneantur ſibimet ipſis vitæ uſu privare. Hoc pacto namque reipublicæ vis & poteſtas in voluntate Sacerdotum erit poſita: nec non ipſa imperij ſalus facilè periclitari poterit. Enimverò, Rege occiſô, regnum ſubjectum eſt maximo diſcrimini ob ſuccedendi incertitudinem: aut ſucceſſoris virtutes vel vitia: peritiam vel imperitiam gubernandi. Quinimò ſi bonus fuerit Rex, & in adminiſtranda republica aliquid committat, quod ſacerdotibus diſpliceat, tum in illorum arbitrio erit poſitum, ut ei mortem denuncient. De *Oreſte* apud *Euripidem* extat memoria, ipſum interfeciſſe matrem ſuam, & quidem *juſſu Oraculi.*

> φοίβου δ' ἀδικίαν μέν τι δεῖ κατηγορεῖν
> πείθει δ' Ορέστην μητέρ', ἥ σφ' ἐγείνατο
> κτεῖναι πρὸς οὐχ' ἅπαντας εὔκλειαν φέρον.
> *Quid eſt opus narrare Phœbi injurias?*
> *Matrem hic Oreſti ſuadet illius quæ edidit*
> *mactare, magnam quo refert injuriam.*

Vide *Natal Comitem l. 9 c. 2. p. 943. Mytholog.æ.* Jam grande peccatum eſt proprios parentes occidere adeò, ut Solon Legislator exiſtimaverit à nemine id perpetrari poſſe. Exinde etiam fruſtraneum eſſe putavit,

circa

circa hoc delictum legem aliquam ferre, quâ talis improbitas jus naturæ violans deberet coerceri. Impium fuit responsum, quod Apollo Regi Trojanorum dedit, cum is Deum consuleret, quo pacto à gravi peste possent liberari, scilicet: *Non alia ratione Deos placari posse, quàm si virgo Trojana Ceto objiceretur voranda:* quam belluam postea Hercules interfecit. *Eduard. Simson. part. 2. Chron. Univ. p. 43.* Athenienses aliquando fame & peste satis horrenda divexati de calamitatis remedio Oraculum implorarunt: à quo receperunt hoc responsum, ut pro interfecto *Androgeo* pœnam darent Minoi, quam ipse decreturus esset. Morigerantur mandato divino Athenienses, qui à *Minoe* jubentur per septem annos septenos pueros, totidemque puellas in cibum subministrare *Minotauro*, quamdiu monstrum supersit. Quibus exhibitis, calamitas in Attica remisit. *Diodor. Sicul. libr. 4. pagina 263.* De horrendo hoc mandato Apollinis egregiè scribit *Eusebius lib. 5 c. 18. p. 208. de Præpar. Evangel.* sequentia: *Athenienses hominis ob unius mortem universi hac lue vexati, Deorum opem votis ac precibus implorabant. Quid igitur iis consilii & Servator & Deus dedit, ut æquitatem videlicet* atque *humanitatem, cæterásque virtutes in posterum colerent? aut criminis adducti pœnitentiâ sacri aliquid ac religiosi obirent, quibus rebus Deorum offensio procurari solet. Nihil minus! Quorsum enim ista præclaris Numinibus, vel potius consceleratis Dæmonibus curæ sint? Rem igitur affinem sibi rursus & cognatam, hoc est, ab omni misericordiæ sensu alienam, & immanitate teterrimam pestem peste, mortibus mortem cumulari volunt. Iubet nimirum Apollo suis è liberis mares ab iis septem quotannis impuberes mitti, fœminásque virgines totidem; pro uno quatuordecim insontes omnes nulliusque facinoris conscios, idque non semel tantùm, sed annis singulis apud Minoëm immolandas. Atque apud Athenienses acerbissimi ac dirissimi tributi memoria, ad ætatem usque Socratis annos deinceps amplius quingentos servabatur. Nam id etiam in causa fuit, quamobrem ad aliquot dies mortem Socratis distulerint. Ejusmodi responsum à recentiore quodam, qui longam maleficorum seriem singulari libro texuit, non producitur modò; sed etiam peracri ac robusta disputatione luculentè ad modum coarguitur.* Audi *ergo non meam, sed illius orationem adversus oraculi hujus auctorem hunc in modum invehentis.* lib 5. C. XIX. p. 209. *Quid autem*, inquit: Nonne *Athenienses Androgeo cædis auctores ac propter eam pestilentia laborantes, se se criminis admissi pœnitere fatebantur?*

aut si ne id quidem, nonne tamen verius fuit hanc ut iis pœnitentiam imperares, quàm ut hoc responsi dares.

Tum vos dira fames, atque inclementia pestis
Deseret, ac Tristes melior Deus exuet iras:
Cum vestro è numero scelerisque piacula vestri
Quæ sors cunque petet seu mas seu femina cedat
Corpora pontus aget magni Minois ad urbem

Mitto enim vos ob unum Androgeo Athenis defunctum vehementius commoveri, tot aliis & ubique gentium & quotidie morientibus, obdormiscere. Enimverò quod probè scires, Minoem per id tempus & maris imperium tenere, & ingenti potestate præditum esse, & ab universa Græciâ coli, adeóque amantissimum æquitatis ac Legislatorem optimum, quin etiam ab Homero & magni Iovis socium & apud Inferos judicem habitum ac prædicatum esse; idcirco has tibi pœnas in hominis gratiam exigendas putâsti, verùm ista quoque nihilominùs quàm vos ipsi, prætereo: non tantùm cædis auctoribus prætermissis, innocentes â vobis certum ad exitum ablegatos esse; verùm etiam ad ejusmodi virum ablegatos, quem communem hominum omnium judicem creare statueratis, qui tamen ne hac quidem in causa veram sententiam ferre potuisset. At quod tandem â vobis juvenes Athenas eorum in locum summitti oporteret, quos ut parentaretis Androgeo, nefariè jugulastis? porrò quam multis Apollo responsorum ambiguitate necem attulerit, replicatâ Heraclidarum historia, idem scriptor sequenti oratione coarguit. Hæc Eusebius! cœterùm historiam istam enucleatè tractat *Plutarchus Tom. 1. in vita Thesei. pag. 6 7. 8.* Pari modo & *Messeniis* impium & crudele suppeditatum est responsum à Dæmone; Illi enim varijs affecti calamitatibus Delphos mittere statuerunt Legatum, qui de belli exitu Oraculu consuleret. Missus itaque est *Tisis Alcidis* filius vir divinandi solertiæ maximè deditus. Hunc Delphis redeuntem cum responso ex insidijs Lacedæmoniorum aliquot de præsidio ab Amphea adoriuntur; quem tamen acriter se defendentem & repugnantem capere non potuerunt: interim tamen hominem vulnerandi finem non prius fecerunt, quàm vox quædam, à quo autem, nescitur, audita fuerit: *Oraculi nuncium dimitte.* Ac Tisis quidem ad suos reversus Regi exposuit responsum: sed ipse ex acceptis vulneribus diem suum obijt. Convocatis in concionem *Messeniis*, Oraculum Tisidi datum recitat Euphaës, quod fuit tale:

Nescia

Nescia viri puella genitis inferis
Æpytidum ab alto sorte ducta sanguine
Det colla nocturnis secanda cædibus
Vos hac ad undas Hallys facile sacra
Libenter ipsam virginem dantes neci.

Oraculi voce audita, virgines statim omnes ex Æpytidarum familia sorti commissæ. Cumque *Lycisci* filia ducta fuisset, eam *Ephebolus vates* sacrare vetuit, quod diceret, eam non esse à Lycisco genitam, verùm Lycisci uxorem, cum sterilis esset, eam sibi suppofuisse. Interea dum vates hæc ad populum agit, *Lyciscus* clàm assumta puella Spartam confugit. Quæ res ubi innotuit, cum hominum mentes vehementer commovisset, *Aristodemus* & ipse ex eadem Æpytidarum gente vir & cœteris vitæ ornamentis & bellica virtute Lycisco clarior, ultrò filiam immolandam obtulit. Sed Messenius quidam civis, cujus nomen non proditur, *Aristodemi* filiam efflictim amabat, ac propediem eam ducturus erat uxorem: qui puellam vindicaturus negabat publicè, eam, quæ sibi jam desponsata esset, in patris amplius esse potestate; suum esse, qui sponsus sit, in illam omne Ius. Cùm verò hac ratione parum proficeret, impudenti mendacio vitiatam à se puellam, & nunc gravidam esse affirmabat. Qua pertinacia in istum ferè furorem adactus Aristodemus, filiam statim occidit, & uterô ejus exsectô, omnibusque ostensô, monstrare voluit populo, eam non fuisse prægnantem, sed sponsum fuisse mentitum. Ibi aliam *Ephebolus vates* filiam devovere jussit, hac addita ratione, quòd virginis cæde à patre iracundo commissâ, libatum ex Oraculo non esset. Talia dicente Ephebolo, puellæ procus, factô in eum impetu, ab universa concione occiditur, partim quòd Aristodemum parricidii crimine obligasset, partim quòd spem salutis publicæ ipse vocasset in dubium. Historia fusius tractatur *à Pausania. lib. 4. p. 216. 217.*

Carthaginenses aliquando inter cætera mala & peste laborabant, ideo jussu Oraculi homines vivos mactarunt Saturno. Cruenta exinde sacrorum religione, & scelere pro remedio usi sunt. Quippe homines ut victimas immolabant: & impuberes (quæ ætas etiam hostium misericordiam provocat) aris admovebant: pacem Deorum sanguine eorum exposcentes, pro quorum vita Dij rogari maximè solent. *Justin. lib. 18. §. 6. n. 11. 12. p. 278.* Adde & *Platon. in Minoë. p. 365. Plin. lib. 36.*

lib. 36. c. 5. p. 709. Quando autem dicit Iustinus, quòd ætas impuberum etiam hostium misericordiam provocare soleat, dubio procul respicit ad factum Gelonis Regis, qui cum Carthaginensibus bello devictis pacem prius inire noluit, quàm ipsi promisissent, finem se facturos esse immolandi liberos suo Saturno. Quod etiam pacis conditionibus inseri voluit. *Plutarch. in lib. de his qui serò à Num. puniunt. p. 552.* Nec immeritò, fuit siquidem grande piaculum innocentes pueros tam miserè bestiarum in modum absque ulla commiseratione trucidatos Idolo immolare. Enimverò non ipsi tantùm parentes liberos suos proprios scientes sacrificabant; sed etiam illi, quibus nulla erat proles, *à pauperibus tanquam agnos aut pullos avium emebant infantes ad eam rem.* Adstabatque mater sine luctu & gemitu, quem si ederet, aut fleret, pretio multabatur; & nihilominus puerulus mactabatur, & ante simulacrum Saturni omnia strepitu fistularum tympanorumque opplebantur, ne ejulatus mactati pueri audiri posset. *Plutarch. de Superstit. p. 171.* Nec privati tantùm homines; sed etiam Reges horrendo isto infanticidio se commacularunt: quemadmodum *Imilcar* Carthaginensium Rex puerum Saturno immolavit, & in honorem Neptuni turbam sacerdotum in mare demersit. *Diodor. Sicul. l. 13. pag. 207* Putarunt aliquando Carthaginenses Saturnum ipsis irasci atque adversari, quòd cum superiore tempore præstantissimos filios huic Deo sacrificassent, postea pueros clam emtos & enutritos ad istud sacrificium miserint. Inde inquisitionem instituerunt, & deprehenderunt; subdititios quosdam in numero immolandorum reperiri. Hoc ubi perpenderunt, & hostium castra ante urbem posita viderunt, metu perculsi, quasi patrios Deorum cultus & honores abrogassent, errata correcturi statim ducentos ex præcipua delectos nobilitate pueros sacrificio publico immolarunt. Erat autem apud illos ænea Saturni statua, quæ manus supinas extendebat ita ad terram inclinatas, ut impositus illis puer devolueretur, & in voraginem ignis plenam rueret. *Diodor. Siculus. lib. 20. p. 156. Biblioth.* Idem quoque legi potest apud *Lipsium lib. 1. c. 3. pag. 182. Monit. & Exempl. Politic.* Ammonitis Idolum erat Moloch, quo nomine intelligitur *Saturnus*, quod probant (1.) ex puerorum sacrificio, uti enim Saturnus puerorum immolatione: sic & Moloch hostiâ infantum placatus est. (2.) ex ipso Regis nomine, quod Saturno passim affingitur. Hoc Idolum quoque Israëlitæ venerati sunt, eique suos obtulerunt.

unt. Interim non combustos aut mactatos pueros, sed duabus pyris xtructis, per illarum medium traductos solummodò, & ad eum mo- um velut februatos esse, sacerdotibus Molochi rem procurantibus cribunt plerique Hebræorum. *Seldenus Syntagm. 1. c 6. p. 107 de Dis Syris.* Quamvis alij affirment, revera pueros fuisse crematos. Ori- o fanaticæ hujus superstitionis juxta *Abenephium* dicitur in Ægypto æpisse. Nam post mortem Misraim seu Busiridis, cùm universam Æ- yptum fames, & annonæ caritas ob sterilitatem agris inductam foe- um in modum affligeret, contingit, ut *diro malo pressi AEgyptii ad Oraculum*, ut, quid in publica calamitate agendum esset, cognoscerent, *ubitò confugerent.* A quo hoc responsum acceperunt: *Tum demum desiturum malum, si quot annis circa tempus Nilıacæ inundationis Osiridi ominem se immolaturos promitterent.* Dictum factum! Sacrilego hoc acrificio Nilus fæcunda egestione terram ab omni sterilitate liberavit. Inde ortum est, ut quotannis ejusmodi abominanda sacrificia summa elebritate peragerentur. Verba *Abenephij* ita se habent: *In illis tempori- us ingens fames invalescebat in terra Ægypti, ita, ut multi ex AEgyptiis ene- arentur. Sacerdotes verò eorũ de publica hac calamitate soliciti consuluerunt Deos eorũ, & responderunt, non prius cessaturam annonæ caritatem, quàm Deo pagno Ignis sacrificassent quotannis hominem, idq́; circa inundationem Nili: is vero juxta Deorum præceptum facientibus, cessavit fames in tota ter- a AEgypti*, atque exinde mos sacrificandi homines exortus est. Hæc ames contigit tempore *Busiridis*, si autoritatem *Apollodori l. 2. de Origin. Deor. p. 104.* Hercules Lybiam & Ægyptum peragrabat: re- gnabat tum in Ægypto Busiris ex Neptuno & Lysianassa Epaphinatus. τος τὺς ξένους ἔθυεν ἐπὶ βωμῷ Διὸς, κατά τι λόγιον. ἐννέα γὰρ ἔτη ἀφορία τὴν Αἴ- υπτον κατέλαβε θεράσιος δ' ἐλθὼν ἐκ Κύπρου μάντις τὴν ἐπιστήμην, ἔφη, τὴν ἀφορίαν αύσεσθαι, ἐὰν ξένον ἄνδρα τῷ Διὶ σφάξωσι κατ' ἔτος. Βούσιρις δὲ ἐκεῖνον πρῶτον φάξας τὸν μάντιν τὺς κατιόντας ξένους ἔσφαζε. *Hic ad Iovis aram hospites O- aculo quodam præmonitus immolabat; annos enim novem AEgyptus agro- um sterilitate laborabat; Inter hæc Thrasius vaticinandi peritus è Cypro dvenit, qui hanc annonæ caritatem desituram esse pronunciavit*, si virum hospitem quotannis Iovi mactarint. *Tum Busiris* vate illo prius immo- atô *advenientes deinceps jugulabat.* Fuisse autem illam pravam con- uetudinem valdè antiquam exinde colligitur, quia ante Mosis tem- pora fuit in usu, uti constat è *Levit. 18. v. 21.* ubi Iehovah dicit De se-

 mine tuo

mine tuo non ſines, ut traducatur ad Moloch, id eſt, ſacrificetur iſti Idolo, vel juxta aliorum interpretationem, per ignem traducatur. *Athanaſ. Kircher. Tom. 1. Syntagm. 4. c. 15. p. 334. Oedipi: Ægyptiaci* exhibet imaginem ſeu figuram iſtius Idoli aſpectu horrendam, & ipſa cogitatione tremendam. Videtur fuiſſe imago concava habens ſeptem conclavia. Unum aperiebant ſimilæ offerendæ: aliud, turturibus: tertium, ovi; quartum, arieti: quintum, vitulo; ſextum, bovi: qui verò volebat offerre filium, huic aperiebatur ſeptimum cubiculum. *Et facies hujus Idoli erat, ut facies vituli: manus planè diſpoſitæ ad recipiendum ab adſtantibus.* Et ſaltabant interim, quò puer in Idolo ſuccenſo igne cremabatur, percutientes tympana, ne pueri ejulatus audiretur. *Paulus Fagius ad c. 18. Levit. v. 21. p. 822. in Tom. 1. Critic. Sacror.* Pelasgi quoque ex Oraculo veteri Saturno hominem ſacrificarunt. Hanc crudelem & planè inhumanam conſuetudinem Pœni conſtanter retinuerunt uſque ad ævum Hannibalis, teſte *Silio Italico. l. 4.*

Mos fuit in populis quos condidit advena Dido
Poſcere cæde Deos veniam, ac flagrantibus aris
Infandum dictu parvos imponere natos.

Quod etiam probat pereruditus *Samuel Bochartus part. 2. lib. 1. c. 28. p. 582. Geogr. Sacræ.* Scribit quoque *Tertullianus in Apologet. c. 9. pag. 10* quod penes Africam usque ad Proconſulatum Tiberij execranda iſtæc ſuperſtitio permanſerit integra; ſed verba ipſa apponam: *Infantes penes Africam Saturno immolabantur palàm usque ad Proconſulatum Tiberii, qui eoſdem Sacerdotes in iisdem arboribus templi ſui adumbraticibus ſcelerum votivis crucibus expoſuit teſte militia patriæ noſtræ, quæ ad ipſum munus illi Proconſuli functa eſt; ſed & nunc in occulto perſeverat hoc ſacrum facinus: Non ſoli vos contemnunt Chriſtiani; nec ullum ſcelus in perpetuum eradicatur: aut mores ſuos aliquis Deus mutat; Cùm propriis filiis Saturnus non pepercerit, extraneis utique non parcendo perſeverabat: quos quidem ipſi parentes ſui offerebant, & libenter exponebant, & infantibus blandiebantur, ne lacrymantes immolarent.* Ubi obſervat *Georgius Ambianates pag. 58.* quòd funeſti ſacerdotes homicidæ fuerint, & latrones potius, quàm ſacerdotes, ut qui homines jugulàrint, eoſque vita miſerè deſpoliàrint. Quos ideò quoque à militibus puniri, & in crucem agi juſſit Tiberius: & quidem in arboribus ſylvæ, quæ prope templum erat; Etenim luci prope Deorum templa paſſim conſecrati, qui umbram ſpargerent, qui ani-

nimum colligerent, majestatem Numini conciliarent. *Seneca Epist. 41. p. 104*: eleganter hac de re loquitur: *Si tibi occurrerit vetustis arboribus, & solitam altitudinem egressis frequens lucus, & conspectum cœli ramorum aliorum alios protegentium summovens: illa proceritas silvæ, & secretum loci, & admiratio umbræ in aperto tam densæ atque continuæ fidem tibi Numinis facit.* Sed illis obiter adductis ad rem ipsam regrediendum est. Mos iste horrendus postea est mutatus, quamvis simul ejus memoria statim tolli non potuerit. *Porphyrius l. 2. pag. 95. de Abstinentia*, refert: ritum istum, quo Diomedi homo consecrabatur ad mactandum à *Diphilo Cypriorum Rege* eversum, eumque in sacrificium bovis conversum fuisse. Idem *pag. 94. & 95.* scribit: *Hadrianum Imperatorem* humanæ hostiæ mactationes prope omnes sustulisse; ubi tamen diversis in locis jam tum pro hominibus aliæ res fuerunt substitutæ. *Nam*, ait, *sacrificabatur in Laodicea, quæ Syriæ est*, virgo *in honorem Minervæ quotannis, nunc autem* Cerva. Pelasgi, uti antea dictum est, Saturno ex antiquo aliquo Oraculo hominem sacrificabant; postea extiterunt aliqui, dicentes: *defungi illos posse hoc officio, si saltem jacerent faces.* Qua de re legi potest *Macrobius lib. 1. c. 7. pag. 188. Saturnal.* Cum diu humanis capitibus item & virorum victimis Saturnum placari posse crederent Græci ob Oraculum, in quo continebatur hic versus:

καὶ κεφαλὰς Ἅιδῃ καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα

Lactantius lib. 1. Divinar. Institution. c. 21 pag. 114. versum ita profert:

καὶ κεφαλὰς Κρονίδῃ καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

Ubi verò Hercules postea cum Geryonis pecore per Italiam rediit, illorum posteris persvasit, ut faustis sacrificijs infausta mutarent, inferentes Diti *non hominum capita*, sed *Oscilla* ad humanam effigiem arte simulata, et aras Saturnias non *mactando viros*, sed accensis luminibus excolentes, quia vox φῶτα non solum virum; sed etiam lumen denotat. Inde mos per Saturnalia missitandis cereis cœpit. Scribit *Lactantius l. l.* Saturnum in Latio eodem genere Sacrificij cultum fuisse; non quidem ut homo ad aram immolaretur, sed *ut in Tiberim de ponte Milvio mitteretur.* Quod ex responso quodam factitatum *Varro* autor est: dicet autem id genus sacrificij ab Hercule ex Hispania redeunte fuerit sublatum; ritus tamen permansit, ita ut pro veris hominibus homines straminei jacerentur in Tiberim. Quod ex *Ovidio l. 5. Fastor. p. 143.* colligere possumus, qui eo de ritu sic canit:

Illum

Illum stramineos in aquam misisse Quirites.
Herculis exemplo corpora falsa jaci.

Quod tamen Virgines Vestales fecerunt, sicuti idem refert *Ovidius pag. 142.*

Tum quoque priscorum virgo simulacra virorum
Mittere roboreo scirpea ponte solet.

Ne tamen hoc negligam, *Georgius Ambianate ad c. 9. Apologet. Tertulliani pag. 55.* committit Septimum cum Lactantio quonam scilicet pacto uterque potuerit in tollendo ritu isto verum dicere? Sed distinguenda esse tempora monet, & loca, ut omnes concordent. Nam *Lactantius* agit de humanis hostijs, quæ immolabantur in Italia: *Septimius* verò de ijs, quæ immolabantur in Africa. Quandoquidem & ipse *Lactantius* fatetur se non invenire *quid dicat de Infantibus, qui Saturno immolabantur propter odium Jovis.* Quin & in Italia non infantes sacrificabantur, sed planè puberes. Itaque Hercules Italiam quidem hisce sceleribus purgavit, non tamen Africam. Id servatum Hadriani temporibus, quibus *Pro Consul* nomine *Tiberius* nefanda hæc abstulit, facinusque supplicio sacerdotum expiavit. Præterea qui Lybiam incolunt Carthaginenses victimas humanas immolarunt, quas Iphicrates depressit. *Porphyrius l. 2. de Abstin. pag. 95.* Sunt quoque qui putant, traductionem per ignem substitutam fuisse in locum combustionis. Quod etiam *Hugo Grotius ad c. 18. v. 10. Deuteron. pag. 1269. in Tom. 1. Critic. Sacror.* non videtur improbare: Nam cùm vetus Oraculum juberet pueros offerre, diuque verbum illud acceptum esset in sensu *consumendi*, benignior interpretatio *Molochum* seu *Saturnum* contentum esse voluit, *traducto corpore flammâ.* Quomodo autem iste traductionis ritus se habuerit, illud explicat *R. Moses Maimonides c. 6. n. 5. de Idololatr, p. 78.* Verba è versione *Dionysii Vossii* ita sonant. *Accenso igne magno partem sui accipiebant seminis, quam deinceps sacerdotibus igni servientibus tradebant. At sacerdotes, ubi filium accepissent, eum patri restituebant; quô ipse ex sententia sua illum per ignem traduceret. Igitur pater filium permissu Sacerdotum per ignem agebat. Pedibus autem jubebat transire, donec flammæ quicquid erat, emensus foret. Non enim Molocho eum comburebant, quomodo liberos suos aliis exurebant Diis: sed cultus ille Molochi tantum in transitu consistebat.* Ita Achas traduxit filios suos per ignem *2. Reg. 18. v. 3.* ut & Manasses *2. Paralip. 33. v. 6.* Quod verò

verò Achas filios suos non conbusserit, sed saltem per ignem traduxerit, indicat *Theodoretus qu. 16. Ego*, inquit, *existimo, id quod dicitur, tacitè significare genus erroris, quod ad nos usque pervenit. Vidi enim in aliquibus civitatibus semel in anno accendi rogos, & trans eos saltare aliquos, non solū pueros, sed etiā viros: infantes autem per flammam ferri à matribus, videbatur autem quadam esse expiatio, & purgatio. Existimo autem hoc fuisse Achazi peccatum.* Hæc Theodoretus. *Caspar Sanctius ad l. 2. c. 16. v. 3. p. 1539. Regum.* assentitur Lyrano docenti, *omnes filios Achazi flammis piacularibus fuisse purgatos, & ex illis unum immolatum & consecratum fuisse Molocho Ammonitarum Deo.* Similem morem trajiciendi per ignem pueros vidisse se in orâ Indiæ Asiaticæ maritimâ narrat *Ferdinandus Mendes Pinto Lusitanus*, acceptum, ut credibile est, & nunc à Phoenicibus. In Chenaraga Indiæ insula repertus est ritus uterq; & comburendi filios, & lustrandi eos per ignem traductos. Venit mos trajiciendi per ignem *à Phœnicibus in Siciliam* & exinde Romam. Mansit ille mos diu in Africa, teste Leone Afro, nec aliunde, uti putat *Grotius ad c. 18. Deuteron. v. 10. p. 1269. Tom. 1. Critic. Sacr.* in Brasiliam transiit. Verùm satis de illo more; aliàs constat: Saturnum magno in honore apud veteres fuisse; & constans est traditio, ei non tantùm captivos & vulgares homines; sed & subditorum ac civium liberos fuisse immolatos. Sicuti ait *Hieronymus ad Esaiam lib. 13. c. 46 p. 150. Saturni*, inquit, *tanta fuit apud veteres religio, ut ei non solùm humanas hostias captivorum ignobiliumq; mortalium, sed & suos liberos immolarent.* Adde *Athanasium contra Gentes p. 21. Origen. contra Celsum l. 5. p. 252.*

Illud subinde perscrutari decet, quo exemplo commotus Dæmon execrandam illam τεκνοθυσίαν seu liberorum sacrificiū apud Ethnicos instituerit. Alij putant, illū sponte sua istud ordinasse; ita ut potissimū bellicis calamitatibus pressi mortales liberos suos mactarent ad avertendū malum. *Eusebius lib. 1. de præpar. Evang.* scribit è *Porphyrio*: Saturnum, quem Phœnices Israël nuncupabant Regem Phœniciæ vetustissimum, ut regnum suum à summo imminentis belli periculo liberaret, Superosque propitios haberet, unicum (μονογενῆ) quem ex Anobretâ susceperat filium, regio fastu ornatum constructam super aram immolasse ex præcepto Oraculi. Ita & Rex Moabitarum cùm desperaret de viribus humanis confugit ad Deos suos, & in honorem illorum sacrificavit filium suum primogenitum, futurum Regni sui successorem.

2. Reg.

2. Reg. 3. v. 27. Ad quem locum notat *Caspar. Sanctius p. 1386.* sequentia: Quidam id egisse putant, *Regem Moab, ut miserabili spectaculo placaret sibi illorum animos, quos violato fœdere, & vectigali perfidiosè negato infensos reddiderat; atque ita non in occulto sacrificalem dederat operam charissima victima scilicet supra murum, ubi à toto exercitu spectari posset. Neque illum sua fefellit cogitatio, nam ubi Regem eo redactum esse vident, ut de filio suo tam severè decerneret, sibi ipsis subirati, quod patrem miserum coegissent in sua pene viscera ferrum adigere, & ex tragico sacrificio cruentas referre manus, statuerunt condendum esse gladium in vaginam, & salvo Rege ab ulteriore cæde in patriam redeundum esse.* Alij tamen credunt, *quasi Rex iste non suum proprium, sed filium Regis Edom, quem vel cepisset, vel tanquam obsidem secum habuisset, in Sacrificium mactaverit:* quamtumvis à prudentibus isti opinioni valdè contradicatur. Sed quicquid sit, sive proprium, sive filium Regis Edom immolaverit; illud certum est, eo spectaculo deterritos fuisse hostes, & victrices manus à cæde & ferro abstinuisse. Verùm aliquantò exactius oportet inquirere, unde scilicet Dæmon permotus fuerit, ut talia crudelia & inhumana sacrificia sibi offerri voluerit? *Georgius Ambianates ad c. 9. Tertull. Apologet. Observ. 8. p. 139.* non ineptè docet: Sacra istæc multis ex causis fuisse profecta: *Sive enim Dij sive Dæmones extorserint, sive homines excogitaverint; non tamen sine aliqua rationis umbra usurpatum est. Quomodo enim homines etiam barbari pares suos impenderent, quomodo spretis vulgaribus hostiis humanas immolarent; nisi Diis suis acceptas aut scissent, aut credidissent. At quis sciat vel credat, nisi aliqualem habeat rationis speciem? Imò suas separatim rationes habere Dæmones potuerant, suas verò homines. Esto enim, Dii sacra istæc non imperaverint, aut saltem adhuc neminem coegerint, negari tamen non potest, eos humano sanguine delectatos, cùm tali sacro placarentur, &, ut dixit Lactantius, hominum pœnis propitiarentur.* Plerique docent: Diabolum in hoc truculento sacrificiorum genere respexisse ad exemplum partim Abrahami jussu Dei filium suum Isaacum sacrificare volentis: partim Jephtæ, qui filiam suam sibi redeunti è prælio obviam è voto quodam mactasse in sacrificium dicitur. Quod ad Abrahamum attinet, jussus quidem ipse est peculiari quodam divino præcepto filium suum unigenitum Isaacum in sacrificium offerre Iehovæ:

attamen

ttamen factum illud non est completum. *Athanasius Kircherus Tom.* *Syntagm. 4. c. 15. p. 334.* illud exemplum Saturni Regis vetustissimi Phœnicum supra adductum, qui filium suum unigenitum ex Oraculi mandato sacrificavit, vult ipsi Abrahamo accommodare, quasi vera historia sub fabula quadam gentilium fuisset occulta: sed *Johannes Seldenus Syntagm. 1. c. 6. p. 188. & 189. de Dis Syris* eidem non adstipulatur. Quidam etiam opinantur, quasi Moabitarum Rex in maximas angustias redactus ad exemplum Abrahæ respiciendo suum filium primogenitum in conspectu obsidentium hostium publicè mactaverit. Id quidem verum est: Ethnicos etiam Reges in magnis calamitatibus filios suos sacrificasse, & ita Regem hunc Moabitarum illum dubio procul morem imitatum fuisse: an verò is juxta *Abulensem* ad Abrahæ factum respexerit, vel ad id respicere potuerit, multa me dubitare jubent. *Georgius Ambianates ad Tertull. cap. 9. Apologet. p. 139.* hunc in finem affert exemplum *Dianæ*, cui solebant humanas offerre victimas. Proditum namque memoriæ est, cùm Aulide adversis tempestatibus Græci detinerentur, ubi repente secundi venti flare cœperunt, mactasse statim eos Dianæ quascunque vel feminas vel mares habuit in promtu quisque, hostias. Mansisse dehinc ritum, ut quavis hostiâ Aulide litari posset. Diana itaque tanquam immitis Dea non aliter quàm humano sanguine fuit placata. Igitur cum *Iphigenia* è Calchantis vaticinio à Græcis esset immolanda, *pro puella perhibent Deam submisisse cervam mactandam. Pausanias lib. 9. p. 521.* Addit *Ambianates* *l. l.* Sicut Deus Isaaco pepercerat, & ejus loco arietem substituerat; *Sic & Diabolus aliquando sacrificantis voluntate placatus homini pepercit, & hostiam submisit.* Manifestum nobis exemplum suppeditat *Plutarchus in Parallel. p. 309.* de Metello Romanorum Duce. Nam cùm Pœni societatem cum Siculis adversus Romanos machinarentur *Metellus Romanorum Dux* soli *Vestæ* rem sacram non fecit: quæ propterea ventum adversum classi immisit. *Cajus* tamen *Iulius* aruspex cessaturam edixit adversam tempestatem, si filiam suam Dux esset immolaturus. *Coactus itaque hic filiam Metellam produxit mactatum. Vesta eius miserta buculam ejus in locum submisit, ipsamq; Lamusium detulit, & Draconis, qui ibi colitur, antistitem fecit.*

Sed de Iephta ejusque filia ut aliquid dicamus, ordo requirit. *In libro Iudic. cap. 11. v. 31.* hæc historia refertur: *Vovit Iephte votum Domino,*

mino, & dixit? Si tradideris Ammonitas in manum meam, quicquid egredietur de foribus domus meæ in occursum meum, cum revertar in pace à filiis Ammon, erit Domini, & offeram illud in holocaustum. Huius exemplum videtur *Dæmon imitatus* in *Idomeneo*, qui coactus fuit Neptuno polliceri, se ei sacrificaturum illud animal, quod ipse primum habiturus esset obviam. Sed cùm primum sibi ocurreret filia, eam quoque ex voto immolavit. *Natalis Comes lib. 1. c. 18. p. 67. Mytholog.* Sed multi sunt, qui de eo dubitant, an *Iephta* filiam suam ex voto immolaverit, & non eam potius ad vitam cælibem destinarit? Non nego, fortia videri argumenta hucusque allata, quibus probari debet, quòd *Iephta* filiam suam reapse immolaverit; eaque etiam exhibuit *Ludovicus Capellus* in singulari quadam diatriba, quæ inserta est *Tom. 2. Criticor. Sacror. pag. 2076. & seqq.* Sed pauca saltem hoc loco de Isto argumento adducam 1. Verba ipsa in S. Codice videntur clara: *Iephtam* scilicet vovisse votum, quod quicquid sibi domum revertenti primum è foribus suæ domus esset obventurum, se illud in holocaustum oblaturum esse Domino: dicitur autem filiæ ita fecisse, uti voverat; itaque eam immolavit 2. Votum Iephtæ docent fuisse *votum Internecionis & excisionis*, à quo non dabatur redemtio, ut ita juxta illam *Anathematis legem* filia debuerit occidi. Quòd etiam confirmant verba Jephtæ, quibus usus est, cum egredientem sibi in occursum videret filiam: *Tu me depressisti, tu es inter eos, qui me conturbant.* Miserè autem ita clamat, quòd ex voto se intelligeret obligatum ad tradendam filiam morti. Ipsa quoque consensit in votum sui patris his verbis: *Aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi, quemadmodum exiit ex ore tuo.* 3 Enata est consuetudo virginum in Israel quotannis convenientium ad deflendam insignem istam virginem, nec non prædicandam ejus constantiam in ferenda morte: & conservandam facinoris istius ferè heroici memoriam. Patrem enim precata erat, ut, cum ipsa nunc quidem morti esset destinata, sibi liceret per duos menses secedere cum sodalibus suis in montes ad deflendam virginitatem suam. Quare autem ipsa voluerit deflere virginitatem suam, & regredi ad patrem, ut is votum exequeretur suum, nisi ipsa consecrata esset in victimam? Præterea non opus erat antequam actu ipso sejungeretur à consociatione hominum deflere suam virginitatem; sed potius spatium illud duorum mensium cum suis sodalibus in lætitia ac jucunditate exigere; quod

re; quòd tempus flendi tum fuerit aptum, cùm abstrahenda esset ab
hominum consortio. Et ait *Cappellus*: Erat ne consecratio virginis
Deo facta tàm acerba pœna, tàm durum supplicium, aut tàm grave
Iephtæ damnum, ut ad utriusque consolationem conventum illum
virginum solennem quotannis fieri oporteret? Aut verò fuit perpetua
illa virginitas tam singulare & insigne facinus, ut ad æternam ejus me-
moriam mos ille in Israël inolescere debuerit? 4. *Petrus Martyr* hoc
urget: *Iephtam non habuisse in Scripturis exemplum: Patri licere filiam
obstringere voto ad servandam viginitatem, quin è diverso potius Deum
legis observatoribus copiam prolis polliceri: ut proinde illud, quod promis-
it Deus magni beneficij loco, non potuerit impediri voto.* Cui accedit,
quòd Iephta non expectaverit consensum filiæ suæ, antequam istud
votum emitteret, citra quem tamen votum virginitatis non potuit
esse validum ac ratum 5 Voluit Deus permittere, ut immolaretur
filia Iephtæ è patris sui voto, ut ipsa esset typus Messiæ, qui pro ho-
minum peccatis esse immolandus; utpotequi postea in cruce factus est
Anathema. Aptissimè autem hic comparatio potest institui. Etenim (1)
illa patri unica fuit filia μονογενὴς, ideoq; patri charissima; ita etiam Messias
fuit Dei patris filius unicus atque ita maximè dilectus. (2) Virgo istæc
fuit illibatæ pudicitiæ devota à patre contra Ammonitas populi sancti
hostes proficiscente, ut Deus suæ genti concederet victoriam; sic Chri-
stus fuit purus & immaculatus, devotus & ipse est, factusque κατάρα
ad devincendos hostes spirituales, peccatum, mortem, & Diabolum.
(3) Quemadmodum dici poterit: Iephtam hoc veluti pretio (quòd tale
votum fecerit, illudque postea perfecerit) victoriam illam à Deo quasi
redemisse aut impetrasse: pari modo & Christi morte parta homini-
bus est victoria, ut omnes, qui ejus meritum sibi per veram fidem
applicant, hostes istos nihil metuere teneantur. (4) Uti Filia istæc læ-
to animo subijt mortem: Sic & Servator noster non invitus & ægrè,
sed sua sponte & libens se pro nobis obtulit patri, eique ad mortem
usque fuit obediens. (5) Filia Iephtæ ante voti adimpletionem petit
sibi indulgeri duos menses, ut cum puellis comitibus per montes de-
fleret immaturam mortem; quibus exactis ipsa ultro ad patrem ma-
ctanda revertitur: Ita & Christus secessit cum discipulis in montem
Olivarum, ibique Patrem rogavit, ut si fieri posset, calix iste crucis

transiret ab ipso: sed confortatus surrexit, & ultrò militibus se vinciendum & abducendum obtulit, mortemque amarulentam & infamem summa animi constantia subjit. Ubi igitur Iudæi intellexerunt, immolatam filiam Iephtæ debuisse esse typum futuri Messiæ, inde aliam interpretationem excogitarunt, scilicet: Eam non fuisse mactatam, sed Deo consecratam ad hoc, ut perpetuò maneret virgo: ne inde typus Filij Dei duceretur. *Genebrardus lib. 1. Chronol.* Quod quoque asserit *Tyrinus*: Nam ait, non possum probare sententiam quorundam *Rabbinorum*, & nostri seculi hæreticorum, quos secutus est *Lyranus & Mariana*: qui dicunt: *non occisam, sed immolatam esse*, id est, *virginitatem toto vitæ tempore ad instar Nazaraeæ servare jussam.* Hisce addi potest, quòd multi etiam ex ordine Patrum istam opinionem sequantur & defendant. Plura legi possunt apud dictum *Ludov. Cappellum* & *Christian. Schotanum in Dissert. de Voto Iephtæ. n. 5. & seqq. p. 2. & seqq.* Verùm, quàm speciosis licèt argumentis hæc sententia propugnetur, rectius tamen videntur sentire, qui statuunt: filiam Iephtæ non fuisse occisam, & victimæ instar Deo oblatam. Etenim 1. Homo non est materia ad sacrificium apta, neq; continetur in serie rerum, quas Deus sibi voluit sacrificari. Inde etiam alia mens voventis Iephtæ esse non potuit, quàm ut tale animal Deo se sacrificaturum intelligeret, quod secundum Legem offerri in victimam potuerit. Quid enim si asinus vel canis ei fuisset obviam factus, utique neutrum ipse potuisset mactare in sacrificium: quin imò nec voluit; utpote, qui iam tum intellexerat, quodnam animal secundum Legis divinæ ordinationem potuerit sacrificari. Mecum sentit *Isidorus Clarius ad v. 31. c. 40. lib. Iudic. p. 2069.* quando scribit: Iephtam sub hac conditione votum de immolando animali fecisse, scilicet: *Si idoneum foret pro holocausto.* Jam verò, uti *Vatablus* ait: *Homines non sacrificabantur Domino, nec id Deus vult, nec est anathema: nam hoc fiebat imperante Domino.* Non itaque Pater illam interfecit, sed juxta Hebræos reclusit eam, & à consortio hominum separavit. *Drusius ad c. 11. v. 31. p. 2073. in Tom. 1. Critic. Sacror.* recte docet: *Iephtæ votũ fuisse inconsideratũ. Nam si canis occurrisset, nec immolare potuisset, nec Deo consecrare. Cæterũ qui virginitatẽ vovet, improlis manet: Tales apud antiquos pro mortuis habebantur.* Neq; ab hac sententia alienus est magnus *Hugo Grotius* ad dict. *cap. 11. Iudic. p. 2079.* Quando Iephta ait, quod
mihi

mihi revertenti primum per fores meas egredietur, erit Domino, & ascendere faciã holocaustum: *nempe si id animal holocausti sit capax. Holocausta enim per legem fieri non poterant nisi ex bobus, ovibus, capris, turture & columba. Quid si asinus aut canis occurrisset, debuit ne holocaustum fieri? Non sanè. Ergo nec humani generis quicquam; sed dedicandum id ad ea ministeria, quæ homines Deo exhibent, putà in Sanctuario, si mas esset: si femina, ad precem, vinû abstinentiam, & vitam ab hominum consortio separatam.* 2. Deo offerri debebant victimæ, quæ essent sacrificantium propriæ, & in quas ipsi haberent Ius vitæ & necis: sed in liberos non est parentibus jus vitæ & necis concessum, proinde etiam Iephta non potuit filiam suam comprehendere voto. 3. Non potuit victima offerri Deo nisi à sacerdote, & in ara ad hunc finem sacrificandi exstructa. Verùm non potuit *Iephta*, adhibere Sacerdotem è posteris Aaronis: illi certè nunquam hominem jugulassent ad altare, eumq; ibidem sacrificassent, aut humanum sanguinem sacræ aræ infudissent, quod scirent è Lege Mosis, sacrificiorũ materiam non fuisse è genere humano. Deinde ara polluta fuisset sanguine humano, & cõbustione corporis humani. Cũ Rex Josias arã profanã in *Bethel* polluere, & inutilem vellet reddere, in ea combussit humana ossa. 2. Regum. 23. v. 15. quoniam contactu ossium humanorũ loca sacra contaminabantur. Et notat *Caspar. Sanctius ad illum textum. p. 628.* quòd incendere ossa humana super altari magna sit sacrorum locorum ignominia. *Et ad vers. 20. p. 1629.* ait: *Profectus fuerat Iosias in Samariam ubi etiam fuerunt sacerdotes, qui vitulis aureis, & aliis gentium simulacris sacrificaverant. Hos Rex super aras illas immolavit, quas ipsi prius in honorem Dæmonis imbuebant victimarum sanguine. Aliorum autem, quos aut aris præfecerat Ierobeamus, aut qui illis deinde in eodem munere successerant, qui tamen jam decesserant, effodit ossa de Sepulchris, & super altaribus universa combussit.* Quod certe satis propositum illustrat, nempe non potuisse Iephtæ filiam à sacerdote in sacra ara immolari. 4. Eleganter *Schotanus in Dissert. de Voto Iephtæ p. 6* ratiocinatur de hoc argumento: Si dicis Iephtem immolasse filiam suam, dico te non respicere Deum, nec Iephtam, nec sacerdotes & populum. Deus non tulisset, nec sivisset istud facinus inultum. Iephta aram sanctam polluisset sanguine humano. Sed ipse adeò rerum imperitus non fuit, ut nesciret non licere hominem immolari. Sacerdotes nunquam permisissent, ut Iephta immolaret filiam, eamque imponeret

neret aræ, quippe,quæ hoc pacto fuisset inquinata. Ad aram non accessit nisi Sacerdos,qui Deo immolaret victimas, hinc si filia istæc debuisset in victimam offerri Deo, ministerio Sacerdotis opus fuisset. Iephtæ certè nunquam concessum fuisset, ut ipse tanquam laicus ad altare sanctissimum mactaret animal in holocaustum, nedum filiam suam. Neque dicitur in S. textu, quod illam occiderit clam, aut eam trucidaverit instar canis vel bestiæ. Etenim si ex voto ipsa debuerit consecrari seu mactari Deo, non potuit in quovis loco jugulari, sed in loco sacro divino cultui destinato: qui alius non fuit, quàm ara victimis destinata: sed quis unquam legit vel audivit in ara ista sacra mactatum aut oblatum fuisse hominem? Populum autem quando consideramus, si vidisset vel Iephtam Virum Laicum sacrificandi officio defungi: vel sacerdotes hominem mactare; sanè & Iephtham cum sacerdotibus obruissent lapidibus. 5. Virgo hæc rogavit patrem, ut sibi permitteret secedere in montes cum sodalibus ad deflendam non mortem, sed virginitatem suam. Quid opus habuisset deflere virginitatem suam, si debuisset interfici? hac ratione potius deplorare potuisset mortem, in quam ipsa victimæ instar præter morem & contra legem divinam esset tradenda. 6. Additur in textu: *Et ipsa non cognovit virum:* Ideo mansit perpetua virgo. Quare hæc verba sunt addita, si ipsa est occisa? Etenim ob instantis mortis periculum ipsa non præsumitur habere potuisse animum congrediendi cum viro. Quid opus igitur fuit illa verba interserere: Et *non cognovit*? Aliud igitur sub hoc latere necessum est, scilicet, ipsam fuisse subtractam societati conjugali, & perpetuæ virginitati consecratam. Quam interpretationem juvat mos introductus apud Israelitas ut virgines quotannis irent ad plangendum filiam Iephtæ, vel uti *R. David Kimchi* declarat: ad consolandum eam, & loquendum cum ea. *Sixtinus Amama lib. 3. Antibarb. Bibl. p. 388. & 389.* in hanc, quam hactenus protuli sententiam, descendit his verbis. *Sentio itaque non immolatam, sed consecratam Deo, & in perpetuum quasi Naziraatum & secessum traditam, innuptam mansisse, ne alterius, quàm domini esse videretur. Hinc vers. 30. non vitam amittendam, sed virginitatem consecrandam deflevit. Erat enim probrosa virginitas. Esaia 4. Hinc vers. ultimo narrat historia: filias Israel quotannis ivisse ad confabulandum cum ea, atque hoc modo tadium solitaria vita fuisse solatas. At inquiunt, nulla extitit Lex de virginitate conservanda.*

vanda, nullum exemplum ejusmodi voti extat. Quin omnia videntur contraire, & damnare hujusmodi votum. Resp. nos non defendere, sed vehementer improbare viri hujus temeritatem cum insigni Iuris divini ignorantia conjunctam. Et quidem temeritatem duplicem videlicet in vovendo, & exsequendo. Ignorantiam quod attinet, *Levitic. ult. v. 4. legere potuisset: Quod si femina erit, quæ videlicet devota seu nuncupata fuerit Deo,* tunc erit æstimatio tua 30. Sicl. *Magna verò & stupida temeritas in exequendo voto fuit, quòd toto illo spatio bimestri Levitam non consuluerit;* vel si placet: Eum aut consuluisse sacerdotes, aut monitum ab illis, ut filiam redimeret, noluisse à proposito desistere, sed voto suo tenaciter inhærere, magna fuit contumacia. Plura habet *Amama*, quæ prudens omitto. Id saltem attexam. An coacta fuerit filia Iephtæ obedire patri suo? si simpliciter rem considero, utique hac in re Patri præbere obsequium non fuit obligata. Nihil siquidem ad ipsam pertinuit, quod Pater satis imprudenter voverat. Vovere ipse quidem poterat, quod in ipsius erat potestate; non verò, quod alterius in potestate situm erat. Ut autem Iephta filiam suam Deo manciparet, & perpetuo cœlibatui eam addiceret, illud propria autoritate absque filiæ consensu præstare non potuit, certè non debuit: proinde etiam licitè potuisset filia patris voto resistere. Postquam verò in patris votum consensit, ipsa se fecit voti istius ream, & ob consensum suum semel datum coacta fuit voto obedire, & perpetuam servare virginitatem, utpote cum hoc per se impium & illicitum non sit. Confer *VVolfgang. Frantzium. de interp. Sacrar. Script. Orac. 71. p. 557. & seqq.* Fuit igitur consecrata ad perpetuum Naziræatum. *Levi Gersomides* ait: Videtur quod fecerit illi Iephte *domum foris*, ut non videret eam neque vir, neque mulier, ubi considêret. *Tantum ibi expectavit duos menses, in quibus ibat cum suis sodalibus ad deflendam virginitatem suam super montibus. Eo tempore inclusit eam in ea domo, nec vidit porro illic mulierem nisi quatuor diebus in anno; quia fuit mos in Israel, ut filiæ Israel ad consolandum filiã Iephte propter virginitatẽ suã ireat, & hac fuit separata à viro.* Existimat igitur Gersomides, illi à patre factam esse ædiculam in montibus illis, in quibus defleverit virginitatem suam, quam in sterilitate consumtura erat. In eosdem montes quotannis redijsse virgines, ut cum ea confabularentur. Verùm, quod Deo fuit consecratum, non in loco quodam privato ad privati arbitrium electo; sed in tabernaculo aut templo esse

 debuit.

debuit. *Gersomides putavit in iisdem locis virginitatem consumtam esse, ubi defleta est.* Si ita factum est, utique erratum est communi errore, qui obtinuit, antequam sacrum altare in fixo quodam haberetur loco. Nihilominus ubicunque fuit sacer cultus dedicatus, ibidem Iephtæ filia sacris inservivit, & sancto officio est defuncta. Verùm de hac historia satis: Redeundum igitur est ad propositum: Dæmon itaque interveniente autoritate Oraculi hominum sacrificia desideravit: nec meliore via tale abominandum scelus illis commendare potuit, quàm si autoritate divina ipsi persuasi essent certius remedium ad avertendum malum in promtu haut esse, atque ut hominem in victimam offerrent. Neque simpliciter hominem, sed juvenem, vel puellam: non senem: integrum absque omni vitio naturali, & defectu tàm memborum externorum, quàm animi. Ut ita florem quasi hominum sibi consecraret. Quod certè ab omni ratione est alienum & absurdum. Vera igitur est hæc assertio: quædam Oraculorum responsa fuisse impia & absurda.

CAPUT XIX.

De

Iis, qui ludibrio habuerunt Oraculum.

QUamvis magna apud Ethnicos fuerit Oraculorum veneratio & autoritas, ipsaque non aliter tanquam eloquia & responsa Dei fuerint habita; attamen quemadmodum aliàs fit, ut non omnes homines circa religionem eadem pietate sint affecti, sed quidam eam vel planè contemnant, vel saltem esse medium aliquod civile dicant, quo homines aliàs minus promtè Legibus obsecuturi in officio retineri possint, ipsam autem in se esse nomen inane, quod quidem vulgo non sit proponendum, sed solis prudentibus reservandum; ita & Oraculis olim accidit, dum nonnulli vel ex impietate quadam, vel quod Dei responsa sibi viderentur suspecta, vel quod Deum Oraculis præsidere non crederent; sed saltem sacerdotes seu vates aliquid prædicere putarent, inscij, an ita subsequi posset, vel non, sicut ipsi responderent quærentibus. Deinde sicuti fit, ut nonnulli sacri ordinis viros vel hodie exagitent: illos derideant, illorumque sermones publicos perstringant, & examinent: nec non quodcunque possunt, carpant, in sensum deteriorem detor-

torqueant; imò multa ipsis affingant, saltem ut istorum dignitatem el immineant, ipsos ludibrio exponant: pari modo & inter Paganos uidam ad illam temeritatem prolapsi sunt; ut Deorum suorum ef-ta non æstimaverint, aut Oracula ipsa pro ludibrio habuerint: quin nò irridendi gratia ipsa tentare non dubitaverint. An voluerint eritatem in ipsorum dictis explorare, an verò ipsarum autoritatem ıbsannare, non quidem certò constat, valde tamen est probabile. Il-ıd deprehendo in antiquorum scriptis, quòd vel irridendi causa, vel ıendacij responsum datum convincendi gratia Oraculum fuerit con-ultum, vel etiam istius eloquium tanquam ridiculum rejectum, & in ontemtum Numinis ab eo, cui illud datum erat, contrarium peractum ıerit, saltem quo ipse facto suo Oraculi vim & veritatem eluderet. ed vix fidem mereri videtur, quod quidam, utut mali & ab omni pro-itate alieni fuerint, autoritatem divinam ludibrio habere, & respon-ı istæc, prout tum ab omnibus ferè vel à plerisque saltem credebantur ıcra, irridere & mendacij coargere potuerint vel ausi fuerint. Verùm, uemadmodum Deus verus delictis hominum connivet, & permit-it, ut ipsi in pertinacia sua perseverent, verbum divinum negligant, rrideant, tanquam falsum mendacij incusent, ut suo tempore moram stam & patientiam gravitate pœnarum compenset: sic quoque & Diabolus sanctissimum istud Numen imitatus est in regenda gente I-dololatrica, & id ita fieri permisit. Nam passus est se exagitari, illudi: sua esponsa & Oracula veluti suspecta negligi, imò mendacij incusari, ut pse tum consequeretur occasionem eò gravius hominum improbita-em castigandi. *Pherecydes* ait: *Magna est Deorum clementia in susti-iendis hominum malitiis, quæ sæpe eo usque progressa est, ut à contemtu acrorum rituum, & responsorum divinorum non abstinuerit: sed illi quò lementius tulerunt improbitatem illorum, eo acrius tempore opportuno llam puniverunt. Durum est Deos contemnere.* Adde *Erasm. in Adagiis* 724. *Dij laneos habent pedes.* Tyrijs fuit in more positum, ut Deo-um statuis vincula injicerent. *Apollodorus* ait: Saturnum per an-ıum alligari laneo vinculo, & solvi ad diem sibi festum, id est, men-se Decembri. Verùm ænigma proverbij indicat: *Deos ad scelerum ul-ionem lente quidem procedere, sed tamen aliquando de male factis pœnam umere vel inopinatò.* Præclarum locum habet *Plutarch. Tom. 2. in lib. de his, qui serò à Num. puniuntur, p. 550.* Postquam enim is disseruerat,

quòd major alius fructus non ſit, quem ex Deo capere poſſit homo, quam quòd imitatione pulchrorum, & bonorum, quæ divinæ naturæ inſunt, virtute potiatur. Addit: *διὸ τοῖς πονηροῖς ἐν χρόνῳ καὶ σχολαίως τὴν δίκην ἐπιτίθησιν* (ſcilicet *οἱ θεοὶ*) *οὐκ αὐτός τινα τοῦ ταχὺ κολάζειν ἁμαρτεῖν δεδιὼς ἢ μετάνοιαν, ἀλλ' ἡμῶν τὸ περὶ τὰς τιμωρίας θηριῶδες καὶ λάβρον ἀφαιρῶν.* Hoc eſt, *Propterea Deus malis interpoſita mora ac tardo pœnas infligit, non quod vereatur, ne accelerando ſupplicio erret aut committat, cujus pœnitentiâ aliquando ducatur: ſed ut in vindicandis aliorum peccatis ſævitiam & vehementiam nobis hoc exemplo ſuo eximat.* Glycus tamen natione Thrax, cùm illusô Oraculô rediturus eſſet ad ſuos, fulmine ſubito percuſſus in via mortuus eſt. Menippus, oſtensô Pythiæ Delphicæ vati ſacco oſſibus humanis repletô, tentare eam voluit, an ipſa ſciret, quid in utre eſſet reconditum: Sed loco reſponſi cæcitatem oculorum recepit. *Claudius Borreus ad lib. 5. Ariſt. Politic. p. 634.* Quare etiamſi Diabolus interdum permiſerit hominibus, ut cultum divinum vilipenderent, Oracula deſpicerent; & crimina iſtæc aliquando acerbitate ſupplicij vindicaverit: tamen interdum etiam abſque mora improbos punivit. Illud manet certum: Non temerè manſiſſe impunitos, qui Deum, aut ejus verbum, vel divinum cultum irriſerunt, contemtui expoſuerunt, aut etiam tanquam rem ludicram habuerunt. Sed nunc exempla conſideranda veniunt illorum, qui Oracula ludibrio habuerunt. Quos inter occurrit Daphita Sophiſta homo mordacis & ineptæ opinationis, is Apollinem Delphis irridendi cauſa conſuluit: *An equum ſuum invenire poſſet, cum omninò nullum habuiſſet.* Cujus ex Oraculo reddita vox eſt, ipſum inventurum eſſe equum, ſed ut eô perturbatus periret. Inde cùm jocabundus, quaſi deluſa ſacrarum ſortium fide, reverteretur, incidit in Attalum ſæpe numero à ſe contumelioſis dictis laceſſitum, ejusque juſſu *Saxo*, cui nomen erat *Equus* præcipitatus, ad Deos usque cavillandos dementis animi juſta ſupplicia pependit. *Valerius Maximus lib. 1. c. 8. n. 8. p. 44. & 45.* Quænam autem fuerint iſtæ contumeliæ, ob quas ab Attalo Rege tam infami ſupplicio fuerit affectus, *ſuprà c. 14. p. 112* indicatum. Vide *Petr. Victorium l. 22. c. 18. p. 607. & 608. Variar. Lection.* Quondam *Entimio Cretenſi, & Antiphemo Rhodienſi* Oraculum ſuppeditatum fuit, ut ei auſcultarent, cui quatuor eſſent aures. Is autem erat prædo quidam Phœnix, quem cavendum eſſe monebat Oraculum. Quare autem dictus ſit quatuor habere aures,

non

non satis liquet. An monstrum fuerit cum quatuor auribus: an verò Oraculum metaphorice intelligi debuerit, quòd ipse quatuor locis exploratores haberet dispositos? non adeò sciri potest. Interea cum hi consulentes datum sibi Oraculum tanquam ridiculum contemnerent ac negligerent, tandem in hunc prædonem inciderunt, & ab ipso sunt extincti, uti illud è *Zenodoto* refert *Erasmus* in proverbio: *Eum ausculta, cui quatuor sunt aures. pag. 612.* Notatu dignum exemplum observare licet apud *Herodotum l. 2. c. 133. p. 241.* de Rege *Mycerino*, cui ex urbe *Buti* venit oraculum, fore, ut sex saltem annos viveret, septimo moriturus. Quod ille ægrè tulit, adeoque iterum misit ad Oraculum *contumeliosas querimonias*, quòd cum pater & patruus homines improbi & extremè mali, qui Deorum immemores, templa clauserant, hominesque perdiderant, tamdiu vixissent, ipse piam vitam agens tàm citò mori debeat. Sed rursus ei ab Oraculo venit responsum: Eapropter ipsum vitam citius finiturum, quod non faceret ea, quæ ipsi incumberent. Nam affligi debuit Ægyptus per centum & quinquaginta annos: quod duo ante ipsum Reges didicerunt, & peregerunt, ipse verò non item. *Ubi igitur Mycerinus audivit: Se à Numinibus esse damnatum, lucernas fecit permultas, quibus, cum noctesceret accensis, potaret ac se oblectaret. Neq; diu ac noctu intermisit, quin per paludes perq; nemora vagaretur, ut scilicet studiosus rerum inventium audiretur.* Hæc *autem idcirco excogitavit, quod vellet oraculum convincere mendacij, ut duodecim pro sex fierent anni, diebus factis ex noctibus.* Stolidum sanè consilium eludendi Oraculi responsum. 1. Namque annus non constat è solis diebus artificialibus, sed etiam è noctibus. 2. Noctes ille non poterat mutare sibi in dies per lucernas accensas, & actus intemperantiæ. 3. Si ille ita perrexit, non potuit in eo vivendi genere pervenire ad sex annorum spatium: Interea. 4. In fatis ita fuit, ut septimo anno vitam cum morte commutare debuerit: quod si per intemperantiam, aut aliam quandam violentam rationem sibi vitæ finem accelerare voluerit, in eo nihil decessit veritati divini responsi. Sed illud obiter. De Smyndiride Sybarita homine satis luxurioso refertur, quod ludibrij causâ ex Oraculo sciscitatus fuerit; nunquid sanum ipsi adhuc esset jecur, sanique pulmones? Respondit, ex oris halitu judicandum. Sed mendacij convicturus Oraculum varijs balsamis dentes inunxit, & omnia suaveolenta edit, & bibit, & ita intemperan-

ter vixit quotidie delicatis cibis & potu saginatus, ut longo tempore sobrius nec Solem orientem nec occidentem viderit.

CAPUT XX.

De

Iis, qui planè contemserunt Oracula.

EOusque res processit cum Oraculis, ut nonnulli cœperint illorum autoritatem negligere, & sequius de illis judicare. Existimo autem causam esse arcessendam à prudentum ut & aliorum hominum judicio, quando experti sunt, effectum talium responsorum fuisse nullum; sed consulentes fuisse spe sua deceptos. Non parum quoque ad inducendum talium contemtum juvit verborum ambiguitas, dum certus ex istis responsis sensus haberi non potuit, & qui ad suas partes Oracula deflexerunt, se errasse postea experti sunt: in magnas siquidem calamitates præcipitati, & se & sua omnia perdiderunt. Procul dubio huc aliquid contulerunt exempla eorum, qui sequius iudicare de Oraculorum responsis, vel quodammodo ea dubia reddere cæperunt. In talibus enim, quæ in despectum religionis cedunt, facilè possumus invenire asseclas. Cumprimis quia hoc multum fecit ad dispellendum metum, qui sæpe è dubijs istis responsis in animis, consulentium enascebatur. Nam ubi intellexerunt aliqui, tantam adeò vim terrendi in Oraculis non latere, quòd aliàs cœteri non auderent elogia Deorum despectui habere, ne sibi periculum crearent; inde facilè securitas contra metum Numinis, & contemtus Oraculorum induci potuit. Ne nunc dicam absurda & à recta ratione multum aliena Oracula ansam haut levem dedisse contemtui: cum enim in cœtu Paganorum fuerint non pauci, qui è recta ratione vixerunt; certè deprehensâ talium responsorum iniquitate, id quod præceptum erat mutare non dubitarunt, sicuti de *Ierulis* facto *supra c. 18. p. 151. & seq.* patet. Quod certè non potuit non cedere in contemtum Oraculi. Quæ omnia licèt non destituantur sua probabilitate; tamen existimo, providentiâ divinâ factum esse, ne Dæmonis imperium eo in genere diutius subsisteret; sed tandem intercideret, & ita vanitate & impietate Oraculorum à mortalibus animadversâ, non tantùm illorum autoritas corrueret, sed & planè contemta fuerit. Sic quidam *Philosophi*, inter

inter quos sunt *Peripatetici, Cynici & Epicurei,* qui contemnere cœperunt *Oracula* tanquam *falsa, & stolide vanitatis plena*: quinimò ad eam impudentiam progressi sunt, conquerente *Iuliano Apostata*, ut divina oracula & Dæmonum responsa mendacij accusarent. *Boissardus de Divinat. pag. 123.* Major contemtus vix inveniri potest, quàm divinum responsum coarguere mendacij: eo ipso siquidem maximum attributum Deo detrahitur, scilicet *veritas.* Si enim Oraculis ademta fuit veritas, aut ea ad minimum saltem suspecta reddita sunt de veritate, tum omnis autoritas evanuit. *Iulius Nigronius* ait in *Orat.* de *Laude verit. Homo,* qui *deprehenditur falsa profiteri, vel saltem dubia aut sibi contradicentia recitare, isti fides derogatur: quod si aperte mentitur iacturam autoritatis facit, & nullo loco amplius habetur.* Verè hæc *Nigronius.* Sed quid si Delphici vel Dodonæi vel alterius Oraculi fides fuit suspecta facta, ut consulentes cœperint non tantùm de veritate dictorum dubitare, sed etiam crimen mendacij illis improperare: ibi omnis ratio divinitatis eviluit, & autoritas periit. *Lyciscus* accepto Oraculi sensu de veritate dubitabat: *jussus* siquidem *rem deperditam quærere apud eum, qui se non nosceret.* Obstupefactus ob insolitum & incertum responsum, perinde esse dixit: *sive interrogasset sive non interrogasset Oraculum, æquè incertum se esse dimissum, se nescire, quid Pythia diceret*: unde *jussit illam valere,* hac addita promissione, *nunquam se ad illam reversurum.* Quam historiam recitat *Casalinus* autoritate *Gregorij Acyndini,* qui illam ex antiquo Græco scriptore adducit; *Acyndinus* autem cùm mihi ad manus jam non sit: ideo, quæ ulterius *Lycisco* acciderunt, an verum vel falsum deprehenderit Oraculum, dicere haut potero. Quomodo *Oenomaus* contemserit Oraculum, sequentia *ex Eusebio l. 4. c. 2. p. 133. & 134. de Præpar. Evangel. ostendunt.* Quid porro attinet dicere, nec popularibus quidem suis, & ejusdem secum civitatis indigenis vates egregios quicquam præsidij vel opis afferre cum infinitos ibidem videas morbis laborantes, claudos, cæcos, ac toto sæpe corpore mutilatos? Quid verò in caussa fuerit, cur peregrinis quidem hominibus, & ex longinquâ regione venientibus rerum meliorum spes quasdam umbratiles ac fucatas ostenderent, civibus autem popularibusque suis non item: quibuscum tamen eos utpote domesticis amicis, ac civibus derivatum ex Numinum præsentia bonum communicare oporteret; nisi quòd extraneos homines veteratoria

toriæ calliditatis ignaros facilius in errorem, quàm alios sibi familiares ac notos impellerent, quippe qui artis hujus imperiti non essent, sed usitatæ judificationis optime conscij? Quare totum istud profectò nec divini quicquam nec humanâ industriâ majus habuit: adeoque videas gravissimis etiam calamitatibus, quales utique cælitus â summo rerum omnium Principe Deo impiorum cervicibus imminent supremum exitium ruinasque frequentes ac repentinas simul cum ipsis donariis atque simulacris eorum templa subijsse. Sed relictis hisce jam tum Ciceronis ævo Oracula contemni cæperunt, & quidē dubio procul eo sensu, quòd tum ipsa nullo amplius habita sint honore: illorum responsa non amplius attenta: nec homines solliciti fuerint, ut desideria sua exponerent Oraculis, & ab illis responso quodam de rei futuræ eventu redderentur certi: idque ex hac causa, ut credo, quod Delphis diu non fuerint carminicè edita. Verùm præstat *Ciceronem* audire *l.2.c.56 de divin.p.208.* ubi ita ait: *Sed quod caput est, cur isto modo jam Oracula Delphis non eduntur non modo nostra atate, sed jamdiu, jam ut nihil possit esse contemtius?* Hoc loco cum urgentur, *evanuisse ajunt vetustate vim loci ejus, unde anhelitus ille terra fieret, quo Pythia mente incitata Oracula ederet.* Cœterùm qua de causa desierit Pythia loqui carminicè *supra c. 10. p. 64.* expositum est. Hic ostendit Cicero, ideo, quòd illo modo, id est, versibus hexametris non amplius responderit. Oracula penitus fuisse contemta. Demosthenes quoque non adeò æstimavit Oraculum; eapropter ob dubium aut obscurum Oraculum noluit exercitum perterreri, sed potius ipse, contemtâ Oraculi responsione, Pythiam suspectam: exercitum verò alacrem reddere voluit. Historiam narrat *Plutarchus* in vita *Demosthen. p. 854.* certè lectu dignam. Vetus canebatur è carminibus Sibyllinis Oraculum.

Ad Thermodontem pugnâ cupio procul esse,
Atque modo hanc aquila è cœlo atque è nube videre
Flet victus, perijt quoque cui victoria cessit.

Cum itaque Duris negaret Thermodontem hic intelligi fluvium, factum est, ut cum tentorium quidam erigerent, illudque fossa cingerent, sigillum repererint mamoreum, cum inscriptione: *Thermodontem esse, qui ulnis ferebat sauciam Amazonem.* Sed hac de re aliud Oraculum extabat in hunc modum.

Ad

Ad Thermodontem pugnam expectes avis atra
Corpora tunc hominum campo permulta iacebunt.

Sed quid hoc Oraculo significaretur percipi non potuit. Nihilominus Demosthenes Græcorum fretus armis, atque mirè ob vires & alacritatem tanti exercitus hostem lacessentis elatus non permisit, ut Oraculis moverentur, aut attenderent vaticinia: *imò Vatem Delphicam dixit esse* suspectam *ut quæcum* Philippo *faceret.* Quamvis Demosthenes non intenderit Oraculum simpliciter contemnere; sed potius militem munire, ne obscuritate vel etiam omine sinistro Oraculi perplexi ac si malum & infelicem pugnæ exitum illud prædiceret, is terrore quodam imbutus ab ardore strenuè dimicandi cessaret; sed pótius vaticinijs Pythiæ suspectæ & à partibus Philippi nunc quidem stantis insuper habitis hostem invaderet, eumque assumtis animis fortiter debellaret.

CAPVT XXI.

De

Illis, qui Oraculum corrumpere, aut vi quadam adhibita ad respondendum adigere voluerunt.

QUam vili loco à quibusdam habita sint Oracula præcedens caput ex parte nos docuit: sed & parum videntur æstimata abillis, qui ea corrumpere, vel planè ab ijs responsa extorquere ausi fuerunt. Nam ea ratione Oraculorum præsides ab affectibus regi potuisse, certò debuit ipsis esse persuasum: aliàs non potuissent hæc tentare. Qui exactè rem ventilant, quid aliter possunt judicare? quam nihil minus atque sincerum ab illis habitum fuisse ab Oraculo datum responsum; & parum divini sub istis latuisse. Corrumpere Oraculum est donis illud inescare, ut faustum emittat responsum. Quod si in Judice humano non est ferendum, ut se patiatur corrumpi, & pro acceptis donis injustam pronunciet sententiam! quantò magis à moribus Dei abesse debet longius accipere dona, ut in gratiam consulentis respondeat. Sed illud potuerunt homines facilè cognoscere, si haberent Deos, qui donis possent flecti, quòd non verum, sed quod gratum esset quærentibus, responderent, quòd tum vitio essent obnoxij, & quidem eò magis, quàm homines judicandi potestate

testate prædi i quò magis ipsi hominibus imperare, & ab ipsis coli, & invocari nec non tanquam justi ac veri ab omnibus agnosci volunt. Sed longè ad huc *contumeliosius* est, quod Oracula quidam ad respondendum cogere voluerunt. Mira religio, quâ homines sibi imperium in Deos sumserunt: ijsque imponere vi quadam potuerunt. Nescio an non simile quippiam perpetretur à Sinis, qui quoties auspicantibus non addicuntur omina, Idolum verbis ac jurgijs malè admodum accipiunt, mox ad verba, dein ad verbera procedunt, in aquas projiciunt, aut amburunt igni, *Petr. Maaffius lib. 6. Hist. Indica.* Vide Additiones ad *Abrahamum Rogerium de Indor. Idololat. c. 5. p. 562. & c. 6. p. 603. & 604.* Vesana hæc fuit superstitio, quæ semet ipsam destruit. Si enim Dijs suis Ethnici tantam tribuebant potestatem, quantam Deo tribui par est, *quo fine suscipiebant cum ipsis imparem conditionem?* Sin autem credebant à se in ordinem cogi posse, cur eos divino cultu honorandos esse existimabant. *Freins hemius ad l. 4. c. 3. n. 22. Curtij:* Certè non tàm absurdum fuit, licèt quoque risu non careat, quòd Gentiles vincula Dijs suis injecerint, ne secederent, aut urbem istâ derelinquerent quam quòd vi quadâ illos voluerint cogere. Prius enim habuit speciem precandi, ne urbem, ejusque incolas desererent, cùm putarent, se à Dijs defendi posse, si præsentes essent: fides namque illorum & hoc complectebatur, ut crederent, Deos habitare in istis imaginibus sculptilibus: posterius verò arguit, homines potestatem & imperium sibi sumere potuisse in suos Deos, quod est maximo cum contemtu, & imminutione si non eversione autoritatis divinæ conjunctum. Gentiles autem eo usque processisse, ut Deos suos vincirent, ne evocati ab hoste discederent. Solebant enim hostes obsidentes urbem inde evocare Deos tutelares, atque ita etiam crediti sunt Dijs ad evocationem illam secessisse. Sicuti instante Troiano excidio visi sunt Dij è templis exportasse sua simulacra. Ita quoque Apollo multis Tyrijs in somnis apparere, & illis significare visus est: *Se nunc transire ad Alexandrum; neque enim sibi cordi esse ea, quæ in urbe agerentur,* ubi hoc refert *Plutarchus in vita Alexandri p. 678.* Sic & *AElius Lampridius in vita Commodi pag. 48.* dicit: *Visa esse in foro vestigia Deorum exeuntium.* Ne igitur id ipsis contingeret, soliti fuerunt vel compedes & vincula Dijs injicere, vel etiam alas eis adimere. *Pausanias l. 3.* de Spartanis refert, apud illos cultum fuisse *Martem compedibus vinctum, quo vin-*

culo

culo proprium sibi ac perpetuum bellorum illud Numen haberent. Sic & Tyrij *aurea catena devinxerunt simulacrum Apollinis. Plut. in Quæstion. Roman. p. 279. araeque Herculis, cujus Numini urbem dicaverant, inseruere vinculum, quasi illo Deo Apollinem retenturi*, quemadmodum illud tradit *Curtius l. 4. c. 9. n. 22.* Athenienses quoque Victoriæ alas ademerunt, ne avolando urbem desererent. Alij quando Deos ad lavacrum aut lustrationem aliquam deduxerunt, fidejussores pro reditu exegerunt. *Plutarch. in Quæstion. Roman. p. 279.* Quæ omnia satis stolida sunt, & cum religione, quæcunque demum illa fuerit, aperta fronte pugnant: verùm longè stolidius illud est, quod homines sibi potuerint tantam sumere potestatem in Deos, eosque nolentes & invitos cogere ad respondendum: &, cum respondissent ipsi, quod non placeret, convitijs, probris, minis, & contumeliosis dictis eos increpare, imò verberibus castigare. Certè vel infans istam absurditatem deprehendere poterit. Nihilominus tamen ita Dijs id accidisse, ipsosque adactos fuisse vel invitos hominibus respondere interdum ad arbitrium consulentium, interdum quodque quod ipsis videretur: testantur historiæ. Ea de causa irridet quoque *Oenomaus* Deos his verbis. *Estisne Dij? quomodo autem tum paretis illis, qui vobis obedire debent? Estisne potentes? sed quomodo imperium à subditis sustinetis? Estisne veri? sed quare ad arbitrium vestra responsa datis? Estisne vindices & punitores? qui ergo fit, quod vos plagas accipitis ab hominibus? Estisne sancti & justi? quomodo possunt in vos invehi homines probrosis dicteriis? Debebatis alios defendere ab injurijs & vosmet ipsos defendere non potestis? Et quid hoc est, quod Oracula habetis venalia? omnia hæc vestram evertunt autoritatem.* Sed quæ dicta sunt, exemplis reddentur illustriora. *Lysander* ob ademta sibi decemviralem potestatem dolore accensus iniit consilia, ut *Reges Lacedæmoniorum tolleret.* Sed ubi sensit, id se sine ope Deorum facere non posse, *quòd Lacedæmonii omnia ad oracula referre consueverant*, primum Delphos corrumpere est conatus. Cum id non potuisset, *Dodonam* adortus est. Hinc quoque repulsus dixit, se vota suscepisse, quæ *Iovi Ammoni* solveret, existimans se Afros facilius corrupturum. Hac spe cùm profectus esset in Africam, multum eum Antistites Jovis fefellerunt: nam non solùm corrumpi non potuerunt, *sed etiam Legatos Lacedæmona miserunt, qui Lysandrum accusarent, quod sacerdotes fani corrumpere conatus esset.* Accusatus hoc

crimine judicumque absolutus sententijs, Orchomenijs missus subsidio occisus est à Thebanis apud *Haliartum.* Quàm verè de eo judicatum: oratio indicio fuit, quæ post mortem in domo ejus reperta est, in qua suadet Lacedæmonijs: *Vt Regia potestate dissoluta ex omnibus Dux deligatur ad bellum gerendum*, sed ita scripta, *ut Deorum videretur congruere sententiæ*, quam ille se habiturum PECUNIA FIDENS non dubitabat. *Cornel. Nepos in vita Lysandri. c.3.* Idem & *Plutarchus narrat in ejus vita p. 447. & 448.* Refert Ephorus, inquit: Eum, ubi Pythiam aggressus est pervertere, ac mox sollicitavit per *Pherecleem Dodonidas*, & rejectus ab his est, ad Ammonis templum profectum *ostensâ magna mercede, cum sacerdotibus egisse,* quos ex indignatione Spartam certos ad accusandum Lysandrum legasse, qui tamen absolutus est. Magnâ igitur vim pecuniæ secũ transvexit, qua templi ejus sacerdotes sibi obnoxios redderet, cujus largitione se consecuturum id, quod intendebat, arbitrabatur; verũ sua spe non tantũ excidit, sed & uti *Diodorus Siculus l.14 p.244.* etiam in eadẽ historia id attingit, *Præsides Oraculi* per Legatos Spartã missos attentati per largitionis fraudem accusarunt. Ita de *Lycurgo* legimus, quod *Pythiam* corruperit. Divino namque metu Lacedæmonios cogere voluit ad parendum suis legibus. Si igitur novam quandam excogitasset legem, eam Delphos perferebat, ex Oraculo sciscitaturus, an Lex istæc esset utilis. Vates autem *pecuniis corrupta* semper utilem esse respondebat. Ibi Lacones metu Dei legibus tanquam Oraculis obedientiam præbuerunt. Uti scribit *Polyænus lib. 1. & 10. Stratagemat.* Non tamen hic putandum est: *Lycurgum adeò fuisse superstitiosum, ut in omnibus Pythiæ obsecundans Lacedæmoniorum rempublicam instituerit. Sed quoniam videbat multos mortalium nec paradoxa facilè complecti, nec res graves ac periculosas sine spe Dei aggredi, ideo, ut Lycurgus perpetuo quidem consiliis suis formam è Pythia contractam adhiberet*, reddebat illa & certiora & acceptiora, quæ statuebat. *Tholosan. l. 13. c. 11. n. 11. p. 346. de R. publ.* Leges illæ dictæ sunt *Rhetra quòd à Deo sancitæ crederentur. & quasi Oracula essent. Plut. in vita Lycurgi p. 47.* Is ut æternitatem suis legibus daret, jurejurando obligat civitatem, *nihil eos de ejus legibus mutaturos, priusquam reverteretur*: & simulat se ad Oraculum Delphicum proficisci, consulturum, quid addendum, vel mutandum legibus videretur. *Profectus autem est Cretam, ibiq; perpetuum egit exilium, abjicique in mare ossa sua*

mori-

moriens jussit, ne relatis Lacedæmonem, solutos se Spartani religione jurisjurandi in dissolvendis legibus arbitrarentur. *Justinus l. 3. c. 3. p. 69.* Durarunt autem leges Lycurgi per quingentos annos, uti Plutarchus in ejus vita hoc recitat. *p. 58.* sed *Livius l. 38. c. 34. p. 476.* vult stetisse illas Rhetras per septingentos annos, & dicit illis fuisse assuetos Spartanos: quibus dubio procul respexit ad Lycurgi propositum, qui Leges suas non tàm scribi, quàm memoriæ civium mandari voluit, ut scilicet ipsis semper Leges essent in promtu. De *Cleomene* refert *Pausanias lib. 3 p. 154.* quòd per furorem sibimetipsi manus violentas intulerit, & totum corpus fœdissimis vulneribus laceraverit. Causam mortis variè interpretati sunt: Sed Delphi dixerunt, eo mortis genere ipsum periisse, quòd *Interpretem Apollinis*, ut Demaratum insimularet, *corrupisset. Sollicitatum verò Oraculum pretio prœterquam tunc à Cleomene nunquam comperimus.* Quæ exempla satis indicant, significare voluisse Dæmonem sibi quàm maximè istas munerum corruptelas displicuisse, in tantùm, ut Lysandrum voluerit per Legatos à Sacerdotibus Iovis Ammonij missos publicè accusare: Cleomeni verò rabiem immittere, ut in tàm misero statu sibimet ipsi manus afferret violentas, suumque corpus multis ac fœdis vulneribus laceraret. Quod ad illos attuinet, qui Oraculum cogere voluerunt ad respondendum, constat de *Philomelo*, fanô in potestatem redactô, quod Pythiam ritu patrio Oraculum ex tripode sibi jussert reddere. Cumque vates hunc patrium esse morem diceret, *minis illam adegit* ut tripodem conscenderet. Ibi mulier ad vim inferentis autoritatem sese accommodans: *Licere ipsi, quicquid liberet, respondit.* Quod læto ille animo complexus, conveniens negotio suo se responsum habere affirmavit. *Idq; statim in tabula descriptum publicè omnibus legendum proposuit, ut omnibus demonstraret, quòd rerum pro libitu gerendarum licentiam ipsi Deus tradidisset.* Concione etiam populi advocatâ, divinam ex adyto vocem multitudini exponit, omnesque ad constantiam exhortatur. *Diodorus Siculus lib. 16. p. 428. Biblioth.* sacrum quoque coëgit respondere *Pythiam.* Etenim cum ipse venisset ad Oraculum sacrum Xenoclea Dei interpres responsum dare recusavit, quòd *cæde Iphiti* esset pollutus. Tunc Hercules sublatum è templo tripodem foràs exportavit. Postquam verò, quicquid voluerat, à Xenoclea didicit, inde Poëtæ sumtô argumentô fabulæ mandarunt Herculis cum Apolline de tripode pugnam.

Pausanias lib. 10. pag. 578. Quam fabulam *Plutarchus in libr. de Ei apud Delphos. pag. 387.* ita videtur exponere, seu potius, quod sub ea continetur sic enodare. Nam cum nondum solvisset *Prometheum:* neque cum *Chirone & Atlante* Sophistis collocutus fuisset: juvenis etiamnum ac planè *Bœotius*, dialecticam abolens, & *Sipnius ac posterius* deridens, creditus est vi abstulisse tripodem, & de arte cum Deo dimicasse. Nam auctâ quidem ætate, ipse quoque divinitatis & dialecticæ factus est peritissimus. Hæc Plutarchus. Sed redeo ad historiam. Ubi igitur tripodem restituit Deo, Pythia respondit: eum à morbo liberatum iri, si justo ipse venditus pretio *Iphiti* mulctam daret. Plura de eo habet *Eduard. Simson. par. 2. p. 46. Chron. Univers.* Alij tamen illud non figuratè sed simpliciter intelligi volunt de ipso tripode revera ablato ab Hercule; ut isto facto Pythiam respondere renuentem ad dandum Oraculum cogeret. Et à veritate alienum non videtur, si narratio istæc juxta literam intelligatur, quandoquidem novum non fuit, cum Oraculo expostulare, ei minari, aut ei aliquid è templo de rebus ibidem consecratis auferre, saltem quo ab eo responsum & quidem gratum acciperetur. Nescio annon huc referri debeat historia de compedibus à Crœso Pythiæ missis, ideo, quòd ab ipsa esset responsis sacris deceptus. Nam ubi Crœsus à Cyro devictus in servitute detinebatur, varia ipsum admonuit: quo admonitu majorem in modum gavisus est Cyrus, eaque dicta, quæ prudentis consilij instar erant, vehementer approbavit, & Crœsum ita allocutus est: *Crœse, quandoquidem & facta & dicta tua egregia viri Regis sunt, pete quid muneris à me velis inpræsentiarum tibi dari.* Ad quem Crœsus: *Here,* inquit, *sine me gratum esse erga Deum Græcorum, quem ego maximè omnium veneratus sum, ut missis ad eum hisce vinculis percontet, numquid ei fas sit bene de ipso merentes decipere.* Et Cyro interroganti, quidnam id esset, quod incusaret? altius repetens omnem suum aperuit animum, redditaque sibi Oracula, & præcipuè donaria sua, quibus rebus fretus suscepisset adversus Persas expeditionem. Hæc commemorando redijt rursus ad petendam veniam *Ista Deo exprobrandi.* Et hoc inquit, Crœse, à me impetrabis, & quicquid aliud, atque id quoties tibi opus erit. Ubi hæc audivit Crœsus, Delphos misit quosdam Lydos, jussos, *cum ad limen templi vincula deposuissent,* sciscitarj Deum, *numquid eum puderet ob Oracula quibus Crœsum induxisset ad bellum Persis inferen-*

inferendum, tanquam Cyri potentiam eversurum, unde tales primitiæ offerrentur, *compedes scilicet ostendendo*, & sciscitari tum hæc, tum, *nunquid Græcis Diis foret fas esse ingratos*. Lydis illuc profectis, & talia mandata executis, Pythia fertur ita respondisse: *Sortem fato destinatam defugere, Deo quoque esse impossibile. Herodotus lib. 1. c. 90. & 9. p. 38.* Ubi *pag. 39.* addit: Crœsum haut rectè conquestum fuisse de Oraculo, quoniam Apollo prædixerat: Eum esse magnum imperium, si bellum Persis inferret, eversurum: de qua re ipsum consultare volentem, decuerat mittere percontatum, *utrum ipsius scilicet Crœsi Apollo diceret Imperium, an Cyri? sed quod dictum erat nec considerans nec interrogans sibi ipsi acceptum referat*. Præterea Ægyptij quoque minis utebantur in genus quoddam Dæmonis inferioris ordinis, quod imperiosis minacibusque verbis ad id, quod volebant, cogebant. Quemadmodum *Iamblichus* refert, cujus verba apponam: *Narrat Porphyrius*, inquit, *Sacerdotes consuevisse violentis quibusdam minis adversum superos uti. Minæ hæ ferè erant. Nisi vos ita feceritis vel contra si feceritis aliquid, cælos confringam, vel occulta Isidis patefaciam, vel arcanum in abysso reconditum divulgabo, aut Cistam barin, id est, navim quandam apud Ægyptios sacram aut membra Osiridis Typhoni dispergam, cæteraque similia.* Quæ omnia *Psellus de Operat. Dæmon. c. 21. p. 353.* confirmat sequentibus verbis: *Dæmoniorum genera*, ait, *mirè audacia & timida sunt: imprimis autem ea, quæ ὑλικὰ seu materia affecta sunt. Siquidem aërea quibus plurima solertia inest, si quis increpuerit, increpantem discernere non possunt, nec aliius ab eorum vexatione liberari potest, præterquam is, qui sanctitate vitæ Deum colat, tremendumque Dei verbi nomen divina potentia fretus accinat.* Plura habet *Athanas. Kircher. Tom. 2 part. alt. class. 11. c. 5. p. 483. Oedipi Ægyptiaci*. Misera hæc fuit conditio Deorum, in quos homines sibi imperium arrogarunt, & quos ad nutum suum, adhibitis comminationibus, si restituri essent, cogere potuerunt: & vice versa, felix hominum fuit status, quando illud à Dijs vel invitis expugnare ipsis licuit, quod ipsi desideraverint, ita, ut si morigeraturi haut essent Dij, minis illi adigi potuerint ad implenda ipsorum vota. Quæ sanè potestas est gravis, & Dijs non ferenda. *Eusebius l. 5. c. 8. p. 194. de Præpar. Evangel* recitat, quòd Apollo coactus fuerit respondere, seu per vim illi extortum sit responsum, sed ipse quoque in hæc verba eruperit: *Vis hæc gravis est, & imperiosa potestas*. Si istæc est,

quare

quare illam ipse passus est? nunquid Deus sibi patitur ab hominibus inferi vim? Autoritas omnis & fides de divinitate mortalium animis inspirata hoc pacto tollitur. Qualis enim Deus est is, in quem homini competit potestas cogendi, ut non quod verum, sed quod ipsi gratum est, jubeatur respondere. Nemo enim, qui vel micam prudentiæ ad huc reliquam habet, statuet: Verum illum esse Deum, qui hominum se submittat imperio, eorumque minas metuat, & ita ad votum illorum suppeditet responsa, utpote quæ isto modo integra esse haut potuerunt. Et quia nihilominus homines non puduit illud publicè facere, nec non talia responsa in monumenta referre publica; ideo ipsi Deorum suorum autoritati, ut & divinorum eloquiorum veritati omnem vim detraxerunt: taliumque Oraculorum vanitatem & ineptias toti mundo ostenderunt.

CAPUT XXII.

De

Illis, qui effictis Oraculis alios deceperunt.

INterdum nonnulli autoritate effícti cujusdam Oraculi, quasi responsũ aliquod divinum accepissent, alios deceperunt, non in civilibus saltẽ, sed etiam sacris in rebus, & religione. Hoc enim quidam facilè observarunt, quòd prima cura in republica sit, *Curatio rerum divinarum*, uti *Aristot. l. 7. c. 8. Politic.* ait. Religio enim seu timor Dei custodit hominum inter se societatem. Et scribit *Plutarchus* in *lib. adv. Coloten p. 1125. Facilius urbem sine solo condi posse puto, quàm opinione de Diis penitus sublata civitatem coire, aut constare. Et religionem esse vinculum omnis societatis, & legum ponendarum aut iustitiæ firmamentum.* Inde sub isto prætextu multi Politici non tantùm ad gubernacula Imperii adspirarunt; sed etiam religione tanquam efficaci remedio illud stabiliverunt. Quod intellexit *Thomas Campanella c. 5. pag. 28. de Monarch. Hispan.* quando in hæc verba erumpit: *Omnis religio tam vera, quàm falsa vincit, ubi semel insedit hominum animis: à quibus solis arma & linguæ unica Regnorum instrumenta dependent.* Imperium adepti viderunt tanta se autoritate haut pollere, ut tam magnum cœtum sub obsequii vinculo retinerent, aut ob dignitatem, quam nacti erant, publicam Leges subditis præscribere possent; igitur aliud ipsis remediũ fuit præsto, nempe

jussa

jussa obsequij civilis petere à Deorum responsis; & persuadere civibus, se leges suas à Dijs accepisse, vel ab Oraculo aut alio Deo comprobatas nunc quidem promulgare. Ubi illud hoc figmento facile impetrârunt, ut ipsi non leges tantùm suas velut publico Oraculi indicio firmatas cœtui civili obtruderent; verùm etiam obsequentes in venerentur subditos, quibus nefas fuerit non obsecundare monitis: vel etiam Legibus humanis divino tamen testimonio roboratis denegare obedientiam. Quod à multis & tentatum & impetratum fuisse sequentia monstrabunt exempla. Notatu dignum est, quod de *Paulina* scribit *Iosephus l. 18. c. 4. Antiqu. Judaic. p. 261.* & quidem hisce verbis. Erat Romæ Paulina mulier non minus probitate morum, quàm nataliũ claritate illustris, nec non valdè formosa, utpote adhuc in ipso ætatis flore constituta, cujus pudicitiam cum Decius Mundus equestris ordinis Juvenis nec prece nec pretio ducentarũ drachmarũ milliũ pro unica nocte oblata flectere potuisset; fraude composita *cum sacerdotibus Isidis*, cujus cultui vehementer addicta erat Paulina, *hi fingunt Legatum missum ab Anubide, qui ipsius forma captus jubeat, ut ad se veniat.* Illa libenti animo suscepto nuncio, & maritô quoque admonitô, quòd *paratum sibi esset Anubidis cubile*, in templum educta, & tenebris conciliantibus *in latentem ibi Mundum incidens* totam noctem obsecuta est juveni, Deo se gratificari existimans. Die deinde post rem patratam tertia *Mundus* adamatæ forte fortuna obvius! *O factum bene Paulina*, inquit, *quod ducenta illa millia mihi servasti, quæ potuisti tuis facultatibus addere, & morem nihilominus meæ voluntati gessisti.* Nihil enim mea refert, quòd *Mundum* contemsisti, quandoquidem *prætextu Anubidis* optâta voluptate expletus sum. Atque his dictis abijt. At mulier tum primum deprehenso flagitio vestem sibi lacerat, & re tota ad maritum delata obsecrat, ne tàm insigne ludibrium impunitum sinat. Tiberius postquam accuratissimâ inquisitione didicit omnia, sacrificos illos impostores in crucem egit, unáque *Iden Inventricem hujus sceleris*, cujus præcipua opera in corrumpenda pudicitia mulieris fuit, dirutòque templô statuam Isidis jussit mergi in Tiberim. *Mundum autem mitiore pœna exilij castigasse contentus fuit, crimen ejus in cupidinis impotentiam referens.* Hæc Josephus. Ubi insigne simulationis exemplum, vel in sacris, uti tum haberi volebant, personis cernere licet, quòd mercede conductæ faverint impuræ libidini *Decij Mundi*, atque falsum nuncium emiserint

 evocatu-

toriæ calliditatis ignaros facilius in errorem, quàm alios sibi familiares ac notos impellerent, quippe qui artis hujus imperiti non essent, sed usitatæ judicationis optime conscij? Quare totum istud profectò nec divini quicquam nec humanâ industriâ majus habuit: adeoque videas gravissimis etiam calamitatibus, quales utique cælitus â summo rerum omnium Principe Deo impiorum cervicibus imminent supremum exitium ruinasque frequentes ac repentinas simul cum ipsis donariis atque simulacris eorum templa subijsse. Sed relictis hisce jam tum Ciceronis ævo Oracula contemni cæperunt,& quidē dubio procul eo sensu, quòd tum ipsa nullo amplius habita sint honore: illorum responsa non amplius attenta: nec homines solliciti fuerint, ut desideria sua exponerent Oraculis, & ab illis responso quodam de rei futuræ eventu redderentur certi: idque ex hac causa, ut credo, quod Delphis diu non fuerint carminicè edita. Verùm præstat *Ciceronem* audire *l.2.c.56. de divin.p.208.* ubi ita ait: *Sed quod caput est, cur isto modo jam Oracula Delphis non eduntur non modo nostra ætate, sed jamdiu, jam ut nihil possit esse contemtius?* Hoc loco cum urgentur, *evanuisse ajunt vetustate vim loci ejus, unde anhelitus ille terræ fieret, quo Pythia mente incitata Oracula ederet.* Cœterùm qua de causa desierit Pythia loqui carminicè *supra c. 10.p. 64.* expositum est. Hic ostendit Cicero, ideo, quòd illo modo, id est, versibus hexametris non amplius responderit, Oracula penitus fuisse contemta. Demosthenes quoque non adeò æstimavit Oraculum; eapropter ob dubium aut obscurum Oraculum noluit exercitum perterreri, sed potius ipse, contemtâ Oraculi responsione, Pythiam suspectam: exercitum verò alacrem reddere voluit. Historiam narrat *Plutarchus* in vita *Demosthen. p. 854.* certè lectu dignam. Vetus canebatur è carminibus Sibyllinis Oraculum.

Ad Thermodontem pugnâ cupio procul esse,
Atque modo hanc aquila è cœlo atque è nube videre
Flet victus, perijt quoque cui victoria cessit.

Cum itaque Duris negaret Thermodontem hic intelligi fluvium, factum est, ut cum tentorium quidam erigerent, illudque fossa cingerent, sigillum repererint mamoreum, cum inscriptione: *Thermodontem esse, qui ulnus ferebat sauciam Amazonem.* Sed hac de re aliud Oraculum extabat in hunc modum.

Ad

Ad Thermodontem pugnam expectes avis atra
Corpora tunc hominum campo permulta iacebunt.

Sed quid hoc Oraculo significaretur percipi non potuit. Nihilominus Demosthenes Græcorum fretus armis, atque mirè ob vires & alacritatem tanti exercitus hostem lacessentis elatus non permisit, ut Oraculis moverentur, aut attenderent vaticinia: *imò Vatem Delphicam dixit esse* suspectam *ut quæ cum* Philippo *faceret.* Quamvis Demosthenes non intenderit Oraculum simpliciter contemnere; sed potius militem munire, ne obscuritate vel etiam omine sinistro Oraculi perplexi ac si malum & infelicem pugnæ exitum illud prædiceret, is terrore quodam imbutus ab ardore strenuè dimicandi cessaret; sed potius vaticinijs Pythiæ suspectæ & à partibus Philippi nunc quidem stantis insuper habitis hostem invaderet, eumque assumtis animis fortiter debellaret.

CAPVT XXI.

De

Illis, qui Oraculum corrumpere, aut vi quadam adhibita ad respondendum adigere voluerunt.

QUam vili loco à quibusdam habita sint Oracula præcedens caput ex parte nos docuit: sed & parum videntur æstimata ab illis, qui ea corrumpere, vel planè ab ijs responsa extorquere ausi fuerunt. Nam ea ratione Oraculorum præsides ab affectibus regi potuisse, certò debuit ipsis esse persuasum: aliàs non potuissent hæc tentare. Qui exactè rem ventilant, quid aliter possunt judicare? quam nihil minus atque sincerum ab illis habitum fuisse ab Oraculo datum responsum; & parum divini sub istis latuisse. Corrumpere Oraculum est donis illud inescare, ut faustum emittat responsum. Quod si in Judice humano non est ferendum, ut se patiatur corrumpi, & pro acceptis donis injustam pronunciet sententiam! quantò magis à moribus Dei abesse debet longius accipere dona, ut in gratiam consulentis respondeat. Sed illud potuerunt homines facilè cognoscere, si haberent Deos, qui donis possent flecti, quòd non verum, sed quod gratum esset quærentibus, responderent, quòd tum vitio essent obnoxij, & quidem eò magis, quàm homines judicandi po-

 testate

testate prædidi, quô magis ipsi hominibus imperare, & ab ipsis coli, & invocari nec non tanquam justi ac veri ab omnibus agnosci volunt. Sed longè ad huc *contumeliosius* est, quod Oracula quidam ad respondendum cogere voluerunt. Mira religio, quâ homines sibi imperium in Deos sumserunt: ijsque imponere vi quadam potuerunt. Nescio an non simile quippiam perpetretur à Sinis, qui quoties auspicantibus non addicuntur omina, Idolum verbis ac jurgijs malè admódum accipiunt, mox ad verba, dein ad verbera procedunt, in aquas projiciunt, aut amburunt igni, *Petr. Maffius lib. 6. Hist. Indica.* Vide Additiones ad *Abrahamum Rogerium de Indor. Idololat. c. 5. p. 562. & c. 6. p. 603. & 604.* Vesana hæc fuit superstitio, quæ semet ipsam destruit. Si enim Dijs suis Ethnici tantam tribuebant potestatem, quantam Deo tribui par est, *quo fine suscipiebant cum ipsis imparem conditionem?* Sin autem credebant à se in ordinem cogi posse, cur eos divino cultu honorandos esse existimabant. *Freins hemius ad l. 4. c. 3. n. 22. Curtij:* Certè non tàm absurdum fuit, licèt quoque risu non careat, quòd Gentiles vincula Dijs suis injecerint, ne secederent, aut urbem istâ derelinquerent, quam quòd vi quadâ illos voluerint cogere. Prius enim habuit speciem precandi, ne urbem, ejusque incolas desererent, cùm putarent, se à Dijs defendi posse, si præsentes essent: fides namque illorum & hoc complectebatur, ut crederent, Deos habitare in istis imaginibus sculptilibus: posterius verò arguit, homines potestatem & imperium sibi sumere potuisse in suos Deos, quod est maximo cum contemtu, & imminutione si non eversione autoritatis divinæ conjunctum. Gentiles autem eo usque processisse, ut Deos suos vincirent, ne evocati ab hoste discederent. Solebant enim hostes obsidentes urbem inde evocare Deos tutelares, atque ita etiam crediti sunt Dijs ad evocationem illam secessisse. Sicuti instante Troiano excidio visi sunt Dij è templis exportasse sua simulacra. Ita quoque Apollo multis Tyrijs in somnis apparere, & illis significare visus est: *Se nunc transire ad Alexandrum; neque enim sibi cordi esse ea, quæ in urbe agerentur.* ubi hoc refert *Plutarchus in vita Alexandri p. 678.* Sic & *AElius Lampridius in vita Commodi pag. 48.* dicit: *Visa esse in foro vestigia Deorum exeuntium.* Ne igitur id ipsis contingeret, soliti fuerunt vel compedes & vincula Dijs injicere, vel etiam alas eis adimere. *Pausanias l. 3.* de Spartanis refert, apud illos cultum fuisse *Martem compedibus vinctum, quo vinculo*

culo proprium sibi ac perpetuum bellorum illud Numen haberent. Sic & Tyrij *aurea catena devinxerunt simulacrum Apollinis. Plut. in Quaestion. Roman. p. 279. araque Herculis, cujus Numini urbem dicaverant, inseruere vinculum, quasi illo Deo Apollinem retenturi*, quemadmodum illud tradit *Curtius l. 4. c. 3. n. 22.* Athenienses quoque Victoriae alas ademerunt, ne avolando urbem desererent. Alij quando Deos ad lavacrum aut lustrationem aliquam deduxerunt, fidejussores pro reditu exegerunt. *Plutarch. in Quaestion. Roman. p. 279.* Quae omnia satis stolida sunt, & cum religione, quaecunque demum illa fuerit, aperta fronte pugnant: verùm longè stolidius illud est, quod homines sibi potuerint tantam sumere potestatem in Deos, eosque nolentes & invitos cogere ad respondendum: &, cum respondissent ipsi, quod non placeret, convitijs, probris, minis, & contumeliosis dictis eos increpare, imò verberibus castigare. Certè vel infans istam absurditatem deprehendere poterit. Nihilominus tamen ita Dijs id accidisse, ipsosque adactos fuisse vel invitos hominibus respondere interdum ad arbitrium consulentium, interdum quodque quod ipsis videretur: testantur historiae. Ea de causa irridet quoque *Oenomaus* Deos his verbis. *Estisne Dij? quomodo autem tum paretis illis, qui vobis obedire debent? Estisne potentes? sed quomodo imperium à subditis sustinetis? Estisne veri? sed quare ad arbitrium vestra responsa datis? Estisne vindices & punitores? qui ergo fit, quod vos plagas accipitis ab hominibus? Estisne sancti & justi? quomodo possunt in vos inurbis homines probrosis dicteriis? Debebatis alios defendere ab injurijs & vosmet ipsos defendere non potestis? Et quid hoc est, quod Oracula habetis venalia? omnia haec vestram evertunt auctoritatem.* Sed quae dicta sunt, exemplis reddentur illustriora. *Lysander* ob ademta sibi decemviralem potestatem dolore accensus iniit consilia, ut *Reges Lacedemoniorum tolleret.* Sed ubi sensit, id se sine ope Deorum facere non posse, *quòd Lacedemonii omnia ad oracula referre consueverant*, primum Delphos corrumpere est conatus. Cum id non potuisset, *Dodonam* adortus est. Hinc quoque repulsus dixit, se vota suscepisse, quae *Iovi Ammoni* solveret, existimans se Afros facilius corrupturum. Hac spe cùm profectus esset in Africam, multum eum Antistites Jovis fefellerunt: nam non solùm corrumpi non potuerunt, *sed etiam Legatos Lacedemona miserunt, qui Lysandrum accusarent, quod sacerdotes fani corrumpere conatus esset.* Accusatus hoc

crimine judicumque absolutus sententijs, Orchomenijs missus subsidio occisus est à Thebanis apud *Haliartum*. Quàm verè de eo judicatum: oratio judicio fuit, quæ post mortem in domo ejus reperta est, in qua suadet Lacedæmonijs: *Ut Regia potestate dissoluta ex omnibus Dux deligatur ad bellum gerendum*, sed ita scripta, *ut Deorum videretur congruere sententiæ*, quam ille se habiturum PECUNIA FIDENS non dubitabat. *Cornel. Nepos in vita Lysandri. c. 3.* Idem & *Plutarchus narrat in ejus vita p. 447. & 448.* Refert Ephorus, inquit: Eum, ubi Pythiam aggressus est pervertere, ac mox sollicitavit per *Phereclem Dodonidas*, & rejectus ab his est, ad Ammonis templum profectum *ostensâ magna mercede, cum sacerdotibus egisse*, quos ex indignatione Spartam certos ad accusandum Lysandrum legasse, qui tamen absolutus est. Magnā igitur vim pecuniæ secū transvexit, qua templi ejus sacerdotes sibi obnoxios redderet, cujus largitione se consecuturum id, quod intendebat, arbitrabatur; verū sua spe non tantū excidit, sed & uti *Diodorus Siculus l. 14 p. 244.* etiam in eadē historia id attingit, *Præsides Oraculi* per Legatos Spartā missos attentati per largitionis fraudem accusarunt. Ita de *Lycurgo* legimus, quod *Pythiam* corruperit. Divino namque metu Lacedæmonios cogere voluit ad parendum suis legibus. Si igitur novam quandam excogitasset legem, eam Delphos perferebat, ex Oraculo sciscitaturus, an Lex istæc esset utilis. Vates autem *pecuniis corrupta* semper utilem esse respondebat. Ibi Lacones metu Dei legibus tanquam Oraculis obedientiam præbuerunt. Uti scribit *Polyænus lib. 1. & 10. Stratagemat.* Non tamen hic putandum est: *Lycurgum adeò fuisse superstitiosum, ut in omnibus Pythiæ obsecundans Lacedæmoniorum rempublicam instituerit. Sed quoniam videbat multos mortalium nec paradoxa facilè complecti, nec res graves ac periculosas sine spe Dei aggredi, ideo, ut Lycurgus perpetuo quidem consiliis suis formam è Pythia contractam adhiberet*, reddebat illa & certiora & acceptiora, quæ statuebat. *Tholosan. l. 13. c. 11. n. 11. p. 146. de R. publ.* Leges illæ dictæ sunt *Rhetra quòd à Deo sancita crederentur, & quasi Oracula essent: Plut. in vita Lycurgi p. 47.* Is ut æternitatem suis legibus daret, jurejurando obligat civitatem, *nihil eos de ejus legibus mutaturos, priusquam reverteretur*: & simulat se ad Oraculum Delphicum proficisci, consulturum, quid addendum, vel mutandum legibus videretur. *Profectus autem est Cretam, ibiq; perpetuum egit exilium; abjeciq; in mare ossa sua mori-*

moriens jussit, ne relatis Lacedæmonem, solutos se Spartani religione jurisjurandi in dissolvendis legibus arbitrarentur. *Iustinus l. 3. c. 3. p. 69.* Durarunt autem leges Lycurgi per quingentos annos, uti Plutarchus in ejus vita hoc recitat. *p. 58.* sed *Livius l. 38. c. 34. p. 476.* vult stetisse illas Rhetras per septingentos annos, & dicit illis fuisse assuetos Spartanos: quibus dubio procul respexit ad Lycurgi propositum, qui Leges suas non tàm scribi, quàm memoriæ civium mandari voluit, ut scilicet ipsis semper Leges essent in promtu. De *Cleomene* refert *Pausanias lib. 3 p. 154.* quòd per furorem sibimetipsi manus violentas intulerit, & totum corpus fœdissimis vulneribus laceraverit. Causam mortis variè interpretati sunt: Sed Delphi dixerunt, eo mortis genere ipsum periisse, quòd *Interpretem Apollinis*, ut Demaratum insimularet, *corrupisset. Sollicitatum verò Oraculum pretio præterquam tunc à Cleomene nunquam comperimus.* Quæ exempla satis indicant, significare voluisse Dæmonem sibi quàm maximè istas munerum corruptelas displicuisse, in tantùm, ut Lysandrum voluerit per Legatos à Sacerdotibus Iovis Ammonij missos publicè accusare: Cleomeni verò rabiem immittere, ut in tàm misero statu sibimet ipsi manus afferret violentas, suumque corpus multis ac fœdis vulneribus laceraret. Quod ad illos attuinet, qui Oraculum cogere voluerunt ad respondendum, constat de *Philomelo*, fanô in potestatem redactô, quod Pythiam ritu patrio Oraculum ex tripode sibi jussert reddere. Cumque vates hunc patrium esse morem diceret, *minis illam adegit* ut tripodem conscenderet. Ibi mulier ad vim inferentis autoritatem sese accommodans: *Licere ipsi, quicquid liberet, respondit.* Quod læto ille animo complexus, conveniens negotio suo se responsum habere affirmavit. *Idq; statim in tabula descriptum publicè omnibus legendum proposuit, ut omnibus demonstraret, quòd rerum pro libitu gerendarum licentiam ipsi Deus tradidisset.* Concione etiam populi advocatâ, divinam ex adyto vocem multitudini exponit, omnesque ad constantiam exhortatur. *Diodorus Siculus lib. 16. p. 428. Biblioth.* sacrum quoque coëgit respondere *Pythiam.* Etenim cum ipse venisset ad Oraculum sacrum Xenoclea Dei interpres responsum dare recusavit, quòd *cæde Iphiti* esset pollutus. Tunc Hercules sublatum è templo tripodem foràs exportavit. Postquam verò, quicquid voluerat, à Xenoclea didicit, inde Poëtæ sumtô argumentô fabulæ mandarunt Herculis cùm Apolline de tripode pugnam.

Pausanias lib. 10. pag. 578. Quam fabulam *Plutarchus in libr. de Ei apud Delphos. pag. 387.* ita videtur exponere, seu potius, quod sub ea continetur sic enodare. Nam cum nondum solvisset *Prometheum*: neque cum *Chirone & Atlante* Suphistis collocutus fuisset: juvenis etiamnum ac planè *Bœotius*, dialecticam abolens, & *Siprius ac posterius* deridens, creditus est vi abstulisse tripodem, & de arte cum Deo dimicasse. Nam auctâ quidem ætate, ipse quoque divinitatis & dialecticæ factus est peritissimus. Hæc Plutarchus. Sed redeo ad historiam. Ubi igitur tripodem restituit Deo, Pythia respondit: eum à morbo liberatum iri, si justo ipse venditus pretio *Iphiti* mulctam daret. Plura de eo habet *Eduard. Simson. par. 2. p. 46. Chron. Univers.* Alij tamen illud non figuratè sed simpliciter intelligi volunt de ipso tripode revera ablato ab Hercule; ut isto facto Pythiam respondere renuentem ad dandum Oraculum cogeret. Et à veritate alienum non videtur, si narratio istæc juxta literam intelligatur, quandoquidem novum non fuit, cum Oraculo expostulare, ei minari, aut ei aliquid è templo de rebus ibidem consecratis auferre, saltem quo ab eo responsum & quidem gratum acciperetur. Nescio annon huc referri debeat historia de compedibus à Crœso Pythiæ missis, ideo, quòd ab ipsa esset responsis sacris deceptus. Nam ubi Crœsus à Cyro devictus in servitute detinebatur, varia ipsum admonuit: quo admonitu majorem in modum gavisus est Cyrus, eaque dicta, quæ prudentis consilij instar erant, vehementer approbavit, & Crœsum ita allocutus est: *Crœse, quandoquidem & facta & dicta tua egregia viri Regis sunt, pete quid muneris à me velis inpræsentiarum tibi dari.* Ad quem Crœsus: *Here*, inquit, *sine me gratum esse erga Deum Græcorum, quem ego maxime omnium veneratus sum, ut missis ad eum hisce vinculis percontær numquid ei fas sit bene de ipso merentes decipere.* Et Cyro interroganti, quidnam id esset, quod incusaret? altius repetens omnem suum aperuit animum, redditaque sibi Oracula, & præcipuè donaria sua, quibus rebus fretus suscepisset adversus Persas expeditionem. Hæc commemorando rediit rursus ad petendam veniam *Ista Deo exprobrandi.* Et hoc inquit, Crœse, à me impetrabis, & quicquid aliud, atque id quoties tibi opus erit. Ubi hæc audivit Crœsus, Delphos misit quosdam Lydos, jussos, *cum ad limen templi vincula deposuissent*, sciscitarj Deum, *numquid eum puderet ob Oracula quibus Crœsum induxisset ad bellum Persis inferen-*

inferendum, tanquam Cyri potentiam eversurum, unde tales primitiæ offerrentur, *compedes scilicet ostendendo*, & sciscitari tum hæc, tum, *nunquid Græcis Diis foret fas esse ingratos.* Lydis illuc profectis, & talia mandata executis, Pythia fertur ita respondisse: *Sortem fato destinatam effugere, Deo quoque esse impossibile. Herodotus lib. 1. c. 90. & 9. p. 38.* Ubi *pag. 39.* addit: Crœsum haut rectè conquestum fuisse de Oraculo, quoniam Apollo prædixerat: Eum esse magnum imperium, si bellum Persis inferret, eversurum: de qua re ipsum consultare volentem, de cuerat mittere percontatum, *utrum ipsius scilicet Crœsi Apollo diceret Imperium, an Cyri? sed quod dictum erat nec considerans nec interrogans sibi ipsi acceptum referat.* Præterea Ægyptij quoque minis utebantur in genus quoddam Dæmonis inferioris ordinis, quod imperiosis minacibusque verbis ad id, quod volebant, cogebant. Quemadmodum *Iamblichus* refert, cujus verba apponam: *Narrat Porphyrius*, inquit, *Sacerdotes consuevisse violentis quibusdam minis adversum superos uti. Minæ hæ ferè erant. Nisi vos ita feceritis vel contra si feceritis aliquid, cælos confringam, vel occulta isidis patefaciam, vel arcanum in abysso reconditum divulgabo, aut Cistam barin, id est, navim quandam apud Ægyptios sacram aut membra Osiridis Typhoni dispergam, cæteraque similia.* Quæ omnia *Psellus de Operat. Dæmon. c. 21. p. 353.* confirmat sequentibus verbis: *Dæmoniorum genera*, ait, *mirè audacia & timida sunt: imprimis autem ea, quæ ὑλικὰ seu materia affecta sunt. Siquidem aërea quibus plurima solertia inest, si quis increpuerit, increpantē discernere non possunt, nec alius ab eorum vexatione liberari potest, præterquā is, qui sanctitate vitæ Deum colat, tremendumque Dei verbi nomen divina potentia fretus accinat.* Plura habet *Athanas. Kircher. Tom. 2 part. alt. class. 11. c. 5. p. 453. Oedipi Ægyptiaci.* Misera hæc fuit conditio Deorum, in quos homines sibi imperium arrogarunt, & quos ad nutum suum, adhibitis comminationibus, si restituri essent, cogere potuerunt: & vice versa, felix hominum fuit status, quando illud à Dijs vel invitis expugnare ipsis licuit, quod ipsi desideraverint, ita, ut si morigeraturi haut essent Dij, minis illi adigi potuerint ad implenda ipsorum vota. Quæ sanè potestas est gravis, & Dijs non ferenda. *Eusebius l. 5. c. 8. p. 194. de Præpar. Evangel* recitat, quòd Apollo coactus fuerit respondere, seu per vim illi extortum sit responsum, sed ipse quoque in hæc verba eruperit: *Vis hæc gravis est, & imperiosa potestas.* Si istæc est,
quare

iussa obsequij civilis petere à Deorum responsis; & persuadere civibus, se leges suas à Dijs accepisse, vel ab Oraculo aut alio Deo comprobâtas nunc quidem promulgare Ubi illud hoc figmentô facile impetrârunt, ut ipsi non leges tantùm suas velut publico Oraculi indicio firmatas cœtui civili obtruderent; verùm etiam obsequentes in venerit in subditos, quibus nefas fuerit non obsecundare monitis: vel etiam Legibus humanis divino tamen testimonio roboratis denegare obedientiam. Quod à multis & tentatum & impetratum fuisse sequentia monstrabunt exempla. Notatu dignum est, quod de *Paulina* scribit *Josephus l. 18. c. 4. Antiqu. Judaic. p. 263.* & quidem hisce verbis. Erat Romæ Paulina mulier non minus probitate morum, quàm nataliũ claritate illustris, nec non valdè formosa, utpote adhuc in ipso ætatis flore constituta, cujus pudicitiam cum Decius Mundus equestris ordinis Juvenis nec prece nec pretio ducentarũ drachmarũ milliũ pro unica nocte oblata flectere potuisset; fraude composita *cum sacerdotibus Isidis*, cujus cultui vehementer addicta erat Paulina, *hi fingunt Legatum missum ab Anubide, qui ipsius forma captus jubeat, ut ad se veniat.* Illa libenti animo suscepto nuncio, & maritô quoque admonitô, quòd *paratum sibi esset Anubidis cubile*, in templum educta, & tenebris conciliantibus *in latentem ibi Mundum incidens* totam noctem obsecuta est juveni, Deo se gratificari existimans. Die deinde post rem patratam tertia *Mundus* adamatæ forte fortuna obvius! *O factum bene Paulina*, inquit, *quod ducenta illa millia mihi servasti, quæ potuisti tuis facultatibus addere, & morem nihilominus meæ voluntati gessisti.* Nihil enim mea refert, quòd *Mundum* contempsisti, quandoquidem *prætextu Anubidis* optâta voluptate expletus sum. Atque his dictis abijt. At mulier tum primum deprehenso flagitio vestem sibi lacerat, & re tota ad maritum delata obsecrat, ne tàm insigne ludibrium impunitum sinat. Tiberius postquam accuratissimâ inquisitione didicit omnia, sacrificos illos impostores in crucem egit, unáque *Iden Inventricem hujus sceleris*, cujus præcipua opera in corrumpenda pudicitia mulieris fuit, dirutòque templô statuam Isidis jussit mergi in Tiberim. *Mundum autem mitiore pœna exilij castigasse contentus fuit, crimen ejus in cupidinis impotentiam referens.* Hæc Josephus. Ubi insigne simulationis exemplum, vel in sacris, uti tum haberi volebant, personis cernere licet, quòd mercede conductæ faverint impuræ libidini *Decij Mundi*, atque falsum nuncium emiserint

evocaturum *Paulinam ad congressum Anubidis.* Rectè tamen fecit *Tiberius,* qui tantam perfidiam & simulationem ultus est; nec tantùm deceptores istos, qui sacerdotum nomine superbire gestiebant, supremo affecit supplicio; verum etiam Idolum in Tiberim abjici jussit. Attamen minus justa pœna persecutus est Decium Mundum: quamvis ipsius libidini impotentiori aliquid concedere voluerit. Etenim duplex hîc occurrit crimen: semel, quòd pravis cupiditatibus indulgendo tàm castæ feminæ pudicitiâ violarit: deinde, ubi hoc ei non successit, *dolo & simulatione* quasi ipsa à Deo expeteretur in concubitum, illam vitiaverit. Quod sanè magnum scelus erat.

Aliud exemplum nobis suppeditat *Diodor. Siculus l. 15. p. 368. & 369. Biblioth.* de Epaminonda, qui Oraculorum commentis militùm animos confortavit & erexit. Videns enim militum animos auguriorum superstitione adhuc occupatos retineri, illam industriâ & arte quadam adhibitis commentis amoliri aggressus est. Cum igitur nuper aliqui venissent Thebis autor illis est, ut in exercitu disseminent hunc rumorem: *quòd omnia per fanum Herculis arma subitò disparuerint, & fama Thebis circumferatur, his antiquos Heroes acceptis ad opitulandum Thebanis ex urbe festinare.* Alium quoque subornavit, qui ex *Trophonij antro* se nuper admodum emersisse fingeret. Is itaque mandatum à Deo asserebat, *ut victoriam in Leuctris adepti Coronarium Iovi regnatori certamen instituerent.* Hinc mos ille, ut solennem ad Lebadiam Bœotij conventum peragant. Ad hanc Imperatoris solertiam non minimum attulit *Leandridas Spartanus,* qui Lacedæmone factus extorris tum stipendia merebatur apud Thebanos. Is in concionem venire jussus antiquum Spartanis Oraculum haberi dixit; *tum demum Principatu suo exutos illos fore, si Thebanorum armis ad Leuctra succubuerint.* Cùm hæc & id genus alia plura dictitarentur, concionem Epaminandas advocat, & aptâ milites oratione ad instans examen promtos & alacres esse jubet. Quo factum, ut omnes sententiam mutarent; & revocatis â superstitione animis, spe & fiducia victoriæ pugnam adire non dubitaverint. Hic effictis Oraculis id præstitit apud timidos milites Epaminondas, quod eloquentiæ viribus nunquam aliàs effecisset. Spe siquidem pleni ad arduû aliquod opus aggrediendû accenduntur homines, si autoritate divina de felici istius successu redduntur certi ac securi: & eò alacrius ad decertandû se instruit miles, quò confidentior est, Deû

sibi

sibi opitulaturum. Nullum fortius unquam extitit medium admonendi homines ad suscipiendum aliquod negotium, vel eos ab isto deterrendi, quàm quod à Dei voluntate petitur, quatenus illæ vel successum prosperum isti se elargiturum promisit, vel illud sibi displicere testatus est. Probe hic intellexit, quod olim dixit *Xenophon*: *Falsis insidiis, auxiliis falsis, falsisq́, rumoribus terrere hostes decet: maximè enim hostes fiduciam sumere solent, cùm res adversariorum laborare audiunt & impeditas esse.* Qua de re legi potest *Piccartus decad. 10. c. 3. p. 210. & seqq.* Nonnulli quoque simularunt se Leges & instituta ab Oraculis, & secretis cum Deo habitis colloquijs accepisse: sicuti id fecit *Lycurgus*. Qui ubi in Cretam venit, adjunxit se Thaleti Lyrica carmina & leges tum condenti. Cùm verò ab eo didicisset modum, quem Rhadamantus prius, deinde Minos usurpaverunt, ut *Leges se acceptas à Iove promulgare dicerent*: atque in Ægypto etiam fuisset, & ejus quoque gentis instituta percepisset; & cum Homero, ut non nulli autumant, in Chio degente collocutus esset, domum est reversus: cumque ibi Charilaum Polydectæ fratris filium regnantem invenisset, ad condendum leges se contulit, ad Deum, qui apud Delphos est, commeans, indeque mandata apportans, sicut Minos ex antro Iovis se afferre prætendit. *Strabo lib. 10. p. 482.* Idem scriptor iste tradit *lib. 16. p. 762.* Minos per novennium in Jovis antrum descendit, & ab illo præcepta accepit, quæ ad homines afferret. Eodem modo ejus imitator Lycurgus egit, nam sæpe peregrinans ea ex Pythia intellexit, quæ Lacedæmonijs imperanda erant. *Hæc*, inquit Strabo, *quàm vera fuerint, non disputo: equidem ab hominibus putabantur & credebantur vera: & propterea divinatores in pretio erant tanto, ut etiam imperio digni judicarentur.* Ita Numa Pompilius voluit Minois astutiam imitari ut & exemplum Lycurgi Lacedæmonij sapientissimorũ hominũ. Is enim ut populum Romanum sacris obligaret, eumq́; Legibꝰ instrueret, volebat videri sibi cum Dea seu Nympha Ægeria congressus esse nocturnos; ejusq́ue monitu accepta Dijs immortalibus sacra instituere, & bonis legibus populum devincire. Fabulati autem sunt veteres ad Numam venisse Egeriam nympham, eumq́ue Regiam prudentiam docuisse. *Quod ideo finxit, ut quia ferocem multitudinem & difficilem tractaret, multaq́, in civitate innovaret, autoritatem divinam adhiberet illis ipsis, ad quos ista simulabat, salutarem. Plutarch. in vita Numæ.*

ma. p. 62. Addit *Dionys. Halicarn. lib. 2. p. 121.* & *hoc*, quòd Numa istæc finxerit de Egeria, ut subditi hac religione devincti Leges ab ipso velut autoritate divina latas libenter admitterent. Vide & *Valer. Maxim. lib. 1. c 2. p. 12.* Totam rem breviter & concinnè complexus est *Lactantius l. 1. c. 22. p. 125.* quando ait: *Erat spelunca quædam peropaca in nemore Aricino, unde rivus perenni fonte manabat.* Huc *remotis arbitris se inferre consueverat, ut mentiri posset, monitu Deæ conjugis ea sacra populo se tradere, quæ acceptissima: videlicet astutiam Minois voluit imitari, qui se in antrum Iovis recondebat, & ibi diu moratus Leges tanquam à Iove sibi traditas afferebat, ut homines ad parendum non modò Imperio sed etiam religione constringeret.* Similiter *Scipio Africanus* non ante ad publica vel privata ivit negotia, quàm in cella Jovis moratus esset. *Livius l. 26 c. 19. p. 285.* Produci quoque potest *Sertorius*, qui cervam albam secum duxit, & ab ea, quænam essent agenda, vel devitanda, se admoneri dixit. *Plutarch. in vita Sertorij p. 578.* Adde *Appian. Alexandrinum l. 1. de Bello Civili p. 419. 420.* Hoc autem illi ideo egerunt, ut populo persuaderent quàm chari ipsi essent Dijs suis. Ut contumacem alioquin plebem perducerent ad obsequium: eamque non tam Legum, quam Deorum autoritate regerent: necnon sibi acquirerent dignitatem aliquam apud plebem & ostenderent omnibus, Deorum se jussu potius, quàm proprio ausu ad imperandum accessisse. Intellexerunt namque illi difficile esse indomitum populum solis legibus compescere: quapropter, ubi perceperunt, & re ipsa edocti sunt, quanti præstare possit religio, & metus Numinis in animis hominum ad obsequium permovendis; nihil antiquius habuerunt, quàm ut talem civibus de se imprimerent opinionem: Se à Dijs mandatum promulgandi & proponendi istas leges obtinuisse. An vero illi rectè egerint, vel ne, prolixè in *libro secundo Religionis Politicæ* (quod opus brevi iterum in publicum procedet) explicabitur.

CAPUT. XXIII.

De

Ritibus post acceptum Oraculum observatis.

QUemadmodum consulturi Oraculum certas adhibebant ceremonias, antequam Ipsi quæstionem proponerent: sic &, acceptô Dei responsô, nonnullos ritus observabant, quos paucis delineabimus. Invenio

venio, quòd auditū Oraculum soliti fuerint excipere, seu notare, ne istius, quod à Deo dictum esset, obliviscerentur. *Scholiastes Sophoclis in Trachiniis* ait: ἔθος γὰρ τοὺς χρησμοὺς δεχομένους παραχρῆμα γράφειν, ἵνα μὴ λάθωνται: *mos enim est, ut illi, qui consuluerunt Oraculum, statim acceptum responsum scribant* vel notent, *ne istius oblivione capiantur.* In talibus enim facilè quid è memoria subduci potest. Quam consuetudinem tangit *Iohann. Hartungus Decur. 1. locor. memorab. c. 8. p. 617. in Tom. 2. Criticor. scriptor. Gruteri.* Equidem *Hieronymus Magius* opinatur, Oracula illa ideo fuisse scripta à consultoribus, ut reverentiam suam testarentur erga Deum; illudq́; & firmare vult testimonio *Scholiastis ad Pindar. Nemea.* qui ait: ἔθος χρησμὸν ἐγγράψαι εἰς τὸ σημεῖον τῆς Εὐσεβείας: *Sanctum Oraculum scribebant in signum pietatis & reverentiæ.* Sed, si rem altius consideravero, illud genus devotionis & reverentiæ erga Numen jam ante præ se tulerunt consulentes, cum sacrificijs & alijs ritibus adhibitis Oraculum rogarent, ut benevolo quodam responso propositam quæstionem exciperet, adeoqúe se de re futura ejusque eventu informaret. Nec video quænam peculiaris pietas sub illa scribendi ratione latere queat? Probabilius hoc videtur, illud responsum in tabula fuisse annotatum, ut eo exactius ipsi recordarentur divini eloquij, ne quicquam illis inde decederet, ne ipsi de veritate, & vi effectus subsecuturi dubitare auderent: potissimùm quoque, ut ipsissima verba intelligerent & mente comprehenderent; Uti enim aliàs solent homines viri prudentis dictum diligenter custodire, & verba illius attendere, repetere, & tanquam singulare quippiam in literas referre; ita dixerim fuisse cum Oraculorum dictis comparatum, ut illa quoque pro memoria & faciliore recordatione in schedula consignarentur. Deinde ab Oraculo discedentes corona redimiti domum redibant. *Scholiastes Euripidis in Hippol. Coronato ad v. 806. p. 383.* ἔθος γὰρ ἦν τοὺς ἐξ ἱεροῦ ἀνιόντας στέφεσθαι: mos erat missos è fano seu templo, scilicet ubi Oraculum acceperant, coronari. *Iohan. Brodæus lib. 4. c. 15. p. 518. Miscellan. in Tom. 2. Thesauri critici Gruteri.* Sicuti igitur consulturi Oraculum lauro coronati quæsita & responsa in pugillaribus scribebant: ita & ab Oraculo redeuntes solebant coronari. *Athenæus lib. 5. c. 4. p. 673. Deipnosoph.* Laureæ coronæ dabantur illis, qui parebant Oraculi sortibus. Fabius Pictor tanquam Legatus missus est Delphos ad Oraculum *Plutarch. Tom. 1. p. 184.* Reversus Romam responsum Oraculi ex

Scripto recitavit. Et addidit: *Se oraculo egressum ex templo his omnibus divis rem divinam thure ac vino fecisse: jussumq; ab Antistite, sicut coronatus laurea corona & Oraculum adisset, & rem divinam fecisset; ita coronatum navim ascendere, nec ante deponere eam, quàm Romam pervenisset. Se quæcunque imperata sint, cum summa religione ac diligentia exsecutum, coronam Romæ in ara Apollinis deposuisse.* Prout hæc narrat *Livius lib. 23. c. 11. p. 230.* Hic occurrit unum vel alterum, quod observationem meretur. Et quidem 1. Quidam sunt in ea opinione, ac si peculiaris haut fuerit consuetudo, ut discedentes ab Oraculo cingerentur corona: sed dicunt, quod è singulari aliqua causâ ab uno vel altero factum est, non posse illud statim pro consuetudine venditari: cùm consuetudo dici nequeat, nisi actus simile quid agentium sint communes, veluti quod omnes agunt aut ita agendum esse statuùnt. Hactenus verò colligi non adeò potuit quasi è recepta quadam consuetudine Fabius Pictor fuerit coronatus: sed jussus ille est à Deo coronâ caput ornare. quòd coronatus accessisset ad templum istud sacrum. Equidem relinqui hæc potest opinio suo autori: Illud tamen certum est è *Luciano* probari posse, solitos fuisse homines Oraculum accessuros coronam lauream gestare, ut proinde eodem habitu ipsi post acceptum responsum ab Oraculo discesserint. Legi potest ea de re *Jacob. Ouzelius ad Minuc. Felic. p. 151.* Et si velim evolvere aut exscribere, quæ *Josephus Casalinus* de eo more congesserit è varijs scholijs ad veteres Poëtas extantibus, multa possem compilare, quæ hanc rem peregregiè illustrarent. Unicum saltem hoc afferam è *l. 2. c. 18. p. 125. de Relig. Gentil.* *Si antiquas annotationes Scholiastarum & Glossographorum ad veteres Poëtas pervolvo, non obscura se produnt indicia; quòd consuetudo fuerit coronandi redeuntes ab oraculo. An vates autem illos coronaverit, vel ipsi coronâ se ornârint, hoc mihi non adeò constat. Jussu Pythiæ id factum esse testatur exemplum Fabij Pictoris apud Liv. lib. 23. sed an Pythia ipsa imposuerit coronam Fabio, hoc non additur. Ego, si conjecturis dandus sit locus, dicerem: à sacerdote illos homines post impetratum responsum non fuisse coronatos, sed ipsos vel coronam sibimetipsis imposuisse, vel à ministro templi id factum esse. Sed in re dubia nihil certi definire est. Nam ex eo, quod Glossographus ad Euripid. Hippolit. Coronat. tradit: Stabat Servus seu minister in templo, & coronam tenuit manu, non possum illud pro*

certò asserere. Hæc ille. Non erit dubium, quin redituri ab Oraculo ex more aliquo coronati sint. An verò mos iste fuerit communis, vel apud aliquem saltem populum usitatus, de eo vix quicquam, quod certitudinem habeat, proditum est. Nec peccabunt, qui dixerint: quosdam populos istum ritum observasse: aut apud quædam Oracula id fuisse in more positum, ut discedentes coronati essent. Illud. 2. quoque dubium est, unde coronam acceperint redeuntes ab Oraculo. *Casalinus d. cap. p. 126.* putat: *Coronas illas fuisse paratas in templo seu adyto Oraculi; easq; audito responso, fuisse oblatas consulentibus.* Addit: *credo quoque non omnibus ad Oraculum profectis datas fuisse coronas: sed saltem Legatis missis à toto populo vel etiam à Rege: ut hi haberent signum muneris bene expediti.* Verùm, quæ hic conjectat scriptor iste aliàs curiosus in antiquis Gentilium ritibus circa sacra, in ijs lectorem valdè dubium relinquit; nam nihil affert, unde vel subsidium conjecturæ saltem sperandum sit. Nam quod Legatis corona fuerit data in signum expediti muneris, quis hoc credet? cùm alia ratione ipsi peracti officij fidem testari potuerint. 3. Considerandum & hoc est, quemnam scilicet in finem redeuntes ab Oraculo coronati fuerint? Hic etiam Critici non unam fovent sententiam, quorum alij factum id esse putant, ut isti haberent publicum testimonium instituti cum Oraculo colloquij, & ab eodem accepti responsi. Ita *Camers* opinatur autoritate *Scholiastis Aristophanis*, qui τὸν στέφανον τὸ σημεῖον τῆ λογίν ϗ χρησμοῦ Coronam signum Oraculi vocat. Sed nescio, an illud ita probari possit? nam quando ad Oraculum proficiscentes coronam gestabant, uti fecit *Fabius Pictor* quomodo illis corona potuerit data esse in signum habiti sermonis cum Oraculo & impetrati ab eodem responsi? Deinde quòd *Scholiasten* attinet, concedi quidem potest, coronam posse esse signum accepti Oraculi, sed quæ corona parum utilitatis habuisset, nisi aliud quippiam sub ista ceremonia latuisset. Nec mihi probari potest, quòd Corona debuerit esse signum lætitiæ ob reportatum à Deo responsum: quamvis me non lateat in rebus lætis, nuptijs, convivijs victorijs & similibus usum fuisse coronarum: Sed in negotio hoc sacro peracto discedentes gaudij & lætitiæ causa coronas capiti imposuisse credere me vetat testimoniorum antiquitas & veritas. Cùm enim alia in hisce probatio haberi nequeat, quàm ex antiquitatis fonte depromta, tutò alicui diffidere licet antiquarum rerum assertionibus, si non affuerint testi-

testimonia integræ & minimè fucatæ fidei. Illa tamen sententia videtur probabilior, licèt non omni certitudine suffulta, quòd coronas acceperint in signum publicæ securitatis, ne quis ipsos tanquam nuncios & Legatos ad Deum missos in via & itinere offendat, lædat, vel alijs modis illicitis aggrediatur; sed illos incolumes & tutos abire sinat. Quem in finem adduci potest historia è *Pausania lib. 14. p. 216.* allata suprà *c. 18. p. 146. & 147.* hujus libri. Ubi Tisis vulneratus fuit ex insidijs factò in eum impetu à Lacedæmonijs, & certè non dimissus, sed interfectus ab ijs fuisset, nisi audita voce: *Oraculi nuncium dimitte*, commoti ipsi eum deseruissent. Quando autem regeritur: Et illos interdum gestasse coronas, qui Oraculum voluerunt adire, nec tamen istas insignum securitatis publicæ gestasse; ei commodè occurri poterit, & tales legatos, reliquis ceremoniis nunc quidem sepositis, ob securitatem illas habuisse capiti impositas, licèt tantam vim ipsis illæ non tribuerint, quantam ab oraculo ipsi cum coronis acceperint. Discedentes enim ab Oraculo putabantur in singulari tutela Numinis esse, quem ob finem ipsi impetrassent coronas tanquam signum securitatis publicæ tutò redeundi ad suos, ijsq; acceptum Oraculum explicandi. Quod verò *Iosephus Casalinus* loco suprà citato adducit testimonium *Athenæi è lib. 15. c. 4. p. 673.* datam esse coronam Deæ ministris, *si parerent sortibus Oraculi, nullo illos damno affectum iri*, illud hoc planè non convenit. Etenim *Cares* metu Deorum & religione commoti ad Oraculum Hyblas profecti sunt, & cum Deum consuluissent de ijs, quæ accidissent de rapta imagine Deæ Junonis è fano Samiorum respondit Apollo: *ut Iunoni pœnam ultrò luerent, quam absque calamitosa miseria priscis temporibus Prometheo, quod cœlestem ignem furatus esset, Iupiter irrogavit, postquam eum gravissimis exemit vinculis.* Cum itaque leviorem poenam Prometheus subire non recusaret, supremus Deorum Præses eum hac pœna affecit, ut nunc liberatus à vinculis caput corona circumdaret. Igitur *Caribus est mandatum, ut eodem exemplo Amerina salicè se coronarent, & ejus viminibus caput obstringerent, quibus ipsi Deæ imaginem in littore depositam revinxerant*: prætereaq; imperatum, ut omnibus alijs coronis antiquatis uti desisterent, *exceptis laureis, quæ pro munere concederentur Deæ ministris, si parerent Oraculi sortibus, nullo se damno affectos iri, ac inter epulandum persoluturos acceptam gratamq; Deæ pœnam. Cares Oraculi jussu obtemperarunt, usum aliarum coronarum omnium*

omnium sustulerunt & Deæ ministris permiserunt, ut laureas gestarent, quod etiam nunc observatur. Ex quibus verbis longè alius sensus colligitur, quàm antea fuit prolatus. Quandoquidem Caribus populis ad exemplum Promethei vinculis soluti in pœnam mandatum fuit ab Oraculo, ut Amerina salice se coronarent, & reliquas coronas tollerent, exceptis laureis, quas voluit tanquam munus quoddam singulare reservari Deæ Junonis ministris. 3. Invenio & illud; quòd omnes domestici flexis genibus exceperint redeuntes ab Oraculo. Interpres *Euripidis in Hippolito* hoc tradit: ἔθος τὸ εἶχον οἱ ἀρχαῖοι τῦτο, ὅτε ἤρχοντο ἀπὸ μαντείας, ἐστεφανωμένοι ἤρχοντο, καὶ πάντες οἱ τῦ οἴκυ προσεκύνυν αὐτύς, id est, *veteres hunc morem tenebant, ut qui veniebant ab Oraculo, coronati venirent. Et omnes de domo istius adorarunt illos, seu eos flexis genibus honorarunt.* Quod quoque observavit *Hartungus Decur. 1. Locor. memorab. c. 8. n. 6. p. 654. in Tom. 2. Thes. Critici Gruteri.* Refert *Josephus Casalinus l. 2. c. 20. p. de Relig. Gentil. è Petro Lucensi,* ac si antiqui repurgaverint ædes, & quidam parati steterint ad januam, ut de curru descendentem ab Oraculo reducem debito modo exciperent, omnesque domestici eidem irent obviam, & in occursum ejus flecterent genua. Qua autoritate verò hac omnia dixerit *Petrus Lucensis* non addit Casalinus: hinc, quia scriptor iste mihi ad manus non est, ut possim evolvere, quibus testimoniis ille hoc velit firmare, cogor subsistere, donec pleniora & certiora mihi eo de ritu suggerantur.

CAPUT XXIV.

De

Executione responsorum ab Oraculo prolatorum.

HActenus ferè omnia, quæ de Oraculis in genere dici potuerunt, absolvimus: nunc oportet videre, quo pacto Deorum responsa observata, & ad executionem perducta fuerint. Illa Executio includit duo. 1. Promtitudinem obsequij 2. Adimpletionem mandati divini juxta eum modum, uti illud datum fuerat ab Oraculo. Prius involvit submissionem erga Deum, & spontaneum studium in parendo ita, ut quod præcipitur ab ipso, illud quoque animo pio ac devoto admittatur, sine querelis, & animi ægritudine. Posterius requirit, ut mandatum perficiatur, id est, illud ita fiat, uti jussum est ab Ora-

culo. Nam historiæ testantur, interdum homines quidem paruisse Oraculo, sed non per omnia, adeoque unum vel alterum omisisse, aut sibi è proprio judicio statuisse modum quoad executionem, unde factum, ut nec sibi rectè consuluerint, nec Dei præceptis obsequentes felicem in re proposita habuerit successum. Quapropter puto: Exequi Oraculum esse nihil aliud, quàm illud, quod à Deo vel consultum vel præceptum est, eo modo & ratione, uti mandatum est, strictè adimplere seu reipsa præstare, & ad effectum perducere, illud quod ab Oraculo responsum est. In hac executione multi aberrarunt à fine, dum ob ignorantiam veri sensus in dictis Oraculi latentis, vel animi præcipitantiam in applicando Oraculo ad suam causam temerè sese gesserunt, & in grave imo inexplicabile periculum inciderunt, sicuti è præcedentibus illud abundè constat. Nunc quidem nonnulla exempla intueri volumus eorum, qui Oraculo simpliciter paruerunt, & summa pietate ac religione commoti mandatum ejus perfecerunt. 1. *Athenienses* aliquando peste laborantes responsum à Pythia acceperunt; Urbem expiandam esse. Itaque Niciam Nicerati filium navi miserunt, & per illum è Creta advocarunt *Epimenidem*. Profectus autem Olympiade XLVII. lustravit is urbem, & pestem compescuit hoc modo: *Sumsit oves nigro & candido vellere, duxitq; in Areopagum, atque inde, quo vellent, abire permisit, his, qui illas sequebantur, mandans, ubicunque illæ accubuissent, singulas mactarent peculiari cuidam Deo. Atque hunc in modum quievit lues.* Ex eo jam hodieque per Atheniensium pagos *Aras sine nomine* inveniri certum est, in ejus, quæ tam facta est, expiationis memoriam. *Diogenes Laert. lib. 1. p. 77. 78.* Hic est ille Epimenides, qui à patre jussus ovem deperditam quærere, tempore meridiano secedens in speluncam ibidem quinquaginta septem annos perpetuos obdormivit. Somno excitatus putavit parum temporis saltem se dormivisse ovem suam inquisivit: quam ubi invenire non potuit, rediijt in oppidum. Ingressurus domum suam vix agnitus est à Iuniore fratre jam vetulo, à quo postea mutationis interea factæ didicit veritatem. 2. Delphi quoque paruerunt Oraculo in reddendis primitijs Pindaro. Poëta hic quidem per totam Græciam celebris factus erat ob carminum, quæ pangebat, excellentiam; sed eum Pythia ad summum gloriæ fastigium evexit, quando jussit Delphos, ut æquam omnium, quæ Apollini deferrentur, primitiarum partem ipsi tribuerent

Pindaro.

Pindaro. *Pausan. lib. 9. p. 526.* Qui quoque mandato Oraculi obtemperantes. Pindaro partem primitiarum dederunt. 3. Tarentini è vetere quodam Oraculo mortuos suos intra muros in oppido condunt; ita ut tota illa pars oppidi, quæ Orientem spectat Solem, sit monumentorum plena. Oraculum, quondam acceperant, tale est: *ἄμεινον καὶ λώϊον ἔσεσθαι σφίσι ποιουμένοις τὴν οἴκησιν μετὰ τῶν πλειόνων*, id est, *melius ipsius & ex animi sententia res cessuras, si habitarent cum pluribus.* Tarentini existimarunt, tum demum beatissimam foro ex oraculi mente, quam incolebant, urbem, quando etiam fato functos intra mœnia recepissent. Propterea etiam nunc intra portas sepeliuntur mortui. *Polybius lib. 8. p. 533.* videri quoque potest ea de re *Petr. Victor. l. 2. c. 7. p. 33. variar. Lection.* Numquid verò Tarentini spontaneo judicio, vel interpretis subsidio mentem Oraculi indagarint, illud Polybius non addit. Quidam dubio procul hic recurrerent ad Interpretem propterea, quòd olim apud Græcos non fuerit in usu mortuos intra civitatem sepelire: nisi quod illud fecerint *Tarentini* jussu Oraculi, & *Lacedæmonii* ex institutis Lycurgi; Hic enim universam de sepulchris superstitionem sustulit, & concessit, ut in urbe mortui sepelirentur, & monumenta essent templis vicina. *Plutarch. de Lacon. Institut. p. 238.* sed si *Arnobium lib. 6. p. 193. advers. Gentes.* audiemus, aliud deprehendemus, nempe & antiquissimos Græcos in Deorum fanis suos humasse mortuos. Verba ita se habent: *Quid? quod multa ex his templa, quæ tholis sunt aureis & sublimibus clara fastigiis, autorum conscriptionibus comprobatur contegere cineres atque ossa, & functorum corporum esse sepulturas.* Ideo illa ratio minimè procedet: Tarentinos ideo Interpretis subsidio intellexisse, quomodo datum istud Oraculum debuerit explicari, exinde, quòd sua sponte istum sensum vix potuerint assequi, propterea, quod non fuerit apud Græcos usitatum, defunctos intra civitatem mandare, cum illud jam diu ante fuerit in more positum, uti ex Arnobio patet. 4. Caranus quoque Oraculo paruit: Is jussus Oraculi responso in Macedonia sedes quærere cum magna Græcorum multitudine in Emathiam venit, & urbem Ædessam non sentientibus oppidanis propter imbrium & nebulæ magnitudinem secutus gregem caprarum imbrem fugientium occupavit. Et revocatô sibi in memoriam Oraculô, quò jussus erat: *Ducibus capris imperium quærere*, ibi regni sedem statuit: & in posterum religiosè observavit, quocunque

agmen moveret, *ante signa easdem capras habere*, cœptorum Duces habiturus, quas Regni habuerat autores. Postea urbem Ædessam ob memoriam muneris *Ægeas*, populum *Ægeatas* vocavit. *Iustin. l. 7. c. 1. p. 122. 123.* Præterea: 5. Arcades obsecuti sunt Oraculo in transportandis Arcadis ossibus; Oraculum, teste *Pausania l. 8. p. 429.* tale erat.

Frigida Menaliæ regio est, ubi conditus Arcas.
Arcades à cujus dicuntur nomine cuncti.
Huc ego ferre pedem jubeo te, & pectore læto
Arcada sublatam pulchram transponere in urbem,
Quæ trivia est, quæ quadrivia, & quæ quinque viarum.
Hic Arcas lucum sacrorum hic munera habeto.

Huic Oraculo Arcades præbuerunt obsequium; & è Mænalo Arcadis ossa detulerunt in Arcadiam. 6. Memorabile est exemplum apud *Pausaniam lib. 5. pag. 179.* quòd Limnatæ in Spartanis, & Cynosurenses, quique Mesoa & Pitane venerant; dum sacrum Deæ facerent, ad jurgium & rixam, mox etiam ad cædes conversi sint: & cùm ad ipsam aram multi occubuissent, reliquos subita morbi vis absumserit. Inde Oraculum acceptum est; *oram illam humano sanguine* adspergi oportere. Quare cum ante sorte duceretur immolandus, *Sacri ritum Lycurgus ad puerum plagas transtulit, quo fit, ut hoc etiam ritu nihilò ferè minus sanguine humano ara imbuatur.* Quod factum simile illis est, quorum mentionem feci supra *c. 18. p. 155.* De istis plagis scribit *Plutarchus Tom. 2. Oper. de Laconic. Institut.* sequentia: *Lacedæmone pueri per integrum diem flagellis cæsi sæpe numero ad mortem usque apud Dianæ Orthiæ aram læti alacresque tolerant, atque inter se de victoria certant, in eo posita; quis diutius magisq́; perferat verbera, victoremq́; summa consequitur gloria.* Certamen illud dicitur *διαμαστίγωσις*: id est, flagellatio, & quotannis habetur. Verùm tale quid non commemorat *Pausanias*, sed saltem narrat, *quòd femina præsit sacris; & ea tantisper, dum cæduntur pueri; signum* præferat; quod alioquin ob brevitatem sit levissimum. Verùm si, quibus cædendi negotium datum est, cum quopiam eorum, qui cæduntur, epheborum vel ob speciem, vel ob natalitium claritatem agant parcius: tunc eousque signum ajunt grave fieri, ut sacerdos illud sustinere nequeat. Quod ubi animadvertit, in cædentes causam confert, seque eorum culpa queritur onere opprimi. Adeo est ei signo è Taurica tralatitium *hominem sanguine lætari.* 7. Myscellus Oraculi

culi præceptum exſecutus eſt in condenda civitate Crotone. *Strabo lib. 8. p. 387. Geograph.* Cùm Achæis Deus mandaſſet, ut Crotonem conderent, Myſcellus eò venit, ut locum ſpecularetur. Cumque is videret ibi extructam Sybarim vicino amni cognominem, eam potiorem judicavit. Ideo profectus ad Oraculum quæſivivit, concederetúrne Sybarim loco Crotonis condere? tum reſponſum ſic fuit *Pauſanias lib. 6. p. 262.*

Μύσκελλε βραχύνωτε παρὲξ σέθεν ἄλλο ματεύων
κλάσματα θηρεύεις· δῶρον δ' ὅ, τι δῷ τις ἐπαίνει.
Gibboſe in caſſum Myſcelle aliena requiris
Vanaq; venaris, quæ dantur dona, probato.

Erat autem Myſcellus non nihil gibboſus Itaque reverſus condidit Crotonem, adjuvante etiam Archia Syracuſarum conditore, qui forte fortuna eò appulit, cum ad Syracuſas condendas tenderet curſum. 8. Cum Hercules ægrotus Jolaum & Licimnium Delphos miſiſſet, qui de remedio Apollinem ſciſcitarentur: Reſponſum illis hoc datur: *Herculem cum apparatu bellico deportandum eſſe in Oetam montem, ibiq; grandem ei pyram eſſe conſtruendam, cætera Iovi curæ fore.* Iolaus *mandata Oraculi exſecutus* in propinquo cum ſuis, quorſum res evaſura ſit, præſtolatur. Tum Hercules omni ſpe abiectâ pyram conſcendit, & accedentes ad ſuccendendum rogum adhortatur. Quod cum ſuorum facere auderet nemo, Pœas amiſſos greges quærens, cùm illac iter faceret, Pyram ſuccendit, cui Hercules ſagittas arcumque dono dedit, uti ſcribit *Apollodorus lib. 2 p. 120. De Deor. Orig.* Quidam tamen referunt, *Pæantis* filium *Philoctetem* hac in re Herculi morem geſſiſſe: qui pro miniſterio arcu & ſagittis Herculis remuneratus pyræ ignem ſubjecit. Quæ mox etiam fulminibus de cœlo tacta exarſit inque cineres tota conſedit. Hinc cum *Iolaus* oſſa conquiſiturus nihil omninò inveniret, perſuaſio orta eſt: Herculem è mortalium conſortio ad Deos, prout Oraculum antea prodiderat, emigraſſe. *Diodor. Sicul. lib. 4. p. 243. & 244. Biblioth.* ubi etiam refert, quibus honoribus ipſe apud Deos in cœlis afficiatur. 9. Egregium exemplum habemus quoque in *Ergino*, Clymeni filio, & Orchomeniorum Rege. Qui pace cum Hercule factâ ad priſtinas opes & felicitatem redintegrandam converſus, unica cura confectus fuit, quod ſenex ferè cœlebs & orbus eſſet, adeoque ſine liberis ſe moriturum videret. Quapropter cum magnam pecuniæ vim corraſiſſet, cupiditas eum inceſſit, quomodo li-

beros suscipere posset, quibus congestas opes relinqueret. Hinc probato sibi hoc consilio Delphos profectus, ut à Deo perquireret, quid sibi ea in re facto esset opus. A quo hujusmodi responsum accepit:

Ergine ô Clymeni proles Presbonidæ ad aram
Exquirens sobolem venisti serò: sed & nunc
Temoni vetulo validum prætendito rostrum.

Intellexit itaque Erginus mentem Oraculi, scilicet ut adolescentulam duceret uxorem, quòd tum spei suæ fructum consequi posset. Ideo quoque Oraculi monitis paruit, & puellam sibi toro associavit, & ex ea genuit duos filios *Trophonium & Agamedem*: licèt nonnulli velint, Trophonium non Ergini, sed Apollinis filium fuisse. Quod alijs præsertim illis persuasum est, qui ad Trophonij Oraculum accesserunt. *Pausanias. lib. 9. p. 547. & 548.* Mirum autem hoc est, quòd de Ergino narrat Pausanias, ipsum utut senem liberorum procreandorum causa ad Oraculum accessisse, quæsiturum ex eo, quo pacto ipse prolem & hæredem suarum divitiarum posset consequi, cùm natura dictet, alia ratione, quàm è congressu maris & feminæ liberos non acquiri: Idcirco licèt ipse fuerit senex; tamen talem sibi conjungere debuit uxorem, sicuti & Oraculum postea judicavit, unde liberos habere & suscipere posset. Quod quoque citra Oraculi monitum, nisi valdè fatuus fuisset, facilè potuisset intelligere. 10. Idem *Pausanias* refert *dicto libro. IX. p. 549.* de Orchomenijs, quòd itidem Oraculo in transferendis Hesiodi ossis fuerint obsequentes. Etenim sæviente in homines pariter ac pecudes pestilentia missi sunt ad Oraculum Legati, qui quærerent ab ipso tanti mali remedium. Respondit Deus, calamitati isti finem futurum, si ex agro Naupactio in agrum Orchomeniorum Hesiodi ossa essent deportaturi: nam nullum aliud tanti mali sperandum esset levamen. Illi Oraculi dictis libenter obsecuturi; sed ignorantes locum, ubi Poëtæ istius ossa essent recondita, perquirere voluerunt ab Oraculo, in quanam agri Naupactij parte eadem deberent invenire? Tum respondit *Pythia*: Cornicem locum istum ipsis esse monstraturam. Redeuntes ab Oraculo non procul à via invenerunt cornicem saxo insidentem. Quem locum eruerunt, & ibidem Hesiodi ossa invenerunt cum hac inscriptione:

Hesiodi patria est frumenti fertilis Ascra
Sed bello insignes ossa tenent Minyæ;

Hujus

Hujus in Argolicis excellis gloria terris
Iudicium quibus est ingeniumq; sagax.

11. Cum *Epigoni* cæsorum in bello Thebano filij paternas cædes ulturi contra Thebanos exercitum ducere statuissent, de belli exitu Oraculum consuluerunt: quibus ex Tripode hoc venit responsum, ut *Alcmaeonem Amphiarai Filium* belli Ducem constituerent. Verùm Alcmæon istius expeditionis præfecturam detrectavit, quod de matre nondum sumsisset supplicium. Quapropter ipse partim de hac expeditione, partim de animadversione in matrem Deum interrogat. Qui utrumque exequendum esse jubet: scilicet, ut belli præfecturam in se susciperet, & de matre sumeret supplicium: quòd mater ejus Eriphyle non modò torquem seu monile aureum in necem mariti accepisset; sed etiam peplo se corrumpendam præbuisset ad filij exitium. Thersander siquidem Polynicis filius peplum dederat Alcmæonis matri, ut illa suum filium ad hoc bellum instigaret. *Diodor. Siculus l. 4. p. 267. & 268.* Et quantumvis acerrima pugna fuerit commissa, Alcmæon tamen cum suis adeptus est victoriam. Cæterum Epigoni dicti sunt autores secundi belli Thebani quasi fœtus illorum, qui primum confecerant bellum. Sed in sensu latiore dicti sunt *Epigoni* omnes illi, qui è diversis populis conflati secundum bellum Thebanum *Duce Alcmaeone* confecerunt. Alcmæon igitur obsecutus est Oraculo & istius mandato constitutus belli Dux felices sensit progressus, in tantum, ut etiam victoriam reportaverit. 12. Sicyonij etiam Oraculo paruerunt in recipiendis & humandis Arati ossibus in civitate. Aratus decumbens è tabe, quam ob venenum sibi datum contraxerat, in cubiculo, uno præsente familiari, excreavit cruorem; Is ubi hoc inspexit & obstupuit, dixit: ταῦτα ὦ Κεφάλων ἐπίχειρα τῆς βασιλικῆς φιλίας, id est, *Hæc sunt autoramenta regiæ amicitiæ.* Ad hunc modum cum Aratus fato esset functus, contenderunt Achæi, ut Ei justa & monumenta ex vitæ dignitate fierent: sed calamitosum duxerunt Sicyonij, nisi conditum corpus apud ipsos foret, flexeruntque Achæos, ut id permitterent. Quoniam vetus Lex quenquam intra muros suos humari vetabat, & gravis Legi adjuncta erat religio, Delphos miserunt ad consulendum super ea re vatem, quæ hoc Oraculum dedit:

Βουλεύῃ Σικυὼν ζωάγριον αἰὲν Ἀράτου
Ἀμφ' ὁσίῃ θαλίῃ τε κατοιχομένοιο ἄνακτος

ὡς τὸ βαρυνόμενον τῷ δ' ἀνέρι καὶ τὸ βαρῦνον
γαίης ἔς' ἀσέβημα καὶ οὐρανοῦ ἠδὲ θαλάσσης.

Consultas Sicyon tellus natalis Arati
De iustis semper, festis quoque concelebrandis
De functi herois. Verum illum siqua gravant. sunt
Et maris & cœli terræq; piacula crassa.

Postquam hoc Oraculum allatum est, Achæi cuncti gravisi sunt, præcipuè tamen Sicyonij converso in festum luctu protinus ex Ægio coronati & candidis amicti vestibus, carminibusque & tripudijs in urbem suam deduxerunt, locoque delecto conspicuo ut *Conditorem & servatorem urbis* ibi funeraverunt. Sacra ei faciunt semel in anno, quo die scilicet civitatem à Tyrannide vindicavit. Festum illud vocant *Soteria* ob memoriam conservatæ civitatis. *Plutarchus. Tom. 1. p. 1051.* Porro 13. de *Xenophonte* narrat *Strabo l. 8. p. 387.* quòd & ipse Oraculo obtemperaverit. Locum namq; Elide proprijs sumtibus emit, eumque *Dianæ* dedit. Peregregium quoque exemplum. 14. suppeditat *Dionysius Halicarnass. lib. 1. p. 15. & 16. Antiquitat Romanar.* de Oraculo Pelasgis dato. Illi circa Cutiliam Aboriginum urbem prope sacrum lacum stativa habebant: & postquam contemplati fluitantem in eo Insulam, & ex captivis, quos in agris interceperant, audiverunt, quomodo istius regionis homines appellarentur, crediderunt finem jam habere suum Oraculum. Nam apud Dodonam redditum illis responsum, quod *Lucius Mamius* vir non obscurus ait se vidisse in templo Iovis antiquis literis insculptum cuidam sacrato tripodi, sic se habebat.

Στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν Σατύρνιαν αἶαν
ἠδ' Ἀβοριγινέων Κοτύλην, οὗ νᾶσος ὀχεῖται.
οἷς ἀναμιχθέντες, δεκάτην ἐκπέμψατε Φοίβῳ
καὶ κεφαλὰς Κρονίδῃ καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

Pergite quærentes Siculûm Saturnia rura
Atque Aboriginidem Cotylen ubi se insula vectat.
Queis misti decimas Clario transmittite Phœbo
Atque Iovi capita, & transmittite lumina Patri.

Adventantibus autem cum magno exercitu *Aboriginibus* occurrunt Pelasgi cum oleæ ramis inermes ac supplices: expositisque suis casibus orant, ut recipiantur in amicitiam & partem sedium, nequaquam graves ipsis futuri. Et interpretati Oraculum, ajunt, *se ad ea loca solo De-*

orum

orum monitu delatos. His auditis & ipsi Aborigines parentes Oraculo isti cum Pelasgis fedus faciunt, & partem agrorum circa sacrum lacum ipsis assignant, quorum pleraque erant palustria, dicta nunc prisco linguæ more *Velia*. Sic *Dionysius*. Aliud superest exemplum: 15. de *Philoctete*, qui fuit strenuus Oraculorum cultor & uti de se prædicabat, optimus eorum Interpres. Is, teste Oenomao, dixit: *quodcunque ab Oraculo esset preceptum, illud faciendum esse, etiamsi Intellectui humano non videatur usquequaq; conveniens.* Aliquando edoctus est, uxorem suam esse corruptam, culpâ in Deum translatâ. Cui cum assensum præbere non posset, ipsum tamen autor sceleris lateret, Deum consuluit, ut istius ope conjugem castigaret, & ignominiam à se removeret. Sed à Deo hoc accepit responsum.

Philoctete tuam noli confundere nuptam:
Non Arcana Dei nosti: sed gloria magna est
Quæ divina fuint devoto credere corde.
Conjugis innoxam suspecta poscere pœnam
Te quatiet: turpe est cupias si femina casta
Contrahat ut labem tali è rumore sinistro.

Hoc auditô Oraculô dixit *Philoctetes*: *Parebo responsis divinis, nec mihi cura erunt sermones hominum. Magna res est divinæ veritati fidem habere.* Ita vir iste obsecutus est Pythiæ dictis, & sibi in gloriam cedere autumavit, habere uxorem à Dijs amatam. Quamvis sub ista ratione pessima adulteria & impuræ scortationes obvelentur: & qui à Dijs originem suam arcessere volunt, meritò pro spurijs habendi sunt. Quod *Diogenes Cynicus* intellexit, qui *Alexandro Magno Iovis filium* se vocanti, & Oraculum Ammonium de tali testimonio sibi suppeditando roganti, in faciem dixit, quòd esset spurius. Nam ut verbis *Chrysostomi* illud inter Alexandrum & Diogenem institutum colloquium paucis exprimam. Accessit Rex iste ad hunc philosophum, *inter doctos stultum & inter stultos doctum*, qui tum apricabatur, seu exposita ad Solem habebat membra, qui tantum abest, ut surrexisset, & tanto Monarchæ debito modo obviam ivisset, ut potius in terra jacens, nequidem gestu suum devotum animum erga istum Principem significaret aut ostenderet. Miratus ille tanti hominis & tùm celebris Philosophi impudentiam; tamen eum allocutus est his verbis: *Nostine quinam ego sim?* quidni sciam, inquit Diogenes: *Tu es spurius.* Iratus Alexander ob tantam dicacitatem

sed perrexit Diogenes loqui: *Noli excandescere, nam tales omnes Heroes sunt.* Illi enim dum natales suos Dijs adscribunt, fatentur è justis & legitimis nuptijs se procreatos non esse: sed ex adulterio ortos. Deus enim cum hominibus ad generandam sobolem congredi non potest: igitur ut turpitudo sceleris â matre adultera occultetur, culpa in Deum transfertur ad nati originem extollendam. Obstupescens Alexander, rogat, ut à se aliquid petat Diogenes; qui promtus in hæc erupit verba: *Peto ut abeas è Sole meo.* Quo audito Rex hominem reliquit, & decedens ab eo dixit: *Nisi essem Alexander, optarem Diogenis fortunam.* Sed urgere aliquis poterit, quod testimonio Oraculi publico confirmatus fuerit Philoctetes, suam uxorem in concubitum à Deo expetitam fuisse, sicuti etiam Paulinæ maritus contentus fuit, postquam intellexerat illam ab Anubide fuisse in communionem sacri tori vocatam licèt ipsa sacerdotum fraudibus decepta cum Decio Mundo in templo, ubi paratum erat cubile, concubuerit: ceu illud supra *c. 22. pag. 177. è Iosepho* fuit adductum. Verum, 1. Diogenis ratio valida est, quòd Deus nec desideret congredi, nec actu congrediatur cum hominibus ad generandam prolem: itaque nec Deus fuit, quo cum Philoctetis conjux rem habuit. Fuit ergo adultera, quæ violatâ tori maritalis fide alterius libidini inservivit. 2. Oraculi testimonium in rebus quæ sunt contra honestatem & bonos mores planè nullum est: cùm etiam illud facilè potuerit corrumpi, ubi *Sacerdotes Isidis* corrupti à *Decio Mundo* istius impurum concubitum in loco sacro promoverunt. 3. Philocteti autem nihil est imputandum ob cœcam obedientiam, & superstitionem, qua effascinatus ipse credebat agendum vel patiendum esse, quodcunque ab Oraculo esset præceptum vel suasum. Illud adhuc addendum est: Qua de causa homines fidem Oraculis habuerint, ut ea tantopere in rebus ferè omnibus, in quibus dubitatio potuerit contingere, aut quarum cognitionem habere ipsi desiderabant, consuluerint? Quod longè diversum est ab eo, *unde tam magna Oraculis accesserit Autoritas?* de quo *cap. 4. pag. 19.* aliquid dictum est. Existimo non unam esse causam quæ impulerit cœcos Gentiles ut omnia fere ad oraculum retulerint. Potissima est *Superstitio*; quâ imbuti miseri mortales non saltem Oraculi responsum, ut divinum aliquod eloquium, mandatum vel consilium venerati sunt; sed & existimarunt, non certiorem cognitionem de dubijs & futuris

turis rebus haberi posse, quam ex Oraculo. Et eam ob causam frequentes ad Illud accesserunt, ut notitiam certam de talibus consequerentur, licèt interdum vehementer sint decepti. Dici autem non potest quantam vim superstitio contineat dementandi animos hominum. Nam ubi semel istâ oppleta est mens humana, nunquam vel difficulter exstirpari potest. Talem fanaticam opinionem imbiberunt & olim pagani, ut crederent, tum sibi bene esse prospectum, & certissimo se consilio juvari, si illud agerent, quod ab Oraculo esset jussum vel suasum. Accessit dubio procul *fama de Gente Israelitica*, quòd in ea verus Deus in rebus dubijs consuleretur, & consulentes de agendis vel omittendis seu fugiendis è peculiari divino responso redderentur certiores. Cum itaque diversis in orbis partibus haberentur fatidica Idola, existimarunt & ipsi gentiles eorũ Responsa esse impetranda, tanquã rerum agendarũ vel intermittendarum normam. Quinimo ne ipsi Reges Israelitarum, cum haberent verbum Domini, Prophetas, & viros sanctos Legem Dei exponentes, abstinuerunt ab hac Idololatria consulendi Oracula. Sic *Abazias*, cum disrupto opere reticulato cœnaculi sui præceps decideret, & colliso corpore se malè haberet, de salute sua consuluit Oraculum *Baal-Zebub Dei Accoranitarum*, uti illud legitur *in lib. 2. Reg. c. 1.* Iehovah ob tam grande nefas ad justam iram permoto, ut Rex, qui debebat populum ad Legem & verum divinum cultum perducere, horendo Idololatriæ crimine se commacularet, & consilium salutis apud Diabolum quæreret. Præterea, uti tum erant mores hominum, & tempora, *Oraculum è necessitate quadam* interdum fuit consultum, cumprimis si non apparerent media evitandi malum aut infortunium. Ideo in ea fuerunt sententia homines, deficientibus auxilijs humanis, remedium quærendum esse â Deo, cujus ope firmiter credebant, se liberatum iri â calamitatibus, in quas ipsi incidissent. Hæc siquidem est mortalium conditio, ut cæteris medijs deficientibus tandem ad Deum confugiant, & ab eo opem petant: Quam ubi sperare, vel eam sibi promittere nequeunt, tandem desperant. Verùm quantum ex historijs antiquis constat; illos, qui Oracula sacra, eorumq; auxilium implorarunt, firma spe consequendi desideratas res fuisse erectos. Unde etiã animo fidente ad Oraculum se contulerunt, certò persuasi, se voti sui compotes futuros. Addi quoque possunt

ſunt *Exempla aliorum* qui in ſimilibus cauſis Oraculaſollicitarunt, ut ab ipſis certum conſequerentur reſponſum in illis, quorum ipſi notitiam habere cupiebant. Præcipuè ubi viderunt interdum dicta iſtæc divina ſuum conſecuta fuiſſe exitum, & illud ita contigiſſe, uti erat prædictum. Nam ſi animadvertunt mortales in alijs rebus effectum ſuum fuiſſe ſubſecutum, & in ſuis eundem ſubſecuturum ſperant. Ea propter aliorum exempla imitati ſunt, & quod è re ſua eſſe poſſet, ab Oraculo cognoſcere, nec non ejus præcepta & conſilia exequi ſtuduerunt.

CAPVT XXV.

De

Quibusdam cauſis, ob quas Oraculum defeciſſe à nonnullis dicitur.

ILlud quod initium habet, ſuum quoque invenire finem, Oracula teſtantur, quæ licèt per longum tempus duraverint, ut omnium ferè gentium ſtudium ad ea colenda miretur poſteritas; tamen & ipſa defecerunt, ſeu obmutuerunt, & conſulentibus reſponſa dare amplius non potuerunt. Cauſas tantæ defectionis non tantum ignorarunt gentiles, ſed & inquirendo in eas ſuam ipſi prodiderunt inſcitiam. *Plutarchus* integrum eo de argumento confecit librum, in quo omnem vim ingenij ad eruendas veras cauſas iſtius defectus oſtendere quidem voluit, ſed nihil minus, quàm illas aſſecutus eſt. Nec mirum: cum enim nixus falſo principio de origine Oraculorum verum illorum ortum neſciverit, utique nec usq; eò mente ſua aſcendere potuit, ut rationes de ſilentio Oraculorum perveſtigaret: Diverſæ hinc natæ ſunt opiniones, quæ arguunt hominum admirationem; ſed veritatem rei non demonſtrant. Itaque ut etiam hac in re noſtram operam præſtemus, primum aliorum ſententias de Oraculorum defectu in medium proferemus: deinde veram iſtius cauſam aperiemus. Defeciſſe Oracula, infinita Scriptorum teſtimonia loquuntur. *Suidas* in voce *Auguſtus* fatetur: *Diu ante ſua tempora Iovem Hammonem ſiluiſſe:* Sic quoque *Symmachus l. 4. Epiſt. 33. p. 164.* ait: *Nonne vides Oracula olim locuta deſiiſſe, nec ullas in antro Cumano literas legi, nec Dodonam loqui frondibus, nec de Spiraculis Delphicis ullum carmen audiri?* Apud. *Lucanum lib. 5. Pharſal. p. 145.* Appius ſilentia Oracula Apollinis iterum ſollicitat his verbis.

Sollicitat

Sollicitat superos, multosq; obducta per annos
Delphica fatidici reserat penetralia Phœbi.

Quidam putant: Apollinem noluisse amplius Oracula edere, quod homines suis responsis iudicaret indignos. Hoc tradit *Iohannes Britannicus ad Satyr. 6. v. 554. Iuvenalis.* quando sic loquitur: *Apollo indignos homines putat, quibus futura respondeat; nam magis sic intelligitur, quod Alexander damnavit templum Apollinis in Delphis, ne sint homines futurorum prascij.* Dubito an id veterum testimonijs firmari queat: Delphicum Oraculum fuisse ab Alexandro damnatum: etenim post ipsius obitum magno in honore Oraculum istud fuit, ita ut vix credam, verum esse quod Britannicus scribit. *Mercurius Trismegistus* Oraculorum defectum vitijs hominum, & Indignationi Dæmonũ adscribit: *Nam dicit Majores suos perfectam cœlestis Dei notitiam non habuisse; cognito siquidem Deo, Deos terrenos non curassent, sed uti incertos de illo, ita à divina religione valdè aberrantes artem, qua Deos efficerent, excogitasse, statuasq; exstruxisse, in easq; cum ipsi animas creare non possent, Dæmonum vel Angelorum animas evocasse. Quæ quidem vocatæ advenerunt, tum quia horum hominum magna vis erat, tum quia Angeli & Dæmones tantam cognationem cum hominibus habent, ut ad obsequium illorum propria natura trahantur. Præterea Oracula defutura pronunciat, quando homines religionis expertes impiiq; evadent, neq; enim tunc Idola colent, neque ea fabricabunt, neque in illis animas Dæmonum introducere valebunt: Dæmones verò cum se neglectos viderint, ab antiquis etiam statuis decedent.* Genij itaque è Mercurij sententia statuas ab hominibus rite constructas ingrediebantur, & ex ijs responsa dabant consulentibus, multosque per annos in illis morabantur, & tanto libentius, quanto statuæ ex materia ijs congruentiore factæ essent: Et quanto eos sacrificijs, hymnis, laudibus, & harmonijs, quibus veluti unicis Geniorum illecebris delectantur, peritius detinere sciebant. Quemadmodum hæc copiosè è Mercurio adduxit *Athanasius Kircherus Tom. 2 part. alt. class. 11. c. 3. p. 442. & 443. Oedipi Ægyptiaci.* Sicuti igitur Mercurius putat originem Oraculorum in eo consistere, quando statuis rectè & affabrè compositis Dæmones & Genij insident, ibique suum quasi domicilium habent: sic eorum defectum ponit in derelictione statuarum à Genijs, quando nempe Genij deserunt illas, & ex illis amplius respondere nolunt hominibus. Idem docet supra aliquoties lauda-

laudatus *Mor Isaac*, dum ait: Varia commenta de Dijs suis Græcorum pariter & Ægyptiorum tradit historia. *Illud mirum est, quod Ægyptij cum primis crediderint: Dæmonas delectari conversatione hominum, & in fabrefactis & probe dolatis statuis hærere: eas velut animare, ex iis loqui: & futura hominibus prædicere. Ideo illas venerati sunt divino ferè cultu, ut quod in illis habitarent Dii ipsi hominibus quæ futura bona sunt vel mala: facienda vel fugienda: utilia vel noxia annunciantes. De eo multæ extant querelæ & admirationes super silentio statuarum, quasi ipsa omnem vim loquendi una vice amiserint, & tot hominum spem in talibus responsis collocantium expectationem præciderint funditus. Causam tamen aliam invenire non valentes, finxerunt: Dæmonas recessisse à statuis, & per illam secessionem Oracula cessasse & obmutuisse.* Hucusque iste Isaac. Est autem hic mos quibusdam, ut cùm veritatem pervestigare nequeant, nec causam indagare cujusdam facti, speciosè fabulam arte quadam excogitatam pro ratione substituant, quâ incautos fallant, iisque erroneam opinionem instillent. Interea potest esse, ut hæc cumprimis de Oraculorum defectu apud Ægyptios disseminata ratio etiam ab illis, qui reliquis doctrina & sapientia fuerunt superiores, recepta fuerit: cùm & inter doctos non pauci reperti sint stolidis imbuti erroribus, præcipuè si istos firmet superstitio, hæc enim magnam vim obtinet etiam in admittendis & credendis falsis. Nonnulli referunt factô hominum talia divina responsa alijs invidentium loca, in quibus futurorum cognitio haberi poterat, fuisse eversa. Ita *Daphne*, quæ est *suburbium Antiochiæ* percelebre, nemore multis cupressis cincto vestitum, alijsque arboribus cupressis commixtis variatum. Hic locus fuit apud Gentiles in magna veneratione & ab omnibus magni æstimatus. Nam eximia *Daphnæi Apollinis* statua in eo fuit, & delubrum magnifica opera & sumtuosa constructum, quod fama est à *Seleuco Patre Antiochi*, à quo *Antiochia* nomen accepit, ædificatum esse. Credebatur etiam ab his, qui res istas colere solent, aquam in eum locum è fonte *Castalio* influere, quæ *facultatem divinandi* hominibus tribuebat, *paremq; vim & idem nomen cum ea, quæ est in Delphis, obtinebat.* Referunt Annales: *Hadriano adhuc privatam vitam degenti imperium ei obventurum, in eo loco prænunciatum fuisse.* Dicunt namque; *Eum, cùm folium fonte Daphnes tinxisset, hausisse inde rerum futurarum cognitionem in folio planè descriptam.* Et ubi ad imperium accesserit,

fontem

fontem aggere obruisse, eo consilio, ut *aliis non liceret ex eo discere futurarum rerum scientiam.* Hæc narrat *Sozomenus lib. 5. c. 18. p. 483. Histor. Eccles.* Qui narrationem hanc provida & circumspecta mente examinaverit, ei in proclivi erit, illam fabulæ quàm veræ historiæ videri similiorem. Etenim 1. à vero abit, quòd folio in aquam fontis Daphnæi tincto futuræ rei cognitio, quæ desiderabatur, fuerit inscripta. Magnum utique hoc foret miraculum vel ipsis sensibus apertè expositum cujusmodi vix in ullo alio Oraculo animadvertere licebit. 2. Deinde illud me dubium tenet, nunquid verba potuerint clarè legi; & nunquid notabile quoddam temporis intervallum intercesserit, antequam folium aqua iterum extractum literas istas conspiciendas exhibuerit, vel num ipso momento folium istud verbis ac vocibus fuerit instructum? Accedit 3. & hoc, nunquid verba fuerint perspicua ab omni æquivocatione libera, an verò obscura, dubia & intricata, sicuti mos fuit Apollini in suis Oraculis reddendis ambiguè loqui. 4 suspectum & illud est, quòd homo sibi sumserit hanc potestatem, tam celebrem locum subvertendi, & vim fatidicam ei adimendi, ut vel Genius loci coactus fuerit inde decedere, vel etiam virtutem divinandi cohibere: vel etiam aquam ob injectionem pulveris & sabuli illâm privare. Quodcunque ex his elegeris, non evitabis absurdum. 5. Longè frigidior est allata causa, quare *Hadrianus* voluerit illud Oraculum destruere, scilicet, quod invideret hominibus futurarum rerum cognitionem, quam ibidem alioquin possent consequi. Sed eo ipso conceditur: Deum malitijs hominum se accommodare, eorumque improbæ intentioni obsequi: dum ob hanc causam passus sit tam magnam tamque efficacem virtutem eo in loco expirare. Credo itaque & hanc narrationem à quocunque demum profecta sit autore, sublestæ esse fidei. Si aqua fontis Castalij hanc vim divinandi obtinuit, (quod nemo mihi facilè persuaserit) illa tamen ex ista causa non exaruit. Alij præterea existimant Oracula cessasse ob contemtum. Equidem quod supra *capite 4.* expositum, est magnam olim Autoritatem ferè ubique terrarum sibi conciliarunt Oracula, ut cunctæ gentes ea adirent, frequentes & consilium atque opem ab illis peterent: veruntamen contemta postea sunt, unde illorum dignitas eviluit; & quia tanto, uti antea, honore habita non sunt, ita & ea cessasse à reddendis responsis nonnulli credunt. Quos inter est *Pau-*

lum

ius Orosius lib. 6. c. 15. p. 456. & 457. Advers. Pagan. qui egregiè hac de re disserit, & quidem occasione *Appij Claudij Censorini*, qui jussu Pompei Græciam defendens jam abolitam Pythici Oraculi fidem voluit experiri. Quippe ab eo adacta vates inspecum descendere, ipsi consulenti de bello fertur respondisse: *Nihil ad Te Romane hoc bellum pertinet, Eubœa cœla obtinebis.* Ibi paucis lineis in terpositis sic pergit Scriptor iste: Cur ergo longè ante Imperium Cæsaris nativitatemque Christi, sicut ipsorum Autores testantur abolita fuit Pythici Oraculi fides? *Abolita* autem ideo, quia *contemta.* Porro autem, quare contemta nisi quia vel falsa, vel vana, vel dubia? unde prudenter Poëta præmonuit:

Inconsulti abeunt sedemq́; odere Sibyllæ.

Et ne fortè parvi id pendant, quod contemtu abolitum & antiquatum fuit, hoc est, aut Numen aut sedem, *Apollo ille Pythius* erat, *quem ferunt magno illo Pythone serpente interfecto, totius vaticinationis Autore & Principe heredem & sedis, & divinationis & Numinis extitisse ibiq́; eum reddere elegisse responsa, ubi orta cum autore ipsa divinatio videbatur, præterea quem per alias quoque terrarum partes spumantibus buccis, rabidoq́; discursu omnis furiatorum ructat insania, ad quem plurimi terrarum Reges quasi ad vivam vocem consulti numinis concurrerunt, cui sæpissimè ipsi quoque Romani opulentissima dona miserunt. At si Apollo iste Pythius paulatim discernente experientia contemtus, relictus & abolitus est, quid vivum de mortua pecude, quid verum de amente muliercula sperari potest?* Contemtum Oraculorum Orosius ponit in responsorum incertitudine & perplexitate. In superioribus enim copiosè ostensum est, quàm dubiè, & æquivocè sua responsa reddiderint Oracula, quibus decepti homines sæpe non in minimas calamitates præcipitati sunt. Cujus itaque responsa ob ambiguitatem verborum consulentem in exitium deducunt, vel dubium eum tenent, ita, ut quid agendum sit, ipse nesciat, is facilè potest sperni ac contemni. Deinde autoritatem ipse Oraculis denegat omnem, quando ait: *Quid vivum de mortua pecude, quid verum de amente muliercula sperari potest.* Respicit siquidem ad originem Delphici Oraculi à capris casu quodam inventi, quæ dicuntur vaticinandi vi afflatæ fuisse: sed cum pecudes istæ sint demortuæ, nihil ab illis sperari potest, quod faciat ad hominum viventium negotia & actiones. Præterea respicit modum vaticinandi à Pythia

adhibi-

adhibitum, quæ ſcilicet poſtquam conſcendit tripodem Spiritu afflata verba furoris edidit. De quibus in libro ſecundo pleniſſimè agetur. Præcipua tamen contemtus cauſa exiſtimatur Ambiguitas vocum, & inde profecta deceptio. *Euſebius l. 4. c. 2. p. 133. de Præparat. Evangel.* ait: *Ne tum quidem ullum ab Oraculis divinæ virtutis opus editum fuit, cùm & res Græciæ maximè florerent, & jactata quondam Oracula, quæ hoc tempore nulla ſunt, integræ autoritatis eſſent, & ab indigenis omni ſtudio curaq́ue habita, patriis ritibus atque myſteriis religiosè admodum colerentur. Et ſanè vim eorum nullam eſſe tum præcipuè conſtitit ex bellorum calamitatibus, in quibus, quòd nihil opis & auxilij conferre poſſent egregij fatorum interpretes reſponſorum ambiguitate clientes ſuos fefelliſſe.* Porro quod ad Capras attinet, adhibuerunt illas divinationis ſocias. Sed quæ exinde Autoritas poteſt enaſci? quomodo non potuit non omnis dignitas illorum evileſcere? Audiamus iterum *Euſebium l. 2. p. 61. de Præparat. Evangel.* qui iſtæc oracula refert ad fraudes, & decipiendi artes, præcipuè, quòd olim habuerint iſtius effaſcinationis ſocias capras. Sed verba ita ſe habent. *Nolite inquit ſcelerata impiaq́ue adyta curioſius explorare, nec profundorum antrorum hiatus præſtigiis monſtrisq́ue plenos aut Theſprotium Lebetem, aut Tripodem Cyrrhæum, aut æneum Dodonæ tintinnabulum. Gerandryon autem illud deſertis olim in arenis cultum, quodq́ue ibidem celebrabatur Oraculum, jam verò cum ipſa quercu prorſus emarcuit, rancidis ac vetuſtate contritis fabulis relinquite. Enimverò ſiluit utique fons iſte Caſtalius, ſiluit Colophonius alter, ac reliqua ſimul omnes fatidicæ undæ aruerunt, quas ventoſo faſtu ſerò licet palam tamen aliquando ſpoliatas viderunt, poſteaquam illæ ſuis cum fabellis omninò diffluxiſſent. Decanta tu nobis, per me licet, reliqua vaticinationis aut furioſæ potius vanitatis Oracula. Clarium, Pythium, Didymea, Amphiaraeum, Apollinem, Amphilochum: Adde ſi lubet prodigiorum Interpretes, adde Augures, profanosq́ue ſomniorum conjectores. Quin agesis, ac ſimul eos coram Pythio ſtatue, qui divinationes ſuas farinâ hordeóve perficiunt, quique à plurimis etiamnum obſervantur, Ventriloquos. Iam vero & Ægyptiorum penetralia, & Maniam apud Hetruſcos vaticinationes in tenebris jaceant: veſanæ profectò illa ſunt infidelium hominum fallendi artes, & comparatæ ad puram putamq́ue fraudem quaſi alea & ſortis officinæ. Ejuſdem quoque faſcinationis velut negotiationis ſociæ habeantur capræ ad divinandum informatæ, nec non corvi illi, quos ad reſponſa reddenda homines erudire.*

Ulterius firmiter sibi persuaserunt homines, quòd Oracula earumque sacerdotes ac Prophetæ certam rerum futurarum notitiam non habuerint, & inde contemtui cœperint exponi. Nam, ait *Eusebius* dicto loco *p. 62.* Ubi Delphicum illud templum est apud Græcos omnes omnique memoria celebratum? Ubi Pythius? Ubi Clarius? Ubi Dodonæus? *Nam Delphicum sanè Oraculum jam tertium à Thracibus incensum fuisse constans fama est. Cum neque divinationis domicilium ad futuri præsensionem, neque Pythius ipse ad rerum suarum conservationem quicquam omninò posset.* Certè si Delphicus Deus habuisset futurorum cognitionem, utique præscivisset, suum templum igni absumtum iri, adeoque illud ad minimum impedire potuisset. Quoniam verò illud non fecit; sed tot vicibus delubrum istud flamma perijt, certum est indicium: Apollinem istud malum haut prævidisse. Qualis autem iste est Deus? aut quomodo ab isto homines potuerunt futurorum cognitionem petere, nedum sibi illam tanquam certam promittere, cùm ipse sua fata nequiverit videre ante? *Esaias c. 41. v 22. & 23.* videtur hoc quasi certum signum ponere inter verum Deum & fictitium, alloquitur enim Deos falsos: *Annunciate quæ futura sunt in futurum, & sciemus quia Dij estis vos.* Quasi velit Propheta dicere: *Si vos estis Dij, annunciate nobis futura eorumq́ veritatem: cùm hæc sit Dei proprietas, nosse quoque futura.* Et notat *Franciscus Forerius ad c. 41. v. 23. Esaiæ. p. 5139. Tom. 4. Criticor. Sacror.* quòd Propheta vel hoc saltem voluerit dicere: *Si illi Dij neque futura prædicere, neque præterita enarrare possunt, saltem quæ jam veniunt, quæ vel mediocriter prudens vir prædicere, aut annunciare posset, nos percipere faciant utiq., quomodo credi à quoquam possit, illos veros esse Deos.* Quoniam igitur neutrum possunt, exinde fortiter colligere vult Propheta; Gentilium Deos ut & eorum Oracula, nihil minus quàm Deos, aut Deorum Oracula esse aut dici posse. Ipse Apollo dicitur cecinisse infelicia Oraculorum fata, quod scilicet tàm celeberrima extiterint Oracula diversis in locis, quorum vis exaruerit ob vetustatem, ita, ut amplius divina istæc eloquia ne speranda quidem amplius videantur: ipsi tamen homines sint admoniti de sacris Phæbo seu Apollini faciendis. Carmen istud legitur in *Eusebio l. 5. c. 8. p. 194. de Præpar. Evangel.* & ita se habet.

PYTHIA quod Spectat. Clariique oracula Phœbi
Dicam equidem, & sanctâ verum te voce docebo.

Sexcenta

Sexcenta ex imis statuere oracula terris,
Fontesque, & rapidâ sensus vertigine torquens
Halitus ast eadem vastâ dein labe dehiscens
Hausit terra sinu, pressitque annosa vetustas
Nunc tantum Didymis, arus quâ caeca profundi
Antra iacent, Soli Mycaleia lympha superstes
Quique ad Pythonis campos atque alta virentis
Sub juga Parnassi, nitidas fons egerit undas
Et Lapidosa Claros, Phœbea ora aspera vocis.

Idem Nicæensibus ita respondit.

Pythiaca nequeunt revocari oracula vocis
Quæ cani jamdudum ævi longinqua vetustas.
Sustulit ac muta clausere silentia clavi
Vos Phœbi interea notis incumbite sacris.

Quidam, quos inter est *Suidas*, putant Augusto Cæsari datum esse à Delphico Deo responsum, ac si in posterum ipse respondere non auderet, ob natum puerulum Hebræum, quapropter ipsum jusserit à sacris aris recedere. Baronius equidem in illa est sententia, ac si sortes istæ hexametris versibus constantes editæ fuerint Augusto, & hic Romam reversus novam in Capitolio extruxerit aram cum hac inscriptione: *ARA DEI PRIMOGENITI*, quasi Deo jam natus esset primogenitus filius, cujus autoritate cogeretur vaticinia sua cohibere, & in posterum consulentes sine responsis à se dimittere. Similiter fabulis & illud est accensendum, quod de Augusto idem credit, ac si Cæsar iste in cœna, quæ δωδεκάθεος dicebatur, pro Apolline solitus fuerit accumbere, & quidem è publico instituto quotannis repeti solito: Cùm tamen *Suetonius* aliud testetur *in vita Augusti c. 70. p. 76.* quando sequentia scribit: *Cœna quoque eius secretior in fabulis fuit, quæ vulgo δωδεκάθεος vocabatur, in qua Deorum Dearumq; habitu dis cubuisse convivas, & ipsum pro Apolline ornatum fuisse dicunt.* Hic longè aliud docet Historicus, quàm vult Baronius. Etenim dicit pro fabula habitam fuisse illam cœnam; ideo non potuit ex publico quodam instituto dici introducta. Deinde quod convivas voluerit in Deorum Dearumque habitu discumbere Augustus, narrat saltem *Suetonius*; sed dicit illud in fabulis fuisse. Itaque de certitudine veritatis tempore Augusti fuit dubitatum. An verò id ideo fecisse dicatur Augustus,

 quod

quod credi voluerit Apollinis filius, qui sub forma Draconis cum ipsius matre in templo Apollinis dormiente concubuerit, uti illud refert Suetonius in *Augusti* vita *c. 94. p. 87.* pro certo tradi non potest. Interea quicquid ea de re in Annalibus expositum est, illud majorem fidem mereri nequit, quàm prout testimonio publico firmatur. Illud de Oraculo Augusto consulenti dato nemo ex antiquorum Historicorum ordine recenset, quantumvis quidam inter illos vitam Augusti descripserint accuratè: quæ verò *Suidas* aut *Nicephorus* ea de re tradiderunt, illa non sunt fide digna, tot antiquis Historicis tantam rem silentio prætereuntibus. De Nerone refert *Dion* quod inter alia scelera, quibus nominis immortalitatem sibi conciliavit, & Delphicum oraculum solverit, postquam ad illum hiatum, unde sacer spiritus ascendebat, homines mactavit. *Cœlius Rhodigin. l. 8. c. 16. p. 431. Lection. antiqu.* Inde non nemo inter causas, quare Oracula defecerint, ponit & hanc, quando in loco sacro, in quo Deus hominibus responsa dat, aliquid nefarij committitur, sicuti fecit *Nero, quando is homines jugulavit ad specum, unde descenditur ad tripodem*, quod tum oracula cessent. Factum Neronis ob autoritatem Historici non impugno: Dio siquidem scriptor fide dignus est; sed quod scelerum commissio in loco sacro sit vera causa deficientis Oraculi, illud non usquequaque comprehendere possum. Etenim quoties ipse Apollo jussit homines immolare, uti multis exemplis supra *c. 18.* ostendi, nunc verò illi sunt mactati in ipsis aris templorum. Et ne quis opponat, tale quid non fuisse nefas aut delictum, quô potuerit templum defœdari, cùm Deus ipse ejusmodi homines in sacrificium destinarit, ut proinde sacrificium istud res fuerit sacra: tum dico illud jussum fuisse simpliciter injustum, & horrendum crimen homicidij, quo gentiles se contaminarunt: quandoquidem verus Deus non expetivit sacrificia humana, nec legimus tale quid unquam eum præcipisse, si unicum saltem casum exceperis de mandato Abrahæ ad sacrificandum filium suum Isaacum accepto. Quod tamen præceptum executioni datum non est, & longe alium ob finem illud fieri debuit, quàm ut Deus tali humano sacrificio placari posset aut vellet. Ideo, ut revertar ad propositum, occisio hominum vera non fuit causa sublati Delphici Oraculi. Neque fortean considerationem meretur, quòd Nero istud homicidium perfecerit ad hiatum, unde sacer spiritus ascendere solitus fuerit, atque

ita in-

sta in loco illo cruore humano impiè polluto Deus aut divinus spiritus commorari diutius vel etiam responsa suppeditare amplius noluerit. Et quantumvis in Delphico Oraculo hoc posset admitti; attamen dubitatur, quænam sit causa, quare reliqua oracula cessaverint, ubi simile quippiam perpetratum non fuit. Illud fortean speciem quandam veritatis videtur habere, quod de hoc facto notat *Iacobus Mycerius in spicileg. ad Plaut. p. 513.* quasi Deus fuerit iratus, *quòd in locum, ubi spiritus iste fatidicus erumpere solitus fuit, humanus sanguis fluxerit, atque ita turbatô sanctitatis munere, & divina virtus repressa vel cohibita fuerit, saltem ut dicis causa & pretextu quodam Apollo nunc quidem damnata sua responsa amplius ob aliam causam non posset proferre.* Verùm si fides habenda est *Suidæ* dicenti, tempore Augusti inclytum illud Delphicum Oraculum cessasse, adeoque non potuisse amplius responsa dare: sed Augustum jussum fuisse ab aris istius Numinis discedere, tum causa disturbandi hoc Oraculum non potest Neroni tribui. Quod ubi animadvertit *Ludovicus Goremius l. 5. c. 16. p. 359. Critic. Observat.* ille locum *Dionis* aliter interpretatur, non quod Nero Oraculum Delphicum sustulerit, aut in causa fuerit ob interfectos homines, ut illud in respondendo defecerit: sed quòd ipse Oraculum istud solverit, id est, fecerit, ut iterum responderet: Exemplo Appij, qui itidem silentium Oraculi perrupit, ut, cum hactenus non dedisset responsa, iterum respondere inciperet: uti constat *è pag. 197. hujus libri.* sic dicitur Nero mactatis hominibus tanquam gratis Numini sacrificijs voluisse Oraculum permovere ad respondendum, ita ut cùm tamdiu siluisset, iterum consulentibus responderet. Dubio procul edoctus fuit Nero, Apollinem, qui sæpius jusserit humano sanguine placari Deos, itidem sacrificijs hominum posse eò perduci, ut intermissa responsa repeteret, & veterem illam consuetudinem resuscitaret. Quantumvis hæc interpretatio tollat dissidium inter Dionem & Suidam ratione temporis; nescio tamen an isti expositioni tutò habenda sit fides, quòd nihil certi constet de tali factò ex historia antiqua, & credibile non sit, Oracula post natum Servatorem fuisse restaurata. Interea missis hisce, videndum quid Plutarchus de Defectu Oraculorum doceat. Is conscripsit duos libros, quorum *Primus* agit de eo, quare Pythia non amplius Oracula reddat compositis carminibus, sed solutâ oratione interregantibus respondeat. Olim enim vates seu sacerdos

Delphici Oraculi versibus & quidem potissimum hexametris Oracula proferre solebat: postea verò istam consuetudinem deposuit, & sermone non ligatô respondit. Propterea tamen non contemnenda sunt Oracula, nam & *Philosophiam non ideo pro deplorata habemus aut corrupta, quia antiquitus carmine suas sententias Philosophi proferebant, ut Orpheus, Hesiodus, Parmenides, Xenophanes, Empedocles, Thales, postea verò desierunt versibus uti. Neque Astrologiam contemtiorem reddiderunt, Aristarchus, Timocharis, Aristyllus, Hipparchus solutâ oratione eam describentes: cum de ea ante carmine scripsissent Eudoxus, Hesiodus, Thales. Si quidem is autor verè est ejus, quæ ipsi inscribitur astrologia.* Ubi insignem sententiam addit *Plutarch. p. 403.* ὐδὲν γὰρ δεινὸν, ὐδὲ ἄτοπον αἰτίας ζητεῖν τῶν τοιούτων μεταβολῶν. ἀναιρεῖν δὲ τὰς τέχνας καὶ τὰς δυνάμεις ἄν τι κινηθῇ καὶ παραλλάξῃ τῶν κατὰ ταύτας, ὐ δίκαιον. id est, *Non est iniquum aut absurdum, causas quærere hujusmodi mutationum: injustum verò est artes ipsas & facultates abolere, si quid in iis mutatum sit.* Causæ autem, quare desierint Oracula carminibus componi, recensentur à Plutarcho. 1. *Quod Deus utatur Pythia tanquam instrumento quodam ad fatidica illa responsa proferenda.* Nam non oportet hoc credere, ac si Deus ipse olim fata composuerit carminibus, & nunc unicè Pythiæ subjiciat Oracula, tanquam per larvam ipse loquatur. Sicuti igitur Sol utitur Luna, quæ ab eo etiam splendorem & lumen accipit: ita Deus & Pythia utitur ad visum & auditum. Interea relinquit instrumentum illud uti est, tantùm illud accommodat ad suum usum: Iam Pythia quidem hæc est ingenua, quæ honestè vitam exegit, sed educata in domo pauperum rusticorum nihil ab arte vel alia experientia aut facultate secum ferens in Oraculum descendit. Quoniam verò non didicit carmina pangere Pythia, etiam ab ea desiderari non potest, ut carmine adhibitô mentem Numinis declaret consulentibus. Quod enim quis non habet, illud ab eo deposci nequit. *Sicuti ergò quando Deus utitur corvis, ut illarum avium voce aliquid significet, nos non postulamus, ut, quia Dei sunt nuncij, omnia diserto enarrent sermone: ita nec à Pythia exigere possumus, ut vocem & loquelam tanquam è scena non inconditam, non simplicem, sed cum numero, fastu, figmentis, nominum translationibus & tibia cantu nobis offerat.* Præterea (2) *Antiquum tempus temperiem corporum & naturas ad Poësin protulit procliviores,* quibus statim studium quoddam accidit, & alacritas apparatusque animi, & promtitudo gignitur, quæ levi

levi extrinsecus principio & exhortatione facultatis imaginantis opus habet, qua statim trahantur ad carmen pangendum, non modò, ut *Plutarchus* inquit, astrologi & Philosophi; *sed etiam in vino copiosiore, & animi affectionibus gravioribus, miseratione aliqua aut gaudio oborto dilabuntur ad suaviter sonantem vocem, amatoriisq; carminibus & cantilenis libri & convivia sunt repleta.* Cum itaque varient naturæ hominum ratione temporum & temperamenti naturalis, inde tanta inclinatio in illis non reperitur amplius ad studium Poeseos excolendum, quare etiam mirum non est, si Delphici sacerdotes ob inscitiam artis Poeticæ Oracula non proferant versibus (3) *Providentia divina circa responsa Oraculorum mutatio facta est in melius.* Etenim usus sermonis similis est mutationi nummorum, quorum utrumque aliud alio eoque diverso tempore valet, & tum probatur, cum notum est & usitatum. At fuit tempus quo homines uterentur metris, carminibus, & cantilenis, nec non omnem historiam, omnem Philosophiam omnes deniq; eventus & res, quæ graviorem requirebant orationem, ad Poeticam & Musicam applicarent. *Nunc vero tantum vix pauci intelligunt.* sunt verba *Plutarchi p. 406. quæ tunc omnes percipiebant, gaudebantque, ea cum cantarentur, opiliones, aratores & aucupes, ut Pindarus ait: sed ob illius ætatis ad Poesin facilitatem plerique lyrâ & carmine castigabant aliorum mores, liberè loquebantur, hortabantur, fabulis & proverbiis utebantur; quin & laudes deorum, vota, pæanes versibus & carmini includebant, alij ob vim ingenij, alij propter consuetudinem. Itaque vaticinationi etiam Deus elegantiam & ornatum non invidit, neque Musas in honore alibi habitas hinc à suo tripode abegit: sed adduxit potius poeticas amplexus indoles, atque ipse subiiciens & excitans alacrem facundiam ut concinnam, & quæ in admiratione esset. Sed postquam vita una cum eventis & ingeniis facta mutatione, usu supervacaneis resectis, aureis sese cincinnis exuit mollibus Xystidibus, Comam quoq; luxuriantem detondit, ac cothurnũ deposuit, iamq; homines frugalitate adversus luxum certare haud ineptè adsueverunt, plusque ornatus in simplici cultu ac tenui, quàm supervacaneo & protervo ponere, ibi tum orationis etiam simul mutato habitu, historia à carmine tanquam vehiculo descendit & maximè pedestri sermone verum à fabulis secrevit. Philosophia quoque perspicuitatem & docendi vim iis quæ terrerent animos antiquiora ducens soluto sermone disputationes suas instituit, & Pythiam Apollo desinere iussit morem suum, cives Delphicos igni cremorum Spartanos*

angui-

anguivorum Oreanorum vires, orempetarum fluvios nomine notantem, oraculisque detrahens carmina obscuras voces, ambages, perplexitatem, ita eam jussit consulentibus responsa dare, ut leges cum civitatibus, Reges cum populis, magistri cum discipulis loquuntur, ad evidentiam & probabilitatem ea accommodans. Probe enim tenendum est Deum (ut ait Sophocles).

Sapientibus per ambages fata eloqui
Fatuis magistrum prorsus esse inutilem.

illatâ oraculis perspicuitate, fides etiam sic mutavit cum aliis rebus, ut cùm antiquitus quod insolens rarumq; esset, planeq; obscuritate & circuitionibus obductum, plerique sub opinione divinitatis alicuius pavidi venerarentur: postea apertè omnia & facilè, ac sine fastu & figmentis discere cupientes, poesin quæ oracula velabat incusaverint non tantum quia adversaretur intelligentiæ in vero percipiendo, obscuritatem & umbram dictis admiscens: sed quod jam translationes & ænigmata atque ambiguitates, divinationes quasi quosdam fucos, & effugium quibus ea se tueretur, siquid secus evenisset, suspecta haberent. Non contentus hac ratione Plutarchus & aliam adjecit. 4. quod Poëseos studium omni laude aliàs dignum contemtui ferè fuerit expositum ob circumforaneos & circulatores quosdam, quorum alij ex tempore, alij sorte quadam è quibusdam libellis Oracula dabant servis & mulierculis, quas maximè numeri, & nomina poetica commovere solent. Cùm itaque ars poetica se velut communem præberet impostoribus, præstigiatoribus ac falsis vatibus, inde à tripode & veritate rejecta apud sacerdotem Delphicā non amplius est in usu. Ulterius 5. cùm olim de rebus difficillimis Oracula consulerentur à civitatib⁹ admodum potentibus, Regibus & Tyrannis nihil moderatum cogitantibus, non erat ex usu ut Oraculorum procuratores multa illis responderent, quæ illorum voluntatibus essent adversa. Nam quod *Euripides* quasi pro Lege dicit: *ac si Apollo solus fata hominibus canere debeat*, in eo Deus *Tragico* quamvis *Philosopho* non obtemperat. Itaque curat ne veritas quidem opprimatur, ejus tamen explicatio verborum involucris obtecta sit tanquam splendor variè reflexus, & in multas partes diffusus, quo istius (*scilicet veritatis*) duricies ac rigor auferatur. Et licèt sententia fuerit ob verborum ambiguitatem obscura; vera tamen fuit, ita, ut consulentes non fefellerit, modò ipsi animum attenderint, & in verum sermonis sensum accuratè inquisiverint,

rint. Proinde stultitiæ crimen vix evitabit, qui id velit culpare, quòd Deus, mutatis illis metricis responsis alio modo hominum desiderijs voluerit consulere. Nam cùm de arduis negotijs peteretur ab Oraculo consilium, non fuit ex usu, apertè respondere, ne Dei voluntas ab omnibus intelligeretur, & multa mala inde provenirent, ubi verò propter firmam pacem, finem bellorum & errorum, dum nulla mala Græciæ pertimescenda, nullæ seditiones & tyrannides metuendæ sunt, nihil est varium, arduum aut arcanum; sed de rebus saltem vulgaribus tanquam in Schola Oraculo proponuntur quæstiones, ibi carmina adhibere, & verborum ambages fingere, Sophistæ esset satis ambitiosi, qui Oraculo fucum obduceret gloriæ captandæ causa. Hinc Pythia, quando ad cortinam descendit, & cum Deo est, non quærit hominum vel laudes vel vituperationes, sed veritatem divinam sibi patefactam illis exponit. Quapropter ejus sermo absque ullo flexu, circuitu, ambiguitate, fraude ad veritatem est directa, & simplici via proficiscitur; quanquam circa fidem suorum dictorum non possit evitare reprehensionem; attamen falsi à nemine in hunc usque diem est convicta, sed ipsa donarijs barbaricis pariter & Græcanicis Oraculum opplevit. *Secundus liber* agit de Oraculorum defectu, qui simul ostendere debet causas propter quas Oracula desierunt loqui Ubi *pag. 411.* dicit: *Antiqua fama multum divinitatis tribuit Oraculis, sed nunc videntur emarcescere.* Et Demetrius introducitur loquens, his verbis: *videmus Oracula, quæ in his sunt locis, obsolevisse, atque adeò duobus aut tribus exceptis omnia defecisse. Sane Bœotiam, quæ superioribus ob Oraculorum multitudinem* VOCALIS *admodum fuit, nunc prorsus destituerunt oracula tanquam amnes siccati, ingensq; divinationis quasi æstu quodam abolitæ penuria regionem occupavit. Neq; enim alibi hodie, quàm apud Lebadiam haustum vaticinationis præbet desiderantibus responsa, reliqua Oracula partim silent, partim vasta prorsus defectaq; tacent.* In inquirendis causis, quare defecerint Oracula, hoc pro certo ponit *Cleombrotus*: *Nullum Oraculum, nullum vaticinium aboleri à Deo posse, eumque nec conditorem, & eversorem Oraculorum esse.* Geminam autem de Oraculorum defectu sententiam *Plutarchus* fovere videtur: (1) *Quod Genij tanquam Oraculorum præsides recedant* Putat enim Cleombrotus, qui loquens introducitur à Plutarcho; *Oraculis præesse non Deos, qui nihil cum terrestribus habeant negotii, sed Genios Deorum administros.*

Quod ab eodem Plutarcho itidem refertur in lib. *de Facie in Orbe Lunæ pag. 944.* Locum supra *c. 6.* attuli. Quamdiu itaque Genij sunt præsto, tamdiu Oracula durant: illis autem cessantibus vel abeuntibus, etiam & Oracula desinunt, & vim suam amittunt. Verùm si affirmatur: *Oracula relinquentibus & deserentibus Geniis tanquam instrumenta artificum iacere otiosa, & muta, tum hoc prius expediendum est, qua facultate usi Genij vates seu Oraculorum sacerdotes aut interpretes utriusq; sexus furore & imaginatione rerum futurarum impleverint. Nam causa silentij Oraculorum discessui Geniorum adscribi non potest, nisi persuasum nobis sit, quomodo Genij præsentes oracula reddant vocalia & operosa.* Ubi disputatur variè, quòd ex *Hesiodi* sententia Genij sint animæ separatæ à corpore in aëre circumvolitantes: quæ ubi in alias animas incidunt illis futurorum imagines ingenerare possunt, & dum ita cum sacerdotis Oracula interpretantis anima conjunguntur, futurorum notitiam, & ita vaticinandi solertiam eidem communicat. Et licèt dubitare quis possit, si animæ à corpore sejunctæ istæc facultas competat, ut ipsa genij munere nunc quidem defungens & præscire & prædicere futura possint, quare animæ adhuc corpori permixtæ illa vis denegetur: tum respondetur apud *Plutarchum*, animæ per abitum à corpore non agnosci ullam facultatem, quam antea non habuerit; causam autem, quare illa facultate uti non potuerit, eam esse, quod propter conjunctionem cum corpore eam habuerit deteriorem, & ob terrestris materiæ pravitatem velut obscuratam, occultatam, languidam & infirmam, veluti si quis per caliginem videat: sicuti *Sol non tum fit splendidus, cum nubes effugit, sed cum semper talis sit, in nebula nobis obscurus videtur ac vix apparet: pari modo anima egrediendo è corpore tanquam nube non adipiscitur vim divinandi, sed eâ iam tum præditus occæcatur seu velatur & latet ob permixtionem cum natura mortali.* Interea rerum præteritarum circumfert memoriam, & quæ facta sunt, retinet; & ita similia in futuris perspicere potest: tum enim mens liberata à præsentibus imaginandi vim futuris intendit. Quævis est intelligens, quæ rationem præcedentem, ac judicio probabili ducentem sequitur. Tandem *pag. 432.* describitur *vis divinandi tanquam tabula scriptura expers, ratione carens, & infinita ex sese, capax tamen ortarum à visis affectionum & præsensionum absque ulla ratiocinatione futurum attingit, maximè*

ubi à

ubi è præsenti exiit statu. Totus discursus in id resolvitur, quòd Genij tanquam animæ à corpore & natura mortali separatæ, si in animas Sacerdotum incidant, illis futurarum notitiam inspirent, adeoque vim divinandi seu vaticinandi communicent. Quando verò animæ istæ munus Geniorum sustinentes desinunt vim istam communicare istis vatibus, sed recedunt, tum etiam Oracula cessant, & homines ab illis responsa amplius accipere non possunt. (2) Altera causa, & qua prima ratio velut sustinetur, est *defectus exhalationis seu vaporis terrestris* qui calore solis è terra eductus recipiebatur intra corpus Pythiæ, unde & ipsa velut furibunda spiritu fatidico repleta officium divinandi peregit. Quare vetus fuit opinio, ac si divinatio, quæ Dei & rationis expers non est, pro subjecto habeat mentem humanam, spiritus autem seu vapor instinctum seu afflatum divinum concitans sit instar instrumenti, quo ipsa fiat vocalis. Plane sicut quis citharam habeat fidibus juxta harmonicam proportionem rectè præparatam; tum illa nisi plectrum, quô fides tangantur ad edendum sonum, adhibeatur, carminis melodiam suâ sponte non edit: sic & animus humanus divinandi facultate licèt præditus ad reddendum Oraculum non disponitur nisi divino spiritu internum afflatum excitante afficiatur. Terra quidem producit istas exhalationes: Sed Sol terræ largitur temperiei & mutationis facultatem. *Cui temperamento tanquam præsides, Inspectores, & custodes additi sunt Genij, qui alia tempestivè suggerant, alia intendant, nimiamq́ abalienationem mentis & conturbationem restringant, spiritumq́ ita temperent, ut sine noxa ac dolore moveat correptos.* Illa tamen exhalatio non perpetuò est ejusdem modi, sed interdum intenditur; interdum quoque remittitur. Cui rei *Plutarchus* adducit testes tum multos peregrinos, tum omnes illos administros, qui quotidie istud Sacrarium obeunt. *Cella enim in qua collocantur consultores Oraculi, neque sæpe, neque statis temporibus, sed fortuitis interstitiis suavi odore impletur, ac spiritu è delubro tanquam fonte quodam oblato; qui fragrantia suavissimum quodque & pretiosissimum æquet unguentum. Expelli autem verisimile est à calore aut alia quadam innata vi.* Accedit quòd Pythia eam animi partem, quam tangit spiritus, diversis affectionibus habeat concitatam: multæ siquidem, ipsa non sentiente, vel non animadvertente, corpus ejus invadunt animoque obrepunt molestiæ & commotiones, quibus oppleta non potest, certè non tenetur

ire ad cortinam, & Deo sese utendam præbere, quia tum erit velut impurum instrumentum, quod non satis rectè adornatum, non suavem & temperatum, sed turbulentum & incompositum sonum sit redditurum. Quoties igitur facultas imaginandi & divinandi ad Spiritus tanquam cujusdam egregij medicamenti temperamentum concinnè affecta est, tum poterit vates divino instinctu moveri. Sin verò afflatus ille vel erit nullus, aut incompositus, vel intempestivus, tunc Oraculum non potest subsequi. Et hoc ita se habere *Plutarchus p. 438.* vult ostendere exemplo Pythiæ. *Cum enim quidam sciscitatum Oraculum peregre venissent, fertur ad primas libationes victima immobilis permansisse, neque passa quicquam, tandem instantibus certatim libando sacerdotibus, velut imbre rigata ac madefacta contremuisse aliquantum. Quid ergo Pythia usu venit? Descendit in opertum Oraculi invita, ut ajunt, & animo minimè alacri. Statim autem inprimis responsionibus apparuit ex asperitate vocis, eam instar navis vento impulsæ non sustinere vim spiritus, adeoq; repletam esse spiritu maligno & muto. Tandem prorsus exagitata cum terribili clamore ad exitum contendit, ibiq; sese projecit, ita ut non tantùm consultores fugerint; sed & Nicander vates, & quotquot* Hosiorum id est Sanctorum *aderant* (quo nomine vatum sodales appellantur) *Paulo post tamen ingressi sustulerunt mente captam, ac supervixit paucos dies. Eam ob rem Pythia necesse est ut corpus & à viris intactum & ab omni alieno commercio purum conservet: hinc signa ante Oraculum exigunt vates existimantes Deo notum esse, quando ea commodè affecta atq; temperata sustinere impetum divinum possit.* Addit & illud, quòd Spiritus iste non omnes, neque semper, neque eodem modo afficiat, sed instar fomitis initium præbeat illis, qui ita comparati sunt, ut commodè affici & mutari queant. Porro etiam docet, illam vim Spiritus & vaticinandi esse quidem divinam; sed non perpetuam aut æternam, quæ finem nunquam habere possit; verùm, quæ licèt per longissimum tempus duret, tandem tamen senectute velut languescat, & planè deficiat. Ubi igitur vis illa Spiritus deficit, ibi Oracula intereunt. Sicuti Plutarchus hucusque de Oraculorum defectu voluit differere.

CAPVT

CAPVT XXVI.

De
Vera causa defectus Oraculorum.

Missis Plutarchi rationibus utpote absurdis, & effictis, rectè judicat *Delrio lib. 4. c. 2. qu. 6 p. 535. Disquis. Magic.* Quod prisca cessaverint Oracula, non *tàm tribuendum vapori seu exhalationi illi deficienti, quàm virtuti Salvatoris nostri Iesu: qui superveniens fortior fortis armato hæc deceptionis vasa extorsit.* Idem tradit *Simon Maiolus par. 2. Dier. Canicul. p. 363.* quando ita loquitur: *Tandem verò nato Christo æterni Dei Filio conticuerunt Dæmones, desertisque nequitiæ suæ latebris cessarunt, non sponte, sed coacti horribili metu omnipotentiæ Christi, & æternæ condemnationis Sui, quam instare jam atque imminere cernebant.* Non igitur humanæ industriæ defectu aut negligentiâ Oracula desierunt, sed Unigeniti Filij Dei in terram adventus unica causa fuit, quô dispulsâ tenebrarum potestate, viribus, quibus humanum genus fallere solebant Dæmones, ademtis, æterna mundo veritas illuxit. *Kircherus Tom. 2. part. alt. classe. 11. qu. 3 p. 443. Oedipi Ægypt.* Venit enim Christus in hunc mundum, ut opera Diaboli destrueret, quod etiam factum inter alia quoque est in disperditis Oraculis, quæ nullam aliam ob causam obmutuerunt, quàm quòd Servator hominum vim & potestatem Dæmonum impediverit. Eleganter illud describit *Prudentius in Apotheosi. v. 503. & seqq. p. 177.*

Ex quo mortalem præstrinxit Spiritus alvum
Spiritus ille Dei, Deus; & se corpore matris
Induit, atque hominem de virginitate creavit,
Delfica damnatis tacuerunt Sortibus antra
Non tripodas cortina tegit, non spumat anhelus
Fata Sibyllinis fanaticus edita libris.
Perdidit insanos mendax Dodona vapores
Mortua jam mutæ lugent Oracula Cumæ
Nec responsa refert Libycis in Syrtibus Hammon.
Ipsa suis Christum Capitolia Romula merent
Principibus lucere Deum, destructaq; templa
Imperio cecidisse Ducum. —

Qui igitur in historias veterum excurrunt, deprehendunt utique, paulò ante natum Christum Oracula cœpisse quodammodo obmutescere: Post Christum natum verò magis atque magis cœperunt tacere, ut sanè nulla alia causa statui possit tanti silentij, quàm vis & potentia Christi Dæmonum potestatem superantis, eamque penitus confringentis. Hinc paulatim ubique cessarunt Oracula, vel enthusiasmo debili & frigido correpti Prophetæ, Sacerdotes, & Phœbades carmine verba Dæmonum exprimere desierunt, postea raro responsa dederunt; quandoque etiam fassi sunt se ignorare, quæ interrogarentur. *Cœlius Calcagninus* adducit hunc versum Apollinis sæpe repetitum

Quid frustra petitis? non nostrum est scire futura.

Eusebius lib. 6. c. 4. de Præpar. Evangel. adducit è Porphyrio aliquot versus, quibus Delphicum Idolum apertè confessum est, se non posse futura prædicere, impeditum motu & positione siderum, ita ut nesciret verum distinguere à falso. Sic nulla alia ratione Oraculum in urbe Daphne celebre conticuit, quàm ob Christi autoritatem, & veram religionem, quâ vana, putida, & mendacijs nec non abominandis superstitionibus referta Paganorum religio damnata fuit. *Etenim cùm Imperator Iulianus in animum induxisset derebus, de quibus ei libitum erat, Oraculum quod in eo loco celebre fuit, tentare, accedens ad delubrum, Dæmonium monimentis & victimis honorat, oratq; ut res, quas moliebatur, non negligeret. Dæmonium igitur etsi non plane & apertis verbis ita significabat, se nimirum propter Babylam martyrem cujus bustum vicinum erat, Oracula dare non potuisse; tamen refert, locum esse refertum cadaveribus mortuorum, idq; obstare, quo minus oracula ederet.* Quo audito Imperator licèt multa cadavera essent in Daphne condita: tamen, quoniam conjiciebat Martyrem solum esse Oraculis impedimento, dat mandatum, ut bustum martyris inde in alium locum transferretur. *Sozomen. l. 5. c. 18. p. 483. Histor. Ecclesiast.* Sed ossibus illis translatis, templum Apollinis fulmine cœlitus tactum & incensum est; statuaque Dei lignea & auro tecta in cineres redacta est. Vide *Boissardum p. 123. de Divinat.* Iulianus quoque non potest satis mirari causam, quare Oracula desierint loqui. Inde ipse putat, silentium illis contigisse ob rerum & temporum mutationem: an verò Deum consenuisse; vel vim vaticinandi debilitatam fuisse, vel planè exaruisse existimet, non addit. Illud tamen velut in sinu gaudens Christianis Oraculorum

culorum defectum urgentibus reponit, quòd & Spiritus Propheticus desierit in gente sacra, nec ipsi Christiani sacris amplius oraculis instructi sint. Verùm impius apostata, turpiter judicat de suis fallacibus Oraculis, quæ non ob temporum mutationes, & rerum vicissitudines obmutuerunt, cum vel ex ipsa Gentilium Theologia absurdum sit, Deum, & qui pro Deo habetur & adoratur, posse veterascere, & deficere. Nam talia ipsam divinitatis rationem destruunt. Quod autem prophetiæ ac futurorum prædictiones in populo Dei amplius non reperiantur, illud exponit dilucidè *Cyrillus Alexandrinus, Tom. VI. lib. 6. cont. Iulian. pag. 198. & 199.* Cujus verba quantumvis pluscula hic apponam. *Causam ignoravit Iulianus, cur cessarit mendacium, & genuina, ut ipse ait, Oracula siluerint. Postquam enim mundo illuxit Christus, concussa est omnis illa Dæmoniorum Tyrannis & velut scena quædam puerilibus crepundiis scatens soluta fracta est, ac impurissimi execrandiq; Dæmones inferorum portis coerciti fuerunt, licèt olim terram, quæ sub sole est, pervagati. Verum quo pacto nativa Oracula temporum conversionibus obnoxia siluisse dicit? Nam si quis omnino verè Deus majoribus nostris futura præmonstrare susceperit,* quomodo *sic temporibus cedit, ut angustior ejus cognitio sit, quam antea? At quomodo æternos illos Iulianus asserit, quum & tempore inferiores sint, & tantum non veterascant, ita ut à nostra conditione parum discrepent? Quoniam igitur Oracula siluerunt, ac fortè consenescens Pythius delirat, nec amplius versutiarum modos novit, quibus fraudes nectat, dedit nobis Iupiter sanctarum artium cognitionem & auxilium. Quid agis Iuliane? Sacras & sanctas artes appellas execranda vaticinia, & Majorum præstigias? Et decere mortales, ut eas perficere norint. Has in subsidium datas esse hominibus ais, & tanquam à Iove profectum utilissimum auxilium! Rectè quidem amice: Oportebat enim Tuum Regem & parentem tam turpiter esse liberalem, ut ea dare videretur, quæ à constitutis Legibus discrepant, quæ si quis exercuerit, aut si fortè patrantibus aliis duntaxat ignoverit, extremo supplicio dignus sit. Quod autem ait apud Hebræos Propheticum Spiritum defecisse, respondemus, Christum finem Legis ac Prophetarum fuisse. Omnes enim quotquot fuerint sancti, & rerum futurarum præscii, immissa à Deo per Spiritum S. cognitione, Christi mysterium proclamarunt. Posteaquam autem advenit ipse, ac mortalibus apparuit, cessavit quidem Prophetiæ veteris gratia, Deus autem nunc sanctis pro sua voluntate inspirat futura, & in sanctis animabus habitat.*

Quam-

Quamobrem ne dicat Spiritum defecisse, sed nos in novitatem gratia translatos. Hæc Cyrillus. Præterea multorum populorum vaticinia & Oracula improborum Dæmonum propria fuisse, quæ tamen omnia post Evangelicam Servatoris nostri doctrinam sublata defecerunt, ceu id pluribus persequitur *Eusebius libr. 5. c. 1. p. 778. & sequ. de Præparat. Evangel.* qui quàm egregiè ille se hoc in genere præstiterit, sequens dissertatio aperiet.

Audi ergo deinceps, quemadmodum Scriptores ipsi Græci Oracula sua ex omni memoriâ tum denique primum defecisse fateantur, cum salutaris hæc & Evangelica Unius Dei ac Servatoris nostri Doctrina, ac summi Numinis ejusdemque rerum universarum Domini pariter ac molitoris cognitio hominum animis cæpit solis instar illucescere Et quidem statim post ejus adventum & Dæmonum interitus celebratos esse, & egregia illa tótque pridem iactata sæculis oracula conticuisse, jam iam ostendemus. Sed quoniam demonstratum jam à nobis est, post Evangelicæ Doctrinæ propagationem, tum demum nefariam illam, & omni crudelitate teterrimam, quæ apud omnes olim populos gentesque regnabat immolandorum hominum consuetudinem penitus abrogatam esse; abs re non fuerit quemadmodum ab illo tempore, non diabolicæ modò superstitionis ritus, sed etiam distracti quondam ac multiplices Gentium Principatus extincti sublatique sint hoc loco subjungere. Nam in oppidis antea pagisque fere singulis, Tyranni, Toparchæ, ac Dynastæ 181. adeoque Gentium varij ac distincti Dominatus vulgo cernebantur, quorum ambitione cum homines mutuis sese bellis perpetuisque vexarent, tum regiones etiam urbesque diriperent, atque assiduè vicinos circum populos in servitutem abducerent, familiarium utique & intestinorum Dæmonum stimulis in ejusmodi pugnas & dimicationes concitati. Quæ cum ita se haberent, cujusmodi tandem malorum & confertarum calamitatum perturbatione hominum vita iactaretur, æstimandum tibi ac statuendum relinquo. *Eadem verò, cùm post nostri demum Servatoris adventum uno velut agmine profligata fuerint, quis non jure magnum hoc vere salutaris, & Evangelica demonstrationis suspiciat, mysterium per quam & tantam orbe passim universo per urbes, atque pagos, imò Barbarorum etiam ac Gentium solitudines oratoriorum ac Templorum præpotenti rerum omnium jam omnium cum admiratione regi, Architecto soliq; Deo dicatorum*

multitudinem videamus: & Librorum, Lectionum, doctrinarum, quibus perfectæ cumulatæq; virtutis, morumq; ac veram pietatem ac religionem conformandorum accommodata non modò viris; sed etiam mulieribus ac pueris præcepta tradantur infinitam omnis generis copiam habeamus? Adde *emortua penitus Dæmonum oracula & vaticina conticuisse: Adde ex quo divina hæc & Evangelica Assertoris nostri virtus radiis suis hominum genus omne Lucis instar illustravit, eo iam usque amplius furere neminem, ut carissimi cujusque sanguine, hominùmque iugulatorum sacrificiis illos cædis & cruoris avidos, & infestissimos humano generi Dæmones placare conetur; qui tamen ritus omnium olim sapientium atque Regum, quos Dæmonis utique furor agebat, animos occuparat. Et verò pessimorum Dæmonum ex quo hominum societatem Servator noster inierit, vim ac potestatem amplius nullam esse, vel ipsemet Prophyrius, magnus ætatis nostræ Dæmonum patronus, in eo quod adversus nos conscripsit volumine, his verbis testatum reliquit.* Et nunc mirum, inquit, ulli videatur, civitatem hoc morbo tot iam annos conflictari, cum Æsculapius cæterique Dij hominum sese consuetudini consortioque subduxerint: *Ex quo enim Iesus coli cœptus est, communem ac publicam Deorum opem nemo sensit.* Hæc ille verbis totidem. Si ergo vel istius confessione nihil, ex quo Iesum colere cæperunt communis ac publicæ Deorum opis quisquam expertus est, Æsculapio simul ac reliquâ numinum turbâ ex hominum societate summotâ: unde tandem vana de illis tanquam de Dijs aut Heroibus subrepsit opinio? Quidni enim potius Æsculapij cæterorumque vis Deorum, Iesu potestatem ac numen evertit? Enimverò, si homo ille tantùm est, ut ipsi garriunt, morti obnoxius; (impostorem fortè ac circulatorem etiam addiderint) Hi contra Servatores ac Dij? qui fieri potuit, ut fugam simul omnes cum Æsculapio capesserent, mortalique homini, quique nullus, ut blaterant omninò, iam sit, non terga darent ipsi modò, sed etiam humanum genus quasi vinctum deinceps constrictúmque traderent universum? At verò Jesus ille noster, hoc ipso sanè, quod etiam post obitum inter omnes populos nominis sui cultum quotidie propagare pergit, clarissimum vereque divinum ijs, qui modò intueri possunt, vitæ post mortem suæ objicit argumentum; Ille igitur, unus ipse cùm sit, atque ut suspicari quis fortè queat, planè solus immensam illam tot Deorum toto quondam orbe dominantium multitudinem externat, eaque potestate ipsorum

honorem & cultum contemtui ludibrioque ubiicit, ut nec ulli amplius Dij sint, nec virium quicquam habeant, nec uspiam vel leviter appareant, nec in civitatum conventus, ut olim, sese amplius inferant, utpote qui non Dij, sed mali Dæmones essent: Contra verò Christi unius duntaxat, ejusque a quo missus est Dei rerum omnium præpotentis veneratio magis indies ac magis augeatur, nováque cum accessione dignitatis radices in populorum omnium mentibus agat altiores: Oportebat utique Deos illos potius, si qui rerum humanarum verè curam haberent, nascentem illius errorem, si quis existebat, funditus extirpare, opis verò auxiliique sui liberalem ac prolixam omnibus copiam facere. Atqui id conati quidem sæpissimè illi sunt, cum varios varijs temporibus Imperatores ad Servatoris nostri doctrinam viribus omnibus oppugnandam inflammarent. Sed inani planè irritóque conatu, quòd divinum illud Assertoris nostri Numen illustrem semper ex omnibus victoriam reportarit, cunctosque pessimorum Dæmonum adversus doctrinam suam impetus dissiparit, imò Dæmones etiam ipsos, qui verè improbi Dæmones cum essent, falsò tamen pro Dijs bonisque Dæmonibus habebantur, expulerit. Hæc Eusebius. Illud tamen fidem apud doctos vix impetrabit, quòd nonnulli referunt, ac si Apollo ipse causam exposuerit Augusto, quare in posterum respondere non posset, quam narrationem *supra c. 25. p. 203.* attigi, licèt illam strenuè defendat *Baronius*, qui tamen impugnatur à *Casaubono p. 83. Exercit. 1. contra Baron.* Præter Casaubonum reperiuntur & alij, qui istam historiam vel fabulam exinde impugnant, quòd Diabolus nondum tempore Nativitatis Servatoris sciverit, an iste verus esset Messias, Dei filius, qui juxta Prophetarum vaticinia è femina debuerit nasci. Dubitasse siquidem de Persona & officio Messiæ creditur tum, quando is illum à Spiritu S. abductum in desertum varijs modis tentare, & ejus divinitatem explorare voluit. Quod si igitur certus non fuit, quinam esset Christus, & numquid filius Mariæ idem ille esset, quem tot suspirijs vetusta desiderarunt secula destructurum illicita Dæmonum opera, quomodo is potuit fateri: ab Hebræo puerulo se impediri, quominus posset consulentibus suppeditare Oracula. Deinde, cum Dæmones non ubique terrarum inveniantur, sed in certis spatijs vivant, utique Delphicus vates virium in respondendo impeditarum rationem non potuit adscribere Hebræo puerulo in terra sancta nato: quòd vel nondum de istius nativitate quicquam percepisset; aut, si fama publica de

stica de cælesti apparitione & cantu Angelico edoctus aliquid de ea intellexisset; nondum tamen judicare potuerit, illum nunc in lucem esse editum, cujus autoritate ipse obmutescere, & Augustum à sacris aris repellere deberet. Porrò Augustus Imperator, qui tum Dominus etiam Iudæorum esset factus, non destitisset inquirere in tanti pueruli originem, de quo Oraculum testaretur publicè, se istius autoritate in dicendis elogijs sacris confundi dicam vel impediri. Iam verò nullæ historiæ, nulla monumenta supersunt, in quibus vel minimum extet vestigium, quòd Augustus in Orbe Sancto inquisiverit in pueruli istius natales: aut de ijs quicquam expertus fuerit; nedum Christum pro Filio Dei primogenito habuerit, inque ejus memoriam extruxerit aram in Capitolio. Historijs itaque de re tam illustri silentibus, non vero sit simile, quòd illi scriptores cum vel minima quæque de Augusto in literas retulerint, ipsi voluerint rem tam egregiam, ob quam silentium indictum esset Oraculis, prætermittere. Consideret aliquis Magorum è Persia adventum in sanctam civitatem Hierosolymorum, & examinet supinam Herodis Tetrarchæ, Scribarum & Seniorum, quinimò totius populi inscitiam, quòd omnes illi non tantum ignoraverint Messiam esse natum: sed etiam Persarum Magi jussi sint promissum illum totius orbis Redemtorem, & Iudæorum Regem in illorum terris quærere, tota interim civitate angoribus oppletâ. Quod si Herodes nihil ea de Nativitate, antequam Magi advenissent, sciverit, procul dubio Augustus nihil de ea intellexit, nec in illam inquisivit, aliàs certissimè apud Herodem cæpisset percontari, quòd omnia quæ in aliqua regione aut Principata fiant, in aulam deferri soleant. Sed nihil horum factum est, ut proinde de istius Oraculi fide non immeritò quis dubitare queat. Movet etiam & hoc nonnullos, quòd prudens Imperator non destitisset Oraculum interrogare, quinam esset iste Hebræus puer, cujus potentiam metuere teneretur, & à quo eidem præciperetur vim respondendi in posterum suspendere: Nam & alios, acceptô obscurô aut dubiô quodam responsô, Oraculum interrogasse constat, quo ipsi magis perspicuè de mente sacerdotis informarentur; qua in re ipsis quoque consultum fuit, uti quàm multa ea de re extant exempla à me in superioribus allata. Tandem Suidas, Nicephorus, & alij, qui horum fide rem istam tanquam veram recensent, nullius autoritate antiqua aut probato testimonio nituntur; sed illi sibimet ipsis

volunt credi, ad quod tamen nemo alius induci potest. Numquid tamen illi hoc commenti sint, vel ab alijs ita acceperint, vel in manuscriptis libris istud legerint, id equidem pro certo affirmare non audeo. Sufficit, è dictis constare: rem sublestæ esse fidei, quæ de hoc Oraculo narratur, ut proinde, licèt Christus sit in causa imperati Oraculis silentij, illud tamen Dæmonis testimonium effictum nullo modo ob antiquæ autoritatis defectum causæ isti opitulari queat. Interea Oraculorum defectus fuit prædictus · nam inter Sibyllinos versus extat de Oraculorum abolitione vaticinium:

Ῥώμη μὲν ῥύμη ἔσεται, καὶ Δῆλος ἄδηλος

Roma vicus erit, Delum nec noverit ipsam.

Quem versum alij planè habeat suspectum, ut & cœtera Sibyllarum carmina: alij verò illum interpretantur de totius Deli devastatione; alij saltem de Oraculorum destructione, quòd scilicet vis illorum in reddendis responsis sit defitura. Qui priorem explicationem sequuntur, solent se tueri autoritate *Herodoti*, qui *libr. 6. c. 98. p. 366.* refert, quòd sub Dario Hystaspis: & Xerxe Darij; & Artaxerxe Xerxis filio, tribus ijs deinceps ætatibus, plus malorum passa sit Græcia, quàm viginti alijs ante Darium ætatibus, partim à Persis, partim ab ipsis primoribus de Principatu contendentibus, ut non abs re Delos dici possit commota, quæ prius fuerat immobilis. De qua in Oraculo ita scriptum erat:

Κινήσω καὶ Δῆλον, ἀκίνητόν περ ἐοῦσαν

Et Delum quamvis sit adhuc immota movebo.

Huc referunt, quod tradit *Pausanias lib. 3. p. 193.* Delos, inquit, cum esset totius olim Græciæ emporium, eaque sola religione munita, contra omnes omnium injurias incolas tueretur, exortus est Menophanes quidam Mithridatis copiarum Dux, qui vel suapte insolentia, vel regis imperio impulsus (*Homini enim ad pecuniam omnia referenti, facilè divina quæstu inferiora sunt*) in insulam cum murorum, tunc armorum præsidio carentem cum classe invasit: ubi & peregrinis, qui illic tum fortè erant, civibus cæsis, negotiatorum pecuniâ direptâ, donarijs compilatis, conjugibus Deliorum & liberis sub corona venditis, ipsam etiam urbem solo æquavit. In ea populatione Barbarorum quidam effigiem Apollinis petulanter sede sua motam in mare abiecit, quæ maris æstu in illos Bœotorum fines delata, loco nomen dedit *Epidelium*

Delium quod est vicus Apollini sacer, in quo asservatur sacra istius effigies olim Deli dedicata Deo isti, ipseque Apollo dictus est *Epidelius*, quasi è Delo advectus. *Et in lib. 8. p. 266.* ait *Pausanias*: Delus commune olim Græcorum conciliabulum tantopere jam deserta est, ut præsidio templi amoto, quod Athenienses istuc mittere solent, hominibus, si Delios tantum numeres, prorsus orbata sit. *Cornelius* tamen *Ovetanus lib. 3. c. 29. p. 513. variar. Historiar.* Quando inspicio *Herodoti* locum, inquit, *de Deli illustris Apollinis hospitij tum urbe tum Oraculo ibi celeberrimo, utrique contigisse interitum antiqua commemorat historia: sed an prædictio interitus ad urbem tantùm, an verò ad Oraculi sacem ipsam sit referenda, mecum dubito. Quoniam tamen Oraculum ante urbis excidium desiit prophetare, non malè interpretabimur locum Herodoti de Oraculorum cessatione, quòd illa non diutius duraverint, quando subverterentur illorum loca.* Sed alij facilè contradicent, quibus firmiter persuasum est, etiam post Darij, Xerxis, & Artaxeris invasionem in Græciam Oracula adhuc Deli durasse: Ut proinde non malè sentiant, qui dicant, de utroque loqui Herodotum: in historijs namque proditum est, & Delum fuisse destructam, & Oraculum ibidem extinctum fuisse. Sed quod Delio Oraculo prædictum est, id alijs quoque evenit, quippe quæ & ipsa paulatim desierunt. Illud considerationem meretur: An illa statim nocte, qua Christus natus est, Oracula conticuerint? Quod quidem multis *Ovetanus l. 3. c. 29. p. 515. & 516.* tueri conatur, quem in finem multas rationes & autoritates Scriptorum adducit. Inter rationes hæc est potissima, quòd Christus ideo venerit in hunc mundum, ut opera Dæmonis dissolveret ac disturbaret: sed, licèt Servatori hic finis fuerit propositus, & revera eum assecutus sit; attamen exinde non sequitur, quod ea statim nocte, qua editus est in lucem, destruxerit Dæmonis opera, ejusque regnum disturbaverit. Autoritates quod attinet, illæ sunt parvi momenti: potissimùm sunt recentiorum scriptorum testimonia, quæ vim habent nullam, nisi quatenus antiqua nituntur fide. Etenim quæ facta sunt antiqua, eorum probatio non est petenda è recentioribus scriptoribus, utpote qui nihil de illorũ veritate scire possunt, nisi quatenus & ipsi suam assertionem in vetustis monumentis fundatam ostendunt. Deinde quædam Oracula desierunt ante Christum natum: quædam postea obmutuerunt, ut proinde verum esse nequeat, Oracula in nocte sacra, quæ Christum è Maria natum excepit,

 tantum

tantum non omnia amisisse vim suam. Illud itaque certum est, Christi divina potentia fractas esse Diaboli vires, & ita Oracula subinde desiisse loqui: at hoc non est verum, quòd in nocte illa sancta per totum orbem cessaverint: Neque ullum in medium afferri potest testimonium fide dignum, quòd vel unicum saltem Oraculum ea nocte defecisse dicat, aut excusationem silentij à Christi nativitate desumserit, si illud Augusto datum exceperis, quod tamen non est integræ fidei, uti antea expositum est, nedum, quòd omnia Oracula una vice damnatis illorum responsis conticuerint. Accedit nullum antiquũ scriptorem, ne quidem è Patribus adduci posse, qui affirmaverit, ea nocte, qua Christi nativitas contigit, Oracula munus deposuisse, illisq; silentium fuisse indictum. Quantumvis illi contra Gentilium Deos eorumq; Oracula acerrimè disputaverint, & toti orbi ostenderint, Servatoris nostri potentiâ Deastros istos factos fuisse elingves; at nemo est, qui docuerit, omnes fatidicam vim respondendi de futuris ad consulentium quæstiones una illa salutari nocte deposuisse. Neque suam opinionem *Ovetanus* tueri potest historia *Orosii*, *quando lib. 6. c. 22. p. 482.* refert: Augustum Cæsarem publico Edicto cavisse, ne ipse in posterum à quoquam vocaretur Dominus, *quòd divinaret, verum mundi Dominum esse natum. Ut ut hoc didicisse feratur è verbis Sibyllæ Tiburtinæ quæ illi ostenderit in cælo virginem luce splendidam, ulnis tenentem filiolum, qui brevi mundo nasceretur, & Dominus omnium vocaretur.* Nam quamvis *Orosius* d. l. narret, Augustum prohibuisse se nominari Dominum; tamen causa hæc non additur, ac si propterea id vetuerit, quòd natus sit Dominus & Redemtor orbis: Sed hoc addit Orosius de suo, verba ita se habent: *Eodem tempore hic, ad quem omnium rerum summa concesserat Dominum se hominum appellari non passus est, imò non ausus est, quô verus Dominus totius generis humani inter homines natus est.* Sed quod de Sibylla Tiburtina affert, ac si illa ipsi ostenderit virginem filiolum ulnis complectentem, eoque signo ipse fuerit edoctus istum puerulum fore unicum humani generis Dominum, quapropter ipse cogeretur titulum Domini evitare, illud destituitur fide certa, ob defectum testimonij antiqui. Equidem *Boissardus in suo de Divination. libro. p. 278. & 279.* refert illam historiam, sed unde illam acceperit, non meminit. In gratiam curiosi Lectoris verba Boissardi adscribã, quæ ita se habent: *Tradunt Augustum Cæsarem cùm ad summum pervenisset imperium, videreturq; totum orbem*

bem terrarum sub sua continere potestate, legissetq́; Sibyllinos versus, qui dicerent eo tempore venturum summum Regem, ac rerum Dominum, qui mundi futurus esset Princeps: Prophetiam hanc de se latam arbitratum esse: dumq́; ideo intumesceret, & ab adulatoribus, qui semper frequentes fuêre in aulis Regum, incitaretur, ut se Dominum compellari sineret, divinisque honoribus coli: anxius ferebatur, dubius, quid esset facturus: Nam eo tempore Regis nomen odiosum erat, Domini verò nimis ambitiosum. Suasu igitur suorum Tiburtinæ Sibyllæ oraculum petivit, quæ in adyto templi Palatini (nunc Aracæli vocatur) evocata, aut potius Dæmon sub ejus forma, comparuit: Imperatoremq́; in cælum oculos attollere jussit: ubi illi ostendit virginem forma singulari, & divinâ facie micantem, quæ ulnis continebat Filium radiis lucis coruscantem: qui in globo Lunæ cum matre diva sedebat. Hunc, inquit Phœbas, verum Deum, verumq́; hominem brevi sustinebit tellus, qui mundi futurus sit Rex, & Dominus: & hic solus inter homines colendus est, & adorandus. His Sibyllæ verbis motus est Augustus neque in posterum expetivit titulum, qui homini non poterat competere: licèt animo esset admodum elato & ambitioso: maluit tamen ab instituto desistere ultro & monitis divinis parere, quàm obstinato animo admittere titulos Deo soli convenientes. Factumque est, ut JESVS CHRISTVS, qui illi monstratus erat à Sibylla Dei Filius, verùsque Deus, & verus homo sub Augusti regno secundùm carnem natus sit ex Diva virgine Maria, qui pro nostra salute passus, & mortuus in cruce, resurrexitque à mortuis sub Tiberio Cæsare, & in cælum ascendit, ubi ad DEI Patris dexteram sedens, suæ Ecclesiæ præsidet, intercessor & mediator inter Deum & homines.

Tota hæc narratio, si leviter saltem examinetur, multa dubia de ipsius veritate nobis exhibet. 1. Valdè suspectum est, quòd evocata Sibylla Tiburtina jusserit oculos versus cælum attollere, eique ostenderit virginem Mariam cum puero. Aut enim verè illa se exhibuit in nubibus conspiciendam, aut saltem fuit quædam repræsentatio qua oculi adspicientis fuerunt perstricti. Prius quis credet? aut quinam hoc comprehendet, voluisse Mariam se in nubibus cum puerulo videndam sistere ad imperium & voluntatem Sibyllæ Tiburtinæ? Posterius si fuerit factum, qui potuit Augustus esse certus, illum ostensum sibi puerulum fore mundi redemtorem, adeoque illum esse unicum & verum Dominum, propter quem ipsi abstinendum esset à

titulo

titulo Domini. 2. Quòd evocata Sibylla hoc ei aperuerit, dubitatur exinde, quia Sibylla de isto mysterio non fuit edocta. Nam neque Sacram Scripturam ipsa legit, neque de speciali quadam revelatione tanti mysterij ipsi facta quicquam commemorant historiæ. 3. Non est verosimile Augustum hoc mysterium intellexisse, ut puerulum sibi visum pro Universali Domino agnosceret, cui omnes Reges & Principes se submittere, adeoque Domini titulo abstinere deberent. Iste enim non venerat, ut regnum aliquod terreste conderet, aut veris Dominis competentem seu debitum ipsis honorem ac titulum detrectaret; sed ut homines ob peccata justo Dei judicio in æternum damnatos revocaret ad gratiam divinam. Ipse siquidem unicuique potestatem ipsi à Deo concessam reliquit, nec illi eam eripere, multo minus civilem honorem & appellationem eidem subtrahere voluit. Hæc certè ignoravit Augustus, qui alioquin nunquam à titulo Domini ob allatam rationem abstinuisset, certè abstinere non debuisset. Nec 4. potuit Augustus concludere: Ille puerulus tanquam universalis Dominus est adorandus solus, ergò Principibus civilis honor, aut debitus titulus Domini vel Regis aut etiam Principis denegandus est. Si enim Sibylla naturam Regni, quod Christus condere volebat, intellexisset, rectius utique Augustum erudiisset de conditione istius Regni, utpote quæ Regnis & Principatibus hujus orbis neutiquam repugnatura esset. Illud tamen 5. vim veritatis infringere videtur quòd Sibylla Augusto imaginem illam ostenderit, antequam à Virgine in lucem editus fuerit, illique istius futuri Regis mores & Regnum declarare voluerit, cùm tamen nullum indicium sit præsto, quòd Augustus tale quid crediderit. Silent denique 6. historiæ de tali facto, ut proinde, cum *Boissardo* deficiat testimonium, quô narrationem istam confirmet, meritò illud tanquam suspectum dimitti, ac suo auctori relinqui possit. Hoc tamen. II. consideratione dignum videtur; an, cum Christus in infantia sua è jussu divino secesserit in Ægyptum ad evitandas Herodis insidias, tum suo adventu omnia Oracula ibidem conticuerint, & vim suam divinandi amiserint? Sunt nonnulli, qui isti opinioni sunt addicti, ac si, Christô in Ægyptum intrante, omnibus ibidem repertis celeberrimis Oraculis silentium sit imperatum, ac literatura hieroglyphica, quâ mysteria Theologiæ Ægyptiacæ continebantur, tanquam Oraculi inventum, etiam perierit. Fundamentum suum

ponunt

ponunt in *Iesaia c. 19. v. 1*, Ubi Propheta ait: *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulacra Ægypti à facie ejus, & cor Ægypti tabescet in medio ejus.* Præterea *in c. 43. v. 13. Ieremiæ*: verba Prophetæ hujus sunt: *Et conteret statuas domus Solis, quæ sunt in terra Ægypti, & delubra Deorum Ægypti comburet igni:* Porro in *Ezechielis c.30.v.13.* Hæc dicit Dominus Deus: *Et disperdam simulacra, & cessare faciam idola de Memphis, & Dux de terra Ægypti non erit amplius.* Tandem in *Zachar.c.13.v. 2* Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum: *Disperdam nomina Idolorum de terra, & non memorabuntur ultra: & pseudoprophetas & spiritum immundum auferam de terra.* Hæc sunt illa testimonia, quibus freti quidam tueri cupiunt opinionem illam de destructis per accessionem Messiæ in Ægyptum Oraculis. Deinde addunt, quòd Literaturam Hieroglyphicam, quâ abdita rerum sacrarum doctrina occultabatur, Hadores, qui ab alijs dicitur Idris, ab Oraculo acceperit eamque tradiderit alijs: ita ut non omnes, sed excellentes, & viri sapientes talia mysteria intelligerent, ab eorum notitia verò vulgus hominum arceretur. Hanc literaturam dicunt perstitisse aut durasse usque ad adventum Christi in Ægyptum, qua itidem illa confusa fuerit, ut sensim perierit. Sed hæc traditio æquè videtur vera, atque altera, qua dicebantur Oracula tempore nocturno, quo Christum enixa est beata virgo Maria, conticuisse. Nulla namque veterum monumenta de hoc silentio Ægyptiorum Oraculis per adventum Christi injuncto quicquam nôrunt. Illud non negatur, Oracula, quæ ibi extiterunt celeberrima, post Christum natum cessasse: illa verò tempore advenientis Messiæ statim virtutem prædicendi futura amisisse, nullo fide digni autoris testimonio firmari potest. Dicunt, quòd Ægyptus Christianæ religionis lumine collustrata circa ipsam primævæ Ecclesiæ Originem, veram fidem profiteri cœperit: licèt ab alijs tempus, quo liberata ista regio fuerit à tenebris Idololatriæ ad ævum Constantini M. coarctetur. Quicquid sit, sive ante, sive post Constantini tempora statuatur conversio Ægypti ad fidem Christianam, & ita, doctrinâ salutari per integrum populum disseminatâ, concedatur: *Oracula elinguia fuisse facta*; tamen dici non potest proficiscente Christo in Ægyptum statim desiisse Oracula. Etenim nemo ex antiquis refert, vel ullum inter Ægyptios de hoc novo adveniente hospite, ac si iste verus esset mundi redemtor, cujus meritis omnes

deberent salutis æternæ participes fieri, quicquam intellexisse: vel aliquod Idolum Ægyptiacum prædicasse Christum tanquam Dominum, cui etiam Dæmones cedere teneantur, sicuti illud Delficum fecisse Deum dicit Suidas, quamvis loquatur sine fide. Nec quicquam referunt priscorum annales, quod fama extiterit inter Ægyptios de novo Rege aut Orbis Domino, qui advenisset: multò minus vestigia apparent, quòd Oracula tum finem respondendi receperint: aut homines admirari cœperint Oraculorum suorum defectum. Certè si Oracula, amissâ pristinâ divinandi facultate, siluissent eo tempore, nihil procul dubio de sua diligentia remisissent sapientes inquirendi in causas tanti & tam subitanei defectus. Temeritatis itaque signum esse dicerem, pro certo venditare: per Christi adventum in Ægyptum Idololatriæ crimine profundè inquinatam statim Oracula munere suo fuisse destituta. Et ut nobis persuadeatur, eo tempore defecisse Oracula in Ægypto, quo Christus in eâ descenderit: narratur, quòd ubi is fugiens venerit Hermopolim, atque portæ istius appropinquaverit, arbor *PERSIS* licèt maxima, ejus ad ventu turbata se inflexerit ad solum usque, & Christum adoraverit. Inde etiam omnes Ægyptiorum statuæ juxta Prophetiam Esaiæ concussæ sunt. Videri potest *Sozomen. l. 5. c. 20. Histor. Ecclesiar p. 484.* Sed quòd de arbore Perside dicitur, insignem speciem cujusdam fabulæ de se præbet; Christus enim in infantia sua miraculis non inclaruit. Non leve autem fuisset miraculum, si ingens & annosa arbor erga advenientem puerulum se incurvasset, & se ad terram usque inflexisset, & ita humi prostrata illum adorasset. Hoc certè si contigisset, tota civitas fuisset commota: nec fama tanti miraculi mœnibus istius urbis se continuisset, sed totum pervagata orbem dubio procul in publicis gentium annalibus locum reperisset. At Ægyptiacarum & aliarum rerum scriptores de tam grandi miraculo nihil prodiderunt: quin Sacer Codex altum de eo fovet silentium. Sanè si tale quippiam accidisset, Iosephus redux in Palæstinam factus illud non reticuisset, sed palam divulgasset tanquam rem hactenus inauditam; cum hoc multum ponderis habuisset ad commendandam pueruli istius divinitatem. Quapropter ex illo quidem miraculo, de cujus veritate nihil constat, tanquam præambulo ad ostendendam Christi potentiam non potest procedi ad defectum Oraculorum Ægyptiacorum, quasi illa loqui desierint statim, cum Christus in Ægyptum venisset, aut ibidem commoraretur.

taretur. Quod ad Loca è Sacra Scriptura antiqui Federis depromta attinet, illa non inferunt, quod prioris opinionis Autores volunt. Variæ enim sunt illorum interpretationes. Locus *Esaiæ. 19*, sic explicatur à nonnullis, ut ne quidem regio Ægyptus illo in textu indicetur, uti facit *Tertullianus*, qui per Ægyptum *mundum totum* intelligit: Quocum sentire videtur *Francisc. Forerius ad. cap. 1. Esaiæ. v. 1. pag. 4362. in Tom. 4. Critic. Sacror.* Quod non omnia, quæ hoc capite de Ægypto dicuntur, in Ægyptum conveniant, neque juxta historiam de provincia illa intelligenda sint, docet *Hieronymus* hoc loco. Non dubium autem est, *quin Ægyptus typum gerat mundi, quem Dominus in Evangelio dicit, Se vicisse*. Ad Tertulliani intellectum accedit *Eusebius*; nihil quidem impedit, inquiens, *aliter quoque accipere Oraculum, ut videlicet figuratè terrenum hunc mundum significet, in quem verba ipsa Dominum super nube levi venturum vaticinantur. Ubi verò manu facta Ægypti commovenda dicuntur, ipsa gentium simulacra atque Dæmonas eadem inhabitantes, sicut olim Ægyptios colendis Idolis aliquando addictissimos* intelligit. Negari non potest, inveniri quosdam, qui locum hunc volunt intelligi, ac si Christus ideo in Ægyptum fugisset, ut ibidem Diabolorum Oracula disturbaret, & Idololatriam unà destrueret, uti *Origines Homil. 3. in diversos*: Secundum literam istum textum capit dum ita ait: *Quare in Ægyptum? propter multitudinem, quæ ibi est, Idolorum, abominationumq́ multarum. Fuge in Ægyptum, propterea ut destruantur manufacta eorum: Confringantur & pereant Idola ipsorum: ut Dæmones turbentur: & Regum fabricæ in Idolis destruantur, ut fiat in adventu Domini fugitivorum servorum atque malorum interitus. Fuge in Ægyptum, ut adimpleas quæ dicta sunt: Ecce Dominus sedet in nube pusilla & veniet in Ægyptum & commovebuntur omnia manufacta Ægypti. Ecce Dominus sedet in nube pusilla carnalem animam non habente nec aliquam peccati gravedinem. Fuge in Ægyptum, ut fugiant ex Ægypto, qui ibi sunt Dæmones, ut appropinquent ibidem Angeli sancti qui Deum consequuntur, qui sanctis junguntur, ut pro multitudine templorum atque abominationum multarum multitudo exuberet Ecclesiarum: pro Idolorum turbis, turba abundent fidelium, atque colentium Dominum.* Hæc & alia fusius Origines ibidem. Attamen, si verba cum judicio examinentur, ibi non legitur, ac si Christus suo adventu in Ægypto voluerit Oracula tollere: Dæmonas, & Dæmonum opera, quæ inter

& Oracula recensentur; voluit quidem tollere; sed non statim, cum ipse regionem illam esset ingressus. Ipse quondam Epigrammate cuidam depictæ imagini historiam hujus fugæ repræsentanti subjuncto, quod habetur *Magdeburgi in æde D. Vlrici & Levini*, ita lusi.

Herodis fraudes fugienti barbara tellus
Ægypti pandit hospita tecta Deo.
Cornua ponit Apis, magna ruit Isidis ara
Urbes dum magica visitat alma salus.
Mira fides sed vera! vagum qui condidit orbem,
De terra in terras ut peregrinus abit.

Quod tamen non intelligi debuit, ac si ferè in momento Isidis sacra, & Apidis honor ac cultus divinus cessaverint; sed, quòd nunc certò cognosci aut credi debeat, dum alma salus seu Christus magiæ & multis vetitis artibus deditam Ægyptum visitat, & ob demandatam sibi fugam suum ibidem qværit hospitium, nunc illam Idolotriam Apidis & Isidis perire seu concidere. Præterea *Eusebius in 9. Ἀποδ. c. 2.* itidem textum præsentem *Esaiæ* ex parte vult declarare de adventu Christi in urbem ad destruenda Idola, & Dæmonum cultum, erroresque & superstitiones hominum: sed nec Oraculorum meminit, licèt ipse illa excludi nolim; nec statim post Christi introitum in Ægyptum opera Diabolorū ibidem destruenda, vel etiam destructa esse docet. Sed apponam ejus verba. Ecce Dominus sedet super nubem levem, & veniet in Ægyptum, &c. *Causa porrò cur Dominus ità in Ægyptum venturus destinatur, fuisse mihi videtur ista. Primi siquidem omnium hominum Ægyptij errori colendi multos Deos ac Dæmonas initium dedisse dicuntur, & reliquis universis mortalibus superstitionis autores extitisse: quin etiam omnium aliorum hominum maximè Dæmoniacis operationibus & curiositatibus studuisse. Iidem præterea ab ipsa scriptura divina hostes populi Dei fuisse perhibentur: ab omni retro antiquitate; sed & vetustus quidam eorum Rex Dominum se minimè agniturum, ab ipsa scriptura commemoratur. Ergo stupendum planè quoddam divinæ virtutis miraculum exhibere volens Propheta, Domini adventum in Ægyptum prædicat quando non levem futuram Ægyptiorum mutationem prædicat, dicens: & cognoscent Ægyptij Dominum.* Vide *Richard. Mountacutium par. 1. Origin. Ecclesiast. p. 284.* Interea *Sebastianus Munsterus p. 4858. Tom. 4. Sacror. Critic.* interpretatur hoc caput *de interitu Ægypti, qui fieri*

debuit

debuit per Assyrium commune flagellum omnium vicinorum gentium. Perstringuntur etiam scelera eorum, Idololatria, superstitio, studia curiosarum artium. Sensus autem est: *Dominus vehitur super levem nubem, id est, Dominus subito immittet malum AEgyptiis, a quo Dii eorum illos liberare non poterunt: Sed nec Sapientes eorum illis consulere poterunt contra consilium Domini, qui evacuabit animos eorum, ut salubre consilium afferre nequeant, & sic tandem sequentur seditiones & tumultus.* Eum in sensum, quod Numina AEgyptiorum non possint incolas istos defendere contra vim divinam inclinat quoque *H. Grotius* in notis suis ad illum locum, *p. 4171. Numinibus AEgyptiis*, inquit, *nulla vis erit ad tuendam AEgyptum contra Dei judicia.*

Alterum testimonium depromptum est è *Ierem. c. 43. v. 13.* Ubi Deus dicit per Prophetam: *Conteret statuas Bethsemes seu Domus Solis, & delubra Deorum AEgypti comburet igni.* Quantumvis rectè possit inferri, quòd excisis & igni ustulatis Deorum delubris etiam Oracula, quæ ibi sedem suam habuerunt, perierint: non tamen hoc ibidem indicatur à Propheta, multo minus dicitur, quòd Oracula adventu Christi in AEgyptum debuerint cessare. Et si contextum inspicimus, Propheta vaticinatur, quod istæc prædicta devastatio per Regem Babel Nebucadnezar ad effectum deduci debeat. Non loquitur ergo textus de adventu Christi in AEgyptum, ac si tum Oracula dispelli propriè debuerint. Tertius Locus est *Ezechielis cap. 30. v. 13.* qui tamen non probat, quod probare intendunt alij. Deus siquidem dicit: *Et disperdam simulacra, & cessare faciam Idola de Memphis*: quibus etiam destructionem oraculorum possumus quidem comprehendere: Verum quòd illa simulacrorum & Idolorum devastatio tempore illo, quo Christus venit in AEgyptum, ibique commemoratus est, facta sit, aut fieri debuerit, Propheta non dicit. Quinimò ne ipsa quidem Idololatria, cujus sublatio hoc vaticinio prædicitur, eo tempore secuta est; quin post Messiæ reditum ex AEgypto Idololatria ibi remansit: nisi quod *Athanasius Kircher. Tom. 3. Syntagm. 18. c. 2. p. 515 Oedipi Æpyptiaci*: statuat AEgyptum statim ab initio primitivæ Ecclesiæ ab illa superstitione & illicito cultu sacro fuisse repurgatam, & ad Christum conversam. *Ab ipsa primæva Ecclesiæ origine* inquit, *id est, à S. Marco Evangelista usque ad irruptionem Saracenorum nullo non tempore Ecclesia AEgyptiaca mirum in modum, uti è tot SS. Patribus, Anachoretis, Monasteriis*

nasteriis in Ægypto florentibus abunde constat, floruit. Quartum testimonium desumtum est è *Zacharia cap. 13. v. 2.* Ubi Iehova loquitur ita: *Disperdam nomina Idolorum de terra, & non memorabuntur ultra: & Pseudo Prophetas Spiritum immundum auferam de terra* vaticinatur hic Propheta de beneficijs Dei erga Ecclesiam Novi Federis, quòd tum dispellenda sint Idola, ita ut ne nomina quidem illorum memoranda sint: Et quod Spiritus immundus, qualis est Diabolus autor mendacij sit de terra auferendus. Quidam interpretantur textum *de auferendis terriculis,* quia Idolis terrentur animi superstitiosorum non autem instituuntur, fortean ob molestiam, quæ Idolorum cultoribus creatur: quando quidem in ijs comendis, vel ornandis, & ad singulas ferè horas salutandis labor non sine molestia impendebatur. Quod teste *Tertulliano* Curationem facere dicebant Veteres Locus est in *lib. de Iejunijs,* cujus verba hæc sunt: *Unde & qui in Idolis comendis, & in hac re ornandis, & ad singulas horas salutandis adulantur, Curationem facere dicuntur.* Sed ad rem; Iehova vult exscindere nomina Idolorum, ne ulla sit amplius earum memoria, quasi dicat: *Homines nè quidem eos nominabunt ultra, vel ne nomina quidem illorum nota erunt.* Vide *Drusium ad c. 13. Zach. p. 7004. in Tom. 4. Critic. Sacror.* Interea vaticinium istud non immediate agit de destructione Oraculorum, nedum quòd illa sint exscindenda tempore adventus Christi in Ægyptum. Non negatur quidem Idola Gentium, & cum illis Oracula fuisse dispulsa & excisa penitus; illam autem eversionem in Ægypto factam esse, cum Christus fugiens ob Herodis insidias regionem illam intraret, ibidemque perduraret, hoc ex allatis testimonijs probari non potuit. Cœterùm non usquequaque expeditum est, an Literatura Hieroglyphica unà cum Oraculis desierit, & an ab Oraculo unquam traxerit originem? Ut autem hac in re rectè nos geramus, paucis nonnulla huc facientia prius expediemus. *Goropius Becanus lib. 2. Hieroglyphic.* putat: *Hieroglyphicum nihil aliud esse, quam rei sacræ symbolum cuidam materiæ insculptum.* Alijs dicitur rei sacræ Symbolum saxis insculptum. Dicitur *Symbolum,* ut mystici sensus ratio indicetur: additur *rei sacræ,* ut discrimen inter sacra & profana symbola constituatur. Nam si Ægyptiorum doctrinam pervolvimus, utique constabit: duplex apud Ægyptios fuisse parabolarum genus: unum *Vulgare* quod tritas & sensu non difficiles similitudines complectebatur: Alterum

verò

verò *Sacrum*, quod è sanctiore quadam, & magis arcana doctrina erat depromtum. Porrò additur *Saxis insculptum* non quidem eo sensu, ac si alijs rebus non fuerint infixa nam & ligneis, testaceis, papyraceis, involucrorumque fascijs illa legantur inscripta; verùm quod totam hyeroglyphicæ doctrinæ rationem, & substantiam templorum parietibus, & valvis, obeliscis, Deorum simulacris, saxeisque tabulis inciderint, ut posteritati hæc doctrina eò melius innotesceret. Vide *Athan. Kircher. Tom. 3. cap. 1. p. 8. Oedipi AEgyptiaci.* Qui accuratius rem considerant, solent dicere: *Omnia hyeroglyphica esse quidem symbola;* non tamen omnia Symbola esse hieroglyphica: propterea quod *Hieroglyphicum* saltem sit rei sacræ signum alicui materiæ incisum. Ægyptijs hieroglyphicum non tàm sermonis quàm figurarum expeditione fuit expressum, sub quibus ipsi & componere & formare symbola sua cum figuris & imaginibus solebant. Et huc pertinet, quod scribit *Demetrius Phalereus*: *In symbolis*, ait, *debet animadverti & attendi, quod sub iis maxima substantia, vis & energia ac multus sensus cum insigni aliqua gravitate & brevitate comprehenduntur.* Symbolum autem vocatur, cujus interventu res, quæ alioquin occulta est, cognoscitur: qua de causâ quoque definitur: *Nota alicujus arcani mysterii significativa.* Cujus natura est deducere animum nostrum in notitiam rei absconditæ mediante quadam similitudine. Illorum hieroglyphicorum inventionem attribuunt quidam Sapienti cuidam viro, qui trecentis propè annis post diluvium è stirpe Canaan prodijt, homo omnibus virtutum dotibus exornatissimus. Dictus est *Hadores* quæ vox denotat excellentem & insignem disputatorem. Nonnulli Græcorum putant illum esse *Mercurium Trismegistum*. Hic Regi *Mesra* curiosissimo rerum scrutatori sociabatur, ut ejus esset Scriba, & supremus consiliarius. Qui ubi vidit *Mesra* doctrinam à Patribus traditam varia superstitione commaculatam, & ad Idololatriam inclinantem seriò cogitavit, quomodo isti malo occurreret. Quoniam verò judicabat, consultum haut esse, tàm alta divinitatis mysteria populo varijs superstitionibus corrupto propalare, inde cogitavit, quomodo reconditis quibusdam symbolis mysteria divinitatis & naturæ exhiberet, ut ea solis sapientibus essent conspicua, plebi verò & Idiotis nihil relinqueretur præter admirationem. Ut tamen hoc arcanum posterorum usibus communicaretur, sacerdotum instituit ordinem, quibus artium reconditarum nor-

mam

mam præſcripſit, exactò interim ab illis jurejurandô, ne alijs quàm ſacri iſtius ordinis hominibus communicarent hæc arcana. Præterea ne hæc abſcondita doctrina excideret facilè memoriâ, eam non papyro, corticibus, aut ſolijs palmarum, verùm ſaxis duriſſimis, quæ eſſent contra injuriam temporum caſusque fortuitos munita, inſcripſit vel potius inſculpſit, ut hanc ingenio ſuo inventam rationem docendi myſteria Sacrorum æternitati conſecraret. *Athanaſ. Kircher. l. 2. c. 1. p. 93. 94. Obeliſci Pamphilij.* Hic Kircherus docet inventam eſſe hanc doctrinam & quidem ingenij ſubtilitate, non verò addit, quod illa fuerit iſti Autori ab Oraculo indicata. Quod dubio procul Kircherus non omiſiſſet, ſi ipſi quicquam ea de re ex antiquis monumentis conſtitiſſet. Interea nihil obeſt rationi iſti origo ab Oraculis deducta. Sed, ut illud adhuc addam: Hæc ſcientia per totum orbem magnam ſui excitavit admirationem, ut multi deſiderio illam diſcendi in Ægyptum profecti ſint. Moſes quoque iſtius habuit notitiam: ſacer namque textus docet, quòd ipſe fuerit eruditus in omni AEgyptiorum ſcientia, quam Philo in libro de vita Moſis non dicit fuiſſe aliam, quàm occultam Philoſophiam literis hieroglyphicis deſcriptam, id eſt, notis animalium, quæ ipſi venerantur pro Dijs. Confer etiam, quæ habet *l'Valæum ad c. 7. v. 21. Actor. p. 1092.* Sacerdotes quoque conſtituti tanquam arcanæ hujus ſcientiæ Doctores non tantùm artem illam hieroglyphicam propagarunt; ſed ipſi iacto prius fundamento, ſuperſtruxerunt nova, & alia atque alia Symbola myſtica ad Hermeticam amuſſim excogitarunt uſque ad ſacerdotem *Putiphar*, cujus filiam in matrimonium duxit poſtea *Joſephus Iacobi* Patriarchæ filius. Sed ſequentibus temporibus, uti fieri ſolet, Sacerdotes iſti Symbola Hermetis de divinis tradita myſterijs in apertam deduxerunt ſuperſtitionem. Inde nata eſt prodigioſa Deorum Mythologia, animalium cultus, & ſacrificiorum ridiculæ ceremoniæ. Et quæ ab Hermete prius ad divinitatis myſterium occultandum, & ſub arcanis quibusdam ſymbolis legendum erant inſtituta, ea poſtmodum falſitate doctrinæ penitus corrupta totum infecerunt mundum: & præcipuè AEgyptus celeberrima orbis Regio facta eſt publicum ſuperſtitionis & damnatarum artium theatrum. Uti iterum pro more ſuo doctè hoc perſequitur perinſignis *Kircherus l. 2. c. 2. p. 102. Obeliſci Pamphilij.* Cœterùm illorum non Philoſophia tantùm, ſed & Theologia fuit allegorijs pariter & fabulis inqui-

inquinata. *Kircher. l.3. c.4. p. 193. Obelisci Pamphil.* Unde quadruplex illa fuit, pro quadruplici hominum genere. 1. *Erant rudes, illiterati, & idiotæ,* qui Deorum historias, & de illis connexas fabulas ad literam intelligebant: unde illa occasione detestandæ atque omnibus seculis inauditæ superstitiones prodierunt. Quo sensu AEgyptus audit portentorum mater. *Laurentius Pignorius in Expos. Mensa Isiaca. p.3.* Cujusmodi Philosophia & Theologia dici potest absurda, & superstitiosa. 2. Alij erant, *qui animum ad sapientiæ studium adjiciebant,* & hi relictis paulatim fabulis & inconcinnis figmentis, literalem sensum conjungebant cum mystico, & historiam ad vim naturæ & operationem transferebant. Et hæc fortean non malè dici potest Theologia & Philosophia Naturalis. 3. Alij vocabantur *Sapientes, qui Deorum commenta ad naturam & partim ad mores revocabant,* unde extitit Ethica & Theologia moralis. 4. Denique erant *Sacerdotes, qui naturæ morumq; scientia firmiter instructi animos ad altiora levabant, & Deorum historiam sublimi quadam & anagogica interpretandi ratione subobscura, attamen ingeniosa symbolorum ad legenda mysteria consultò excogitatorum repræsentatione ad mundum illum intelligibilem* deflectebant. Inde mystica AEgyptiorum sapientia, cujus fragmenta peti possunt è *Iamblicho*, qui scripto consignavit, quid Assyrij & AEgyptij sacerdotes de religione ac rebus divinis docuerint. Hæc ex incomparabilis viri Kircheri Operibus volui in compendium contracta proponere. Nunc videndum an istæc Literatura ac Theologia Hieroglyphica tum confusa fuerit, vel planè interierit, cùm puerulus Iesus intrasset AEgyptum, eamque sibi hospitij sedem contra Herodis furores delegisset. Eo tempore illam sensisse interitum nullus historiam refert: neque in ullo vaticinio, quantum equidem mihi extat, prædictum est à Iehova, quòd ipse velit in specie & Literaturam Hieroglyphicam destruere. Interim in genere sub voce falsæ doctrinæ & Symbolicam AEgyptiorum Theologiam comprehensam fuisse, quæ debuerit exterminari, facilè concedo. Verùm sicuti impia AEgyptiorum dogmata accessu Servatoris in illam terram non sunt è medio sublata, sed falsæ vetitæq; artes, nec non horrendum Idololatriæ crimen etiam post discessum Servatoris ibidem permanserunt; ita etiam perperam statuitur, illam doctrinam eo tempore vel confusam, vel planè submotam fuisse. Deinde si optimo *Kirchero* credimus *Tom. 3. Syntagm. 18. c.3. p. 515. Oedipi AEgyptiaci,* certè *literatura illa Ægyptiaca non temporibus Romanorum Cæsarum, aut immediatè ante Christi in carne adventum, multò minus tempore Constantini Magni usitatam fuisse, sed iam tum à Cambysis Ægyptiacum Imperium invadentis impietate & temulentia destructam & deperditam esse.* Quod non ita est intelligendum, ac si planè interierit, ita ut istius quoque usus fuerit sublatus; nam

illud falſum eſſe teſtantur hiſtoriæ, è quibus cognoſcere licet, quod doctrina Hieroglyphica ad Græcos ſit translata, inque illorum ſcriptis illa adhuc reperiatur, uti illud in Pythagoræ Symbolis videre licet. Pythagoras enim in AEgypto cum Sacerdotibus multo tempore converſatus univerſam ſymbolicam doctrinam non didicit tantùm, verùm etiam eandem promovit. *Iamblichus* expreſsè fatetur: *Pythagoram didiciſſe Philoſophiam ex columnis Mercurij in AEgypto; & columnas Mercurii fuiſſe doctrinarum plenas.* Et ſcribit *Porphyrius in lib. de vita Pythagoræ p. 185.* Pythagoras *ad AEgyptos quoque & Arabes, Chaldæos & Hebræos acceſſit, apud quos & ſomniorum interpretandorum ſcientiæ accuratiſſimè operam dedit, tum divinatione, quæ fit thure, primus ipſe uſus eſt. Et in AEgypto quidem cum Sacerdotibus vixit, & ſapientiam ac linguam AEgyptiorum perdidicit, atque triplex literarum genus, epiſtolicum ſcilicet,* Hieroglyphicum & *Symbolicum. Quorum illud propriam & communem loquendi conſuetudinem imitatur; reliqua per allegorias ſub quibusdam ænigmatum involucris ſenſum exprimunt. Et Iamblichus lib. 1. c. 5. p. 37. de Vita Pythagoræ:* τὸν τῆς διδασκαλίας τρόπον συμβολικὸν ποιεῖν ἐπιχείρει καὶ πάντη ὅμοιον τοῖς ἐν Αἰγύπτῳ διδάγμασι, καθ' ὃν ἐπαιδεύθη. *Vtebatur modo Symbolico in tradendis doctrinis ſuis planè ſimile ei, quo ipſe in AEgypto fuit eruditus. Et in cap. 4. dicti libri p. 36.* ait: Pythagoras ad omnes ſacerdotes peregrinationem ſuſcepit. Apud unumquemque quarum rerum ſapientia quisque præditus erat, utiliſſimè profecit. *Porro annos omninò viginti duos in AEgypti ſacrariis & arcanis remotisq; templis verſatus eſt, Aſtronomiæ & Geometriæ operam dans, cunctisq; ſacris initiatus, haut temerè & quaſi ſaltuatim, donec tandem à Cambyſis militibus captus Babylonem abductus fuit: Atque ibi cum Magis ſui ſtudioſis & benevolis converſatus eſt, & in ipſorum myſteriis eruditus fuit, eaq; quæ ſeria eſſent, & ad religionem cultumq; numinis pertinebant, exactiſſimè perdidicit.* Huc usq; Iamblichus. Legi etiam merentur *Schefferus cap. 5. Italica Philoſophia p. 21. & ſeqv.* de Pythagora collegit. Deinde neque ſtatim poſt *Cambyſen* ſacra illa Symbolica doctrina perijt, quandoquidem ſacerdotes illam nonnullis, quibus ipſi volebant, occultè communicaſſe *Kircherus l. 2. c. 3. p. 105. Obeliſci Pamphilii* oſtendit. Extat itaque hodie in publicis ſcriptis: & ſæpe laudatus *Athanaſius Kircherus* in Opere plane incomparabili, quod vocat *Oedipum AEgyptiacum* illam ſcientiam indefeſſo labore, exactiſſimo judicio, & dictione florida ac perſpicua ex varijs monumentis erutam, & conſcriptam toti Orbi, conſpiciendam exhibuit. An autem in AEgypto, ubi non omnem ſapientiam interiiſſe credo, ſtatim poſt Chriſti ex ea diſceſſum doctrina illa hieroglyphica ita vim perdiderit, ut ne quidem illius uſus fuerit ſuperſtes, illud difficulter fidem impetra-

petrabit. Nam si post Cambysen illa cæperit deficere, ita ut ejus quoque usus fuerit sublatus, nec amplius in collegio Sacerdotum tradi debuerit; tum ante Christi nativitatem & adventum ejus in AEgyptum illa perijt. Et sic falsum est, quod nonnulli propugnant, acsi mystica AEgyptiorum Theologia accessu Christi fuerit disturbata. Sin autem adhuc illo tempore, quo Christus in AEgyptum fugit, istæc doctrina viguerit, tum ex argumentis antea allatis patet, nec illam tam subitò ab usu recessisse, nec Oracula AEgyptiorum statim per Christi adventum concidisse. Cùm ex hactenus deductis pateat: nec ubique terrarum ea nocte, qua Christus est natus, Oracula omnia defecisse: nec Christi adventu in AEgyptum Oracula ibidem reperta statim abolita fuisse. Illud tamen adhuc scitu dignum est, numquid post Christi nativitatem, passionem, & reditum ad patrem suum cœlestem Oracula adhuc extiterint? *Elias Schedius c.13. de Dis German. p.251.* docet: *sub adventum Christi ubique Oracula exaruerunt: ut passim ejus ævi scriptores tradunt.* Sed historia est in contrarium, utpote quâ certi reddimur, adhuc post Christi emigrationem ex hoc orbe Oracula extitisse. Antequam verò exempla illud probantia in medium afferam, adscribam insignem locum *Peuceri de Divinat. p.252.* quô mea & aliorum tanquam verior assertio firmatur: *Oracula, ait, etiam post natum Christum non solùm à stulta plebe inveterata superstitionis ritu, & consuetudine, sed ab ipsis etiam Monarchis ac Principibus mordicus defensa, & culta, & consulta religiosè accepimus ad Iulianum usque, quo cum cælesti fulmine Delphicum Oraculum conflagravit, eodem tempore obmutuerunt & cætera ubique locorum.* Verùm in eo, quòd *Iuliani* tempore & cœtera Oracula ubique locorum obmutuisse scribit *Peucerus*, vix ab omnibus obtinebit fidem. Interea certum est, cum propagatione doctrinæ cælitus per Christum revelatæ sensim desiisse Gentilium Oracula, & vim vaticinandi perdidisse. Quod autem post Christum natum ad huc floruerint Oracula videre possumus apud *Helmoldum Lib.1.c.53 p.125. Chron. Slavor.* Porro *solennitates Diis dicandas Sacerdos juxta sortium nutum denunciat, conveniuntq; viri & mulieres cũ parvulis mactantq; diis suis hostias de bobus & ovibus, pleriq; etiam de* hominibus Christianis, *quorum sanguine Deos suos oblectari iactitant. Post cæsam hostiam Sacerdos de cruore libat, ut sit efficacior* Oraculis capessendis. *Nam sanguine Dæmonia facilius invitari multorum opinio est. Consummatis iuxta morem sacrificiis populus ad epulas & plausus convertitur. Inter multiformia autem Slavorum numina præpollet Zuantevith, Deus terræ Rugianorum, utpote* effiacior in responsis, *cujus intuitu cæteros quasi semideos æstimabant. Vnde etiam in peculium honoris annuatim hominem Christicolam, quem sors acceptaverit eidem*

dem litare consueverunt. Ita Valens Imperator (qui omnibus licentiam dedit sua sacra celebrare, Gentilibus scilicet atq; Iudæis,& omnibus hæreticis & illis tantummodò inimicus erat, qui Apostolicam doctrinam prædicabant) perscrutari cupiens, quis post eum regnaturus esset, necromatiam fecit. Sed *Diabolus ejus audacia & crudelitate abusus, non aperta, sed obliqua ei responsa dedit, per quæ multos artificiosè interemit. Nam cum de imperio consuleretur quatuor literas demonstravit θ. ε. ο. δ. dicens hoc nomen post Valentem imperij culmen accepturum. Occidebantur itaque Theodori, Theodoti, Theoduli, & quicunque has literas in capite nominis sui habuissent. Hoc ergo timore plures sua nomina mutarunt, negantes cum Iuramento, quæ prius habuerunt, ut pericula effugerent*: uti illud plenius persequitur *Abbas Vrspergensis in Chron. p. 70.* E qua historia patet, tempore Valentis Arriani sed postea magicas artes sequentis fuisse Dæmonum Oracula. Quidam existimant, ac si imperante Hadriano immolationes superstitiosæ majore ex parte sublatæ sint. & Oracula Apollinis Delphici, Hammonis & aliorum Deorum fatidicorum Deorum tacuerint. Verùm Delphicum Oraculum superfuit adhuc tempore Iuliani Apostatæ, qui ad illud suos misit Legatos, ut ipsi ex eo sciscitarentur, quem eventum habiturũ esset bellum Persicum. Vide *Chronic. Carionis lib. 3. p. 280.* Templum tamen illud Delphicum toto orbe clarissimum fulmine cælitus tactum periit, & post Iulianum non fuit restauratum. Sub *Iuliani* imperio etiam desiit *Oraculum Daphnes*, quod negavit initio se posse respondere ob multa cadavera, quibus impediretur: Sed intellexit Imperator, martyrem Babylam in causa esse, quo minus Oraculum istud suam vim exserere posset, ideo mandatum dedit, ut bustum martyris in alium locum transferretur. *Sozomenus. l. 5. c. 18. p. 483. Histor. Eccles.* Ex Ruffino tradit *Boissardus p. 123. de Divinat.* quòd Oraculum Apollinis in Alpibus constitutum, nisi permittente Gregorio responsa dare non potuerit; sed mutum prorsus remanserit. Quod plurimis occasionem dedit, quis esset ille Christus, quem Gregorius colebat,& cujus potentiam formidabant reliqui omnes Dij gentium. Claudam hoc caput dicto *Porphyrii*, qui ait: *Nunc verò mirantur, si tàm multos annos civitas vexetur peste, cum & Æsculapius & alii Dij absint ab ea. Postea enim, quàm Iesus colitur, nihil utilitatis à Diis consequi possumus.* Quod est testimonium ab hoste nominis Christiani profectum: scilicet virtute nostri Servatoris opera Dæmonum destructa esse, ita, ut ipsi amplius non potuerint hominibus utilitatem præstare, quæ etiam est vera & unica causa, quare Oracula obmutescere cœperint, & sensim abolita sint.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBRI SECUNDI CAPUT I.

De
Causis, quare Græcia clarissimis Oraculis fuerit instructa, agitur.

HActenus in genere de Oraculis egi: nunc in specie & de quibusdam clarissimis Oraculis nonnulla tradam, quantum ex antiquis scriptis observare mihi licuit. Non tamen in Græcia tantùm extiterunt Oracula; sed etiam aliis in provinciis ac regionibus, sed nullibi tàm clara fuerunt, quàm in Græcia, ubi ex omnibus ferè gentibus illustrissimi Reges, Principes, aliæque personæ convenerunt ad consulenda Oracula. Et scribit *Diodor. Siculus*: ab omnibus populis Græcorum Oracula consuluntur. Et *Plutarchus*: ex omnibus regionibus suscipiuntur profectiones sæpe sumtuosæ ad Oracula Græcorum. Fuit itaque Græcia tanquam Theatrum Sacrorum, ubi de futuris rebus, earumque eventibus respondebatur consulentibus. *Accurrunt Reges: accedunt Principes, adveniunt privati: adsunt prudentes pariter & indocti ad responsa à Græcorum Oraculis capienda* uti ait *Thomas Morinus in Not. ad lib. Plutarchi de Oracul. p. 29.* Ubi adducit locum Porphyrii, qui ferè vitio vertit exteris, quòd tanta frequentia homines ad oracula accedant, & non nisi incertis atque ambiguis responsis dimittantur. Non tamen, uti dixi, solùm Græcia Oraculis fuit instructa; sed etiam aliæ provinciæ sua habuerunt Oracula, licet non adeo clara fuerint. Ex historiis liquidem non constat, quòd alibi, quàm in Græcia, tantam famæ celebritatem obtinuerint Oracula. In Ægypto sanè quàm plurima reperta sunt Oracula adeò ut in omnibus ferè *Nomis* Oraculum sit repertum, à quo responsa de variis eventibus acciperent consulentes. *Kircherus Part. 2 Tom. 2. classe 11. c. 3 p. 444. 3. Oedipi Ægyptiaci.* Nomus autem est locus Juri reddendo causisque tractandis peropportumus, antiqui vocarunt

præfecturam, seu districtum Jurisdictionis. *Quoniam igitur maximè vigebat sacrarum in Diis colendis ceremoniarum varietas, tantusq; idololatriæ fervor, ut vix locus esset, qui non proprium sibi Numen aliquod, cui honorem impenderent, conderet, ac sæpè contingeret, ut Numina, quæ hic venerarentur, alibi execrarentur, Deorum diversitas tanta non exigua pareret religionis dissidia. Sacerdotes Sesostridis Archisacerdotum autoritate ad populi in Deorum cultu tollenda schismata exemplum secuti vetustissimorum Deorum orbem terrarum sorte inter se distribuentium totum AEgyptum in triginta Nomos, unicuique verò Nomo suum attribuentes Numen callidè diviserunt. Vt quod à primævis Diis in universo orbe factum perceperant in AEgypto seu fano quodam aut Pantheo totius universi compendiosè repræsentarent: & ne ex tanta difformitate cultus monstrosa religionis facies appareret, in metropolitanis totius AEgypti urbibus Thebis videlicet & Heliopoli certa quædam & sumtuosissima delubra ædificarunt, ut in his iterum, quicquid vago cultu tota complecteretur AEgyptus, in hisce duobus velut Pantheis quibusdam analogo quodam ordine, & ad templum universi parallelo, cultuque compendioso, diversarum nationum unita multitudo celebraret: callidum sanè inventum, & ad diversas religiones uno cultu conciliandas mirè opportunum.* Hæc itidem narrat *Kircherus Tom. 1. Syntagm. 1. c. 3. p. 12. Oedipi AEgypt.* Sed hic Oraculorum non meminit, uti fecerat in loco antea adducto. *Marinus* tamen *p. 27. ad Plut. de Oracul.* pro certo tradit in singulis Ægyptiorum præfecturis peculiaria fuisse Oracula, ita ut earum incolæ illa colerent & certis peractis ceremoniis illorum responsa expeterent. Quin eousque progressa est idololatria, ut singula oracula non de quibusvis sibi propositis quæstionibus; sed de certis saltem rebus in medium adductis, & istorum Deorum naturæ consentaneis responderent. Ita Serapidis Oraculum de ijs, quæ ad terræ cultum pertinebant, consulebatur: Anubidis Oraculum de illis, quæ spectabant ad scientias: Oraculum Hori saltem respondebat de bonis animi & corporis: Isidis Oraculum de illis interrogabatur, quæ fluminis Nili incrementum & decrementum, nec non terræ fœcunditatem, & proventurorum fructuum ubertatem respiciebant. Sed *Marini* locum apponam. In Ægypto duplex Oraculi genus invenio. *Vnum possis dicere quodammodo* Universale, *quod de omnibus propositis negotiis & argumentis ad facta interrogata respondebat. Quale fuit in urbe Heliopolitana, Memphi; de quibusvis enim negotiis consulentes homines accipiebant*

cipiebant responsa promiscuè, attamen non semper loquebatur; sed interdum etiam notâ in Statua seu simulacro Idoli exhibitâ, quam Sacerdos variis gestibus excipiebat, & quærentibus interpretabatur. *Non tamen huc pertinet Statua Baalsephon: nam licèt fuerit hoc Numen à quibusdam dictum Custos AEgypti: non tamen erat Oraculum, nec servi vel alterius ex AEgypto fugientis vestigia indicabat, ut quærentibus & persequentibus pateret certitudo eum investigandi, & in pristinum locum reducendi; sed erat Idolum magicis artibus præparatum, cujus occulta virtute fugientis ex AEgypto sistebatur cursus, nec poterat is ulterius excurrere, sed tanquam enervatis membris ibi hærebat, ita ut à proposito fuga averteretur, & reverteretur.* *Seldenus tamen in lib. de Dis Syris Syntagm. 1. c. 3. p. 124. putat hoc sapere vim fabellæ ab AbenEzra primum excogitatæ, adeoq; per Baalsephon intelligi vult urbem.* *Sed hoc ἐν παρόδῳ.* *Alterum Oraculi genus possis appellare particulare, quod non de quibuscunque sed certis saltem rebus respondebat.* *Quale fuit Serapidis, Isidis, Hori, & Anubidis Oraculum. Serapis rationem Agriculturæ habebat, & quæ ad eandem faciebant, deducebantur in consultationem ad certum responsum ab eo consequendum: Isidis responsa directa erant ad terræ ubertatem.* *Hori elogia concernebant bona animi & corporis; utpote ingenium, mores, sanitatem, vitæ conservationem & similia. Anubidis autem sortes reflexæ erant ad scientias. Extra hasce materiarum metas frustra sollicitabatur Oraculi particularis responsum.*

Ab hisce Oraculis Æpyptiorum quatuor alia magni nominis in Græcia prodiisse Oracula statuit excellentissimus *Kircherus Tom. 2. par. alt. cl. 11. cap. 3. p. 444. Oedipi*, scilicet Delphicum in Jonia: in Lebadio Trophonium, in Milesia Branchidicum: Sabæum in Phocide: quibus adde Amphirai in Attica, ut & alia innumeris aliis locis constituta, quæ omnia responsa dabant locis obscuris, obsessisque à malignis spiritibus voce, somnis, gestu, nutuque statuarum, sonitu, tinnitu vel aliis signis. Qua ratione Dæmon tanquam superstitionum architectus sese furtim per Idololatriam in animas hominum insinuans illis variorum rituum & ceremoniarum devotiones inculcavit, quibus falsos Deos sub prætextu virtutis colerent, ut ipse sub his titulis Deo vero debitum honorē subtraheret, & ita in Græcia sua haberet sacra, quibus irretitos miseros homines contineret in falsa & superstitiosa religione beneficio Oraculorum. De illis autem in Græcia institutis Oraculis in specie nonnulla tradam, quæ non omnibus erunt obvia: Antequam verò illud propositum

ſitum exequar, inquirendum eſt in cauſas, ſi modò veræ adhuc inveſtigari queant, quare Græcia præ cœteris provinciis clariſſima in orbe habuerit Oracula. Græcia ſiquidem inclaruit 1. Sapientiæ ſtudio, quo cunctas ferè gentes ſuperavit, adeo ut *Ximenius* ſcripſerit : *vix ullum populum reperiri ſub Sole, à quo ſapientiæ ſtudia ita ſint exculta, quàm à Græcis, qui exinde quoque famam ſingularis ſapientiæ per univerſum orbem diſſeminarunt.* Neque quicquam exinde Græcorum laudibus decedit, quòd illorum ſapientes nonnulli pervagati ſint in Ægyptum uſque, ad jura & diſciplinas gentis iſtius cognoſcendum, ſicuti illud refert *Diodor. Sicul. lib. 1. p. 86. Biblioth.* Nam ſi ſapientum iſtorum ad Ægyptios profectorum ſcopum conſideramus, quare iter iſtud ſuſceperint, deprehendemus, factum id eſſe 1. *ut Iura & diſciplinas iſtius gentis perdiſcerent* : quibusnam legibus tam præclara provincia regeretur : quave ratione populus contineri poſſet in officio 2. *Ut myſteria ſacrorum cognoſcerent.* Hæc erant arcana, quæ nullis niſi initiatis velabantur. Vulgatior autem iis de ſacris erat fama, quàm ut terminis ſolius Ægypti concluderetur : quapropter multi deſiderio cognoſcendi talia etiam inter Græcos ſapientes commoti nihil antiquius habuerunt, quàm ut ſibi eorum pararent notitiam. Præterea 3. *in ſtudio antiquitatis præcipuè rerum patriarum & gentium vicinarum Ægyptii excelluerunt.* Cum *Solon* aliquando ab Ægyptiorum ſacerdotibus de vetuſtatis memoria quæſiviſſet nonnulla, tum ſacerdos dixit : *Se expertum eſſe, inter Græcos neminem habere ullam antiquitatis cognitionem.* Imò quidam ex ſacerdotibus grandis natu dixit : *O Solon, Solon! vos Græci pueri ſemper eſtis, nec quiſquam è Græcia ſenex.* Percontante Solone, cur iſtud ſacerdos iſte diceret ? reſpondit ille : *Quia juvenis ſemper vobis eſt animus, in quo nulla eſt ex vetuſtatis commemoratione priſca opinio, nulla cana ſcientia.* Sicuti illud refert *Plato in Timæo p. 1043.* Poteſt etiam & 4. hæc ratio addi, *ideo illos iter ad Ægyptios ſuſcepiſſe, ut ipſi ſibi pararent gloriam & admirationem apud Græcos. Diodor. l. 1. p. 86. Biblioth.* Solent namque illi, qui ad remotas gentes ſe contulerunt, admirationi, eſſe cœteris. Quicquid itaque ſit de Sapientum Græcorum peregrinatione; illud tamen certum manet, quòd ſtudia omnis bonæ eruditionis ibi floruerint, & nullibi tantam perfectionis metam attigerint atque in Græcia. 2. *Bonis Legibus*, qua de cauſa etiam Romani Legatos miſerunt in Græciam, ut bonas ibi leges notarent & Romam ſecum transferrent. *Dionyſ.*

Halicarn.

Halicarr. lib. 10. p. 676. p. 578. Inde etiam *Ius XII. Tabb.* apud Romanos extitit, *fons*, uti *Livius ait lib. 3 omnis publici privatique juris, & absolutum* velut corpus juris Romani. Quod *Cicero lib. 1. de Oratore* omnium Philosophorum bibliothecis anteponit. Videri potest *Anton. Augustin.* in pereximio Opere *de LL. & SCtis pag. 158.* ut & *Conrad. Rittershus. in Comm. ad LL. XII. Tabb. p. 4. & 5.* Egregium certè est, si quædam respublica optimis floreat Legibus. 3. *Urbibus splendidis:* Sicuti enim aliis rebus excellere, ita & urbium magnificentia eminere voluit, nisi quòd Spartani ejusmodi elegantiam non adeò magni fecerint.

De hisce ait *Ubbo Emmius in Epist. Dedicat. Veter. Græciæ. Gens quippe Græca non solùm per antiqua fuit; Sed etiam inter Europæos cultu ingenii ac morum, legibus & institutis, bonisq; artibus, denique rerum gestarum claritudine urbiumque celebritate usque ad tempora Romana multo præstantissima.* Urbium præstantiam in Græcia commendat vel sola Corinthus, ut de aliis dicam nihil; quæ ædium præstantia superbiit: Sicuti & Athenæ, Ephesus, Rhodus & Carthago hoc nomine celebrantur. 4. *Artificiosis operibus.* Græcia namque tulit homines ingenii solertia ad inveniendum rara, & excogitandum nova præditas. *Picus Mirandula* inquit: *Nihil excellentius inter homines olim repertum esse, quàm Græcorum sagacitatem aptam ad invenienda ea, quæ cæteri sunt mirati, ita ut quicquid elegans, excellens, rarum & curiosum esset, Græcorum opus: vel ne in Græcia quidem elegantius dari diceretur.* Et in omni genere artis excelluisse Græcos testis est antiquitas, quæ tot præclaris testimoniis earum gloriam ad posteros transmisit. 5. *Cultu Sacrorum:* Curam rerum sacrarum & religionis habuit præcipuam, ita ut in superstitionem degeneraverit. Et tanto studio amplexi sunt curam sacrorum, ut etiam alicubi ipsi Reges sacra peregerint, sicuti in Republica Laconum illud factum esse constat. *Arist. l. 5. c. 10. Polit. Herod. l. 6. c. 56. Ubbo Emmius Tom. 3. p. 147. Veteris Græciæ.* Idem *Aristoteles* refert de *Regibus Heroicis*, quòd ipsi quoque illa sacra peregerint, quibus peculiares sacerdotes non fuerunt præfecti.

Non dicam de Auspiciis, Extispiciis, & aliis divinationibus quibus supra modum dedita fuit natio Græcorum: unde etiam dubio procul Romani à Græcis rationem tot diversorum sacrorũ didicerunt. 6 *Oraculorum frequentia.* Hanc laudem tribuit Græciæ *Artemidorus*, quando sic scribit: *Nulla regio religione tam celebris quàm Græcia, in qua Dii ex*

alto se dimittunt, cum hominibus conversantur, & illis sapientiam inspirant: loquuntur cum illis, & quæ præterita sunt, illis communicant. & quæ futura sunt tam bona quàm mala de arduis rebus revelant. Neque hoc clàm, ne fucus videatur subesse, sed apertè publicis in locis, in quibus Deus pro sua voluntate se interrogari de futuris & secretis constituit. Quô facit, quod scribit *Nicephorus Callistus*: Græcia ob gloriam de frequentia Oraculorum videtur superbire. Et quidam è Græcis sapientibus redux in patriam factus in narratione rerum, quas in Ægypto vidisset, in hæc erupit verba: *Admiranda sapientiæ mysteria apud Ægyptios deprehendi, & in numero initiatorum inveni Pythagoram, qui circumcidi voluit ob abstrusam sapientiam perdiscendam: Græciam tamen nostram fatidicis Deorum responsis præ Ægypto excellere & florere æterna nostra gloria est.* Sed hisce missis, nunc videndum est, quænam sint causæ, quare Græcia tot Oraculis fuerit frequentata. 1. Quidam existimant, propter scientiarum variarum copiam, quâ excellebat Græcia, factum esse, ut ibidem Dæmon multa institueret Oracula: quòd intelligeret autoritatem illorum rectius hominibus innotescere non potuisse, quàm in tali loco, ubi optimæ artes, & liberalia studia præ alijs gentibus florerent. Etenim famâ Græcorum ob sapientiæ culturam passim disseminatâ, multi è diversis provincijs ac nationibus in Græciam se contulerunt, ut ab istis scientiarum Magistris variarum rerum & quidem solidiorem atque alibi sperari tum potuerit, cognitionem perciperent. Cum autem fieri nequeat, ut, cùm homines diversis in locis agunt, ubi publicam cultus divini & sacrorum curam à multis haberi vident, non simul in rationem cultus sacri, & modi Deum colendi inquirant; inde etiam factum, ut peregrini cæperint de Oraculis perquirere, illorum autoritatem observare, nec non illorum responsiones intelligere: & tot Magnatum, sapientum privatorum pariter & publicorum hominum pretiosis donarijs Oracula venerantium devotum animum admirari: Atque tum isti per literas quid ibi de Oraculis edocti, vel experti essent, suis parentibus aut amicis retulerunt: aut reduces facti enarrarunt. Ipsi ita Oraculorum dignitas etiam exteris passim innotuit. Quod ut fieret, expeditiorem viam vix eligere potuit Dæmon, quàm in Græcia communi fere Musarum hospitio Oracula constituendo. Et licèt Ægyptus videri voluerit superare Græcos arcanâ illa mysteriorum sacrorum doctrinâ, ut ita satius visum fuisset in Ægypto tot Oracula plantare, quàm in Græcia; attamen

men in Ægypto istæc secreta doctrina non communicabatur omnibus, sed quibusdam, & quidem sub fide silentij de ea non divulganda. Unde non tam multos cultores sapientiæ habere potuerit Ægyptus, quàm Græcia, nec fama Oraculorum exinde tàm commode quàm è Græcia exire potuerit in omnem terram. Hæc desumta sunt è *Ioseph Veccij dissert. de Oraculo Arietino seu Jovis Ammonis cap. 4. p. 21.* Vbi multas conjecturas adducit: nec non 2. & hoc addit: *Voluisse Dæmonem Oraculis frequentare Græciam, ut cùm regio istæc abundaret viris sapientibus, autoritatem istorum judicio prudentium & eruditorum probaret.* Solet enim id pluris æstimari, quod sapientum comprobatione firmatur. Constat autem Prudentes sæpius accessisse ad Oracula, & ab illis variarum rerum notitiam expetivisse; vel etiam eorum, quæ ipsi excogitassent, aut alijs imitanda proposuissent, confirmationem ibidem impetrasse. Deprehendo. 3. & hanc afferri rationem, quòd Græcis persuasum fuerit, ipsos antiquissimos esse inter populos: & præcipuè illud crediderint Athenienses, quorum urbs dicitur antiquissima & apud homines celeberrima. *Isocrates Panegyr. p. 89.* ipsique cives antiquissimæ originis. *Herodot l. 7. c. 161. p. 437.* ita ut propter ignorationem ortus sui aureas cicadas innexuerint cincinnis: qui etiam & alijs hoc cœperunt persuadere, & præcipuè gloriati sunt de antiquitate revelationis divinæ: Deos scilicet primum Græcis se manifestasse. Vnde dicitur *Sybax* (quod narrat è vetere MS. *Iosephus Veccius*,) aliquando tempore scilicet *Erichthonii quarti Regis Atheniensium*, qui regnavit Anno mundi 2463. vidisse *circa nemus* (arboretum) *lucidam flammam, & propius accedentem audivisse vocem: Græciam commendat antiquitas, sed postea eam claram faciet prophetia deorum, & splendor Athenarum.* Quod *Veccius* interpretatur de constitutione frequentium Oraculorum & celebritate Athenarum partim à splendore urbis: partim à studijs sapientiæ quæ postea ibi fere ad fastigium perducta sunt. Quod etiam ita contigit, nam nulla regio tàm celebris à Deorum responsis in tàm multis locis reddi solitis fuit, quàm Græcia, quòd accumulatis varijs testimonijs evincere conatur dictus Veccius. Ipsa quoque Vrbs Athenarum tàm splendida facta est, ut de ea dixerit Lysippus.

Εἰ μὴ τεθέασαι τὰς Ἀθήνας, στέλεχος εἶ·
Εἰ δὲ τεθέασαι, μὴ δὲ τεθήρευσαι, ὄνος·
Εἰ δ' εὐαρεςῶν ἀποτρέχεις κανθήλιος.

Si non

Si non vidisti Athenas, es truncus,
Si verò vidisti, & non earum amore irretitus, es asinus
Si verò inde discedis animo æquo, es asinus clientarius.

Quapropter scribit *Athenæus l. 1. c. 17. p. 20. Deipnosoph. splendidissimas omnium urbium, quas Iupiter illucet esse Athenas.* Sic & alterum illud factum est verum; nam literæ veluti templum habuerunt Athenas. *Iustin. l. 2. c. 6. n. 6 p. 41.* Unde urbs Athenarum dicta est *communis omnium hominum schola. Diodor. Siculus l. 13. p. 111.* Quàm pulchrè *Cicero* de Atheniensibus ioquatur, ostendunt ejus verba desumta ex *Orat. pro L. Flacco. c. 26. p. 273. Adsunt*, inquit, *Athenienses, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ, atque in omnes terras distributæ putentur: de quorum urbis possessione propter* pulchritudinem etiam inter Deos certamen fuisse *proditum est: quæ vetustate ea est, ut ipsa ex sese suos cives genuisse dicatur; & eorum eadem terra parens, altrix, patria dicatur: autoritate autem tanta est, ut jam fractum prope ac debilitatum Græciæ nomen hujus urbis laude nitatur.* Nescio num ne etiam huc trahendum sit, quod *Cornelius Nepos in vita T. Pomponii Attici* scribit: *Atticus in eam civitatem se contulit, quæ antiquitate, humanitate, & doctrina præstabat.* Quoniam igitur laudem antiquitatis apud omnes populos invenerant Græci; ideo ab initio Dæmon revelationes suas apud eosdem habere, & Oraculorum celebritatem in magna frequentia isti gloriæ antiquitatis adjicere voluit. Ut ita vanitas è vanitate consequeretur incrementum. 4 Alij putant ideo Oraculis abundasse Græciam, quod istæc regio ferè ad superstitionem esset nata, & in colendis Dijs præ alijs fervidum ostenderet studium. Verùm si hæc ratio quicquam ponderis habere debet, utique Ægyptus in superstitione, & multitudine Deorum Græciā multis modis superat. Illa enim usq; eò progressa est, ut pro Dijs colere cœperit *feles Herod. l. 2 p. 128.* Crocodilum *idem l. 2. p. 127.* Corvos *AElian. l. 7. c 18. p. 427. Hist. Animal.* Quin hortensia, uti est *allium & cepe* divinis honoribus affecit. *Plinius l. 19. c. 6 p 414. Minuc. Felix in Octav. p. 32. Prudent. l. 2 v. 864. p 309. contra Symmach. Iuvenal. satyr. 15. v. 10. p. 564.* Nilum quoque pro Deo habuit. *Athanas. in Orat. contra Gentes p. 20. Iulius Firmicus Maternus de Errore profanæ relig. p. 3 Iacob. Ouzelius ad Minuc. Felic. p. 16.* Nihilominus tamen tàm multa ibi non extiterunt Oracula. *Herodot. l. 2. c. 89. p. 119* ait: *Divinatio apud eos ita est constituta, ut ejus artificium nulli mortalium vendicetur, sed certis Dijs. siquidem*

quidem Herculis ibidem Oraculum est & Apollinis & Minervæ Dianæq; atq; Martis & Iovis. Sed quod præcipuè ex omnibus Oraculis colunt, Latonæ est in urbe Buti. Et si antiqua historiarum monumenta pervolvimus, in aprico erit, & alias gentes summa contentione eò enisos fuisse, ut certis ritibus certos colerent Deos, quorum favorem & protectionem sibi possent polliceri; non tamen constat, ob magnum desiderium venerandi Numina, ibi posita fuisse tam præclara Oracula, uti in Græcia factum est. Et licèt de illorum superstitione in publicis scriptis vel hodie testentur Viri Sapientes & fide digni; illis tamen in simili errore alii populi non fuerunt inferiores. Quapropter verissimum esse arbitror (salvo tamen rectius sentientium judicio; versamur namque in conjecturis saltem) Dæmonem Græcos præ aliis gentibus elegisse, ut sacra illis sua revelaret, & apud eos tot & tàm celebria conderet oracula. Quemadmodum verus Deus gentem Hebræam separavit ab aliis, eamque sua docuit jura & leges tàm in sacris, quàm civilibus: nec non illis dedit Doctores & Prophetas, à quibus in veritate doctrinæ confirmarentur, & à malis, impiis & sæpe insanis delictis revocarentur: constituit subinde Urim & Thummim, unde personæ illustres de arduis rebus futuris potuerint moneri, & quid agendum vel omittendum à Deo ipso informari: pari modo & Dæmon Græcos tum temporis præ aliis sibi selegit, ut apud illos foret clarus, præcipuè in reddendis Oraculis, quæ aliorum populorum animos detinuerunt attonitos, ut ipsi & loci divinitatem venerarentur: & populi felicitatem deprædicarent.

CAPUT II.

DE DELPHICO ORACULO.

I.

Antiquissimum fuisse Oraculum Delphicum perhibetur, ut quod centum annos ante Trojæ excidium constiterit. *Iosephus Veccius in dissert. de Oraculo Arietino c. 2. p. 9.* ubi de Oraculorum antiquitate disserit, & investigare vetustatem Oraculi Unius præ alio conatur, multis in medium allatis testimoniis veterum, palmam dat Delphico oraculo, illudque uti in multis aliis, sic etiam in antiquitate præfert Oraculo Arietino seu Ammonio, quando caput ita concludit: *E præmissis multiloquiis luculenter apparet, falsum illos profiteri, negantes Ammonis Oraculum habere*

bere originem hominibus notam, sed incertum esse, quando extiterit, & quem habuerit Autorem: Delphicum sane Oraculum longè vetustius est: quippe quod ante devastationem urbis Troianæ floruit: nemo tamen facile fide dignum depromet ex antiquis monumentis testimonium, quo possit planum reddi; rebus Troianorum florentibus ex Arietino Oraculo datum vel acceptum fuisse responsum. In illa quoque sententia, quòd Oraculum Delphicum fuerit ante Trojæ interitum, est quoque *Ianus Boissardus p. 108. de Divinat.* Verùm *Marinus ad Plut. de Oracul. p. 95.* Ægyptiorum Oracula nonnulla esse vetustiora oraculo Delphico contendit. Sed facilis est responsio: Nam nobis potissimùm est sermo de Oraculis in Græcia constitutis, inter quæ illud, quod Delphis fuit, antiquitate eminuisse creditur. Nec obstat, locum è *Veccio* adductum comparationem inter Delphicum & Arietinum Oraculum quoad antiquitatem exhibere; nam illo saltem ostendere placuit, Delphicum istud ante Trojæ desolationem extitisse. Quantum itaque ex historiis Græcis cognoscere licet, vix erit in Græcia oraculum, quod sit Delphico vetustius.

II. Fuit quoque Oraculum clarissimum. Quod indicat *Alexander ab Alexandro l. 6. c. 2. p. 603. Genial. dier.* his verbis: *Inter Oracula, quæ apud Græcos Assyriosq́; præcipuo cultu fuerunt, ad quæ homines ventitabant, Delphicum in terris clarissimum fuit cultu & religione longè excellere.* Fuit autem clarum & celebre Oraculum istud 1. propter religionis cultum pulcherrimum, quô animi spectantium in admirationem rapiebantur. Scribit *Laurentius Sifanus in Annot. ad c. 16. Actor. Si fanaticas gentilium ceremonias sacras, & ritus consideras, tum qui Delphis viguerunt ad externum splendorem & magnificentiam fuerunt compositi, quibus homines in admirationem rapti stercus pro auro adorarunt.* 2. Clarum illud fuit quoque ob multitudinem hominum, qui quotidie ibidem adventabant Oraculi consulendi causa. Consulebatur autem illud non solùm à plebeis & tenuioris sortis hominibus; verùm etiam à Regibus, Principibus, Ducibus bellicis, aliisque Magnatibus, magnis & parvis Magistratibus, prudentibus pariter & indoctis. Omnes enim velut ad communem fontem salutarem omnis solatii, consilii, & remedii plenum undiquaque accesserunt. 3. Celebritatem Oraculi hujus dicitur auxisse Pythiæ veritas: illius enim responsa pro verissimis habebantur, uti infra patebit. Accedit 4. ab omnibus antiquis Græciæ Scriptoribus dignitatem, & claritudinem istius Oraculi commendari: *Strabo in lib. 9. p. 419. Geogr.*

Geogr. addit. *quòd Delphico Oraculo accreverit celebritas à situ loci. Sunt enim Delphi siti ferè in medio totius Graciæ, quæ & extra Isthmum & intra est. Quin etiam in medio totius terrarum orbis jacere quidam senserunt,* Terræque umbilicum *dixerunt. Fabulam quoque commenti, quæ apud Pindarum refertur, ibi locorum convenisse duas aquilas (alii corvos aiunt) à Iove emissas, alteram ab ortu, ab occasu alteram Solis. Monstratur etiam Umbilicus quidam in eo templo fasciis velatus, inq; eo duæ imagines istius fabulæ.* De Umbilico etiam *Pausanias l. 10. p. 582.* ita ait: Qui à Delphis vocatur *Umbilicus* è candido marmore, *enim esse aiunt medium terræ universæ punctum. Congruunt cum hac opinione, quæ in quodam carmine cecinit Pindarus.* Similiter *Plutarchus in lib. de Oracul. defectu* ita ad *Terentium Priscum* ait in *Tom. 2. Oper. p. 409.* Aquilas quasdam fabulantur aut olores ab extremis terræ partibus ad medium ejus volatu eodem tendentes Pythiæ convenisse ad locum, cui *Omphale* id est, *Umbilico* nomen est. *Livius quoque lib. 38. cap. 47. p. 481.* Delphos vocat Umbilicum orbis terrarum: *Delphos quoddam commune humani generis Oraculum Umbilicum Orbis terrarum Galli spoliaverunt.* Varro reprehendit quosdam, qui Delphos dicerent *Umbilicum*, appellatum ab umbilico nostro: quandoquidem Illud falsum esse vel inde ostendit, *quòd is locus nec medius terrarum sit, neque noster umbilicus hominis medius: sed Delphis*, inquit, *in æde ad latus foraminis sit quiddam velut thesauri species, quod Græci ὀμφαλὸν vocarunt, id est, umbilicum.* Delphos autem esse locum in medio terrarum fabulæ potius acceptum fertur, quàm veritati, quæ est, quòd Jovem occupaverit cupiditas metiendi medium terrarum, & propterea dimiserit duas paris celeritatis Aquilas (*Strabo corvos dixit*) unam ab ortu, alteram ab occasu, quæ Pythona concurrerint, inque ejus rei argumentum duæ aureæ aquilæ illic postea dicatæ sint. Hinc factum est, ut Delphi censerentur medium terrarum tenere, uti Ovidius canit:

— — — — — *Et orbe*
In medio positi caruerunt præside Delphi.

Et veteres Delphos appellaverint *Umbilicum*: quod firmatur testimonio veteris Poëtæ, qui ait:

O sancte Apollo, qui umbilicum certum terrarum obtines.

III. Origo Delphici Oraculi: dicunt communiter à Pastore, quem Coretam vocant, inventum fuisse hoc Oraculum. Non eo sensu,

quòd ipse illud Oraculum invenerit, seu Autor & causa illius extiterit: sed quòd ipsi primum vis fatidica innotuerit, seu detecta fuerit casu quodam, cùm ipse capras suas, eo in loco, ubi adytum templi fuit, pasceret. Illæ enim, postquam ad cryptam istam accesserunt, miris gesticulationibus, & insveto balatu admirationem suo pastori crearunt. Qui postmodum & ipse ad eum locum se contulit; & divino furore statim correptus divinare & vaticinia proferre cœpit. Verùm aliquanto clarius rem istam juxta circumstantias, quæ à Diodoro Siculo & Plutarcho enarrantur, proponemus. Et quidem 1. narrant Historici, quòd hiatus terræ eo in loco, ubi nunc est adytum, enatus fuerit, & quidem satis ingens, ut in eum descendere licuerit. *Marinus* putat fuisse cryptam, è qua flammæ proruperint: sed hoc admitti nequit, si enim tale quid contigisset, capræ vi flammæ erumpentis fuissent deterritæ, quo minus accessissent. Neque pastor, uti refertur, ingressus fuisset in illam speluncam. An verò terræ quodam motu mons, vel locus circa montem scissus, aut arte quadam Dæmonis ad concitandam admirationem tanquam futuri Oraculi prænunciam ruptus fuerit, de eo nihil certi traditur. Verotamen videtur simile, quòd malus Genius, cùm ibi constituturus esset sedem tàm famosi Oraculi, diffindi curaverit locum istum, ut ibi primordia faceret futuræ divinationis. 2. Pastor quidam nomine Coretas, illud Oraculum seu vim divinandi prius detexit; Cùm enim ipse suas circa istum locum pasceret capras, & bestiæ illæ, uti fieri solet, pabulum secutæ ad hiatum istum pervenissent, tum mirum in modum ipsæ subsaltare, & insvetam vocem edere cœperunt. Quæ omnia non sine admiratione intuitus pastor & ipse accessit ad hiatum istum propius, sed eodem modo, uti capræ, affectus abjit, & vaticinatus est. Non malè quidem. 1. capræ istæ *prænuncia Oraculi* ab antiquo *Scholiaste Pindari p. 33.* dicuntur, quia ipsæ spiritu illo fatidico repletæ non quidem loqui potuerunt; attamen gestibus & voce sibi inusitatum quiddam accidisse, indicârunt; ita ut exinde illarum pastor rem insolitam animadvertens, & tàm miri effectus novitate perculsus ipse in se vim fatidicam expertus sit. 2. Licet pastor iste *verba furoris* locutus fuerit, aut quædam enunciaverit, quæ ipse non intelligeret, utpote intellectu vi spiritus è terra ascendentis planè repleto, non tamen *Marino* possum credere. 1. Quod Pastor iste artem vaticinandi intellexerit, & 2. Interpres Oraculorum primus con-

constitutus fuerit: nec non 3. ab Apolline immortalitate donatus officium præsidis indeptus unà cum Genijs dirigere cœperit Oraculum Delphicum. Nam ad 1. dico, quod de eo nihil in antiquis fastis reperiatur. Equidem id refert Diodorus, quòd pastor iste futuros eventus præcinerit, tum scilicet, cùm ille ad locum fatidicum accessisset; sed quod artem vaticinandi intellexerit, eamque retinuerit, hoc Diodorus non addit. Et fateor, me nihil de pastoris istius statu & conditione, postquam spiritu isto fatidico correptus fuit, potuisse observare, præterquam quod è *Luctatio Placidio* affert *Octavius Sylvius lib. 5. c. 13. p. 385. Antiquit. Græcanicarum*, ac si is vi spiritus fatidici occupatus in insaniam fuerit actus, inque furore isto fuerit mortuus. An isti sit habenda fides, non dicam: pro incerto illud quidem habeo, licèt à vero non abludat simpliciter. Itaque existimo Coretam pastorem repletum vapore isto terrestri, Dæmonis ope vel vatem egisse, & ebrij instar enunciasse talia, quæ ipse non intellexerit: vel etiam eo tempore quædam divinantium more prædixerit. Sicuti etiam idem & illis accidit, qui, auditâ fama de tantæ rei, & stupendi effectus insolita ratione, ubi se contulerunt ad locum istam, eodem furore agitati dixerunt admirationis verba. Ad 2. Nihil legitur in annalibus priscorum, hunc pastorem Coretam electum fuisse ab Apolline Interpretem Oraculorum. Neque constat antiquitus opus fuisse interprete, quod Sacerdos Pythia non tàm obscurè, uti postea, pronunciaverit Oracula. Neque constat præterea, an in principio conditi hujus Oraculi fuerit adhibitus mas ad explicandas Sortes, cùm expresè *Diodorus Siculus p. 428* doceat: Sortes à virginibus quondam editas esse, ob naturam incorruptam & sexus cum Diana communionem. Et *Marinus* incerta nititur conjectura, quando dicit Coretam ab antiquis dici: ἑρμηνεὺς τῶν μελλόντων, id est, interpretem futurorum. Illo siquidem encomio non exprimitur singulare officium interpretis, quo functus est Coretas; sed saltem indicatur, quòd futura tum temporis prædixerit. Qui actus nondum importat munus interpretis vaticinia & obscura Oracula interpretandi. Ad. 3. respondeo, quòd nihil certi in illa assertione reperiatur. Etenim nullus fide dignus scriptor, quantum ego intelligo, tale quippiam unquam de hoc Coreta dixit: Quæ verò ipse *Marinus* adducit, non sunt testimonia historicorum, sed *Scholiastrum*; quorum fidei licet nihil detractum velim, certius tamen est, si autoritas antiqui

 scri-

scriptoris afferatur. Ineptum autem videtur & illud, quòd cum Geniis officium Præsidis Coreta sit indeptus. Enimverò qui è Theologia Gentilium naturam Geniorum intelligit, fatebitur hæc, quæ à *Marino* dicta sunt, veritati neutiquam convenire. Proinde satius fuerit fateri, nos nescire, quid Coretæ post receptum istum fatidicum spiritum acciderit, ubi locorum permanserit? quonam postea functus fuerit officio? aut quos honores demum à suo Apolline fuerit indeptus. Cum talium ignorantia nobis nec obsit, nec prosit. Neque 4. pro certo constat, quasi illo in loco substiterit, & advenientibus futura prædixerit; nam expressè narrat *Diodorus lib. 16. p. 428.* quòd mos diu permanserit, ut, qui divinare vellent, antro appropinquantes de futuris alter alteri responderent. Si igitur hoc commune fuit omnibus ad illum locum venientibus, non potuit Coretæ illud munus fuisse proprium.

III. Quoniam illud Oraculum à capris, quæ circa montem illum, ubi postea fanum Delphicum est extructum, pascebantur, primitus est inventum; inde in memoriam rei tam magnæ & sacræ constitutum est, ut, qui Oraculum voluerunt consulere, soliti fuerint capras mactare, sicuti *Diodor. Siculus loco dicto* illud indicat. *Iosephus Veccius c. 12. p. 89. de Oraculo Arietino*; dicit *capras fuisse peculiariter sacratas, & à Sacerdote solennibus ritibus mactata, proiectis cornibus in peculiarem locum, & reservatis pellibus in pracinctorium, quô rem divinam facturi amiciebantur sacerdotes.* Et illud se desumsisse dicit ex antiquo Manuscripto notas seu Scholia ad *Pindarum* continente. Equidem de istis observationibus, earumque Autore nihil mihi constat, & quod ex istis adducitur, videtur probabile, sed non certum; cumprimis, cùm non exprimat *Veccius*, an Scholiastes iste propria autoritate illud ita narrat, an veterum testimonijs utatur. Interim, quod dicitur de immolatione caprarum, verum est, cujus etiam *Plutarchus in lib. de Defectu Oraculor. p. 638.* facit mentionem, ubi quoque de probatione victimarum agit, & illas fusiones, quæ ad probationem victimarum infundebantur, vocat τὰς πρώτας καταπωτείους, primas libationes; & infaustum fore sacrum; si hostia esset immobilis. Solebat autem capra probari non vino affusa, sed aquâ frigida, ad quam si immobilis perstitisset, apta non erat sacrificio. Rationem deducit *Plutarchus p. 437.* è natura rerum: nam naturale est, animal commoveri aqua aut vino sparsum, ac proinde sanum erit: si verò non moveatur neque tremat ad sparsionem illam, signum est,

est, tale animal affectum esse & morbidum. *Vide Ludovic. de Cerda ad l. 6. Virgil. Æneid. pag. 633.* Addit quoque Oracula non edi à sacerdote, nisi hostia post aspersionem aquæ, vel vini in reliquis animalibus, tota contremiscat & moveatur ἐξ ἄκρων σφυρῶν ab imis talis. Lacedæmone quoque solebant capras *Iunoni* immolare, quem morem *Hercules* invenisse dicitur; Ipse enim in honorem Junonis, quod ipsa in pugna *Hippocoontis filios* nullum impedimentum objecisset, constructô sacellô, capram ei sacrificavit, quod tum aliud animal invenire non potuerit. *Pausanias l. 3. p. 177.* Verùm ad historiam redeo, quòd scilicet capræ primum pastori suo monstraverint locum spiritu fatidico repletum. Rem è *Diodoro Siculo l. 16. p. 426.* adscribam: Ἐπεὶ δὲ τοῦ τρίποδος ἐμνήσθην, οὐκ ἄκαιρον προσαναλαβεῖν ἡγοῦμαι τὴν παλαιὰν περὶ αὐτοῦ παραδεδομένην ἱστορίαν· λέγεται γὰρ τὸ παλαιὸν αἶγας εὑρεῖν τὸ μαντεῖον, οὗ χάριν αἰξὶ μάλιστα χρηστηριάζονται μέχρι τοῦ νῦν οἱ Δελφοί. Τὸν δὲ τρόπον τῆς εὑρέσεως γενέσθαι φασὶ τοιοῦτον. ὄντος χάσματος ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ, καθ' ὃν ἐστι νῦν τοῦ ἱεροῦ τὸ καλούμενον ἄδυτον, καὶ περὶ τοῦτο νεμομένων αἰγῶν, διὰ τὸ μήπω κατοικεῖσθαι τοὺς Δελφούς, ἀεὶ τὴν προσιοῦσαν τῷ χάσματι καὶ προσβλέψουσαν αὐτῷ σκιρτᾶν θαυμαστῶς, καὶ προΐεσθαι φωνὴν διάφορον, ἢ πρότερον εἰώθει φθέγγεσθαι. Τὸν δὲ ἐπιστατοῦντα ταῖς αἰξὶ θαυμάσαι τὸ παράδοξον, καὶ προσελθόντα τῷ χάσματι, καὶ κατιδόντα οἷόν περ ἦν ταυτὸ παθεῖν ταῖς αἰξίν. Ἐκείνας τε γὰρ ὅμοια ποιεῖν τοῖς ἐνθουσιάζουσι, καὶ τοῦτον προλέγειν τὰ μέλλοντα γίγνεσθαι. μετὰ δὲ ταῦτα τῆς φήμης παρὰ τοῖς ἐγχωρίοις διαδοθείσης περὶ τοῦ πάθους τῶν προσιόντων τῷ χάσματι, πλείους ἀπαντᾶν ἐπὶ τὸν τόπον. διὰ δὲ τὸ παράδοξον πάντων ἀποπειρωμένων, τοὺς ἀεὶ πλησιάζοντας ἐνθουσιάζειν. δι' ἃς αἰτίας θαυμασθῆναί τε τὸ μαντεῖον καὶ νομισθῆναι τῆς γῆς εἶναι τὸ χρηστήριον. καὶ χρόνον μέν τινα τοὺς βουλομένους μαντεύεσθαι προσιόντας τῷ χάσματι ποιεῖσθαι τὰς μαντείας ἀλλήλοις. μετὰ δὲ ταῦτα καθαλλομένων εἰς τὸ χάσμα διὰ τὸν ἐνθουσιασμὸν, καὶ πάντων ἀφανιζομένων, δόξαι τοῖς κατοικοῦσι περὶ τὸν τόπον, ἵνα μηδεὶς κινδυνεύῃ, προφῆτιν μίαν πᾶσι καταστῆσαι γυναῖκα, καὶ διὰ ταύτης γίνεσθαι τὴν χρησμολογίαν· ταύτῃ δὲ κατασκευασθῆναι μηχανὴν, ἐφ' ἣν ἀναβαίνουσαν, ἀσφαλῶς ἐνθουσιάζειν καὶ μαντεύεσθαι τοῖς βουλομένοις. Τεχνικὴ

ita vertit Laurentius Rhodomannus: Postquam verò mentio Tripodis hic sese offert, historiam antiquitus de illo traditam hic repetere non intempestivum arbitror. Olim à capris oraculum hoc inventum memoratur. Cujus gratia, mactatis ut plurimum capris, ad hunc usque diem sortes fatidicas Delphi captant. Inventionis hunc porrò modum tradunt. Terra hiatus eo loco fuit, ubi nunc adytum (quod vocatur) templi existit, circumque hunc capra pascentes oberrarunt, quod Delphi tunc nondum colerentur. Ibi frequenter accidit, ut quacunque proprius ad voraginem accedens despiceret, mirum in modum exsultaret, & vocem ab usitata prius dissonam emitteret. Id pastor gregis ut insolens admiratus, quid rei foret, exploraturus accessit & ipse & despectans eodem modo, quo capra, adfectus abiit. Nam iste ut divino adflata spiritu se gerere; hic futuros eventus praecinere. Mox famâ per rupis accolas divulgatâ, quòd tam miris proximantes specui modis adficerentur plures eo loci convenire; Cumq; propter rei novitatem periculum facerent omnes, quicunque propius adierant, furore divino corripiebantur hinc locus ille ceu fatidicus pro miraculo habitus, terraq; oraculum esse creditum fuit. Duravit ad tempus ille mos, ut qui divinare vellent, antro propinquantes de futuris alter alteri responsarent: sed cùm multi per excessum mentis lymphaticum in specum desultarent, omnesq; è conspectu hominum auferrentur, consultius accolis visum, ne quis idem periculum incurreret, unum ex omni feminarum sexu vatem consecrari, quæ fatidicis posthac effatis præesset; machinamque ei fabricari, quâ conscensa, citra noxam afflata divino repleri, & consulentibus vaticinari posset. Hæc Diodorus. Quo cum facit *Plutarchus in lib. de Oracul. Def. ctu pag. 433.* ἀμαχεῖ δὲ καὶ τὰ τῆς φήμης συνᾴδει τῷ λόγῳ. καὶ γὰρ ἐνταῦθα τὴν περὶ τὸν τόπον δύναμιν ἐμφανῆ γενέσθαι πρῶτον ἱστοροῦσι, νομέως τινὸς ἐμπεσόντος κατὰ τύχην, εἶτα φωνὰς ἀναφέροντος ἐνθουσιώδεις· ὧν τὸ μὲν πρῶτον οἱ παραγενόμενοι κατεφρόνουν· ὕστερον δὲ γενομένων, ὧν προεῖπεν ὁ ἄνθρωπος, ἐθαύμασαν. οἱ δὲ λογιώτατοι Δελφῶν καὶ τοὔνομα τοῦ ἀνθρώπου διαμνημονεύοντες Κορήταν λέγουσιν. Latinè verba ita sonant: *Citra controversiam porro hanc rationem fama confirmat. Hàc enim vim loci huis primùm innotuisse ferunt, cum casu pastor quidam in eum incidisset, vocesque deinde à divino instinctu edidisset profectas, quas, cum initio sprevissent, qui aderant, postea eventu probatis quæ is prædixerat, mirati sunt Delphorum doctissimi, nomen quoque hominis perhibent Coretam.*

IV. An-

IV. Antequam de præstanti hujus Oraculi Templo aliquid dicam, verbo monendum est, quòd Oraculum istud non fuerit redditum in illo loco, ubi fanum istud excellens postea extructum est; sed in monte Parnasso Delphis propinquo. *Ianus Boissardus in Apolline Pythio libri sui de Divinationibus p. 108.* vult ex nomine montis illud ostendere; & provocat ad autoritatem *Caspari Peuceri, p. 230* qui talia commentatur: *Videtur appellatio* (Parnassi) *facta ex Hebræo Nahas, quæ vox augurium significat & divinationem* & Hur, *sed præposita in compositione litera* P. *vel* potius Parai, *quarum vocum prior* montem *significat, posterior* Hiatum, *ut ita sonet* Parnassus: *quod* mons vel rectius *hiatus divinationum.* Successu tamen temporis ad radices Parnassi incolæ supra specum aut hiatum istum condiderunt templum satis magnificum. De quo V. aliquid dicendum erit. Et quidem illud pulchre describitur *à Iustino l. 24. c. 6. n. 6. & seqq p. 359. 360.* his verbis: *Templum autem illud Apollinis Delphis positum est in monte Parnasso in rupe undique impendente: ibi civitatem frequentia hominum facit, qui ad affirmationem maiestatis undique concurrentes in eo saxo consedere, atque ita templum & civitatem non muri, sed præcipitia: nec manufacta; sed naturalia præsidia defendunt, prorsus ut incertum sit, utrum munimentum loci, non maiestas Dei plus hic admirationis habeat. Media saxi rupes in formam theatri recessit. Quamobrem & hominum clamor, & si quando accedit tubarum sonus personantibus & respondentibus inter se rupibus multiplex audiri, ampliorque quàm editur, resonare solet. Quæ res maiorem Maiestatis terrorem ignaris rei; & admirationem stupentibus plerumque affert. In hoc rupis anfractu, media fermè montis altitudine, planicies exigua est, atque in ea profundum terræ foramen, quod in Oracula patet: ex quo frigidus Spiritus vi quadam velut vento in sublime expulsus mentes vatum in vecordiam vertit, impletasq́; Deo responsa consulentibus dare cogit.* Hæc Justinus. In qua descriptione Justinus tria exhibet. 1. *Templi Situationem*: positum namque illud est in montis Parnassi rupe undique præcipiti, atque ita natura ipsa ibi munimentum ac præsidium fecit unde *Theocrit. Scholiastes* templum Delphicum collocatum scribit in rupe, quam natura muniverit, & firmaverit.

Strabo lib. 9. p. 418. Geogr. ait. Montis Parnassi latus austrinum tenent Delphi, locum saxosum *theatri forma*, in cujus vertice fanum est. *Pausanias l. 10. p. 570. Vrbs ipsa Delphis quavis ex parte in cli-*

vum resupinatur. Et eodem sanè est, quo oppidum situ, sacrum Apollinis septum. Spatio illud quidem peramplum in suprema urbis parte eminet: scindunt se illinc multifidi exitus. 2. Addit *Justinus*, quod in illa rupe audita fuerit Echo, Non addit quidem, quoties ingeminata fuerit vox, sed saltem in genere ait: *multiplicem ibi audiri sonum*: quæ verba indicant, sæpius, quàm bis & ter voces vel sonos fuisse redditos. Qua in re eleganter natura ludere dicitur. *Pausanias l. 2. p. 143.* scribit: *quod ad dextram Chthoniæ porticus sit, quam Echûs incolæ vocant. Ejus ea est natura, ut missa vox ut minimum imaginem triplicet.* Idem recitat *lib. 5. p. 305.* de porticu quadam, ubi septies vox reflexa fuit. Porticus dicitur *Pœcile*, id est, varia à picturæ varietate, qua olim parietes ornati fuerant. *Eandem multi Echûs nominant, quòd vocis emissæ imago septies & sæpius reciprocet.* Notat dignum exemplum addit *Jodocus Sincerus p. 455.* quod non procul à Charantonio, *ubi Matrona ponte transitur, Echo reperiatur, quæ terdecies humanam reddat vocem, ut alii observant: mihi undecies reddita fuit.* Insigne quoque exemplum hujus rei suppeditat *Tholosanus l. 15. c. 6. de Republ. pag. 650.* Quod per artem construi queat Echo, res caret dubio: Mirum est, quòd de carcere *Dionysii Tyranni* & *Auricula Archimedis* refert *Caspar Schottus par. 2. l. 2. Syntagm. 4. Histor. 2. p. 119. Magiæ univers. naturæ & artis.* Echo istæc fuit fabricata in loco quodam ad formam auriculæ elaborato, & quidem ea arte, ut desineret infernè in carcerem, supernè verò in Tyranni Dionysii conclave, ut audire posset omne verbum etiam quod submissè diceretur à Tyranno. 3. Oraculi descriptio, ubi nempe illud propriè fuerit, & qua ratione illud fuerit editum, & quomodo vatum mentes divino ac fatidico spiritu repletæ invecordiam actæ consulentibus dederint responsa: uti illud infra exponetur plenius. Templum istud multis donariis fuit refertum; Marcellus Romanus, vir fortis & strenuus, qui nullius generis pugnandi fuit expers vel rudis, & nemini, à quo provocabatur, detrectavit pugnam, omnésque interfecit, à quibus esset provocatus, *Plutarch. in Marcelli vita pag. 293.* fuso Gallorum exercitu, & reportatâ populo satis gratâ & accepta victoriâ, donum misit *Apollini Delphico* crateram scilicet auream centum pondo gratiæ referendæ causæ. *Plutarch. dicti libri pag. 702.* Crœsus acceptô à Majoribus imperiô, *in amplioris*, quàm illi nacti essent, *ac secundiorus fortuna spem erectus præcipua Deos religione colere statuerat. Itaque vi ac Nu-*

de Numine omnium exploratô, Delphicum Apollinem cunctis anteposuit, sicq́; paulo post aureis cùm pateris tùm crateribus, nec non infinita donariorum multitudine templum ejus exornavit, ut opibus ac divitiis longè quotquot toto orbe visebantur, brevissimo tempore superârit, prout hoc narrat *Eusebius l.5.c.20.p.211. & 212. de Præparat. Evangel.* Istius quoque à Crœso factæ donationis meminit *Strabo lib. 9. p. 420. Geograph.* quando ait: Initio quidem oraculo vicini duntaxat utebantur; insecutis deinde temporibus etiam procul advenere, qui Oraculum consulerent, & *dona è longinquis missa sunt regionibus, thesauriq́; conditi, ut à Crœso Patre ejus Alyatta, Italis Siculisque nonnullis.* De Liparæis refert *Diodorus Siculus l.5.p.292.* quòd multis navalibus pugnis *Hetruscos* vicerint, & manubiis Delphicum templum ornaverit; Verba ita se habent: μετὰ δὲ ταῦτα πολλαῖς ναυμαχίαις ἐνίκησαν τοὺς Τυῤῥηνοὺς, καὶ ἀπὸ τῶν λαφύρων πλεονάκις ἀξιολόγους δεκάτας ἀνέθεσαν εἰς Δελφούς: *Post hinc multis navalibus pugnis Hetruscos vicerunt, & memorabiles è spoliis decimas apud Delphos consecrarunt.* Quo cum *Strabo lib. 6. p. 275. Geogr.* consentit. De Delphici templi thesauris scribit *Ianus Boissardus p. 108. & 109. de Divinat.* hæc verba: Nullum fuit in tota Græcia templo Apollinis magnificentius, aut donariis locupletius. *Nam in eo statuæ plurimæ ex auro solido & argento magni ponderis, & artificii à Regibus & Principibus reposita erant, cum aliis donariis pretiosissimis, quæ ab omnis status hominibus religionis causa in sacrariis recondita erant.* De illo thesauro Delphici templi etiam scribit *Alexander ab Alexandro l. 6. c. 2. Genial. Dier. p. 604.* Delphos, ait, ex omni orbe viri principali dignitate insignes frequentes consultum ibant, eaque ex omnibus vera & longè clarissima Oracula habita sunt *Quare Regum populorumque amplissimis donis, muneribusq́; & multarum urbium thesauris refertum templum fuit, inter quos Agyllinorum & Spinensium non in postremis gaza fuerunt.* De Agyllæ thesauro refert *Strabo lib. 5. p. 220. Geograp.* Donarium, quod Agylla apud Delphos consecravit, vocatur *Thesaurus Agylleorum.* Idem *Strabo d. libr. p. 214.* meminit etiam thesauri, quem Spinenses Delphico Deo obtulerunt: dum ait: *Spinitarum thesaurus Delphis ostenditur.* Aliàs *Strabo lib. 9. p. 421.* de Spinetarum thesauro loquitur: *Reposita*, inquit, *sunt in thesauris donaria incolumibus adhuc inscriptionibus, quibus dedicatores indicantur. Gygis enim & Crœsi & Sibaritarum*; & Spinetarum *qui ad Hadriam* accoluerunt, veteres divitiæ ibi fuerunt. Nec tantum ibi pecuniam re-

conditam; sed etiam opera præclara artificum in templo Delphico repositā fuisse facilè *è Strabone lib. 9. p. 419.* patebit: *Nunc quidem fanum Delphicum negligitur: antiquitus autem maximo opere fuit cultum: quod thesauri à populis apparati demonstrant in quos consecratæ fuerunt pecuniæ repositæ,* & Opera artificum præstantissimorum. *Pausanias* postquam *lib. 10. pag. 580. & 581.* varia donaria Delphico templo consecrata commemoravit, tandem refert *p. 582.* quodnam fuerit omnium antiquissimum donarium: illud scilicet fuit parvum simulacrum Apollinis. Ita enim scribit: Echecratides homo Larissæus Apollinem parvum dedicavit: hunc Delphi dicunt antiquissimum esse, & sanè primum donariorum omniū. An verò inter Delphicum & Lauretanum hodiernum in Italia thesaurum comparatio possit institui, sicuti fecit *Iosephus Veccius cap. penult. de Oraculo Arietino*, qui Lauretanum ob divitias & rara opera præfert Delphico, illud quidem controversiam; attamen nullum habet usum. Negari non potest pretiosum quidem in templo Lauretano adesse thesaurum in honorem D. Virginis Mariæ consecratum & à multis Regibus ac Principibus indies augeri, quod credatur: ibidem ædiculam asservari, in qua B. mater Domini sederit, cùm angelus ad eam accederet, eique lætum afferret nuncium, quòd ipsa futura esset Deipara. Cujus ædiculæ historiam ut & stupendi pretij thesaurum è multorum donariis coacervatum persecutus est *Horatius Tursellinus* libris quinque, quos confutare voluit *Matthæus Berneggerus* in Scripto quodam, quod ipse vocat *Idolum Lauretanum*: nec non Thesauri partes enarrat *Iohannes Henricus Pflaumerus in Mercurio Italico p. 188. & 189.* An vero thesaurus Lauretanus anteferendus sit Delphico, id equidem dicere non audeo, quòd hodie certò non constet, quænam donaria olim in Delphico templo fuerint reservata. Credo itaque, qui pro præstantia thesauri Lauretani contendunt, facere id amore & affectu pietatis in matrem Domini: & quòd hodie Reges & Principes non cessent liberalitatem suam in honorem Mariæ exercere: è præsentium quoque rerum æstimatione quodammodo judicari possit de præstantia unius thesauri præ alio; Verùm ut hic certò quippiam definiri possit, hucusque vix poterit constare. Sed missis hisce tanquam incertis, redeundum est in viam, & dicendum, quòd thesaurus iste dissipatus, ipsúmque templum tandem destructum fuerit. Nam uti *Strabo lib. 9. p. 420.* ait, *Divitiæ, quia sunt invidiæ obnoxiæ, difficulter custodiuntur, etiamsi sacra sint. Priscis temporibus opulen-*

tum

tùm admodum fuit templum Delphicum, nunc quidem est pauperrimum & pecunia causa quædam sublata sunt donaria, pleraque tamen restant. Thesauri ereptio autem facta est à Phocensibus, unde *Phocicum sive sacrum exarsit bellum.* Neque à Phocensibus saltem, sed etiam à Tectosagibus templum illud fuit spoliatum, quod *Strabo lib. 4. p. 188.* refert his verbis: *Tectosagas quidem traditum est interfuisse Delphicæ expeditioni & thesauros, quos Tholosæ (ea urbs est Tectosagum) Cæpio Romanorum Dux invenit, partem fuisse pecuniarum Delphis ablatarum: quibus illi de suis facultatibus additione facta eas placandi numinis causa consecraverint. Itaq; Cæpionem, qui contrectasset eas, vitam in calamitatibus finivisse tanquam sacrilegum patria ejectum, relictis hæredibus filiabus, quas Timagenes scribit constupratas turpiter periisse. Probabilior autem est Posidonii narratio. Is inventas Tholosæ pecunias ait ccɪɔɔ ɪɔɔ circiter fuisse talentum, partim in sacrariis repositas, partim in sacris lacubus, neque signatas, sed aurum argentumque infectum fuisse. At templum Delphicum illo iam tempore vacuum fuisse huiusmodi rerum iam in sacro bello à Phocensibus spoliatum: neque verisimile esse Tectosagas in patriam rediisse salvos, qui post discessum à Delphis miseriis pressi ob dissensionem alii alio dispersi abierint.* Hæc Strabo. Aliquando etiam Philippus Rex Macedoniæ templum Delphicum in tuto collocavit, & Græciæ libertatem conservavit. Cum enim *Onomarchus* & *Philomelus* urbe Delphorum occupata impiè ac nefariè, sacrâ Deo pecunia essent potiti, tantam illi potentiam sibi compararunt, ut nemo Græcorum illis ausus fuerit resistere. Qui quoque non contenti illo sacrilegiò admissô universæ Græciæ dominari voluerunt. Quo tempore Philippus periculo ultro se objiciens Tyrannos sustulit, templum Delphicum in tuto collocavit, & Græciæ populis autor libertatis extitit. Quemadmodum illud prolixè narrat *Polybius lib. 9. p. 565 Histor. ar.* Cyrrhæi quoque Oraculum illud Delphicum voluerunt profanare, quod Solon impedivit, eáque propter clarius nomen apud Græcos obtinuit, de quo scribit *Plutarchus in vita Solonis p. 83.* his verbis: *Erat iam vel hinc celebris Solon & inclytus. maius tamen nomen & clarius apud Græcos paravit, cum causam defendendi templi Delphici suscipiendam, eique succurrendum nec permittendum, ut Cyrrhæi profanarent Oraculum, sed causa Apollinis subveniendum esse Delphis diceret.* Tandem tamen templum istud tempore Juliani fulmine incensum, & funditus eversum est; in cujus ruina simul incendio periit excellenti opere facta & deaurata statua Apollinis.

Ianus Boissardus de Divinat. p. 109. Ita magnificentia templi tàm celebris subversa, omnisque ejus gloria & dignitas periit. *Alanus Copus*, cujus verba producit *Iosephus Veccius*, de hujus templi interitu dicitur talia dixisse: *Lugent pagani Delphici templi destructionem: mirantur alii qui credunt, illud ad Hierosolymitani templi æmulationem esse conditum: deprædicant istius elegantiam: & opulentiam thesauri verbis describere nesciunt, sed infirmitatem Apollinis agnoscunt, qui suum domicilium non potuit servare ab interitu, nec vim ratiocinandi in eodem propagare.* Hactenus de templo.

VI Nunc de ipso Oraculo disserendum erit, quod Pythia Sacerdos Apollinis elocuta est. Etenim cum accolæ montis sacri antro isti fatidico appropinquantes alter alteri de futuris responderent: multi verò per excessum mentis lymphaticum in specum desultarent, & plurimi è conspectu hominum auferrentur, consultius visum est, ne in istud periculum & in posterum aliquis incurreret, vatem ex omni feminarum sexu consecrari, quæ fatidicis posthac effatis præesset. *Diodor. Sicul. lib. 16 p. 421.* Cœterum Phæmonoe προφῆτις πρώτη, id est, prima Interpres Apollinis memoratur. Hoc narrat *Pausanias lib. 10. p. 564.* his verbis: *Maxima fuit nominis celebritate Phemonoe, ut quæ Dei Interpres prima fuerit, prima etiam longioribus senariis.* Et licèt Bœó Delphica mulier carmen compositum Apollini dedicaverit, inque eo *Olena* laudaverit, ac si iste primus fuerit qui vaticinia eo in loco ediderit, dum ita canit:

Atque Olen *primus cecinit qui Oracula Phœbi*
Et veterum primus modulari carmina cœpit.

Attamen *Pausanias d. l.* tradit: *quòd communis hominum opinio priscæ memoriæ autoritatem secuta solas mulieres agnoscat Oraculorum interpretes.* Et uti Phemonoen vocat primam Apollinis interpretem; ita *p. 560.* eandem appellat *Ædituam & Internunciam Dei:* quæ in templo illo præsto est, & sicuti quæstiones hominum defert ad Apollinem; pari modo vicissim Dei responsum annunciat consulentibus. Inde in vetusto carmine describitur femina istæc

— *Hominumq; Deumq;*
Nuncia Phemonoe, quam Divus honorat Apollo

Hæc Apollinis vates hexametris reddidit Oracula, & primum carmen invenisse dicitur. *Photius in Bibliotheca pag. 983.* Καὶ μέλος πρῶτον μὲν εὕρηται Φημονόη ἡ Ἀπόλλωνος προφῆτις ἑξαμέτροις χρησμοῖς χρησαμένη,

καὶ ἴσπ-

καὶ ἐπειδή τις χρησμοῖς τὰ πράγματα εἵπετο καὶ σύμφωνα ἦν ἔπος τὸ ἐκ τῶν μέτρων κληθῆναι. Id est. *Meios primò reperit Phemonoe Apollinis sacerdos. Hexametris Oracula reddere solita. Et quoniam oracula res ipsa sequebantur, consonaque erant, hinc quod hexametris constat, id omne* Epos *dictum.* Id quidem facilè consentio: Primam fuisse Phemonoen, quæ versibus hexametris oracula exposuerit. illam autem esse *carminis Epici* inventricem, temerè haut dixerim, cùm alij, qui de re Poëtica commentati sunt, ejusmodi autoribus, qui istâ vate Apollinis longè vetustiores sunt, inventionem dicti carminis adscribant. *Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromat.* non semel hujus vatis & Sacerdotis Delphicæ facit mentionem qui tamen inventum carminis Heroici attribuit *Phanothea.* ἔτι φασὶ τὸ ἡρῷον τὸ ἑξάμετρον Φανοθέαν τὴν γυναῖκα Ἰκαρίου εὑρεῖν. *Phanotheam Icarii uxorem aiunt invenisse heroicum hexametrum.* Sed illud obiter. Idem *Clemens* refert, quòd *Phemonoe* centum & septem annis claruerit ante Orpheum. *Strabo lib. 9. p. 419.* Primam Pythiam vocat Phemonoen. Et observat *Eduardus Simson par. 2. Chron. Cathol. p. 15.* quòd cum celebre esset nomen Phemonoes, factum sit, ut aliæ, quæ pòst vixere mulieres fatidicæ, ab illa dictæ sint Phemonoes. Ita *Servius* testatur *Sibyllam Cumæam* appellatam esse Phemonoem. Et Pythia, quæ Appio Romano post multa secula responsum dedit Delphis, Phemonoe dicitur Lucano. Sed ad nomen Pythiæ ejusque munus in exponendis Oraculis revertendum est. Pythia fuit Sacerdos Apollinis ad officium exponendorum oraculorum adhibita, à qua mulieres Spiritum fatidicum habentes tale nomen sortitæ sunt. Ab illa quoque appellari creduntur *Pythones*, licèt alii ex Hebræorum sententia per eum qui habet Pythonem intelligant *mortuum, qui inter magi illius femora vel inter axillas in locis immundis apparet, loquens voce submissa perinde, quasi vox illa ex profunda ascenderet terra.* Est & alia *Pythonis* species, nempe, quo cranium mortui consulitur & responsum inde quæritur. *Isidorus Clarius ad Levit. c. 20. n. 6 p. 849. in Tom. 1. Critic. Sacror.* Quin volunt nonnulli, quod ab eadem appellationem traxerit *Pythomantis*, qua intelligitur omnis ille, qui in se habet Apollinem vaticinandi parentem, id est. Diabolum ipsum, & ita aliis futura prædicit. Vel *Pythomantes* sunt, qui ad exemplum Delphici Oraculi per occupationem, aut ingressum Dæmonis in corpus vaticinantis futura prædicunt. De Pythia vatici-

ticinante ita loquitur *Oecumenius ad c. 16. Actor.* apud *Martin. Delrio Comm. in Oedip. v. 231. p. 95.* Λέγεται ἡ πυθία αὐτὴ γυνή τις οὖσα ἐπικαθῆσθαι τῷ τρίποδι τοῦ Ἀπόλλωνος, διαιροῦσα τὰ σκέλη, εἶθ' οὕτως πνεῦμα πονηρὸν κάτωθεν ἀναδιδόμενον καὶ διὰ τῶν γεννητικῶν αὐτῆς διαδυόμενον μορίων πληροῦν τὴν γυναῖκα τῆς μανίας, καὶ ταύτην τὰς τρίχας λύουσαν λοιπὸν βακχεύεσθαί τε καὶ ἀφρὸν τοῦ στόματος ἀφιέναι, καὶ οὕτως ἐν παρανοίᾳ γενομένην τὰ τῆς μανίας φθέγγεσθαι ῥήματα. Id est, *Pythia dicitur mulier quæpiam quæ insidere solet tripodi Apollinis divaricatis cruribus: deinde hoc modo spiritus pravus infernè ascendens, & per loca mulieris transiens eam insania replebat: & hanc, solutis crinibus, sub hæc bacchari, spumamq; ore cogebat emittere, & ita in debacchatione constitutam insaniæ verba proferre.* Strabo illum Spiritum vocat πνεῦμα ἐνθουσιαστικὸν, id est, *spiritum furoris divini efficacem.* Locus habetur in *lib. 9. p. 419. Oraculum ipsum*, ajunt, *esse cavam profundi specum, aditu non admodum lato, ex ea* spiritum *efferri* furoris divini *efficacem.* Dum autem spiritus iste vatis artus occupat, & velut totum corpus pervadit, tum in respondendo miros ipsa ostendit gestus instar hominis furibundi. De quo scribit *Cicero lib. 2. de Divin. c. 54. p. 207. Quid verò habet autoritatis furor iste*, inquit, *quem divinum vocatis, ut, quæ sapiens non videat, ea videat insanus, & is, qui humanos sensus amiserit, divinos assecutus fuerit.* Hinc *Justinus l. 24. c. 6. n. 9. p. 360.* ait: *Ex profundo terræ foramine, quod in Oracula patet, frigidus Spiritus vi quadam velut vento in sublime expulsus, mentes vatum in vecordiam vertit.* Quod aliunde quàm è miris gesticulationibus magis colligi nequit. Ita ait. *Gregorius Nyssenus in vita Thaumaturgi.* Τῶν τριχῶν τε διερριμμένων καὶ ταῖς ἰδίαις χερσὶ παρατιλλομένων καὶ τῶν ὀφθαλμῶν ἀπεστραμμένων, καὶ τοῦ στόματος τὸν ἀφρὸν παραπτύοντος. *Laceratos crines vides propriis manibus evulsos, aversos oculos & os spumam emittens.* Et *Chrysostom. Homil. 29. in Epist. 1. ad Corinth.* apud *Leonem Allatium in Syntagm. de Engastrimytho. c. 4. in Tom. 8. Critic. Sacror. p. 336. Traditur Pythia femina fuisse, quæ in tripode sedens expansa malignum spiritum per inferna emissum, & per genitales partes subeuntem excipiens* furore replereretur, ipsaque resolutis crinibus baccharetur, & ore spumam emittens, *sic furoris* verba loquebatur. Horrendum relatu est, ne dicam, quin horrendum aspectu fuerit, quando Dæmon sacerdotis Pythiæ corpus ingrediendo sic commoverit eam, ut emotæ mentis facta velut furiosa evaserit. Quod dubio

dubio procul tum magna vi, & dolore peractum est, adeò ut *Plutarchus in lib. de Defect. Oracul. p. 438.* dixerit: Pythiam non sustinuisse vim Spiritus. Quod tamen eidem accidit cùm non amplius isto officio defungi, sed mori debuerit: uti textum ipsum intuenti facilè patebit. Egregiè *Lucanus l. 5. p. 149.* depingit illius vatis gestus sanè horroris plenos, quando ita canit.

—— —— Tandem conterrita virgo
Confugit ad tripodas, vastisque adducta cavernis
Hæsit, & insueto concepit pectore numen,
Quod non exhaustæ per tot jam secula rupis
Spiritus ingessit vati: tandemq; potitus
Pectore Cirrhæo, non unquam plenior artus
Phœbados irrupit pæan, mentemque priorem
Expulit, atque hominem toto sibi cedere jussit.
Pectore bacchatur demens aliena per antrum
Colla ferens, vittásque Dei Phœbeáque serta
Erectis discussa comis per inania templi
Ancipiti cervice rotat, spargitque vaganti
Obstantes tripodas, magnoq; exæstuat igne
Iratum te Phœbe ferens: nec verbere solo
Uteris: & stimulos, flammasq; in viscera mergis.
Accipit & frenos: nec tantum prodere vati,
Quantum scire licet. —— ——

Et paucis interjectis

Talis in Euboico vates Cumana recessu,
Indignata suum multis servire furorem
Gentibus, ex tanta fatorum strage superba
Excerpsit Romana manu, sic plena laborat
Phemonoë Phœbo, dum te consultor operti
Castalia tellure Dei vix invenit, Appi
Inter fata diu quærens tam magna latentem
Spumea tunc primum rabies vesana per ora
Effluit, & gemitus, & anhelo clara meatu
Murmura: tunc mæstus vastis ululatus in antris,
Extremæq; sonant domita jam virgine voces.

Hæc Lucanus; qui graphicè insanos Delphicæ Sacerdotis mores depinxit.

xit. Inde illa dicitur *pati Deum*. Quod observatum est *Georgio Ambianati ad c. 23. Tertulliani in Apolog. Observ. 2. p. 186. & 187.* Producatur aliquis ex iis, ait, qui de Deo pati existimantur, qui aris inhalantes numen de nidore concipiunt, qui ructando conantur, qui anhelando profantur. Multa enim fuere antra fatidica, in quibus vaticinabantur, quæ afflari, aut Deum pati dicebantur. Ita apud *Senecam in OEdipo* dicitur quis *Deum pati*. Quasi Deus ille vatis animum sensumque pervaderet, & ad libitum ageret; agebatur enim vates, & insilienti penitus subdebatur Spiritui. Apparet itaque, vates ipsos omnem prorsus humanitatem exuere, cùm divinum ignem & spiritum hauriunt, quô agitati magis extimulantur. *Petrus Crinitus l. 20. c. 1. p. 478. de Honesta disciplina.* Itaque Pythia respondebat spiritu immundo repleta, mente ac sensibus alienata. Et existimo, quòd hæc vis Dæmonis, quæ per partes corporis diffundebatur, afflatu suo ita hominem concitaverit, membraque omnia maximo cruciatu distenderit, mentemque spirituum atrorum atrâ caligine circumfusam, ac sensu & ratione alienatam, furori illi Dæmonum ac maniæ, quã μαντείαν hoc est *ratiocinationem* vocant, noxiam divexaverit, ut præter genarum pallorem, tremorem corporis, horrorem comarum, fremitum cordis, nutationem luminum, oculorum aversionem, vocis asperitatem, cervicis agitationem, partium reliquarum corporis lacerationem, sexcentaque alia, quorum passim apud Poëtas mentio est, sæpenumerò dirupti miseris modis animam informem abjicerent, vitamque cum morte commutarent: sicuti verba *Leonis Allatii in Syntagm. de Engastrym. c. 4. p. 337. Tom. VIII. Critic. Sacror.* Peregregiè & *Virgilius lib. 6. v. 45. & seqq. Æneid.* describit vaticinantem Sibyllam, quod & ipsa Deum passa, & incomtis comis anhelo, & feris cordibus rabie tumentibus futura prædixerit. Sic *Quintus Calaber l. 2.* Cassandræ vaticinanti incomtas comas tribuit. Supradictum est: Pythiam loqui *verba furoris*, quod etiam *Plutarchus* in lib. de Pythiæ Oraculis, fatetur, quando Sibyllam loquentem introducit μαινομένῳ στόματι, id est, ore furente. Inde *Nonnus* vocat τριπόδων θυάδα φωνὴν, id est, *tripodum furiosam vocem*. Pectore anhelo vaticinatam fuisse Pythiam, insigniter ob oculos ponit *Seneca in Agamemn. v. 706. p. 283. Silet repente Phœbas, & pallor genas, creberque totum possidet corpus tremor. Stetere vittæ, mollis horrescit coma, anhela corda murmure incluso tremunt. Incerta nutant lumina, & versi retro torquentur oculi; rursus immites rigent.* Qui plura de hisce

scire

scire desiderat, adire poterit *Ludovic. de la Cerda. ad d. l. pag. 608.* Illud præteriri non debet, quod nonnulli crediderint: *Numen concipi haut posse* nisi mens halitu inflaretur, & divino quodam concitaretur animo. Ita Tullius lib. 1. de Divin. ait: Anhelitus quosdam fuisse, quibus inflatæ mentes Oracula funderent. Tum verò concepto Numine, quasi à Deo, quem patiebantur, exagitati ructando conabantur, & anhelando profabantur. Uti antea è *Lucano* illud visum est. Illi sunt, quos *fatigatos anhelitus* vocat *Apuleius lib. 2.* Hinc crebri anhelitus: inde singultus, donec domitus adeò vaticinantis animus & ad nutum subditus factus fuerit. *Georg. Ambiannates ad c. 23. Tertull. in Apolog. Observ. 2. p. 186. & 187.* Putant nonnulli, Spiritus illos, qui feminas ob vaticinium occupabant, dictos fuisse ἐγγαστριμύθους, hoc est, *Ventriloquos.* Quo videtur pertinere, quod *Scholiastes Aristophanis in Vespis* de *Eurycleo* loquitur, illum scilicet fuisse ἐγγαστρίμυθον, διὰ τὸ ἐν ὑπάρχοντος αὐτῷ δαίμονος, seu à Dæmone intus latente. Sed de hisce ἐγγαστριμύθοις dixi *lib. 1. c. 3. p. 9. 10. 11.* Interea olim loquebatur Pythia carminicè, adhibitis quoque interpretibus, qui vim Oraculi declararent: Invenio tamen apud *Strabon. lib. 9. p. 419.* Pythiam partim carmine, partim soluta quoque oratione protulisse oracula. Sic enim ait Scriptor iste: *Supra orificium tripodem situm sublimem, quo conscenso Pythia ubi Spiritum exceperit carmine solutaq; oratione, sortes ab ea pronunciari: porro Poetas esse quosdam fani administros qui prosa oratione edita in versus numerosq; redigant.* Quomodo autem vox illa quæ à Pythia fuerit audita, sese habuerit, in eo dissidentes invenio Interpretes. Quidam namque putant: vocem istorum Dæmonum, neque sonoram, neque articulatam, neque plenam ad aures audientium penetrasse, sed peracutam quidem illam & stridulam exilemque fuisse expressam. Quod confirmatur exemplo illorum Dæmonum, qui à Ventriloquis & Necromanticis eliciuntur, utpote qui stridere potius, quàm loqui videntur. Qua de re præclara apud poëtas extant testimonia:

Dicit *Psellus*, quod Dæmones data opera tenuem & pusillam vocem edant, ut illorum mendacia propter indistinctam illius obscuritatem minus deprehendi possint. Et hic trahunt illud, quod legitur *Esaiæ 8. c. 19. Quærite à Pythonibus, & à divinis, qui strident in incantationibus suis. Franciscus Forerius in Comm. ad h. l. p. 474.* ita loquitur: *Vox Python est Spiritus in sepulchris mortuorum, & locis subterraneis, qui voce stridula*

respondet. Putat quoque nomine Pythonis intelligi ejusmodi Sciscitatorem, qui talem artem exercet, atque etiam umbras & manes evocat, sive vir sit, sive femina. Ea propter etiam mulier, quæ incantationibus suis Samuelem evocavit *1. Samuel. 20.* dicitur Pythonissa. An autem verus *Samuel* fuerit, vel saltem Spectrum sub externa Samuelis figura, cum quo Saul locutus fuerit, & ab eo instantis prœlij exitum cognoscere voluerit, disputatur inter doctos. Legi possunt *Belliolanus l. 1. c. 11. de Purgat. Leloxerius l. 4. c. 1. de Spectr. Delrio l. 2. qu. 6. p. 113. Disquisit. Magic. Vallesius de Sacra Philos. c. 33. Caspar Sanctius ad c. 28. Lib. 1. Samuel. fol. 489. & seqq. Munsterus, Isidorus Clarius & Hugo Grotius ad d. c. 28. lib. 1. Samuel. fol. 2368. & seqq. in Tom. 2. Critic. Sacror. Leo Allatius 7. & seqq. p. 341. & seqq. de Engastrim. in Tom. 8. Critic. Sacror.* Sed hoc obiter. Ex aliorum quoque monumentis constat, quòd Spiritus immundi in respondendo usi sint voce tenui, sibilante & stridula. Hermolaus Barbarus refert à se auditam esse vocem subsibilantis dæmonis, cum ille fortè de Aristotelis *entelecheia* interrogatus sibi & Georgio Placentino respondisset. *Remigius l. 1. c. 8. p. 80. Dæmonolat.* Qui addit *è Plinio l. 30. c. 2. p. 607.* quòd eadem curiositate *Appion Grammaticus* cùm Umbras evocasset ad percontandum Homerum, qua patria, quibusve parentibus genitus esset, non ausus fuerit profiteri, quid sibi respondisset. Quod *Remigius p. 81.* dicti libri ita interpretatur, *adeò confusa, ambigua, obscura ac debili voce locutum esse, ut clari certiq́; nihil inde elicere potuerit, quod postea referret.* Ubi etiam attexit Assyriorum & Chaldeorum λεκανομαντείαν qua id præstabatur, ut Dæmones è pelvi voce stridula, ac tenui sibilo ederent verba. Apud *Philostratum l. 6. c. 8. de Vita Apollon. Tyanei. p. 269.* legimus: apud Æthiopes ulmum ad Thespesionis Gymnosophistarum Præsidis imperium tenui & feminea voce salutasse Apollonium. *Erat autem, inquit, Ulmus tertia ab illa arbore,* sub qua disputabatur. Ea sapientem salutavit Apollonium, non antea tamen, quàm illi esset à Thespesione imperatum. Et erat vox distincta quidem, sed tenuis & femineæ similis. Hæc ille. Alij tamen volunt, auditas fuisse distinctas voces, & articulata verba quamvis intellectu obscura & dubia, quod multis exemplis, quæ etiam jam tum in primo libro allata sunt, illi strant. Nec obstant, quòd Interpretes Oraculorum adhibiti fuerint; nam illi Oracula retulerunt, & sic mentem Dæmonis aperuerunt hominibus. Quod verò Pythiæ genitalibus vox audita fuerit, non facilè credo. Illud qui-

quidem non nego: Occurrere exempla earum mulierum, è quarum pudendis locutus sit malus Genius; verùm de Pythia sacerdote illud fortean ab omnibus non admittetur. Vide quæ dicta sunt lib. I. c. 3. p. II. Puto itaque, salvâ dissentientium autoritate (quòd mihi non sit animus ea propter, cum aliquo contendere) Pythiam in respondendo locutam fuisse ore, instrumento ad loquendum à natura destinato, & protulisse verba, quæ auribus percipi potuerunt, licèt tàm facilè intelligi nequiverint. Huc pertinet, quod ait *Peucerus de Præcipuis Divinat. generib. tit. de Oraculis. p. 231. Dæmon ex obsessa Pythia concepta & ferè metris Græcis scitè admodum atque argutè, sed ambiguè nimis ac captiosè illigata responsa pronunciabat: cumq; in suam sese recepisset & abdidisset specum, Pythia ceu exonerata Spiritu, & ad sese reversa consistebat ac conquiescebat.*

VII. Sed nunc de Tripode aliquid erit dicendum, cui insedisse, & Oracula pronunciasse perhibetur Pythia. De Tripode diversæ dantur sententiæ, adeò, ut quænam proprie admitti debeat, ignorari videatur. Nihilominus diversorum Autorum sententias afferam, cùm istarum notitia faciat ad antiquitatum cognitionem, cui etiam in rebus scitu admodum non necessariis aliquid indulgendum erit. Sunt quidam, qui existimant *Tripodem* fuisse sellam tribus fultam pedibus: quamvis alij putent illum fuisse *vas pulveribus plenum.* Sanè *Erasmus in Adag. p. 246.* ait: Tribus fuit lebes fultus tribus pedibus. Cujus duo fuerunt genera: Unũ *Apollini* ob varietatem Oraculorum sacrum: alterum autem *Baccho*, propterea quòd qui vino sunt inebriati, vera loquantur, juxta istud antiquum proverbium: *In vino veritas.* Quidam de tripode ita disserunt, quòd fuerit *suggestus triplici graduum ordine diversus*, in quem vates conscenderit responsum editura, ut totius ἄσθμα[?] seu afflatum divinum conciperet. *Hadrianus Iunius l. 2. c. 3. p. 353. In Tomo 4. Criticor. Gruteri.* prolixus est in explicanda voce tripodis circa locum *Virgilii, qui habetur l. 5. AEneid. v. 109. & 110.*

—— —— Circaq; locantur
In medio sacri tripodes, viridesq; coronæ.

Quid scilicet per *sacros tripodas* intelligi debeat. Et primo confugit ad autoritatem *Athenæi qui l. 2. c. 2. p. 37. & 38. Deipnosoph.* docet, duo fuisse genera tripodum, quorum alterum dictum fuerit ἐμπυριβήτην, quo ad ignem utebantur calefaciendis aquis; alterum λέβητα χόας[?], quod

erat poculi genus ignis expers, in quo vinum miscebatur. Homerus vocat illud ἄπυρον τρίποδα, id est, *tripodem, qui non sentit ignem.* Ejusmodi autem tripodes, qui ignis injuriam non sentiunt, temperandoq; vino addicti sunt, *Libero Patri* seu *Baccho* sacri erant, ob veritatem in ebrietate sitam, ebrij namque mentiri non solent. Et ita tripus congruus veritatis index Apollini quoque ob Oraculorum certitudinem convenit. Opinatur tamen *Hadrianus Iunius* d. l. duas ob causas Tripodas à Virgilio dictos fuisse *sacros*, tum quia erant ἄπυροι, & proinde Baccho sacrati: tum quia erant ἀναθηματικοὶ, qui ad ædium Sacrarum ornatum converti poterant. Verùm *Ludovicus de la Cerda ad d. versicul. Virgilii p. 506.* non per omnia adstipulatur *Iunio*: ut nec reliquis simpliciter locum illum de præmiis, quæ in certaminibus dari solebant interpretantibus. Equidem verum est, tripodes fuisses certantibus consti utos tanquam præmium; inde scribit *Horatius l. 4. Od. 8.* ait: *Donarem tripodas premia fortium Graiorum.* Et uti *Levinus Torrentius* annotat. *p. 366.* Fortitudinis & constantiæ signum tripodem fuisse volunt, quòd scilicet is non facilè cadat. Hinc *Plutarchus in lib. de Gloria Atheniens.* tripodas vocat *Victoriales.* Et *Athenæus lib. 5.* inquit: *Ferebantur tripedes Delphici præmia ducibus Athletarum*: *Herodotus* quoque *lib. 1. c. 144. p. 61.* refert sequentia: *In certamine Apollinis Triopii tripodes victoribus constituebantur arei: quos acceptos non è sacro efferre, sed Deo ipsi donare ibidem oportebat. Quam legem violavit Agasicles Halicarnassensis victor in certamine, & tripodem secum abstulit domum. Ob quod commissum quinque hæ civitates Lindos, Ialyssus, Camirus, Cos atque Cnidus sextam civitatem Halicarnassum à Sacrorum participatione removerunt.* Verumtamen *Poëta* ad illam consvetudinem proculdubio non respexit: ut proinde attendenda sit *Caroli Paschalii l. 6. c. 13. de Coron.* explicatio, qui tripodas accipit non pro præmio; sed pro loco, ubi præmia erant posita. Hinc quando Poëta canit: *Tripodes viridesq; coronæ*, sensus est: *Super tripodibus coronæ erant posita.* Quod ille firmat more antiquo, quo præmia olympicorum ponebantur super tripode æneo. Et eum in finem adducit locum ex *Athenæi lib. 5. p. 210.* qui ait: *Coronas aureas virgineas positas fuisse super Delphicis tripodibus.* Quibus ita obiter visis, in viam redeundum est. *Dalecampius* in notis ad *Plinii lib. 34. c. 3. p. 666.* assentitur illis, qui opinantur: Tripodem fuisse suggestum triplici graduum ordine divisum, in quem editura respon-

ſponſum conſcendebat vates ad concipiendum afflatum divinum, qui ſæpe proprius adſtantes ſuffocaverat. Tripus erat ingens vas aureum Delphis repoſitum, quod inſternebatur lamina ærea ſeu menſa: integumentum & operculum tripodis vocant alij, quod conſcendebat, ibique ſedebat Pythia vaticinatura. Eam laminam ſeu cortinam tripodi impoſitam Græci appellant ὅλμον. *Iulius Pollux lib. 10. Onomast.* Τὸ δὲ ἐπίθημα τοῦ τρίποδος κύκλον καὶ ὅλμον δεῖ καλεῖν· ἐπεὶ καὶ τοῦ δελφικοῦ τρίποδος τὸ ἐπίθημα ᾧ ἐγκάθηται ὁ προφήτης, ὅλμος καλεῖται. *Tripodis integumentum oportet vocare orbem & holmum. Poſtquam & Delphici tripodis tegumentum cui vates inſidet, holmos dicitur.* Hinc quando *Prudentius in Apotheoſi v. 507. p. 177* dicit: Non tripodas *cortina* tegit; *Weitzius* ad illum locum obſervat *p. 640.* iſtâ voce intelligit holmum. Et addit æreas tripodum cortinas nomine Delphicas commemorare *Plinium l. 34. cap. 3. p. 666. Natur. Hiſtor:* quæ tamen nihil aliud ſunt, quàm illa tripodum integumenta. Cortinæ materiam fuiſſe ex ære notat Plinius dicto loco: Tripus tamen ipſe erat ex auro, quod apud *Interpretem Ariſtophanis in Pluto,* reperire licet: Χρυσοῦς δ' ἦν ὁ τρίπους ὅτι τιμία ἡ ὕλη, καὶ οἱ ᾀδόμενοι χρησμοὶ τίμιοι: *Tripus ex auro erat, nam materia hæc pretioſa, & pretioſa quoque oracula, quæ canebantur.* Inde aurum materiam certè pretioſiorem tegebat æs materia ſcilicet minus pretioſa. Legi poteſt eade re *Ludovicus de la Cerda ad lib. 3. Æneid. v. 92. p. 276.* Quando autem Pythia animo vaticinandi deſcendebat ad cortinam, dicebatur cum Deo eſſe. *Plutarch. de Pythiæ Oraculis p. 408.* ἡ δὲ Πυθία καθ' αὑτὴν μὲν ἐστι γενναία τὸ ἦθος, ὅταν δὲ ἐκεῖ δὴ κατέλθη καὶ γένηται παρὰ τῷ θεῷ, id eſt, *Pythia tam ipſa indole eſt generoſa, tum ſi deſcendit ad cortinam,* & cum Deo eſt. Idque ideo, quod tam ſpiritu divino ipſa repleretur, & à Dæmone occupata vim divinandi conſequeretur. Dæmon enim prius eam non invadebat, quàm ipſa conſcendiſſet tripodis cortinam, quæ repræſentabat menſam. Hinc eſt illud proverbium; λαλεῖν ἐκ τραπέζης; *loqui è menſa,* id eſt, è tripode, ſeu vaticinari: nam tripus impoſita cortina habebat figuram menſæ. Inde *Ianus Boiſſardus de Divination. p. 120.* ait: *Pythiam reſpondiſſe è cortina:* quo nihil aliud indicatur, quàm illam reſpondiſſe tum, cùm ipſa inſideret tripodis operculo.

Aliàs *Cortina* vaſis ruſticis annumerata olim fuit, ſed in ſpecie tripodis Delphici figurata *Apollini* ſacrata eſſe debuit, quod memorat *Pighius*

ghius lib. 8. Annal. Romanor. p. 88. his verbis: *Cortinam inter vasa rustica coquendis condiendisq; terræ fructibus aptissimam in tripodis Delphici specie figuratam Apollini sacratam esse voluerunt, cultum Numinis atque Sapientiæ pernecessarium esse putantes ad omne opus feliciter promovendum.* Sed ut paucis rem expediam: *Cortina fuit integumentum seu operculum tripodis, cui insidebat Sacerdos, cùm è suggestione Dæmonis consulentibus dabat responsa.* Hinc Cortina audit: *Sedile Pythiæ: Tabula veritatis divinæ: Sedes vaticinandi: Sella, à qua lux & veritas procedit*, quibus ut & multis aliis encomiis celebratur apud antiquos Scriptores. *Iosephus Veccius c. 4. p. 21. de Oracul. Ariet.* refert, se vidisse Tripodis Delphici figuram satis antiquam, & deprehendisse, illum tribus suffultum pedibus stetisse erectum; ita ut fulcra quoad latitudinem in extando superiorem ambitum excederent: Deinde cortinam exactè operuisse tripodem, & circulum supremum inclusisse satis aptè, quô firmiter eum in se contineret, nec ipsa cedere, sed potius eidem commodè adaptata immota jacere posset, ad securam & firmam sessuram præbendam insidenti. Ubi etiam contra illos acriter disputat, qui existimant cortinam fuisse quadratam: præterquam enim, quòd hæc opinio antiquitatis testimonio destituta sit, putat: figuræ rotundæ non convenire integumentum quadratum, cumprimis, si illud in usum sedilis adhiberi mereatur. Addit ulterius: cortinæ inscripta fuisse hæc verba: *Pythiæ sedes.* Circa pedes autem adjectum fuisse hoc encomium: *Divinatio Delphica.* Qui subinde arbitrantur, *lauri figuram cortinæ fuisse impressam in honorem Apollinis, cui laurus fuit sacra*, illi ob defectum antiqui testimonij non facilè impetrabunt fidem. Verùm omissâ illâ disputatione istud certum est, cortinam vocari ὅλμον μαντευόμενον, seu vaticinantem ab antiquo Scholiaste Pindari, quod quidem Pythia sederit, cùm responsum daret consulentibus, & de futuris illos informaret. Et qui *Cortinam* dicunt *Veridicam* proculdubio respiciunt ad autoritatem *Delphici Oraculi*, quod verissimum olim deprædicarunt, uti mox apparebit. Præterea in templo Delphico fuerunt collocatæ duæ aquilæ prope Tripodem, & quidem in memoriam istius fabulæ, quasi Iupiter duas aquilas miserit, unam ab Oriente, alteram ab Occidente ad inveniendam mediam orbis partem, quæ tamen convenerunt in eo loco, ubi Urbs Delphorum postmodum est condita, uti supra p. 247. illud fuit indicatum. Et de Ornatu aquilarum judicat *Pindarus in Pythiis Od. 4. v. 5. 6. 7.* & ibidem

ibidem *Schmidius p. 175.* qui etiam addit; quòd aquilæ istæ sublatæ fuerint in bello Phocico, & quidem sub Eumelo. *Honoratus d' Imbert l. 3. chap. 16. §. 5. p. 213. des choses curieus.* existimat: in signum eminentiæ & maximi honoris aquilas ibi habitas fuisse, ob summam Delphici Oraculi autoritatem. Sicuti olim & Tyranni & Reges in signum sublimitatis soliti fuerunt Aquilam sceptro imponere; uti de *Tarquinio Prisco* constat apud *Dionys. Halicarn. l. 3. p. 195. Et Clearchus Heracliensium Tyrannus* aquilam auream sibi præferri voluit. *Justin. lib. 16. c. 5. p. 275.* Quin & ipse Jupiter in prærogativam divinitatis præcœteris Dijs aquilam gestavit: Verùm id quidem non nego, Delphici Oraculi autoritatem præ alijs fuisse celebrem, & Reges quosdam in signum Regiæ dignitatis gestasse aquilas: at verò Delphico in templo ob eandem causam circa tripodem positas fuisse aquilas vix scriptor antiqvus & fide dignus confirmabit. Vbi non possum, quin illud, quod de Clearcho minus commodè assertur, paucis moneam, illum ob prosperos fortunæ successus adeò fuisse elatum ut oblivisceretur: *SE ESSE HOMINEM.* Et se Jovis filium diceret, & ita in argumentum *GENERIS seu familiæ* atque originis sibi per publicum eunti aquilam præferri passus sit. Qvinimò ad tantam vesaniam, dicam, an arrogantiam pervenit, ut unum ex filiis suis *TONITRVM* diceret. *Plut. l. 2. de Alex. Fortuna. p. 338.* quod etiam Justinus d. l. memorat. Jovem quoque gestare aquilam à Poëtis & alijs fabulas interdum consectantibus scriptoribus asseritur. Inde etiam ornamenta Jovis propria sunt: *Fulmen in dextra, & Aquila in sinistra manu Cerda ad L. 12. Virgil. Æneid. v. 244. n. 6. p. 700.* at in præeminentiam divinitatis præ alijs Dijs eum inter insignia habuisse aquilam, dubitare me impellit Imberti nuda assertio destituta veritatis antiquæ testimonio. Id tamen scio, originem hujus ornamenti referri ad fabulam; quòd Jovi contra Titanas bellaturo apparuerit aquila bono auspicio, & ex eo tempore ipsa fuerit sub istius tutela. Rectius itaque sentiunt, qui putant, in memoriam aquilarum, quæ à Jove ad investigandam mediam orbis partem emissæ Delphis convenerunt, istas aquilas prope Tripodem fuisse positas. Cui sententiæ insistendum, donec melior appareat.

IIX. De ceremonijs, quibus Pythia ad vaticinandum se præ-

parari ſolebat, aliquid addendum eſt. 1. *Solebat potare de fonte ſacro.* Lycophron dicit, fontem illum fuiſſe prope cryptam, locum illum ſcilicet, ubi Oracula proferebantur. Qui addit: Nemini niſi permittente Pythiâ licuiſſe ex illo fonte bibere: bibenti tamen honorem incuſſum fuiſſe. 2 *Laurum comedere.* Vtrumque tangit *Lucianus Tom. 2. Dial.* qui inſcribitur *Bis accuſatus p. 614.* Sacerdos Oraculorum interpres, poſtquam de ſacro latice bibit, & laurum manducavit ac tripodem impulit, adeſſe jubet. 3. *Laureâ quoque coronâ ſe cingere*, quod notat *Ouzelius ad Minuc. Felic. p. 151.* Quare verò adhibitæ fuerint hæ ceremoniæ, fortean omnibus non innoteſcit. Quod fontem ſacrum attinet, è quo Pythia biberit, refert Lycophron: aquam iſtius habuiſſe vim purgandi & abſtergendi, ut ita mens ſacerdotis purgata ab affectibus commodè potuerit divina effata recipere & reddere. De lauru res eſt plana; inde eſt apud Græcos crebrum proverbium: *Ex corona vaticinari.* Servus apud *Ariſtoph. in Pluto Chremylum* rogat: Τὶ δῆθ' ὁ φοῖβος ἔλακεν ἐκ τῶν στεμμάτων; *Quid locutus eſt Apollo ex coronis?* Hinc apud *Virgilium, l. 3. Æneid. v. 360.* Lauros ſentire, id eſt, *percipere Oracula*, quæ reddebantur à ſacerdote laurum geſtante. Manducaſſe quoque ſacerdotem laurum, è *Tibullo l. 2. Eleg. 5.* patet, qui ait:

> *Vera cano, ſic uſque ſacras innoxia laurus*
> *Veſcar, & æternum ſit mihi virginitas.*

Unde & ipſi vates dicti ſunt δαφνοφάγοι, id eſt, *Laurivori.* Quia vim divinandi ei ineſſe olim crediderunt. Inde Dionyſius *Laurum* vocat μαντικὸν φυτὸν, *vaticam arborem.* Et ſcribit Interpres *Heſiod. in Theogon.* quòd laurus efficax præbeat auxilium in Numinis afflatu. Plura qui de hoc ſcire deſiderat, is conſulat *Cœlium Rhodigin. l. 5. c. 7. p. 245. Lection. antiquar.*

IX. Sed & qui ſacrum Oraculum conſulere volebant, ſolebant (1.) *Sacrificare.* Ita monetur Æneas apud *Virgil. l. 6. v. 37. 38. 39. Æneid.*

> *Non hoc iſta ſibi tempus ſpectacula poſcit,*
> *Nunc grege de intacto ſeptem mactare juvencos*
> *Præſtiterit, totidem lectos de more bidentes.*

Juvenci autem mactandi debuerunt eſſe *intacti*, id eſt, *nondum jugo ſubmiſſi*, qui apud *Homerum lib. 6. Iliad.* vocantur *Indomiti.* Vetus enim fuit ſuperſtitio, quòd bos ſubactus jugo ad ſacrificium planè eſſet inutilis,

tilis, neque haberetur purus, utpote qui esset hominum manû, & labore rustico pollutus. *Turneb. l. 18. c. 2. p. 330.* An vinum in mactatam hostiam hoc loco infuderint Consulentes, memini me hactenus non reperisse; alias soliti fuerunt vinum adhibere, quod humanis ereptum usibus dicebatur *Inferium*, quod videre licet *in Arnobio l 7. p. 236. advers. Gentes.* Quem locum non malè explicat JCtus *Cuiacius l. 2. c. 18. p. 53. Observat.* Ut & *Gebhard. Elmenhorst. ad l. 7. Arnob. p. 188. Georg. Ambianat. ad c. 23. Tertulliani Apologet. Obs. 2. p. 186. 187.* deducit hoc; sacrificia fuisse adhibita, ut interea Numen conciperent, & Deum advocarent: nec non mentem precibus votisque incenderent; quem in finem adducit locum è *Virgil. l. 6. Æneid. v. 51.*

—— —— Cessas in vota precesq;
Tros, ait, Ænea? cessas? neque enim ante dehiscent
Attonitæ magna ora domus.

Confer, quæ habet *Wilhelm. Stuckius de Conviv. p. 86. & seqq.* Cæterum de more sacrificandi in consulendis oraculis observato, victimæ habitu, & motione plenè agit *Plutarch. in lib. de Oraculor. defect. p. 437.* Deinde (2) *oratione quadam brevi suam interrogationem sacerdoti exponere*, quod indicat *Philostratus l. 6. c. 5. p. 270. de Vita Apollon. Thyan.* ubi ait: σκέψαι γὰρ τὸν Ἀπόλλω, εἶπε, τὸν Δελφικὸν ὃς τὰ μέσα τῆς ἑλλάδος ἐπὶ περιφήμῳ λογίων ἔχει. Ἐνταῦθα τοίνυν ὥς που καὶ αὐτὸς γιγνώσκεις, ὁ μὲν πρὸς ὄνησιν δεόμενος, ἐρωτᾷ βραχὺ ἐρώτημα, hoc est, ubi vertit *Morellus*: *Licet enim Delphicum Apollinem intueri, qui medium Græciæ tenens, vaticinij responsis clarus habetur. Ibi igitur, ut ipse nosti, qui ab Oraculo aliquid poscit, brevi admodum oratione, quid poscat, exponit. Vel solebant quæstionem in pugillaribus scribere, & ita propositum in scriptis sacerdoti porrigere.* Scholiastes Aristophanis in Pluto ait: Οἱ μαντευόμενοι ἐν πυξιδίῳ ἔγραφον τὰς πεύσεις, στεφάνῳ τ' ἀμφιστάντες ἁβρῷ τῷ μαντιπόλῳ ἐχειροτόνουν: *Oraculum consulentes in pugillari quæstiones descriptas exhibebant verendo & magnifico vati.* Perlectâ autem quæstione, tripodem impulsum conscendebat Pythia seu sacerdos, & ad eam respondebat. An verò pugillare secum in tripodem assumserit, & ex eo quæstionem descriptam relegerit, uti putat modò laudatus *Honoratus d'Imbert p. 216.* affirmare non audeo. Provocat quidem ad autoritatem *Vercij*; verùm pace istius dictum sit, nihil ibi reperii, nisi quod de Sacerdote Oraculi referat: *Eum quæstionem sibi exhibitam perlegisse.* Sed de clara recitatione in tripode ne verbum

 quidem

quidem habet. Adducit locum ex antiquo Scholiaste: *οἱ μάντεις γεγραμμένην τὴν πεῦσιν ἀνέγνωσαν*: *Vates scriptam quæstionem* legerunt. Quod utique concedi potest, publicam tamen recitationem quæstionis propositæ è tripode exinde colligi posse, vero non videtur consentaneum. (3) *Laurea corona redimiti accedere.* Qui igitur ad Oraculum accedebant illud consulendi causa, coronati erant. Exemplum habemus in *Fabio Pictore* apud *Livium l. 22. c. 57. p. 224.* Qui Delphos ad Oraculum missus est sciscitatum, quibus precibus supplicationibusq; Deos ipsi possent placare, & quænam futura finis tantis cladibus foret. Quod verò coronatus ad Oraculum accesserit, idem *Livius l. 23. c. 11. pag. 230.* refert, utpote expeditâ illâ legatione Fabius recitat: se Oraculo egressum ex templo his omnibus divinis rem divinam thure ac vino fecisse, jussumque ab antistite, sicut coronatus laurea corona & Oraculum adiisset, & rem divinam fecisset; ita coronatum navim ascendere, nec ante deponere eam, quàm Romam pervenisset, se quæcunque imperata sint, cum summa religione & diligentia exsecutum, coronam Romæ in ara Apollinis deposuisse. Quod l. 1. c. 23. p. 181. & seqq. explicatum est. *Thrasybulus* Legatus Atheniensis Oraculum adiit coronatus, cui in itinere deprehenso, quivis obvius cum veneratione dixit salutem. *Scholiastes Thucydidis p. 322.* Quod quoque post acceptum responsum consulentes coronati abjerint, id nonnulli probare volunt ex *Athen. lib. 15. cap. 4. pag. 673. Deipnosoph.* qui tamen de Oraculo Delphico ibidem non loquitur. Interim *Scholiastes Euripidis in Hippolyto*, ait: *ἔθος γὰρ εἶχον οἱ Ἀρχαῖοι τοῦτο, ὅτι ἤρχοντο ἀπὸ μαντείας, ἐστεφανωμένοι ἤρχοντο, καὶ πάντες τοῦ οἴκου προσεκύνουν αὐτούς*: Græci habuerunt hunc morem, ut qui ab Oraculo redeunt, coronati redeant, & omnes domestici adorent seu venerentur eos. Vide *Lipsium in Epistolicis Quæstion. Epist. 21. p. 202. Tom. 1. oper.*

X. Solebant prius virgines ob naturam puriorem ad hoc officium divina Oracula pronunciandi eligere, quòd illi non possent ob judicij imbecillitatem penetrare, quid Deus occultis istis & penitus obscuris sæpe oraculis vellet, sicuti putat *Veccius*, quamvis *Diodor. Sicul.* existimet, ideo munus hoc commissum fuisse virginibus, *quòd inservandis Oraculorum secretis magis idoneæ viderentur.* Quoniam verò postea *Echecrates Thessalus* Pythiam sacerdotem virginem miræ venustatis adamavit, & raptam violavit, inde sancitum est, ne in posterum virgun-

virguncula ad istud officium admitteretur, sed femina major quadraginta annorum, quæ tamen virginali habitu in memoriam veteris vaticinandi moris uteretur. Rem totam describit *Diodorus Siculus lib. 16. pag. 428.* locum saltem è versione *Laurentii Rhodomanni* afferam: *Cum multi per excessum mentis lymphaticum in specum desultarent, omnesq; è conspectu hominum auferrentur; consultius accolis visum, nequis idem periculum incurreret, unam ex omni feminarum sexu vatem consecrari, quæ fatidicis posthac effatis præesset, machinamq; illi fabricari, quâ conscensâ, citra noxam afflatu divino repleri & consulentibus vaticinari posset. Sortes quondam à virginibus editas fama est, quòd & naturam haberent incorruptam, & sexus cum diana communionem. Adde quòd servandis Oraculorum secretis magis idoneæ videretur. Sed propinquiore memoria (aiunt) Thessalus quidam Echecrates ad Oraculum profectus ex fatidicæ virginis intuitu propter eximiam eius venustatem amore exardescit, raptaq; stuprum offert. Quod facinus Delphos impulit, ut lege sancita caverent, ne virguncula deinceps, sed femina quinquagenaria maior virgineo tamen ornatu ad moris antiqui in vaticinando memoriam Dei responsis præsideret.* Hæc ille. Qui verò Diodorum non habent, eandem historiam legere poterunt apud *Cælium Rhodigin. l. 8. c. 16. pag. 430. antiqu. Lection.* quamvis in eo cum Hiistorico non conveniat, quòd dicat: Sancitum esse, ut mulier quinquagenaria vaticinandi Pontificium munus gereret. Duo igitur ex hac historia colligimus. 1. *olim ad vaticinandi officium adhibitas fuisse virgines*, uti fuit Pythia, quæ post tripodis conscensionem divino Numine afflata sacra Oracula consulentibus exponerent. 2. *Post constupratam Pythiam munus istud demandatum fuisse feminis, in quibus cessaret periculum constuprationis*: Ne tamen pristinus mos per virgines respondendi penitus deficeret, voluerunt ut feminæ ad sortem istam delectæ habitum virgineum assumerent, & ita vestitu decus virginitatis in functione muneris exhiberent. Interdum enim sic mutatio rei instituitur, ut, si res ipsa obtineri amplius nequeat; attamen istius imago & simulacrum obtineatur. Interim Delphis non modò Pythia & postea femina sacerdos; sed etiam vir Propheta habitus fuit. Refert *Herodotus l. 8. c. 37. p. 474. & 475.* Xerxis tempore in Delphico templo fuisse quempiam sacerdotem, cui nomen erat *Aceratus*. Locus ita se habet: Omnes Delphi urbem deseruerunt, præter sexaginta viros ac *prophetam*, id est, *vaticinum*. Postea verò *quàm barbari subeuntes appro-*

 pinquar

pinquabant, templumq; cernebant, interim Propheta, cui nomen erat Aceratos inspicit ante delubrum sacra arma prolata è conclavi. Quinimò deprehendo & plures in Delphico templo simul & uno tempore ad fuisse vates: Cujus rei testimonium habeo in *Æliano lib. 10. c. 26. p. 603. & 604. de Histor. animal.* Etenim ibi inter alia causam dare vult, quare lupi simulacrum in templo Delphico habeatur & refert: cùm donaria è templo expilata & direpta, eademque à sacrilegis defossa fuissent, lupus hoc indicavit; cùm intra templum ingressus Prophetarum quempiam & quidem sacram illius vestem mordicus comprehendens traxit ad locum usque, in quo donaria occultata essent, deinde anterioribus pedibus eum ipsum locum effodit. Equo loco constat, plures uno fuisse sacerdotes in templo Delphico. An verò omnes Interpretis munere in explicandis Oraculis functi fuerint, & sacrorum curam habuerint, id non additur. Equidem potuerunt in isto templo plures esse sacerdotes, sed ut omnes isti Oraculorum vim explicarent, non dicitur. Etenim (1) è superioribus patet: Unam fuisse interpretem Pythiam; quâ vitiatâ legimus aliud quidem fuisse ordinatum; sed plures Prophetas constitutos, aut de illis ordinandis aliquid certi decretum fuisse ad explicanda Oracula, non ita constat. (2) Negari nequit, sæpe in magna frequentia concurrisse homines, Magnates, Principes, Duces belli, cives, & similes, qui omnes prius sacra fecerunt, quàm divinum responsum ad propositam quæstionem obtinuerunt: jam fieri non potuit, ut una Pythia, aut quæ in ejus locum postea successit, omnia illa sacra perageret, proinde vero non est absimile, aliorum ministerio sacrificia tàm multa fuisse exhibita. (3.) *Honoratus d' Imbert liv. 3. chap. 17. §. 31. p. 219. des chos. curieus.* ubi pluscula de Oraculo Delphico tradit, putat: Sacerdotes ordine vices interpretis subijsse, ita, ut quem ordo tangeret, is Oracula explicaret.

Provocat ad *Scholiastem Pindari in Pyth.* Sed fateor, illud, quod ab ipso adducitur, me reperire haut potuisse. Alij quidem antiqui scriptores mentionem faciunt plurium Prophetarum Delphicorum, sed quod ipsi ordinem in Oraculis reddendis observaverint, & ita facultatem interpretandi nacti fuerint in Tripode, non inveni, quantam licèt diligentiam in curioso hoc argumento evolvendo adhibuerim. (4.) Majorem veritatis speciem habet, si quis dicere velit: sacerdotes illos Pythiæ responsum consulentibus retulisse, & illis illud explicasse, vel carminicè reddidisse. Quod vel exinde fit verisimile, cùm constet: sæpe & Poë-

tas vatum nomine insigniri. Unde *Ovidius* de se & aliis Poëtis dicit: *Et sacri vates, & Divûm cura vocamur.* Ennius Poëtas appellat *Sanctos.* vide *Cerdam ad l. 6. Æneid. Virgil. v. 56. n. 6. p. 611.* Poëtas autem verba Oraculi in versus redegisse. *Strabo l. 9. p. 419. Geogr. & Plutarch in lib. de Pyth. Oracul. p. 457* testantur. Vide quæ l. 1. c. 10. p. 64. dixi. (5) Alias non videtur absurdum, si quis contendere velit, munus istud reddendi Oracula commissum fuisse sacerdotibus: sed illud saltem dubium remanet, quòd, cùm Pythia ad explicandas sortes fuerit delecta, & in ejus locū postea ordinatæ fuerint feminæ quadragenariæ, quæ virginali habitu indutæ Prophetico numere defungerentur, interim verò non legatur in templo Delphico virum sacerdotem ex tripode respondisse, illi sacerdotes immediatè responsa ab isto Deo non acceperint; sed illa accepta à Pythia consulentibus aperuerint, & mentem illorum ipsis explicaverint. Accedit etiam, (6) quòd laudatus *Imbertus p. 220* affert: Omnes feminas, quæ Pythiæ successerunt in illa functione reddendi Oracula, nomen Pythiæ retinuisse. Cui adjungo (6) testimonium *Pausaniæ qui lib. 10. p. 564.* ait: *Communis hominem opinio priscæ memoriæ autoritatem secuta solas agnoscit mulieres Oraculorum interpretes, quæ nempe ad quæstionem à consulentibus vel recitatam vel pugillari inscriptam à Deo ipso acceptum responsum redderent.* Ut ita sacerdotes vel in explicandis, vel in carmina redigendis Oraculis, vel in sacris faciendis, aut similibus occupati fuerint. Cui sententiæ insisto, donec certiora quis docuerit. Cæterùm Delphis vaticinata est *Manto Tiresiæ* filia, quæ occupatis Thebis inter captivas ad Apollinem ducta est Delphos, cùm ejus pater in via ad *Haliartum* mortuus esset. *Pausanias l. 7. p. 567.* Ubi autem aliquamdiu reddidit Oracula in Asiam trajecit, & *Rhacio* Cretensium duci nupsit, & ex eo suscepit Mopsum. Vide *Ioan. Boissard. de Divin. p. 160.* Hæc dicitur condidisse Clarij Apollinis fanum & ibi Oraculum postea celebre constituisse. Confer quæ habet *Eduard. Simson par. 2. Chron. p. 53.* Quamvis *Diodor. Siculus l. 4. p. 269.* de Daphne alia Tiresiæ filia referat, illam, captis Thebis, ex voto, ut manubiarum primitias, Delphis consecratam fuisse. Addit Scriptor: *Hæc divinandi scientia patri non cedens magna ejus dum inter Delphos agit, incrementa fecit. Mira quadam puellæ indoles fuit, variisq; Oraculis singulari artificio conscribendis operam dedit. A qua non pauca mutuatus carmina Homerus ad poëseos suæ ornatum transtulit.* Hæc Diodorus. *Cœlius Rhodiginus l. 14. c. 1. p. 730. Lect. antiqu.* ut & *Boissard.*

erat poculi genus ignis expers, in quo vinum miscebatur. Homerus vocat illud ἄπυρον τρίποδα, id est, *tripodem, qui non sentit ignem.* Ejusmodi autem tripodes, qui ignis injuriam non sentiunt, temperandoq; vino addicti sunt, *Libero Patri* seu *Baccho* sacri erant, ob veritatem in ebrietate sitam, ebrij namque mentiri non solent. Et ita tripus congruus veritatis index Apollini quoque ob Oraculorum certitudinem convenit. Opinatur tamen *Hadrianus Iunius* d. l. duas ob causas Tripodas à Virgilio dictos fuisse *sacros*, tum quia erant ἄπυροι, & proinde Baccho sacrati: tum quia erant ἀναθηματικοὶ, qui ad ædium Sacrarum ornatum converti poterant. Verùm *Ludovicus de la Cerda ad d. versicul. Virgilii p. 506.* non per omnia adstipulatur *Iunio*: ut nec reliquis simpliciter locum illum de præmiis, quæ in certaminibus dari solebant interpretantibus. Equidem verum est, tripodes fuisses certantibus constitutos tanquam præmium; inde scribit *Horatius l. 4. Od. 8.* ait: *Donarem tripodas præmia fortium Graiorum.* Et uti *Levinus Torrentius* annotat. *p. 366.* Fortitudinis & constantiæ signum tripodem fuisse volunt, quòd scilicet is non facilè cadat. Hinc *Plutarchus in lib. de Gloria Atheniens.* tripodas vocat *Victoriales.* Et *Athenæus lib. 5.* inquit: *Ferebantur tripodes Delphici præmia ducibus Athletarum*: *Herodotus* quoque *lib. 1. c. 144. p. 61.* refert sequentia: *In certamine Apollinis Triopii tripodes victoribus constituebantur ærei; quos acceptos non è sacro efferre, sed Deo ipsi donare ibidem oportebat. Quam legem violavit Agasicles Halicarnassensis victor in certamine, & tripodem secum abstulit domum. Ob quod commissum quinque hæ civitates Lindos, Ialyssus, Camirus, Cos atque Cnidus sextam civitatem Halicarnassum à Sacrorum participatione removerunt.* Verumtamen *Poëta* ad illam consvetudinem proculdubio non respexit: ut proinde attendenda sit *Caroli Paschalii l. 6. c. 12. de Coron.* explicatio, qui tripodas accipit non pro præmio; sed pro loco, ubi præmia erant posita. Hinc quando Poëta canit: *Tripodes viridesq; coronæ,* sensus est: *Super tripodibus coronæ erant positæ.* Quod ille firmat more antiquo, quo præmia olympicorum ponebantur super tripode æneo. Et eum in finem adducit locum ex *Athenæi lib. 5. p. 210.* qui ait: *Coronas aureas virgineas positas fuisse super Delphicis tripodibus.* Quibus ita obiter visis, in viam redeundum est. *Dalecampius* in notis ad *Plinii lib. 34. c. 3. p. 666.* assentitur illis, qui opinantur: Tripodem fuisse suggestum triplici graduum ordine divisum, in quem editura respon-

ſponſum conſcendebat vates ad concipiendum afflatum divinum, qui ſæpe proprius adſtantes ſuffocaverat. Tripus erat ingens vas aureum Delphis repoſitum, quod inſternebatur lamina ærea ſeu menſa: integumentum & operculum tripodis vocant alij, quò conſcendebat, ibique ſedebat Pythia vaticinatura. Eam laminam ſeu cortinam tripodi impoſitam Græci appellant ὅλμον. *Iulius Pollux lib. 10. Onomaſt.* Τὸ δ' ἐπίθημα τοῦ τρίποδος κύκλον καὶ ὅλμον δεῖ καλεῖν· ἐπεὶ καὶ τοῦ δελφικοῦ τρίποδος τὸ ἐπίθημα ᾧ ἐγκάθηται ὁ προφήτης, ὅλμος καλεῖται. *Tripodis integumentum oportet vocare orbem & holmum. Poſtquam & Delphici tripodis tegumentum cui vates inſidet, holmos dicitur.* Hinc quando *Prudentius in Apotheoſi v. 507. p. 177* dicit: Non tripodas *cortina* tegit; *Weitzius* ad illum locum obſervat *p. 640.* iſtâ voce intelligit holmum. Et addit æreas tripodum cortinas nomine Delphicas commemorare *Plinium l. 34. cap. 3. p. 666. Natur. Hiſtor:* quæ tamen nihil aliud ſunt, quàm illa tripodum integumenta. Cortinæ materiam fuiſſe ex ære notat Plinius dicto loco: Tripus tamen ipſe erat ex auro, quod apud *Interpretem Ariſtophanis in Pluto*, reperire licet: Χρυσοῦς δ' ἐστὶν ὁ τρίπους ὅτι τιμία ἡ ὕλη, καὶ οἱ ᾀδόμενοι χρησμοὶ τίμιοι: *Tripus ex auro erat, nam materia hæc precioſa, & precioſa quoque oracula, quæ canebantur.* Inde aurum materiam certè pretioſiorem tegebat æs materia ſcilicet minus pretioſa. Legi poteſt eade re *Ludovicus de la Cerda ad lib. 3. Æneid. v. 92. p. 276.* Quando autem Pythia animo vaticinandi deſcendebat ad cortinam, dicebatur cum Deo eſſe. *Plutarch. de Pythiæ Oraculis. p. 408.* ἡ δὲ πυθία καθ' αὑτὴν μὲν ἐστι γενναία τὸ ἦθος, ὅταν δὲ ἐκεῖ δὲ κατέλθῃ καὶ γένηται παρὰ τῷ θεῷ, id eſt, *Pythia tam ipſa indole eſt generoſa, tum ſi deſcendit ad cortinam*, & cum Deo eſt. Idque ideo, quod tam ſpiritu divino ipſa repleretur, & à Dæmone occupata vim divinandi conſequeretur. Dæmon enim prius eam non invadebat, quàm ipſa conſcendiſſet tripodis cortinam, quæ repræſentabat menſam. Hinc eſt illud proverbium; λαλεῖν ἐκ τραπέζης; *loqui è menſa*, id eſt, è tripode, ſeu vaticinari: nam tripus impoſita cortina habebat figuram menſæ. Inde *Ianus Boiſſardus de Divination. p. 120.* ait: *Pythiam reſpondiſſe è cortina*: quò nihil aliud, indicatur, quàm illam reſpondiſſe tum, cùm ipſa inſideret tripodis operculo.

Aliàs *Cortina* vaſis ruſticis annumerata olim fuit, ſed in ſpecie tripodis Delphici figurata *Apollini* ſacrata eſſe debuit, quod memorat *Pighius*

ghius lib. 8. *Annal. Romanor. p. 88.* his verbis: *Cortinam inter vasa rustica coquendis condiendisq; terræ fructibus aptissimam in tripodis Delphici specie figuratam Apollini sacratam esse voluerunt, cultum Numinis atque Sapientiæ pernecessarium esse putantes ad omne opus feliciter promovendum.* Sed ut paucis rem expediam: *Cortina fuit integumentum seu operculum tripodis, cui insidebat Sacerdos, cùm è suggestione Dæmonis consulentibus dabat responsa.* Hinc Cortina audit: *Sedile Pythiæ: Tabula veritatis divinæ: Sedes vaticinandi: Sella, à qua lux & veritas procedit*, quibus ut & multis aliis encomiis celebratur apud antiquos Scriptores. *Iosephus Veccius c. 4. p. 21. de Oracul. Ariet.* refert, se vidisse Tripodis Delphici figuram satis antiquam, & deprehendisse, illum tribus suffultum pedibus stetisse erectum; ita ut fulcra quoad latitudinem in extando superiorem ambitum excederent: Deinde cortinam exactè operuisse tripodem, & circulum supremum inclusisse satis aptè, quò firmiter eum in se contineret, nec ipsa cedere, sed potius eidem commodè adaptata immota jacere posset, ad securam & firmam sessuram præbendam insidenti. Ubi etiam contra illos acriter disputat, qui existimant cortinam fuisse quadratam: præterquam enim, quòd hæc opinio antiquitatis testimonio destituta sit, putat: figuræ rotundæ non convenire integumentum quadratum, cumprimis, si illud in usum sedilis adhiberi mereatur. Addit ulterius: cortinæ inscripta fuisse hæc verba: *Pythiæ sedes.* Circa pedes autem adjectum fuisse hoc encomium: *Divinatio Delphica.* Qui subinde arbitrantur, *lauri figuram cortinæ fuisse impressam in honorem Apollinis, cui laurus fuit sacra*, illi ob defectum antiqui testimonij non facilè impetrabunt fidem. Verùm omissâ illâ disputatione istud certum est, cortinam vocari ὄλμον μαντευόμενον, seu vaticinantem ab antiquo Scholiaste Pindari, quod quidem Pythia sederit, cùm responsum daret consulentibus, & de futuris illos informaret. Et qui *Cortinam* dicunt *Veridicam* proculdubio respiciunt ad autoritatem *Delphici Oraculi*, quod verissimum olim deprædicarunt, uti mox apparebit. Præterea in templo Delphico fuerunt collocatæ duæ aquilæ prope Tripodem, & quidem in memoriam istius fabulæ, quasi Iupiter duas aquilas miserit, unam ab Oriente, alteram ab Occidente ad inveniendam mediam orbis partem, quæ tamen convenerunt in eo loco, ubi Urbs Delphorum postmodum est condita, uti supra p. 247. illud fuit indicatum. Et de Ornatu aquilarum judicat *Pindarus in Pythiis Od. 4. v. 5. 6. 7.* & ibidem

ibidem *Schmidius p. 175.* qui etiam addit; quòd aquilæ istæ sublatæ fuerint in bello Phocico, & quidem sub Eumelo. *Honoratus d' Imbert l. 3. chap. 16. §. 5. p. 213. des choses curieus.* existimat: in signum eminentiæ & maximi honoris aquilas ibi habitas fuisse, ob summam Delphici Oraculi autoritatem. Sicuti olim & Tyranni & Reges in signum sublimitatis soliti fuerunt Aquilam sceptro imponere; uti de *Tarquinio Prisco* constat apud *Dionys. Halicarn. l. 3. p. 195.* *Et Clearchus Heracliensium Tyrannus* aquilam auream sibi præferri voluit. *Justin. lib. 16. c. 5. p. 275.* Quin & ipse Jupiter in prærogativam divinitatis præcœteris Dijs aquilam gestavit: Verùm id quidem non nego, Delphici Oraculi autoritatem præ alijs fuisse celebrem, & Reges quosdam in signum Regiæ dignitatis gestasse aquilas: at verò Delphico in templo ob eandem causam circa tripodem positas fuisse aquilas vix scriptor antiqvus & fide dignus confirmabit. Vbi non possum, quin illud, quod de Clearcho minus commodè affertur, paucis moneam, illum ob prosperos fortunæ successus adeò fuisse elatum ut oblivisceretur: *SE ESSE HOMINEM.* Et se Jovis filium diceret, & ita in argumentum *GENERIS seu familiæ* atque originis sibi per publicum eunti aquilam præferri passus sit. Qvinimò ad tantam vesaniam, dicam, an arrogantiam pervenit, ut unum ex filiis suis *TONITRVM* diceret. *Plut. l. 2. de Alex. Fortuna. p. 338* quod etiam Justinus d. l. memorat. Jovem quoque gestare aquilam à Poëtis & alijs fabulas interdum consectantibus scriptoribus asseritur. Inde etiam ornamenta Jovis propria sunt: *Fulmen in dextra, & Aquila in sinistra manu Cerda ad L. 12. Virgil. Æneid. v. 244. n. 6. p. 700.* at in præeminentiam divinitatis præ alijs Dijs eum inter insignia habuisse aquilam, dubitare me impellit Imberti nuda assertio destituta veritatis antiquæ testimonio. Id tamen scio, originem hujus ornamenti referri ad fabulam; quòd Jovi contra Titanas bellaturo apparuerit aquila bono auspicio, & ex eo tempore ipsa fuerit sub istius tutela. Rectius itaque sentiunt, qui putant, in memoriam aquilarum, quæ à Jove ad investigandam mediam orbis partem emissæ Delphis convenerunt, istas aquilas prope Tripodem fuisse positas. Cui sententiæ insistendum, donec melior appareat.

IIX. De ceremonijs, quibus Pythia ad vaticinandum se præ-

parari solebat, aliquid addendum est. 1. *Solebat potare de fonte sacro.* Lycophron dicit, fontem illum fuisse prope cryptam, locum illum scilicet, ubi Oracula proferebantur. Qui addit: Nemini nisi permittente Pythiâ licuisse ex illo fonte bibere: bibenti tamen honorem incussum fuisse. 2 *Laurum comedere.* Vtrumque tangit *Lucianus Tom. 2. Dial.* qui inscribitur *Bis accusatus p. 614.* Sacerdos Oraculorum interpres, postquam de sacro latice bibit, & laurum manducavit ac tripodem impulit, adesse jubet. 3. *Laureâ quoque coronâ se cingere*, quod notat *Ouzelius ad Minuc. Felic. p. 151.* Quare verò adhibitæ fuerint hæ ceremoniæ; fortean omnibus non innotescit. Quod fontem sacrum attinet, è quo Pythia biberit, refert Lycophron: aquam istius habuisse vim purgandi & abstergendi, ut ita mens sacerdotis purgata ab affectibus commodè potuerit divina effata recipere & reddere. De lauru res est plana; inde est apud Græcos crebrum proverbium: *Ex corona vaticinari.* Servus apud *Aristoph. in Pluto Chremylum* rogat: Τί δῆθ' ὁ Φοῖβος ἔλακεν ἐκ τῶν στεμμάτων; *Quid locutus est Apollo ex coronis?* Hinc apud *Virgilium, l. 3. Æneid. v. 360.* Lauros sentire, id est, *percipere Oracula*, quæ reddebantur à sacerdote laurum gestante. Manducasse quoque sacerdotem laurum, è *Tibullo l. 2. Eleg. 5.* patet, qui ait:

Vera cano, sic usque sacras innoxia laurus
Vescar, & aeternum sit mihi virginitas.

Unde & ipsi vates dicti sunt δαφνοφάγοι, id est, *Laurivori.* Quia vim divinandi ei inesse olim crediderunt. Inde Dionysius *Laurum* vocat μαντικὸν φυτὸν, *vaticam arborem.* Et scribit Interpres *Hesiod. in Theogon.* quòd laurus efficax præbeat auxilium in Numinis afflatu. Plura qui de hoc scire desiderat, is consulat *Cœlium Rhodigin. l. 5. c. 7. p. 245. Lection. antiquar.*

IX. Sed & qui sacrum Oraculum consulere volebant, solebant (1.) *Sacrificare.* Ita monetur Æneas apud *Virgil. l. 6. v. 37. 38. 39. Æneid.*

Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit,
Nunc grege de intacto septem mactare juvencos
Præstiterit, totidem lectos de more bidentes.

Juvenci autem mactandi debuerunt esse *intacti*, id est, *nondum jugo submissi*, qui apud *Homerum lib. 6. Iliad.* vocantur *Indomiti.* Vetus enim fuit superstitio, quòd bos subactus jugo ad sacrificium planè esset inutilis,

stis, neque haberetur purus, utpote quiesset hominum manû, & labore rustico pollutus. *Turneb. l. 18. c. 2. p. 330.* An vinum in mactatam hostiam hoc loco infuderint Consulentes, memini me hactenus non repecisse; alias soliti fuerunt vinum adhibere, quod humanis ereptum usibus dicebatur *Inferium*, quod videre licet *in Arnobio l. 7. p. 236. advers. Gentes.* Quem locum non malè explicat JCtus *Cuiacius l. 2. c. 18. p. 53. Observat.* Ut & *Gebhard. Elmenhorst. ad l. 7. Arnob. p. 188. Georg. Ambianat. ad c. 23. Tertulliani Apologet. Obs. 2. p. 186. 187.* deducit hoc; sacrificia fuisse adhibita, ut interea Numen conciperent, & Deum advocarent: nec non mentem precibus votisque incenderent; quem in finem adducit locum è *Vergil. l. 6. Æneid. v. 51.*

——— ——— *Cessas in vota precesq;*
Tros, ait, Ænea? cessas? neque enim ante dehiscent
Attonitæ magna ora domus.

Confer, quæ habet *Wilhelm. Stuckius de Conviv. p. 86. & seqq.* Cæterum de more sacrificandi in consulendis oraculis observato, victimæ habitu, & motione plenè agit *Plutarch. in lib. de Oraculor. defect. p. 437.* Deinde (2) *oratione quadam brevi suam interrogationem sacerdoti exponere*, quod indicat *Philostratus l. 6. c. 5. p. 270. de Vita Apollon. Thyan.* ubi ait: σκέψαι γὰρ τὸν Ἀπόλλω, εἶπε, τὸν Δελφικὸν ὃς τὰ μέσα τῆς Ἑλλάδος ἐπὶ περιῤῥήσει λογίων ἔχει. Ἐνταῦθα τοίνυν ὡς που καὶ αὐτὸς γιγνώσκεις, ὁ μὲν πρὸς ὅμοιος δεόμενος, ἐρωτᾷ βραχὺ ἐρώτημα, hoc est, ubi vertit *Morellus*: *Licet enim Delphicum Apollinem intueri, qui medium Græciæ tenens, vaticinij responsis clarus habetur. Ibi igitur, ut ipse nosti, qui ab Oraculo aliquid poscit, brevi admodum oratione, quid poscat, exponit. Vel solebant quæstionem in pugillaribus scribere, & ita propositum in scriptis sacerdoti porrigere.* Scholiastes Aristophanis in Pluto ait: Οἱ μαντευόμενοι ἐν πτυχίδι ἔγραφον τὰς πεύσεις, στεφάνῳ τ' ἀμφιστάντες ἁβρῷ τῷ μαντιπόλῳ ἐχειροτόνουν: *Oraculum consulentes in pugillari quæstiones descriptas exhibebant verendo & magnifico vati.* Perlectâ autem quæstione, tripodem impulsum conscendebat Pythia seu sacerdos, & ad eam respondebat. An verò pugillare secum in tripodem assumserit, & ex eo quæstionem descriptam relegerit, uti putat modò laudatus *Honoratus d'Imbert p. 216.* affirmare non audeo. Provocat quidem ad autoritatem *Veccij*; verùm pace istius dictum sit, nihil ibi reperii, nisi quod de Sacerdote Oraculi referat: *Eum quæstionem sibi exhibitam perlegisse.* Sed de clara recitatione in tripode ne verbum

 quidem

quidem habet. Adducit locum ex antiquo Scholiaste: οἱ μάντεις γεγραμμένην τὴν πεῦσιν ἀνέγνωσαν: *Vates scriptam quæstionem* legerunt. Quod utique concedi potest, publicam tamen recitationem quæstionis propositæ è tripode exinde colligi posse, vero non videtur consentaneum. (3) *Laurea corona redimiti accedere.* Qui igitur ad Oraculum accedebant illud consulendi causa, coronati erant. Exemplum habemus in *Fabio Pictore* apud *Livium l. 22. c. 57. p. 224.* Qui Delphos ad Oraculum missus est sciscitatum, quibus precibus supplicationibusq; Deos ipsi possent placare, & quænam futura finis tantis cladibus foret. Quod verò coronatus ad Oraculum accesserit, idem *Livius l. 23. c. 11. pag. 230.* refert, utpote expeditâ illâ legatione Fabius recitat: se Oraculo egressum ex templo his omnibus divinis rem divinam thure ac vino fecisse, jussumque ab antistite, sicut coronatus laurea corona & Oraculum adiisset, & rem divinam fecisset; ita coronatum navim ascendere, nec ante deponere eam, quàm Romam pervenisset, se quæcunque imperata sint, cum summa religione & diligentia exsecutum, coronam Romæ in ara Apollinis deposuisse. Quod l. 1. c. 23. p. 181. & seqq. explicatum est. *Thrasybulus* Legatus Atheniensis Oraculum adiit coronatus; cui in itinere deprehenso, quivis obvius cum veneratione dixit salutem. *Scholiastes Thucydidis p. 322.* Quod quoque post acceptum responsum consulentes coronati abjerint, id nonnulli probare volunt ex *Athen. lib. 15. cap. 4. pag. 673. Deipnosoph.* qui tamen de Oraculo Delphico ibidem non loquitur. Interim *Scholiastes Euripidis in Hippolyto,* ait: ἔθος γὰρ εἶχον οἱ Ἀρχαῖοι τοῦτο, ὅτε ἤρχοντο ἀπὸ μαντείας, ἐστεφανωμένοι ἤρχοντο, καὶ πάντες τοῦ οἴκου προσεκύνουν αὐτούς: Græci habuerunt hunc morem, ut qui ab Oraculo redeunt, coronati redeant, & omnes domestici adorent seu venerentur eos. Vide *Lipsium in Epistolicis Quæstion. Epist. 21. p. 202. Tom. 1. oper.*

X. Solebant prius virgines ob naturam puriorem ad hoc officium divina Oracula pronunciandi eligere, quòd illi non possent ob judicij imbecillitatem penetrare, quid Deus occultis istis & penitus obscuris sæpe oraculis vellet, sicuti putat *Veccius*, quamvis *Diodor. Sicul.* existimet, ideo munus hoc commissum fuisse virginibus, *quòd inservandis Oraculorum secretis magis idoneæ viderentur.* Quoniam verò postea *Echecrates Thessalus* Pythiam sacerdotem virginem miræ venustatis adamavit, & raptam violavit, inde sancitum est, ne in posterum

virgun-

virguncula ad istud officium admitteretur, sed femina major quadraginta annorum, quæ tamen virginali habitu in memoriam veteris vaticinandi moris uteretur. Rem totam describit *Diodorus Siculus lib. 16. pag. 428.* locum saltem è versione *Laurentii Rhodomanni* afferam: *Cum multi per excessum mentis lymphaticum in specum desultarent, omnesq; è conspectu hominum auferrentur; consultius accolis visum, nequis idem periculum incurreret, unam ex omni feminarum sexu vatem consecrari, quæ fatidicis posthac effatis præesset, machinamq; illi fabricari, quâ conscensâ, citra noxam afflatu divino repleri & consulentibus vaticinari posset. Sortes quondam à virginibus editas fama est, quòd & naturam haberent incorruptam, & sexus cum diana communionem. Adde quòd servandis Oraculorum secretis magis idonea videretur. Sed propinquiore memoria (aiunt) Thessalus quidam Echecrates ad Oraculum profectus ex fatidicæ virginis intuitu propter eximiam ejus venustatem amore exardescit, raptaq; stuprum offert. Quod facinus Delphos impulit, ut lege sancita caverent, ne virguncula deinceps, sed femina quinquagenaria major virgineo tamen ornatu ad moris antiqui in vaticinando memoriam Dei responsis præsideret.* Hæc ille. Qui verò Diodorum non habent, eandem historiam legere poterunt apud *Cælium Rhodigin. l. 8. c. 16. pag. 430. antiqu. Lection.* quamvis in eo cum Hiistorico non conveniat, quòd dicat: Sancitum esse, ut mulier quinquagenaria vaticinandi Pontificium munus gereret. Duo igitur ex hac historia colligimus. 1. *olim ad vaticinandi officium adhibitas fuisse virgines*, uti fuit Pythia, quæ post tripodis conscensionem divino Numine afflata sacra Oracula consulentibus exponerent. 2. *Post constupratam Pythiam munus istud demandatum fuisse feminis, in quibus cessaret periculum constuprationis*: Ne tamen pristinus mos per virgines respondendi penitus deficeret, voluerunt ut feminæ ad sortem istam delectæ habitum virgineum assumerent, & ita vestitu decus virginitatis in functione muneris exhiberent. Interdum enim sic mutatio rei instituitur, ut, si res ipsa obtineri amplius nequeat; attamen istius imago & simulacrum obtineatur. Interim Delphis non modò Pythia & postea femina sacerdos; sed etiam vir Propheta habitus fuit. Refert *Herodotus l. 8. c. 37. p. 474. & 475.* Xerxis tempore in Delphico templo fuisse quempiam sacerdotem, cui nomen erat *Aceratus*. Locus ita se habet: Omnes Delphi urbem deseruerunt, præter sexaginta viros ac *prophetam*; id est, *vaticinum*. Postea verò quàm barbari *subeuntes appro-*

tas vatum nomine insigniri. Unde *Ovidius* de se & aliis Poëtis dicit: *Et sacri vates, & Divûm cura vocamur.* Ennius *Poëtas* appellat *Sanctos*. vide *Cerdam. ad l. 6. Æneid. Virgil. v. 56. n. 6. p. 615.* Poëtas autem verba Oraculi in versus redegisse *Strabo l. 9. p. 419. Geogr. & Plutarch. in lib. de Pyth. Oracul. p. 407* testantur. Vide quæ l. 1. c. 10. p. 64. dixi. (5) Alias non videtur absurdum, si quis contendere velit: munus istud reddendi Oracula commissum fuisse sacerdotibus: sed illud saltem dubium remanet, quòd, cùm Pythia ad explicandas sortes fuerit delecta, & in ejus locū postea ordinatæ fuerint feminæ quadragenariæ, quæ virginali habitu indutæ Prophetico munere defungerentur, interim verò non legatur in templo Delphico virum sacerdotem ex tripode respondisse, illi sacerdotes immediatè responsa ab isto Deo non acceperint, sed illa accepta à Pythia consulentibus aperuerint, & mentem illorum ipsis explicaverint. Accedit etiam, (6) quòd laudatus *Imbertus p. 220* affert: Omnes feminas, quæ Pythiæ successerunt in illa functione reddendi Oracula, nomen Pythiæ retinuisse. Cui adjungo (6) testimonium *Pausaniæ qui lib. 10. p. 564.* ait: *Communis hominum opinio prisca memoria autoritatem secuta solas agnoscit mulieres Oraculorum interpretes, quæ nempe ad quæstionem à consulentibus vel recitatam vel pugillari inscriptam à Deo ipsu acceptum responsum redderent.* Ut ita sacerdotes vel in explicandis, vel in carmina redigendis Oraculis, vel in sacris faciendis, aut similibus occupati fuerint. Cui sententiæ insisto, donec certiora quis docuerit. Cœterùm Delphis vaticinata est *Manto Tiresiæ* filia, quæ occupatis Thebis inter captivas ad Apollinem ducta est Delphos, cùm ejus pater in via ad *Haliartum* mortuus esset. *Pausanias l. 7. p. 567.* Ubi autem aliquamdiu reddidit Oracula in Asiam trajecit, & *Rhacio* Cretensium duci nupsit, & ex eo suscepit Mopsum. Vide *Joan. Boissard. de Divin. p. 160.* Hæc dicitur condidisse Clarii Apollinis fanum & ibi Oraculum postea celebre constituisse. Confer quæ habet *Eduard. Simson par. 2. Chron. p. 53.* Quamvis *Diodor. Siculus l. 4. p. 269.* de Daphne alia Tiresiæ filia referat, illam, captis Thebis, ex voto, ut manubiarum primitias, Delphis consecratam fuisse. Addit Scriptor: *Hæc divinandi scientia patri non cedens magna ejus dum inter Delphos agit, incrementa fecit. Mira quadam puella indoles fuit, variisq; Oraculis singulari artificio conscribendis operam dedit. A qua non pauca mutuatus carmina Homerus ad poëseos suæ ornatum transtulit.* Hæc Diodorus. *Cœlius Rhodiginus l. 14. c. 1. p. 730. Lect. antiqu.* ut & *Boissard.*

sard. d. l. hoc posterius, quod de Daphne memorat Diodorus Siculus, admittunt, sed de abductione ad Delphicum Oraculum tacent: quin Boissardus Daphnen aliâ fuisse Tiresiæ filiam refert. Fieri itaque potuit, ut Diodorus sive errore, sive opinione quadam ductus de Daphne intellexerit, quod Pausanias, qui illam historiam plenius persequitur, de Manto refert. Præterea *Lampusia Calchantis filia* Delphis vaticinandi munus sustinuit. Nam cùm esset à Patre divinationum valdè perito egregiè instructa, Apollini Pythio dicata est: Ubi majorem vaticinandi peritiam est assecuta. Quamvis tamen ibidem non substiterit; sed ex Græcia Colophonem, quæ est urbs Ioniæ in Asia minore Apollini sacra, venerit, suoq; tempore propter insignes prædictiones non solùm in Asia verum etiam per totam Græciam Europæam celebris habita fuerit. Ubi illud ex alijs refert *Boissard. p. 289. & 290. de Divinat.* Munere illo interpretandi Oracula quondam est *Perialla* mulierum vatum antistes, sed sacerdotali honore postmodum est privata. Res ita se habet. *Spartani Delphos miserunt legatos, qui sciscitarentur, an dux Demaratus esset Aristonis filius nec ne? nam de eo valde dubitabatur, aliis hoc affirmantibus, alijs verò illud negantibus. Ibi Cleomenes legationis præses, cum ex ipsius erga Pythiam providentia nihil suspicionis esset, Cobonem quendam Aristophanti filium maxima apud Delphos autoritate virum subornavit, ut persvaderet Periallæ mulierum vatum antistiti, ut diceret ea, quæ vellet Cleomenes. Pythia tamen interrogata negavit Demaratum esse Aristonis filium, quæ quoque res postea palam facta est. Vis Cobon è Delphis profugit, & Perialla honore sacerdotali abdicata est. Herod. l. 6. c. 67. p. 355.* Fuit quoque Apollinis sacerdos Polyxo ex insula Lemno oriunda, quæ sciscitantibus reddebat Oracula, & concepto divino spiritu prædicebat futura cum summa & Lemniorum & totius Græciæ admiratione. Ad eam certis anni temporibus magna hominum multitudo confluxit, ut consuleret Deum de futuris rerum eventibus, ubi illa tantam autoritatem ex vaticiniorum certitudine sibi apud suos populares conciliavit, ut in omnibus rebus nihil aggrederentur, aut quicquam susciperent absque illius consilio. Quemadmodum quoque illa consulta est, cùm in Lemno viri suas conjuges fastidirent. Accidit aliquando ut Lemniæ mulieres sacra solennia facerent, & cùm Dijs omnibus litassent, solius Veneris nomen consultò præterirent. Quæ propter istum contemtum graviter indignata, teterrimo odore mulieres Lemnias infecit, ut illæ æstivo

cum-

cumprimis tempore viris suos ferè essent intolerabiles, ipsique eas cum nausea aversarentur, & aliunde conjugia quærerent, accitis è Thracia, Asia, & circumvicinis locis præstantibus puellis, quas thalamo pro uxoribus suis substituerent: Lemniæ autem mulieres tanti divortij dehonestamento commotæ Polyxus sacerdotis consilium requirunt. Ea cùm intelligeret, quòd viri fastidio ferè indelebili omnem sexum femineum aversarentur, persvasit mulieribus, ut suos viros trucidarent, & è medio tollerent. Quod ipsæ fecerunt, & viros nihil mali metuentes ex improviso in somnis occiderunt. Sola *Hypsipyle Thoantis Regis Lemnij filia* patri pepercit: Nam cùm ter ad parentis cubiculum accessisset; parricidium tentavit quidem, sed ter gladius ei è manibus excidit. Tandem perniciosum consilium patri aperuit, unde etiam is ab interitu conservatus est. Viris ita interfectis Lemniæ mulieres svasu Polyxus Venerem reconciliare studuerunt, & ad avertendam graveolentiam hircum & capram adhibito thure & svave fragrantibus aromatibus Deæ immolarunt, ut eâ victima Deam sibi placarent. Legi hac de re potest *Natalis Comes l. 4. c. 13. p. 387. Mythol.* Ut & *Ianus Boissard. de Divinat. p. 188. & 189. Herodotus tamen l. 6. c. 138. & 139. p. 380. & 381.* aliter rem enarrat, quamquam de crudeli interfectione non quidem maritorum sed puerorum è matribus Atticis susceptorum referat, & dicat: πάντα σχέτλια ἔργα καλεῖσθαι Λήμνια, *omnia prava facinora dici Lemnia.* Herodotum sequitur *Erasmus* in proverbio: *Lemnia manus*, id est, impia, crudeli & nefaria, *p. 155.* Et in proverbio: *Lemnium malum*, quod de malis immensis & miserandis usurpatur, *pag. 377. in Opere Adagior.* Sed cum illud à proposito nimium deflectat, cursum inhibeo.

XI. Maxima huic Oraculo Delphico inter alia vel exinde conciliata fuit autoritas, quòd vera ibi acciperentur responsa, & ea propter Pythia *Veridica* diceretur. *Strabo lib. 9. p. 419.* Delphico templo majorem honorem comparavit Oraculum, inter omnia, quæ tum temporis extabant, minimè fallax sed verissimum existimatum. Et *p. 422.* dicit: illud esse μαντεῖον ἀψευδέστατον; Oraculum, quod non fallit, sed est veracissimum. Locus ita se habet: *Absurdum est, si veritatem aliis in rebus sectamur, de Oraculo omnium veracissimo dicturi incredibilibus & falsis utamur narrationibus.* Adduci potest & hoc pro stabilienda hujus Oraculi veritate: illud scilicet nunquam falsi convictum fuisse. Etenim licèt à quibusdam alicujus falsi accusatum legatur; non

tamen istius fuit convictum. Quod argumentum affert *Plutarchus in lib. de Pythiæ Oraculis p. 408.* Locus est præclarus, ideò illum apponam: *Ut lineam rectam mathematici vocant brevissimum ab uno ad alterum termino ductum: sic Pythiæ sermo absque ullo flexu, circuitu, ambiguitate & fraude rectà ad veritatem proficiscens: quanquam de sua fide causæ dictionem non possit detrectare; tamen* falsi à nemine in hunc usque diem convicta est: *Sed donariis barbaricis Græcanicisq́; Oraculum opplevit.* Creditum certè fuit antiquitus: Nulla Oracula fuisse certiora, quàm Apollinis Delphici. Inde *Cicero lib. 1. p. 182. de Divinat:* Plutarcho adstipulatur, quando ait: *Nunquam illud Oraculum Delphis tàm celebre, & tàm clarum fuisset, neque tantis donis refertum omnium populorum atque Regum, nisi omnis ætas* Oraculorum illorum veritatem *esset experta.* Et paucis interjectis addit: *Negari non potest, nisi omnem historiam perverterimus multis seculis* verax fuisse id (*Delphicum*) Oraculum. Vehementer itaque pugnat pro veritate Oraculi Delphici, quæ per aliquot secula à tam multis hominibus omnis generis ætatis deprehensa est. Cui addi potest, quod idem scribit in Epistola ad Brutum: Hæc ex Oraculo Apollinis edita Tibi puta; nihil potest esse verius. Et *Plautus in Pseudolo Act. 1. sc. 5. v. 65.* Delphis tibi responsum dicito. Inde Delphicum responsum pro verissimo habebatur. Et exinde natum est proverbium: *Ex tripode dictum*, id est, certissimum perinde ac si ex Oraculo Apollinis esset profectum. Maximus Planudes ait: *Quid verius responso Delphico?* quasi illud omnium verissimum sit.

XII. Oraculi Delphici veritatem, de cujus causis dixi aliquid in lib. 1. c. 15. p. 119. & seqq. experti sunt *Eutimius Cretensis*, & *Antiphemus Rhodiensis*, quibus responsum fuit datum, ut eum observarent, cui quatuor essent aures. Sed is erat prædo quidam Phœnix, quem cavendum esse monebat Oraculum. An autem is revera quatuor habuerit aures, an in diversis quatuor locis habuerit dispositos exploratores, & ita per metaphoram ei quatuor tribuantur aures pro certò affirmari nequit. Interea cùm consulentes isti Oraculum datum ludibrio haberent, inciderunt in illum prædonem, à quo etiam sublati sunt. Uti *Zenodotus* illud refert apud *Erasmum in Adagiis p. 618.* qui quoque addit: vulgò existimant, ex hoc eventu natam esse illam parœmiam: *Eum ausculta, cui quatuor sunt aures.* Quamvis *Aristophanes Grammaticus* referat: Lacedæmonios solitos fuisse fingere simulachrum Apollinis velut

velut haberet quatuor aures & totidem manus; vel quòd, *Sosibio* teste, in illa figura Lacedæmonijs apud Amyclas pugnantibus apparuerit Apollo, & istâ suâ apparentiâ certissimum istis auxilium exhibere voluerit. Inde cepit Deus iste quatuor manibus & auribus sculpi ac fingi. 1. Quod Deus ille undiquaque invocantium preces promtè audiat & percipiat, nec quisquam in angustiis constitutus desperare de certissimo ipsius auxilio teneatur. 2. Quod idem sit promtus in auxiliando, ita ut nolit ulla ratione invocantes deserere. Videtur enim ea figura significari, ac si quatuor vicibus velit implorantibus adesse Apollo, & suum ijs impertiri auxilium. Inde factum, ut Apollo quatuor manibus pingi debuerit, quod non tantùm ob potentiam possit, sed etiam velit invocantibus succurrere, & in periculis eos juvare. Verùm nondum videtur dubitationi satisfactum, quoniam de voluntate & potentia auxiliandi non videtur superesse dubium, sed quare sit obtemperandum Deo isti, cui quatuor sint aures dubitatur? Hoc enim non posse intelligi de eo, cui Oraculum datum sit, facilè vel inde patet, quia is cum suo comite debuit hominem quatuor auribus prædicum evitare: & ita Oraculo obtemperare.

Itaque aliud sub illo Adagio latebit, unde etiam *Erasmus* istud ad locum communem *Prudentiæ Senilis* retulit. Ego citra cujusque præjudicium ita sentio: 1. Qvod in hoc proverbio lateat consilium vel mandatum de obediendo illi, qui vera pronunciat. Non enim præcipitur cuiquam obsequium in illis, quæ sunt falsa. Hinc illud *Epimenidis* attendendum est: *Qvod falsum est, illud nemo credere tenetur.* 2. Qvod Apollo Ethnicorum more pro Deo sit habitus, qui apud omnes hanc fidem impetrarit; eum scilicet esse in verbis veracem, & in observandis hominum actionibus attentum, qui singula notet, sciat & velut consignet, quæcunque ab ijs peragantur. 3. Eum quatuor auribus & manibus pingi ideo factum esse existimo, quòd desideria & preces supplicantium accuratissimè intelligat, veluti quis quatuor auribus perfectè audiat: & præterea sit pronus ad juvandum; ut proinde istius proverbij hîc ferè sit sensus: Ejus responso obtempera, vel eum sequere, qui potest tuum desiderium rectè intelligere, tibi optima consulere, & in angustiis atque calamitatibus tibi succurrere & efficaciter opem præstare. Qvalis è Gentilium sententiâ tum esse debuit Apollo, quippe quem ipsi venerabantur Deum: Sed Deus ob summam sapientiam

omnia vota, suspiria, & animi conceptus perfectissimè intelligit & penetrat: nec non ob maximam potentiam juvare, è malis eripere, & ne quis in periculum incidat, petenti prædicere, eique futura tàm bona quàm mala annunciare potest. Uti hoc fusius explicavi in *parte 2. Theol. Gentil. in tit. de Apolline.* Lycurgus quoque, postqvam à Pythia valdè esset laudatus, ab eadem didicisse fertur Leges & instituta, quibus Lacedæmones diu instructi felices vixerunt. Vti id videre licet apud *Herodot. l. 1. c. 65. p. 25.* Quamvis *Iustinus l 3. c. 3. n. 10. p. 69.* dicat: Lycurgum hoc saltem finxisse, ac si Legum istarum autor esset Apollo. Et ideo illum id fecisse, *ut consvescendi tædium metus religionis vinceret.* Qvod si vera fuerit Herodoti narratio, Apollo Lycurgo veritatem in præscribendis legibus populo Spartano aperuit: feliciter enim tota civitas juxta illas leges recta est. Vide quæ dixi supra lib. 1. c. 21. p. 172. 173. Ita Oraculum Delphicum prædixit Spartæ interitum propter avaritiam. Qvod Oraculum *Cicero habet l. 2. c. 22. p. 263. offic.* Et qvod Apollo Pythius Oraculo edidit: *Spartam nulla re alia, quàm avaritiâ perituram*, id videtur non solùm Lacedæmoniis, sed & omnibus opulentis populis prædixisse. Glaucus quoque expertus est Oraculi veritatem, utpote, quod prædixit, ipsum sine prole & domo periturum. Hinc refert *Herodotus l. 6. c. 86. p. 362. Glauci nunc nulla superest, neque soboles, neq; domus, quæ illius censeatur; sed ex Sparta radicitus extincta est.* Plura exempla non adducam qvod in libro primo jamtum multa fuerint allata. Interim Cicero *l. 1. p. 182. de divinat.* queritur de sublesta fide Pythiæ, & qvòd ipsa in responsis non observet veritatem. Sicut & *Cleomenes* apud *Herodot. l. 6. c. 80. p. 360.* questus est se ab Apolline fuisse deceptum. Nam cum ipsi factum esset responsum de occupandis Argis, uti illud de urbe quidem Cleomenes interpretabatur, tamen de Sylva *Argi* Deus hoc intellexerat.

XIII. Illud quoque non prætereundum est, olim seu initio vicinos saltem isto Oraculo fuisse usos, insecutis autem temporibus advenisse & alios, qui Oraculum consulerent: ubi etiam dona è longinquis missa sunt regionibus. *Strabo lib. 9. p. 420. Geogr.* Qvod factum esse puto, anteqvam Oraculi fama delata esset ad alios. Compertâ autem re de tàm veri Oraculi autoritate & in respondendo certitudine, freqventer & longè dissiti advenerunt. Vbi & illud monendum est: Spartæ certo nomine insignitos, & singulari honore affectos fuisse

fuisse eos, qui Delphos ad Oraculum mitterentur. *Nomen* quod attinet; appellati sunt *Pythii* in honorem Apollinis Pythij qui Delphis responsa dabat consulentibus. *Honor* in eo erat positus, ut ipsi publica cum Regibus haberent cibaria, & unà cum illis vescerentur. Illud deprehendi in *Herod. l.6.c.57. p.352.* qvando ita scribit: *Pythii sunt, qui Delphos ad consulenda Oracula mittuntur, quique publicè cum Regibus pascuntur.* Adde *Alexand. ab Alex. l.6.c.2.p.604. Genial. dier.*

XIV. Tandem Oraculum hoc dicitur disturbasse Typho, quod narrat *Plutarch. in lib. de Facie in Orbe Lunæ. Tom.2. Oper. p.945.* Etenim cùm ibidem mira, partim etiam fanatica & stolida de statu animarum humanarum post mortem narrasset, & inter alia disseruisset animas resolvi in Lunam tanquam in earum elementum, sicuti cadavera in terras, addit: Tityi, Tiphones, & *is Typho*, qui Delphis occupatis *Oraculum vi & libidine sua conturbavit* è numero istarum erant animarum quæ sunt mentis expertes, & tantùm vagis incitatæ cupiditatibus. Tantum de Oraculo Delphico.

CAPVT. III.

De
Oraculo Iovis Ammonis quod & Arietinum dici solet.

I.

EXposito Oraculo Delphico, aliquid de Oraculo Iovis Ammonij, quod unum ex maximis & vetustissimis fuit, dicendum est. *Ioseph. Vecoius c.1. p.3. de Oracul. Arietino* ait: *Ammonium Oraculum non minimum fuit interea, quæ tum per totum orbem celebrabantur: nam frequentabatur à maximis viris, Regibus, Principibus, & aliis magnatibus ad futurorum notitiam obtinendam. Et credo facilè, nisi in loco aliquantum dissito, ad quem nisi magna cum molestia licuit accedere, fuisset constitutum, illud, si non superasset Delphicum Oraculum, illi tamen factum fuisset par quoad rationem celebritatis.* Licèt autem illud Oraculum Ammonium è vetustissimis sit, ita, ut quidam de illius initio & origine nihil quicquam certi statui posse existiment, tamen supra *c.2.p.245. & 246.* ex

eodem Veccio allatum est, Delphicum esse antiquius, quippe quod ante devastationem Trojæ floruit; non tamen videtur ex historijs constare, Oraculum Ammonium tum temporis extitisse. Et licèt multis per *Ammonem* intelligant *Cham*, seu *Ham* Noæ filium, ille autem vixèrit Anno 1782 à mundo condito: Troja verò Anno 2680 demum extructa fuerit: & Chami nepotes dicantur inventores Idololatriæ; attamen vix ullum fide dignum afferri poterit testimonium, quô probetur, eo ævo Oraculum Ammonium fuisse fundatum. Quin mecum sentiunt præclari Viri; ante Leges Israelitis â Deo promulgatas inter Ethnicos oracula non extitisse, licèt isti fuerint Idololatræ, qui derelictô verô Numine, falsos Deos adoraverint, & res creatas, ut Astra, homines, bestias, quin etiam plantas pro dijs coluerint. Aliud siquidem est, falsum Numen divinis honoribus prosequi: aliud verò ab isto responsa de futuris rebus petere.

II. Oraculum hoc gemino exprimitur nomine (1) dicitur AMMONIVM, de cujus vocis originatione diversæ dantur eruditorum sententiæ, & conjecturæ. Dausquius in Silium Italicum l. 3. v. 667. putat Oraculum illud habere nomen ab *arena*, quæ in lingua Ægyptiaca dicitur *Ammon*. Quocum facit Gobelinus in Cosmodrom. ætate 5. cap. 8 p. 98. Summum deorum, videlicet, Iovem Ægyptij Ammon nominabant, ab *Ammon*, quod in lingua eorum dicitur *arena*. Neque ab hac opinione recedit *Lilius Gyraldus* in *Histor. Deor. Syntagm. 2. p. 143.* Ubi ait: Ammon Iupiter à nostris & Græcis imprimis ab arena deducitur: ἄμμος quippe arena vocatur. Adducit quoque testimonium Sexti Pompei, qui lib. 8. ita scribit: Hammon cognominatus (scilicet Iupiter) quia in harena putatur inventus, quæ Græcè hoc nomine ἄμμος appellatur. Huic opinioni, quòd Jupiter dicatur Ammon, & quidem ab arenis Arabicis, calculum suum adjicit *Ianus Boissard. in lib. de Divination. p. 94.* Alij verò vocem illam arcessunt à nomine *Cham*, utpote quod nomen Hebræi aspiratione paulò duriore efferre solent. *Peucer. de divinationib. pag. 227. Iosephus Veccius de Oraculo Arietino c. 2. p. 11.* etiam illam denominationem ab arena desumtam improbat, & existimat illam suum trahere ortum à Chamo seu Ham Noæ Patriarchæ filio. *Samuel Bocchartus lib. 1. c. 1. p. 5. Geogr. Sacra* scribit: *Cham seu Ham vel quia fratrum minimus, Genes. 9. v. 24. vel propter anathema à patre in illius caput contortum, in Africa steriles arenas ablegatus*

ablegatus est, ubi per multa secula cultus est sub nomine Iovis Ham *seu* Hammonis. Eandem opinionem ferè amplectitur *Iohan. Gerard. Voss. l. 1. c. 27. p. 197. de Idololat.* Potius censeo, inquit, vocem Ammon esse à voce *Ham sive Cham Noæ filio.* Addit è *Plutarchi* libro *de Iside & Osiride*: Ægyptum in sacris Isidos dictam esse χημίαν, nempe quasi χαμίαν, quod aliunde non est, quàm à Chamo. Et ideo Ægyptus Africæ pars primaria antiquitus χημία sunt verba *Eduardi Simsonis in par. 1. Chron. Univers. pag. 16.* à peritissimis Sacerdotum Ægyptiorum appellata est, sicuti & in Sacris literis terra *Ham* vel terra *Cham* dicitur. Alii recurrunt ad Ægyptios, & dicunt: Nomen ἀμῶν denotare Jovem, qui dicitur Ammonius, qua voce aliquid occultatum indicatur. *Plutarch. in lib. de Iside & Osiride. p. 354.* Cum plerique existiment, peculiare apud Ægyptios nomen Jovis esse *Amûn*, quod nos producto vocabulo *Ammonem* dicimus, Manethos Sebennita ea voce *Occultatum & occultationem* significat indicari. *Hecatæus* autem *Abderita* hoc verbo invicem uti Ægyptios, ait: *cùm scilicet alter alterum vocat*: esse enim vocem invocativam, & cum *principem Deum* eundem cum *Universo* putet, utpote obscurum & absconditum, vocari ab ijs & orari *Amûn*, dicentibus, *ut prodat se, ac conspiciendum se præbeat.* Ita Plutarchus. *Herodotus l. 2. c. 42. p. 106.* ait: *Ægyptii Iovem appellant Amûn.* Confer. *Samuel. Bochart. l. 1. c. 1. p. 5. Geogr. Sacra.* Iamblichus notat; hoc nomen *Amûn* in lingua Ægyptiaca nihil aliud significare, nisi vim quandam Numinis, arcanas latentium rationum vires in lucem agentem. Hoc probat *Athanas. Kircherus Tom. 1. Synt. 3 c. 6. p. 202. Oedip. Ægyptiaci*, dum ait: Huic congruit assertio *Manethonis, eo nomine arcanum occultumq; significari tradentis: Hecatæus verò vocem fuisse*, ait, *Deum invocantium: eaq; uti solebant, cùm præcipuè incognitum arcanumq; vocabant, qua ratione factum est, ut Deum illum summum rerum conditorem uti abditum arcanumq; ea voce Ammum appellarent.* Interim cuicunque demum originationi vocis quispiam suum calculum velit adjicere; illud certè expeditum est, vocem illam convenientius videri in lingua Ægyptiaca fundatam, ut proinde putidum videatur, *Vossio* teste *l. 1. c. 27. pag. 197. de Idolol.* recurrere ad originem Græcanicam. *Lilius Giraldus Syntag. 2. p. 141. Histor. Deor.* post multa tandem in sententiam Plutarchi & Manethonis discedit. Sanè si initium historiæ repetere volumus, derivatio vocis à Græca ἄμμος fabulam supponit pro fundamento, uti postmo-

postmodum apparebit: verior illa, quæ à *Plutarcho* & aliis probatur, utpote qui illud, quod in se, si rectè explicetur, falsum non est, sequuntur. Nam Deus, qui summus est rerum conditor, cujusque natura est abscondita, & humano intellectui impervia, non malè dici potest *Amûn*, tanquam res abdita & abstrusa. Nemo enim, quam ingeniosus etiam fuerit, potest Deum, ejus naturam, & essentiam penetrare, nedum exhaurire.

III. Deinde & (2) appellari solet ORACULUM ARIETINUM, cujus appellationis vim prolixè exponit Iosephus Veccius in peregregio tractatu de *Oraculo Arietino*: *c. 3. p. 14.* scilicet, quòd cum Jupiter ab Hercule cognosci nollet, ab eo tamen exoraretur, amputatum arietis caput, pellemque villosam, quam isti detraxerat, induerit, eaque se amiciverit: atque tali habitu se Herculi conspiciendum præbuerit. Quô factô, in illius rei memoriam Ægyptij simulacro Iovis addiderunt faciem arietinam cum cornibus, Jovique præter nomen Ammonis, eiam nomen *Arietini* tribuerunt. Hoc quod *Veccius* adducit, desumtum est ex *l. 2. Herod. c. 42. p. 106.* nisi quod Historicus taceat de appellatione *Iovis Arietini.* Addit tamen: eam ob rem arietes non mutari à *Thebanis*, sed ab illis haberi tanquam *Sacrosanctos*. Certo tamen die, nimirum in festo Iovis unum arietem obtruncant, cujus pellem detractam Jovis simulacro induunt. Deinde ad illud adducunt Herculis simulacrum. Quô peractô, cuncti, qui circa templum sunt, eum verberant, eumque deinde in sacra urna sepeliunt. Porro ex *Hermippo* aliam hujus denominationis causam recitat *Veccius p. 16* Quo tempore ait. *Liber Africam oppugnavit, aries quidam fortuitò ad milites pervenit errans, quos cum vidisset, fuga sibi præsidium paravit. Milites autem, qui eum conspicati fuerant, etsi pulvere & æstu pressi vix progrediebantur; tamen uti prædam è flamma petentes arietem sequi cœperunt usque ad eum locum, qui Iovis Ammonis postea templo constituto est appellatus. Quo cùm pervenissent, arietem, quem insecuti fuerant, nusquam invenire potuerunt. Sed quod magis hic fuerat optandum, aquæ magnam copiam in eo loco nacti sunt, corporibusq; recuperatis Libero statim nunciaverunt, qui gavisus ad eos fines exercitum duxit, & Iovis Ammonis templum cum cornibus arietinis simulacro facto constituit.* Hæc ille. Locus etiam legi potest apud *Iohan Freinsheimium in Comm. ad l. 4. c. 7. n. 28. Curtii.* Quò tendere videtur *Martianus* apud *Lilium Gyraldum Synt. 2. Histor. Deor. p. 144.*

Ammon,

Ammon, inquit, *apparuit cum cornibus arietinis, & vestimento laniceo, ac sitientibus undam fontis exhibuit.* Verùm Leo quidam, qui res Ægyptiacas dicitur conscripsisse, ab *Athanasio Kirchero Tom. I. Syntagm. 3 §. 6. p. 203. Oedipi AEgypt*: aliter de Jovis Ammonis cornibus disserit: scilicet, cùm Liber Ægyptum & reliqvos fines regno teneret, & primus hominibus ostendisse diceretur omnia, quæ ad vitæ usum viderentur facere: *Ammon* quidam ex *Africa* venit, & pecoris multitudinem perduxit ad Liberum, partim ut ipse Liberum venerari; partim ut ipse Regis gratia frui, & hanc laudem cum nominis immortalitate apud posteros consequi posset, quod & ipse aliquid invenisset. Pro hoc beneficio Liber ei dicitur dedisse agrum, qui est contra Thebas Ægyptias. Inde qui Simulacra *Ammonis* faciunt, cum capite cornuto (quamvis tamen non addatur: num in formam arietum vel boum cornua istæc fuerint facta) ea fabricant, ut homines memoria teneant, illum primitus pecus ejusque usum ostendisse. Hæc Leo. *Servius Grammaticus ad lib. 4. Virgil. Æneid. v. 198.* Ideo *Iovem Ammonium* arietino capite fingi solitum ait, qvòd ejus responsa essent involuta. Inde etiam à Poëtis Jupiter Ammonius dicitur *Corniger*. Phæsto dicitur Ἄμμων κεϱατοφόϱος, *Ammon Corniger. Ovid. l. 15. Metamorph.* Ammonem vocat Cornigerum, qui locus infra adscribetur integer. Et à *Lucano lib. 9. v. 512.* Jupiter vocatur *Corniger. Luctatius Placidius ad Statii Papinii lib. 3. v. 476.* observat: Simulacrum Jovis Ammonii adiectis cornibus arietinis confectũ est. Et *Arnobius lib. 6.* Hammon cum cornibus jam formatur & fingitur arietinis *pag. 197.* Plura de nomine non dicam. Hinc nata est denominatio *Oraculi Arietini*, id est, Oraculi celebris, quod à certa Jovis figura *Arietinum* dicitur. Etenim cùm Jupiter in figura arietini capitis apud populos Ægypti coleretur, inde ipsius Oraculum vocatum est arietinum. Ita à *Gellio l. 3. c. 3. p. 217.* dicitur: item *Arietinum responsum.* De hoc scribit *Hadrian. Turneb. l. 14. c. 18. Advers. p. 275.* Qui quæret, cur *Arietinum* dicatur, nodum in scirpo non quærere videbitur. *Ego*, inquit, *putem vocatum ob Iovem Ammonem, cujus Oracula explorata indubitataq; fides habebantur. Is autem specie arietis, uti satis notum esse confido, colebatur.* Licèt multa hic intercurrant, quæ è fabula potius, quàm vera quadam historia trahant originem; illud tamen apud elegantioris doctrinæ peritos ferè extra dubium ponitur: Oraculum Jovis Ammonii nulla alia de causa dici Arietinum, quàm quod Jupiter sub figura arietis ex parte apud Ægyptios videatur cultus. *An-*

dreas Schottus refert: Se vidisse nummum à Trajano cusum, in quo Jupiter spectetur cum cornibus arietis. *Dausqvius ad Silium Italicum* refert: Se habuisse nummum, in qvo Jupiter arieti insidens exprimitur: ubi qvoque nonnullos Scriptores adducit, qvi cornua vel etiam corpus arietis Jovi adscribunt. Cœterùm non possum probare opinionem *Veccii d. tractatu p. 17.* putantis: Jovem appellari *Cornigerum*, ideo, quòd cùm multorum uxoribus ipse adulterium commisisset: Solent enim tales mariti è quorundam populorum moribus dici Cornigeri. Nam quantumvis Jupiter 1. fuerit insignis scortator & adulter, & multorum maritorum conjuges, nec non pudicas pariter & impudicas vel per vim, vel etiam adhibitis muneribus, & lenociniis verborum suæ nefandæ libidini reddidit obseqventes, sicuti illud passim reperire licet: quò pertinent variæ transfigurationes, quæ Jovi adscribuntur, quòd modô in in Taurum, modò in alitem, modo in draconem, modò in Satyrum ludicrum, modò in aureum imbrem se converterit, quarum explicationes exhibet *Lilius Gyraldus Syntagm. 2. Hist. deor. p. 105. & seqq.* Attamen 2. non apparet apud antiquos testimonium, quô confirmari queat: ejusmodi maritos, quorum uxores adulterium cum alijs commiserunt, dictos fuisse *Cornigeros*: illos verò, qvi aliorum uxores corruperunt, sic denominatos fuisse; ac si ejusmodi maritis cornua imposuissent. Et quantumvis. 3. apud quosdem populos illa ratio loquendi in contemtum eorum, qui talem injuriam perpessi sunt, recepta sit, & in lingua qvoque Arabica dicantur *Cornuti*, qui ex aliorum cum uxoribus congressu genitos liberos pro suis educant. *Zeilerus Cent. 3. Epist. 42. p. 710.*; tamen nihilominus temporibus illis fortean neque hic modus denominandi fuit in usu; neque ipsa ratio historiæ vel fabulæ tale qvid innuit, qvin potius illam appellationem aliunde, uti hactenus narratum est, ortam fuisse, luculenter constat.

IV. De loco, ubi scilicet hoc Oraculum fuerit, dissentiunt Scriptores. *Plinius l. 5 c. 5. p. 75. Histor. Natur.* collocat illud in *Cyrenaica regione Africa*, quæ à Thereis Græcis condita fuit: Illi enim ex Laconica profecti Theram insulam prius incoluerunt; & in continente Cyrenem urbem ex consilio Batti ædificarunt. *Strabo l. 17. p. 837. Geograph.* Sed Plinii verba sunt: *Cyrenaica*, inquit, *eadem Pentapolitana regio illustratur Hammonis Oraculo quod à Cyrenis abest quadringentis mille passibus.* A Plinio tamen dissentit *Silius Italicus lib. 14.* putans illud ultra Cyrenem in extimo situ apud *Garamantas* haberi, qui sunt *populi Ly-*

bie. Cui assentitur *Lucanus lib. 9.* Et existimant quoque alii, qui illorum vestigiis insistunt, inde Jovem dici *Garamanticum.* Sed vide *Bochartum l. 1. c. 1. p. 7. Geogr. Sacra.*

V. Originem hujus Oraculi describit *Diodor. Siculus l. 3. Biblioth. p. 200.* sequentibus verbis: Post finitam Lybies pugnam indicatum est Dionyso, Patrem Ammonem eo tempore, quo is Regno excidit, dixisse: *Eventurum, ut post certum aliquod temporis intervallum, filius suus Dionysius regnum paternum recuperaturus, & ditione suâ per totum orbem propagatâ divinos honores consecuturus esset.* Qvi ubi intellexit illud verum esse vaticinium: *fatidicum Patri templum & urbem unà condidit, honoribusq; tanquam Deo sancitis Oraculo antistites præfecit; Ammon autem ille arietis caput effigiatum habebat, quod hoc signo galeam in bellis ornatam gestasset.* Non desunt tamen, qui revera & naturali quodammodo cornua à temporibus ejus prominuisse fabulantur. Et hinc factum, ut filius quoque Dionysius simili facie ostentetur, & posteri cornutum fuisse hunc Deum pro certo tradant. *Extructâ igitur Urbe, Oraculô constitutô, primus novum Deum de expeditionibus suis Dionysius consuluit: & à patre responsum accepit,* quòd *benefaciendo hominibus in possessionem immortalitatis sit venturus.* Hæc Diodorus. Alij ex Pausania tradunt: fuisse pastorem quendam nomine *Ammonem,* qui Jovi condiderit templum. Unde Jupiter nomen Conditoris retinere, & hominibus eo in loco responsa dare voluit. Verùm Diodori sententiæ calculum adijcit *Iosephus Veccius c. 5. p. 22. de Oraculo Arietino;* quod certiorem hactenus relationem de istius origine se invenire haut potuisse fateatur. Quamvis & illam sententiam non penitus reijciat, quæ fundatur in apparitione Dæmonis sub specie arietis, qui fontem sitienti exercitui ostendit, unde resumtis viribus totus exercitus est servatus: cùm novum non sit, ut malus Genius etiam vel hodie appareat sub certa alicujus corporis specie, & beneficium hominibus conferat ad continendos illos in superstitione. Quod tum temporis in rudioribus illis seculis, cùm veri Dei cognitio, Judæis exceptis, non ubivis esset patefacta, commodè fieri potuit, ut Dæmon de se notam divinitatis hominum animis imprimeret, & se divinis honoribus coli pateretur. Illi verò simpliciter contrarium non est, si statuatur: voluisse Jovem ibidem, ubi templum in honorem ipsius postea extructum est, comparere, & exhibito defessis & languore confectis militibus ingenti beneficio, fonte scilicet aquarum copia scaturiente, subinde illis

ostendere, quòd iste locus in posterum religiosus & sacer fieri debeat. Quàm suam intentionem reipsa declaravit, dum ibidem Oraculum constituit, ad quod postea ex diversis ijsque sæpe remotis locis homines non sine magnis sumtibus, & vitæ periculo haut exiguo confluxerunt, ad obtinendam futurorum notitiam ab illo arietino Deo. Verùm illa adhuc sunt incerta.

VI. Templum istud, in quo Jupiter Ammonius Oraculum satis celebre habuit, describitur à *Lucano lib. 9. p. 300.* his verbis

Ventum erat ad templum, Lybicis quod gentibus unum
Inculti Garamantes habent: stat corniger illic
Iupiter, ut memorant, sed non aut fulmina vibrans,
Aut similis nostro; sed tortis crinibus Ammon.
Non illic Lybicæ posuerunt ditia gentes
Templa, nec Eois splendent donaria gemmis.
Quamvis Æthiopum populis, Arabumq; beatis
Gentibus atque Indis unus sit Iupiter Ammon.

Sedulus rerum ab Alexandro M. gestarum Scriptor *Curtius l. 4. c. 7. n. 16* locum, ubi templum Jovis Ammonij est, ita describit: *Tandem ad sedem Deo consecratam ventum est: incredibile dictu est, inter vastas solitudines sita, undique ambientibus ramis, vix in densam umbram cadente Sole contecta est: multiq; fontes dulcibus aquis passim manantibus alunt sylvas. Arrianus l. 3. de Expedit. p. 161.* refert de istius templi loco: *Locus in quo Hammonis templum est, omni ex parte vastas solitudines, & densas ac siticulosas arenas habet. Medium huius loci, quod exiguo spatio circumscribitur (nam ubi latissimum est, ad quadraginta summum stadia extenditur) cultis arboribus est refertum, oleis nimirum & palmis, solumq; ex circumiectis locis roscidum.* Idem & alij ferè scriptores tradunt. *Strabo l. 1. p. 50. Geogr.* opinatur: Ammonis templum aliquando iacuisse in mari, quod nunc maris effluxu facto sit media terra: & conjicere se: *Oraculum istud optima ratione tàm illustre & celebre factum esse, quod in mari esset situm*: neque probabile esse, tantam ejus gloriam potuisse existere, quanta nunc est, si tàm longè à mari fuisset dissitum. *Athanasius Kircher. Tom. 1. Syntagm. 3. c. 6. p 207. Oedip. Ægypt.* è Strabone adducit descriptionem Fani Ammonis, quam non pigebit adscribere. *Fuit ultra Cyrenem, aut in extimo sinu apud Garamantes Iovis Ammonis augustissimum & antiquissimum Oraculum in vastis solitudinibus & campis torridis, siccitate sterili ac nudo solo: ad quod sole exurente, æstu fragrantissima per im-*

mensas

mensas arenarum moles vastamq; planitiem calore & siti infestam vix iter unquam tolerabile fuit. Siquidem ventus eas sicut fluctus nunc huc nunc illuc agitare, & campos veluti maria infestare solet, nubes enim pulveres vehit, & fœda tempestate vexat; post quæ nemus frequenti sylva, oleaq; & proceris arboribus, fontibusq; passim manantibus amœnum, in mediis arenis, & situ arido haut plus quadraginta stadiorum Oraculi septa claudebat, altrà verò latè deserta regio vestigio humano inaccessa; circa verò Ammonii passim loca incolunt. Ipse verò Ammon hircino capite & pelle amictus multis ceremoniis colebatur. Sed redeo ad Lucanum, is describit templum Ammonium à tribus. (1) *A loco & situ*, quod nempe in Lybia apud populos Garamantes reperiatur: illos populos vocat incultos, quod in regione sterili vivant; & ita hominum conversatione non gaudeant. Nescio, an non huc pertineat, quod scribit *Herodotus l. 4. c. 174. p. 280.* quippe qui de illis sequentia refert: super hos austrum versus in loco feris bestiis frequenti *Garamantes* habitant, qui *omnium hominum commercium, aspectumque refugiunt*, nihil bellicæ armaturæ habentes, ac ne defendere sese quidem audentes. Et ea propter illos vult esse feroces. *Cerda ad Eclog. 2. Virgil. p. 153.* Quod agrestibus & ferocibus ipsi præditi fuerint moribus, dubio equidem caret: ob iter scilicet ad eos inexplicabile, uti *Plinius l. 5. c. 5. p. Natur. Histor.* ait: negotia, & commercia cum illis non instituuntur, conversatione cum aliis gentibus sunt privati, atque ita mansvetis & humanis moribus caruerunt. (2) *A statua Iovis*, in qua Scriptores ferè omnes conveniunt, quod cornuta illa fuit. *Pausanias l. 8. p. 464.* dicit: Ante Alexandri domum situm est *signum Ammonis*, eadem, quâ *Hermæ*, quadrati figurâ: arietis cornua capite præfert. Deprehendo statuam arietinam tripliciter fuisse figuratam. Primo instar Hermæ, cui caput cornutum fuit impositum. Deinde instar hirci seu arietis villosi cornua gerentis. Et ulterius instar hominis pelle arietis circumdati & cornigeri, qui extendit manum, veluti ad dandum sit paratus. Quas figuras exhibet *Kircherus Tom. 1. Syntagm. 3. c. 6. p. 235. Oedipi Ægyptiaci.* Quando autem Jupiter in Ammonis figura conspicitur, non habet fulmina; In hoc consentit cùm *Lucano Minucius Felix in Octavio p. 23.* Jupiter cum *Hammon* dicitur, habet cornua: Cùm *Capitolinus*, tunc gerit fulmina: & cum *Latiaris*, cruore perfunditur; & cum *Feretrius*, non auditur. Et ita de Hammone *Valer. Flaccus l. 2. Argon. p. 55. Hoc Corniger imperat Hammon.* Jupiter Capitolinus cum fulmine effigiatur, inde *Iupiter*

Tonans, cius templum frequentavit Augustus. Sveton. in vita Augusti *c. 90. p. 85.* Ita in nummis quibusdam Augusti jussu cusis hæc lecta sunt verba: *Iovi Capitolino tonanti. Dio Cassius l. 54.* Vide *Ioh. Wouwer. ad Minuc. Felic. p. 29.* Latiaris Jupiter colebatur sanguine humano. *Lactant. l. 1. c. 21. p. 113. Et ibid. Petr. Pantinus.* Nec Latini quidem hujus immanitatis expertes fuerunt: Si quidem Latiaris Jupiter etiam nunc sanguine colitur humano. *Porphyrius l. 2. de Abstin. p. 95.* Sed & hodie, quis nescit, inquit, *in magna urbe Roma Latialis Iovis festo hominem mactari.* Jupiter *Feretrius* non auditur. *Wouwerus* lectionem illam habet suspectam, & putat, sicuti etiam Rigaltius in ea est opinione, legendum esse: *Cum Feretrius non aditur* in Notis ad *Minuc. Felic. p. 29.* nam scribit *Festus*, intra annos plus minus quingentas & triginta annos tantùm trina opima spolia Jovi Feretrio suspensa. *Onzelius ad Felic. p. 125.* itidem existimat: Legendum esse: *non aditur.* Jupiter itaque Ammonius effigiatus fuit cum cornibus in delubro suo. Quo tendit etiam *Silius Italicus l. 3. v. 14.*

—— *Cornigeri veneratus Numinis aras*

Et paulò post —— *Nemorosaq; regna Cornigeri Iovis.*

Plura vide apud *Iohannem Freinshesm. ad l. 4. c. 7. n. 23. Curtii.*

Quod verò (3) Lucanus de paupertate templi Ammonij adducit illa non consentiunt cum illis, quæ ante eum scripsit Curtius de quo infra pag.

VII. Notatu dignum est, quod de mira fontis prope Jovis Ammonij templum existentis natura à diversis Scriptoribus narratur, à quibus quoque FONS SOLIS, & aqua in eo reperta AQVA SOLIS dicitur. Nempe oriente sole aqua istius fontis est tepida: medio die, ubi maximus est solis æstus, frigescit, & aqua ejus frigida fluit: Verùm inclinato in vesperam die, incipit paulatim incalescere, & intempesta nocte fervida exæstuat. Quando verò iterum vergit ad lucem, tum fons iste de nocturno isto calore multum remittit, & sub ipsum diei ortum adsueto tempore languescit. *Diodor. Sicul. l. 17. p. 528. Biblioth.* ita refert. Τούτου δὲ πλησίον ὑπάρχει κρήνη, αὕτη δὲ τὸ ὕδωρ ἔχει συμμεταβαλλόμενον ἀεὶ ταῖς ἡμεριναῖς ὥραις παραδόξως, ἅμα ἡμέρᾳ γὰρ ἐξίησι τὴν πηγὴν χλιαρὰν, προϊούσης δὲ τῆς ἡμέρας τῇ προσθέσει τῶν ὡρῶν ἀνάλογον καταψύχεται, τοῦ μεσημβρινοῦ δὲ καύματος ἀκμάζει τῇ ψυχρότητι, πάλιν δ' ἀνάλογον ἀπολήγει, μέχρις ἂν ἅμα τῷ φωτὶ πρὸς τὴν ἐξ ἀρχῆς ἀποκατασταθῇ τάξιν. Quæ verba Laurentius Rhodomannus

ita

ita vertit: *Fons proximus est (scilicet prope Fanum Iovis Ammonis) quem Solis ab eo, quod accidit, nuncupant. Aquam enim habet cum horis diei miris subinde vicibus sese variantem. Nam sub lucis ortum tepidam emittit. Die hinc progrediente pro horarum succedentium ratione frigescit. Sub æstum verò meridianum frigedo eius summa est. Quarursus paulatim remittit usque ad vesperam. Tum appetente nocte rursus incalescit ad mediam usque noctem ubi exæstuat. Exinde calor sensim deficit, donec una cum exorta luce pristinam caloris vicem recuperaverit.* Eadem hoc de fonte satis mirando narrat *Curtius l. 4. c. 7. n. 22. & 23.* Cœterùm *Arrianus l. 3. p. 161. de Expedit. Alexandri M.* hoc de fonte ita loquitur: καὶ πηγὴ ἐξ αὐτοῦ ἀνίσχει, οὐδέν τι ἐοικυῖα ταῖς πηγαῖς ὅσαι ἄλλαι ἐκ γῆς ἀνίσχουσιν. ἐν μὲν γὰρ μεσημβρίᾳ τὸ ὕδωρ γευσαμένῳ τε καὶ ἔτι μᾶλλον ἁψαμένῳ οἷον ψυχρότατον. ἐγκλίναντος δὲ τοῦ ἡλίου ἐς ἑσπέραν, θερμότερον. καὶ ἀπὸ τῆς ἑσπέρας ἔτι θερμότερον ἔστε ἐπὶ μέσας τὰς νύκτας; μέσων δὲ νυκτῶν ἑαυτοῦ θερμότατον, ἀπὸ δὲ μέσων νυκτῶν ψύχεται ἐν τάξει καὶ ἕωθεν ψυχρὸν ἤδη ἐστί ψυχρότατον δὲ μεσημβρίας, καὶ τοῦτο ἀμείβει ἐπὶ ἑκάστῃ τῇ ἡμέρᾳ Hoc est: *Fons ex eo oritur nihil cum reliquis fontibus, quotquot è terra scaturiunt, simile habens: Meridie enim frigidus est gustanti, multoq; magis attingenti, utpote frigidissimus. Sole ad vesperam vergente, calidior est: qui quidem calor à vespera ad mediam noctem usque incrementa accipit: media nocte calidissimus est: post mediam noctem paulatim refrigescit; & sub auroram frigidus est, meridie frigidissimus: atque has quidem vicissitudines singulis diebus subit.* Ita Arrianus de isto fonte. Eandem historiæ fidem lectori exhibere vult *Ovidius* quando *l. 15. fab. 39. Metamor. ph.* ait:

> —— *Medio tua Corniger Ammon*
> *Vnda die gelida est, ortuq; obituq; calescit.*

Nonnulli, quos inter est *Plinius l. 2. c. 103. Hist. natural. pag. 53.* videtur ex hoc uno fonte facere duos: Legerat siquidem similem fontem esse in Troglodytis: unde putabit, tales fontes existere duos, alterum prope Hammonis templum: alterum in Troglodytis. Sed necesse haud est fontes geminare, cùm ipse *Plinius* fontem Hammonis ob loci vicinitatem videatur Troglodytis annumerare. Verùm illud obiter. Equidem *Nicolaus Leonius* apud *Anton. Torquemadam collat. 2. p. 153.* pro miraculo ferè habet, quòd prope pagum *Macheruntо in Iudæa* ex una petra duo tàm proximè se contingentes saliant fontes, ita ut

pro

pro uno haberi possint, sed disparis planè naturæ, utpote quorum alter sit nimis frigidus: alter verò nimis calidus. Sed longè majorem admirationem concitat fons Hammonis, qui quaternis istis contrarijs vicibus perpetuò alternare perhibetur. Quænam verò illius rei causa sit, diversimodè traditur. Alij putant, esse hoc miraculosum, & Jovem fonti isti admirandam prorsus impertivisse naturam, ut ejus aqua sub quatuor diversis qualitatibus pro ratione quatuor partium diei naturalis se ostenderet. Verùm hæc sententia multas patietur difficultates. Nam. I. vel est idem iste fons, quem in arenoso loco dicitur aries ostendisse sitienti exercitui, vel est alius? Sin prius conceditur, mirum, quod illud miraculum non fuerit observatum à tanto hominum numero, præcipuè cùm non potuerint omnes unius vel alterius horæ spatio aquam haurire ad restringuendam sitim, nisi quis dicere malit: postea extructo demum templo illum miram istam vim accepisse. Sed unde hoc probatur? Si posterius admittitur: tum antiquorum suffragia & testimonia deficient, è quibus tamen petenda est veritas eorum, quæ ante nos gesta sunt. 2. Si est miraculum, quòd fons Ammonis tàm varijs vicibus suam qualitatem mutet, tum & in alijs fontibus, in quibus itidem aliquid à reliquorum natura communi diversum conspicitur, effectus, cujus causa non statim in promtu est, ad miraculum erit referendus. Quod rerum naturalium peritus non facilè concedet. Alij credunt illud, quod de Hammonis fonte narratur, esse fabulosum: cùm fieri non possit, ut natura tantas contrarias qualitates eidem subjecto ingeneret. At hæc sententia vel inde difficultatem patietur, quòd scriptores fide digni rerum ab Alexandro M. gestarum hoc narrent, quorum autoritatem in dubium vocare, vel eos mendacij arguere, id nimis foret temerarium. Fortean quoque hæc opinio vel inde trahit ortum, quòd Autor istius nequiverit vim istius penetrare, vel rationes tùm varij effectus perscrutari. *Hieronymus Veliterna l. 2. c. 3. de Aquis Nivalibus*, productus à *Iosepho Veccio p. 34.* arbitratur, sub terra esse meatum sulphureum & igneum, per quem aqua fluens incalescat ad ebullitionem usque: cùm verò statis temporibus in tanta copia aqua fervida non affluat, hinc fiat, ut aqua istæc fontana aliquantum de fervore remittat, & tepere incipiat, donec tandem frigescat: mox quando iterum incalescit, præcedens aqua iterum teporem concipiat, usque dum ex affluxu undæ fervidæ iterum ebulliens appareat: & hoc fluxu & affluxu con-

tu continuari credit. Fateor lubens *Veliternam* me non vidisse, nec quid isto *in capite libri de aquis nivalibus* ipse tractet, aut qua occasione hoc argumentum ibidem examinet, legisse: credo interim *Veccio* illius testimonium bona fide producenti. Explicatio istæc quidem satis speciosa videtur; attamen & non minima difficultatem habet, unde scilic. fiat, quod non intempestate nocte frigescat, & in meridie ubi Solis vis maxima influendi in corpora inferiora sese exserit, non ebulliat sed contrarium planè accidere ab Historicis narretur? Et quare hodie de isto fonte nihil comperti habeatur? Sed posterius vix moretur considerationem, novum siquidem non est, ut vel terræ motu, vel deficiente aquarum affluxu, vel alijs causis fontes exarescant. Prius autem est altioris indaginis, quòd fons noctu ferveat, & meridie frigeat. Nunquid dicemus initium fluxus aquæ fervidæ contigisse intempesta nocte? & ita affluxum continuasse, ut in meridiem incideret fons frigidus? vel dicemus hoc ab æstu maris provenire, ut intumescendo magnam copiam aquæ diffundat per meatus terræ, & quæ afflat ad locum illum subterraneum, in quo habetur ignis, ibi effervescat à calore ignis, & sic erumpat in fontem: postea aquam illam fontanam tepidam imò planè frigidam reddi, donec media nocte nova aqua per igneos meatus subsequatur? Verùm hæc sententia nititur hac hypothesi, quòd intumescentia maris fiat saltem noctu: Vel statuemus, quòd solis influxu diurno in quibusdam subjectis accidat contrarium? quemadmodum talia exempla deprehendere licebit. Cæterùm de fontibus modò calidis modò frigidis, & causis tàm diversi effectus vide *Caspar. Schottum l. 1. cap. 2. p. 19. & seqq. ut & l. 6. cap. 5. p. 383. & seqq. de Fontib.* Quæ porro *Veccius p. 36.* pro extollendo hoc fonte partim ex antiquis Manuscriptis, partim vel ex veteribus quorundam Poëtarum Scholiastis adducit, quasi (1) in fundi arena aurum reperiatur. (2) aqua istius fontis habeat hanc virtutem, ut, qui exinde biberit, vim divinandi consequatur. (3) Et qui mortis sonticis correpti ex ea vel bibant, vel se ea perluant, sanitatem amissam recuperent. (4) denique omnia, quæ in istum fontem conjiciuntur, etiamsi vel levissima fuerint, fundum petant; ea non videatur usquequaque fidem impetrare. Non quidem ideo, ac si tale quippiam fonti Jovis Hammonis accidere nequeat, cum id in alijs fontibus reperiri historiæ testentur affatim, de quibus evolvi poterit *Athanasium Kircherum Tom. 1. lib. 5. sect. 3. cap. 3. & 4. p. 247. & seqq. de Mundo subterraneo*; sed quod

nulli historici, qui Alexandri M. res gestas, & subinde iter illud ad fanum Jovis Ammonij susceptum descripserunt, de istis nihil & ne minimum quidem attingat.

IIX. Sed de ipso templo aliquid dicendum est: cuius descriptionem ex distinctis Scriptorum locis depromere oportebit. Initio certum est, templum istud situm fuisse in loco valde arenoso, ut proinde à *Propertio l. 4. Eleg. 1.* dictum fuerit arenosum Jovis antrum in hoc versiculo:

Hoc neque arenosum Lybiæ Iovis explicat antrum.

Arrianus l. 3. p. 161. de Exped. Alex. narrat, quòd *locus, in quo Hammonis templum est, omni ex parte vastas solitudines, & densas ac siticulosas arenas habebat. Medium istius loci quod exiguo spatio circumscribitur, cultis arboribus est refertum, oleis nimirum & palmis, solumq; ex circumiectis locis roscidum.* Templi imaginem exhibet *Iosephus Veccius p. 40.* rudi sanè cælatura: forma est rotunda, sed quodammoda fastigiata: non magna aut ampla, columnis tamen ornata. (*An verò intra columnas apertum fuerit spatium, intra quod aër & lumen potuerint immitti: vel clausum hoc, ob ruditatem cælaturæ deprehendere non potui, nec ipse hoc explicat.*) Intus capacitas fuit, quòd è distinctis conclavibus observare est. Etenim in singulari, sed obscuro & multis lampadibus exornato loco habita fuit imago Jovis; ibique conspecta fuit ara, in qua sacrificia incenderunt in honorem istius Dei, ad placandum eum, & ab eo consequendum benignum responsum. Sacerdotes ibidem continuè permanserunt; quorum officium fuit sufficere oleum lampadibus, ne illæ extinguantur: victimas adolere, & Jovis mentem consulentibus exponere Hæc Veccius è variis consarcinavit: Præterea supra pag. 288 290 Lucanus putabat, quòd templum istud nullis ornatum esset divitiis, unde ipse Jovem hunc pauperem Deum dixit his verbis *pag. 300.*

Pauper adhuc Deus est; nullis violata per ævum
Divitiis delubra tenens.

Verùm, etiamsi Lucanus in ea dubio procul fuerit opinione, Oraculum istud rarò fuisse consultum, quòd in locis desertis & ob gravem æstum inaccessis esset conditum, adeoque exiguos ibidem potuisse acquiri thesauros; tamen, cùm à Magnatibus quibusdam, ut & alijs, quorum nomina ob vetustatem temporis non sunt ab Historicis annotata, Oraculum fuerit consultum, quis credet, ab istis tanto Deo ingentia donaria non fuisse consecrata? Accedit testimonium *Curtii l. 4. c. 7. n. 24.*

qui refert: Jovis imaginem, quando responsum petitur, navigio aurato impositam gestari à Sacerdotibus, multis argenteis pateris ab utroque navigij latere pendentibus. Quæ verba sanè non inferunt paupertatem: etiamsi fortè divitiæ istius templi cum aliorum quorundam templorum thesauris comparari nequeant. Paupertatis suspicionem quoque tollit ipsius Jovis imago in modum umbilici è Smaragdo alijsque gemmis coagmentata: nisi fortean è *Plinii libro 37. c. 5. Natural. Histor. pag. 735.* Smaragdos in vicinia istius loci generari velit opponere. Sed cum præter Smaragdum & aliæ gemmæ memorentur, è quibus constiterit umbilicus iste, adhuc videtur sententia nostra salvo stare talo.

IX. Singularis ratiò & consulendi Deum istum & responsionem consequendi ab isto descripta legitur in antiquis historiis. Nam 1. Jovis imaginem in navigio inaurato, uti vult *Curtius l. 4. c. 7. n. 24*: vel, uti ait *Diodor. Sicul. l. 17. p. 528.* in nave *aurata* Sacerdotes circumgestant; qui humeris suis Deum ferentes eò progrediuntur, quò forte fortuna Dei nutus illos agit. Sequuntur multæ mulieres, & patrium carmen canunt, eum in finem, teste *Curtio*, ut Deum propitient ad certum edendum Oraculum. Quod etiam *Diodor. Sicul. l. c.* tradit: *Sequitur*, inquit, *ingens matronarum virginumq; turba per totum iter Pæanas canentium Deumq; hymno patrio celebrantium.* Quàm malè vero *Georgius Hervvartus* locum istum *Curtii* allegoricè interpretari nitatur illud ostendit egregiè *Freinshemius ad l. 4. c. 7. n. 24. Curtii.* Quando Deus ita propitius erat factus, tum Sacerdotes solebant petentibus responsa dare, & quidem ex ipsius Jovis suggestione; Qui tamen. 3. non verbis, sed nutu respondebat: *Strabo l. 17 p. 814. Geograph.* clarè hoc refert: *Responsa*, ait, *non ut apud Delphos & Branchidas verbis dantur; sed magna ex parte nutu & signis*: quemadmodum apud Homerum, est: *Dixit cæruleisq; superciliis pater almus annuit.* Signa autem sæpe perobscura erant. *Alexand. ab Alexandro l. 6. c. 2. p. 610. Genial. Dier.* ita, ut ipsi Sacerdotes tanquam Interpretes nescirent, quid sibi vellet Ammon Jupiter. Interim tamen aliquid dicebant, quò homines metu Numinis suspensos tenerent, inque ea fanatica religione confirmarent. *Athanasius Kircherus* ferè rerum Ægyptiacarum & aliarum antiquitatum vix fallax Oraculum *Tom. 1. Syntagm. 3. c. 6. p. 205. Oedipi Ægypt.* exhibet formam Umbilici, sub qua etiam Hammon pingebatur: Orbis est, in cujus medio prominet figura instar coni ex Smaragdo & alijs gemmis

extructi. Sacerdotis Ammonij imaginem quoque cælatam ibidem ostendit; quæ est statura hominis qui exuvijs seu pelle arietis vestitus conspicitur, quique extendit manum suam ad orbem umbilici, veluti ad dandum sit paratus. Illi Sacerdotes ex umbilico scire poterant, quid esset respondendum; quamvis interdum revera ipsi mentem istius Deastri non intelligerent; sed quid saltem videretur, consulentibus responderent. Verùm hæc majorem lucem capient ex Alexandri itinere ad hoc Oraculum suscepto, & responso ibidem impetrato.

X. Oraculum Jovis Ammonij in suis responsis certissimum ac verissimum fuisse docet *Veccius p.46. de Orac. Ariet.* Jupiter Ammonius, inquit, apud superstitiosos olim in *suis Oraculis putabatur certus.* Et multis in medium adductis pro veritate & certitudine Oraculi Ammonij testimonijs, tandem concludit *pag. 49.* Ex hisce evidenter constat: *Oraculum hoc in suis responsis certissimum ab illis deliris gentilibus fuisse habitum.* Credo tamen responsa illa non fuisse clara; sed involuta & satis obscura. Qua in re mihi assentientem habeo *Servium ad 4. lib. Æneid. Virgil.* ubi ita ait: Jovi Ammoni templum cum simulacro cum cornibus arietinis constitutum; quod ideo fingitur, quia satis involuta ejus sunt responsa. Sanè ex opinione gentilium certa quidem erant Jovis Ammonis responsa & Oracula, sed quæ verbis contortis, flexis & insinuosis instar arietinorum cornuum constabant. Quod itaque *Pacuvius* dixit de Oraculo Delphico: *Flexa non falsa autumare dictio Delphis solet*; idem illud de Ammonio Oraculo affirmari poterit; quòd scilicet illud quidem è paganorum sententia fuerit certum, sed obscurum, ambiguum, & flexo sermone distortum. Eam opinionem sequitur hujus seculi Varro *Gerard. Vossius,* qui *l.2. c.11. p.363. de Idololat.* ita judicat: *Oracula Ammonia,* inquit, *ibidem erant certissima: sed quia de certis illis homines ob ambiguitatem dictionis forent incerti, ideò Oracula Arietina dixere dicta ista, ubi liqueret universè quid opus foret: particulatim non item, quia animus fluctuaret, utrum eligi oporteret. Exemplo fuerit locus ille à Gellio l.3.c.3. p.217. adductus ex Plautina Freti Comœdia.*

—— Hoc illud est,
Quod Arietini responsum magnis ludis dicitur:
Scribo, si non fecere; si faxo, vapulaero.

Hic sermo est certissimus sed hominis incerti, quid agat, dum hinc perire non vult: & tamen ex altera parte extimescit plagas. Hæc Vossius. In eandem sententiam descendit *Hadrianus Turnebus l.14.c.18. Advers. p.266.*

p. 266. Oraculum cur dicatur Arietinum, qui quæret, nodum in scirpo non videtur quærere supra *p. 285. Ego*, inquit, *Arietinum putem vocatum ob Jovem Ammonem, cuius Oracula explorata indubitataq́; fidei habebantur. Is autem specie Arietis, ut satis notum esse confido, colebatur. Cui autem Iupiter Ammon Oraculum ita anceps ediderat, ut, si utrumque faceret, malum haberet. Peribis videlicet, si non feceris; si feceris, vapulabis.* Meritò itaque tale responsum pro ambiguo haberi debuit, quia quodcunque is, qui responsum acceperat, facere voluit, semper in malum cecidit. Alij putant per responsa illa arietina non respici à Poetis ad Oraculum Jovis Ammonis, sed per ea intelligi *intortas & Sophisticas argumentationes*, quibus quis ab utraque parte capitur: quas *Fabius Quintilianus l. 1. c. 10. pag. 50.* vocat argumentationes cornutas: *Non*, inquit, *quia ceratina aut crocodilina possint facere sapientem, sed quia illum ne in minimis quidem oporteat falli.* Verùm quicquid ea de re alij loquantur: Probabile est, Ammonis Oracula ab Ethnicis tanquam verissima fuisse admissa: licèt ea fuerint obscura, & intellectu difficilia.

XI. Ad hoc Oraculum consulendum profectus est Alexander M. non sine maximo labore, & totius, quem secum habebat, comitatus periculo: via enim, quæ ad Oraculum istud ducit, est planè deserta, altoque sabulo inpedita, & aquæ inops. *Arrianus l. 3. de Exped. Alexand. p. 159.* Inde etiam initio & primis quatuor diebus usus est aqua à camelis adducta, sed postea illa defecit. Quod *Curtius l. 4. c. 7. n. 11. 12. 13.* Aperuere se, inquit, campi alto obruti sabulo, haut secus quam profundum æquor ingressi terrarum oculis requirebant. Nulla arbor, nullum culti soli occurrebat vestigium: aqua etiam defecerat, *quam utribus cameli devexerant: & in arido solo ac fervido sabulo nulla erat.* Postea largum imbrem excusserunt procellæ, quem pro se quisque excepit: licèt quidam ob sitim impotentes sui ore quoque hianti illum captare cœperint. Et hoc prodigio habitum fuisse refert *Arrianus d. l.* Sicut & illud: *Quotiescunque Auster in ea regione spirat, tum is magnam vi arenæ viam obruit, ita ut omnia viarum vestigia obducantur, & perinde ut in pelago, quà eundum sit, cerni præ arena non possit.* Strabo quoque *lib. 17. p. 814. Geograph.* refert: *Alexandrum cum suo exercitu imbrium superventu servatum fuisse.* Accessit aliud prodigium: Cùm enim Ductores Alexandrini exercitus de via ambigerent, tum juxta Ptolomæum Lagi filium, si fides ei habenda sit, duo Dracones, edito clamore, præcesserunt agmen: quô factô, Alexander Ducibus imperavit,

ut prodigio acquiescerent, & dracones sequerentur qui eos in Oraculi sedem & duxerunt & reduxerunt. Verùm *Curtius l. 4. c. 7. n. 15* de corvis, qui exercitum antecesserunt, loquitur, & quidem verbis sequentibus: *Haud procul Oraculi sede aberant, cum complures corvi agmini occurrunt, modico volatu prima signa antecedentes; & modo humi residebant, cùm lentius agmen incederet: modò se pennis levabant, antecedentium iterque monstrantium ritu.* Cum Curtio consentit etiam *Diodor. Siculus l. 17. p. 527. Biblioth.* qui ita rem narrat: Cum de via propter arenarum multitudinem ipsis non constaret, illi, qui præibant, Regi nunciant, *corvos à dextro crocitantes* semitam rectà ad Oraculum præmonstrare. Ubi Alexander, quod evenerat, pro felici augurio acceptans, adventumque suum Deo gratum esse interpretans, majore alacritate progreditur. Quod Curtius & Diodorus Siculus de corvorum indefinita multitudine adducunt, illud *Strabo l. 17. p. 814. Geogr. & Arrian. l. 3. p. 161. de Exped. Alexandri.* restringunt ad *duos corvos*, & quidem *Arrianus* se refert ad autoritatem *Aristobuli*, qui dicit: *duos corvos ante exercitum Alexandri volitasse; eosq́; Regi extitisse itineris Duces.* Interim Arrianus nihil certi affirmare vult. Id quidem concedit, vero simile esse: Alexandrum aliquo prodigio fuisse adjutum, sed rei veritatem à Scriptorum varietate fuisse obscuratam, ingenuè fatetur. *Iosephus Veccius in cap. ult. de Oraculo Ariet. p. 88.* dicit: Dæmonem voluisse imitari Deum, qui suo populo signum aliquod visibile præire voluit, cujus ductum iste sequens per vastum desertum utpote viam ipsi penitus incognitam tandem eluctari posset. Quod, etiamsi certum non est, probabilitate tamen non caret. Malus namq; Genius imitari Dei actiones voluit, ut si de illis fama ad exteros & ad ipsos quoq; gentiles spargeretur, ipsi non haberent caussam admirandi, multò minus in tanti Numinis divinitatem & potentiam inquirendi, cum ipsi simile quippiam in sua gente haberent. Mirum est, quod de Mexicanis legitur; illi namque jussi sunt à Dæmone egredi pristinis sedibus, & secedere in aliam regionem omni divitiarum genere abundantem. Qui quoque eidem paruerunt: in via autem Deaster iste suo superstitioso populo dedit leges: ijsque præcepit certum cultum, sub quo ab eo voluit honorari: ceremonias potissimùm sacrificiorum illum docuit, & passim Sacerdotibus unà euntibus suam voluntatem aperuit. Illis quoque manifestavit, quid in itinere illo ipsis posset accidere: erexerunt itaque illi Dæmoni tabernaculum, eidemque fecerunt sacra, ejusq; ad jussum nunc quieverunt, nunc iter fecerunt. Nun-

quam auditum est in omni historia, Diabolum sic egisse cum ullo infideli populo, quàm cum Mexicano; qui nomen accepit à suo Duce Mexio; unde postmodum & tota provincia dicta est Mexicana. Vide *Ludovic. Gothofred. par. 1. Histor. West Ind. p. 53.* Extra omne dubium est, si quis hujus rei circumstantias consideret, quòd malus Genius Sanctissimi Numinis exemplum in ducenda gente sua Israelitica per desertum; & sanciendis legibus: fabricando sacro tabernaculo, satis impiè & impudenter voluerit imitari, & miseram istam plebem vanis promissis inescatam decipere, eamque sibi singulari cultus divini specie obstringere. Proinde quod *Veccius* circa hanc rem opinatur, non videtur esse de nihilo.

XII. Qua de causa verò Alexander, tàm periculoso sibi itinere objecto ad Jovem Ammonium contendere, ejusque celebre alioquin Oraculum, cùm Delphos & minoribus sumtibus, nec tanto sui suorumque discrimine proficisci potuisset, consulere voluerit, de eo etiam contendunt scriptores. *Strabo lib. 17. pag. 814.* existimat; Illum hoc fecisse ex ambitione, ne scilicet minor videretur Perseo & Hercule, qui prius ad Oraculum istud contendissent. Verba Historici ita se habent. *Callisthenes narrat. Alexandrum ambitione quadam inductum ad id Oraculum contendisse, quod intelligeret Perseum & Herculem prius eò ascendisse.* Verùm alij statuunt: Alexandrum ideo ad Jovis Ammonii Oraculum voluisse proficisci, ut dignitatem sui generis & originis exploraret, & ita pro Jovis filio haberetur. Illud luculento testimonio confirmat *Curtius l. 4. c. 7. n. 8.* quando ita ait. *Ingens cupido animum* (scilicet Alexandri) *stimulabat adeundi Jovem, quem generis sui autorem haut contentus mortali fastigio aut credebat esse, aut credi volebat.* Josephus Veccius l. c. putat tribus de causis potissimum commotum Alexandrum, ut Oraculum Jovis Ammonij adiret. *Prima* fuit animi fastus; quòd nimirùm Alexander ambitione aut quadam animi elatione motus illud sumtuosum iter ad Jovem Ammonium instituerit: saltem, ut, quod ante ipsum Perseus & Hercules fecissent, & ex isto facto memoriam famæ in historijs tanquam voluminibus æternitatis meruissent, & ipse præstaret, ne minore vel timidiore videretur animo ad superandas tam periculosi & difficilis itineris molestias, & consulendum istud Oraculum, & propagandam tanti facinoris memoriam apud posteros. Verùm aliam rationem dat *Arrianus l. 3. p. 158. de Exped. Alex.* quod scilicet ab Hercule & Perseo genus duceret. *Erat,* inquit, *Alexandro*

emulatio

æmulatio quædam cum Perseo & Hercule QUIPPE QUI GENUS AB UTROQUE DUCERET, *siquidem & ipse ortus sui initia ad Hammonem referebat, quemadmodum Persei & Herculis fabulæ ad Iovem.* Rectius itaque dicetur, Alexandrum ex æmulatione quadam cum Perseo & Hercule ad Ammonium Oraculum se contulisse, ut, cum ab utroque duceret genus, non minore studio Iovem coluisse videretur, atque illi quondam fecissent: quamvis vanitatem & fastum animi non negem. Interim *Veccius* suæ sententiæ inhæret tenaciter, & *Secundam* hujus profectionis *causam* in concilianda sibi opinione apud populos de famæ celebritate, & fortunæ felicitate ad hostes debellandos ponit. Quò respiciunt verba, quibus ipse Rex usus est apud *Curtium l. 8. c. 8. n. 15.* Utinam *Indi quoque Deum me esse credant. Fama enim bella constant, & sæpe etiam, quod falsò creditum est, veri vicem obtinuit.* Quin Rex iste eò vesaniæ redactus sciscitari ab Oraculo voluit: *An totius orbis imperium fatis sibi destinaret pater?* Ubi sacerdos respondit quidem: *Terrarum omnium Rectorem eum fore.* Sed addit *Curtius l. 4. c. 7. n. 27. Vatem in adulationem fuisse compositum*: id est, respondisse ita, uti optabat Alexander; adeoque sacerdotem illum Regi consulenti adulatum & mentitum fuisse. Voluit itaque Princeps iste totius orbis imperium in se unum conferri, ita ut omnes gentes per totum terrarum orbem dispersæ ipsum solum supremum Monarcham venerarentur. In eo autem conspicitur vanitas Regis Alexandri, quòd totius mundi imperium affectaret, & omnibus sub sole viventibus populis dominari caperet. *Tertia causa itineris ad Oraculum suscepti* affertur à *Veccio*; Abolitio famæ de incerto patre. Ex antiquis historijs patet: Alexandrum natum esse è Philippo Rege Macedonum, & matre Olympiade: quantumvis & ibidem reperiatur, Jovem sub specie serpentis coijsse cum Olympiade, & ex illo congressu natum esse novum istum Principem Alexandrum. Quidam, qui candidiore veritate rem narrant, dicunt: Alexandrum natum esse ex adulterio. Quicquid de eo etiam dicatur: illud certum est voluisse ipsum videri Jovis filium, &, ut hæc opinio hominum mentibus imprimeretur, à Jove hac de re testimonium impetrare. *Iustinus l. 11. c. 11. n. 3. 4. 5. p. 186.* Mater Alexandri Olympias confessa est viro suo Philippo, Alexandrum non ex EO se, sed ex serpente ingentis magnitudinis concepisse. Quin Philippus ultimo prope vitæ suæ tempore *Alexandrum filium suum non esse* palam prædicaverat. Qua de causa Olympiadem veluti

stupri

stupri compertam repudio dimiserat. Ut igitur originem divinitatis acquireret, simul & matrem infamia liberaret, Oraculum hoc voluit consulere. Cùm Justino *Paulus Orosius* ex parte facit *l. 3. c. 16. p. 150. advers. pagan.* quando refert: Alexandrum ad hoc oraculum accessisse, ut infamiam matris adulteræ aboleret. Verba ita se habent: *Inde ad templum Iovis Ammonis pergit, ut mendaciô ad tempus compositô, ignominiam sibi patris incerti, & infamiam adulteræ matris aboleret.* Ita Alexander declinare voluit hominum judicium de suo ortu: passim namque fama de illegitimis ejus natalibus extabat. Julianus tamen *in Orat. 1. pag. 84.* de inhonestis Alexandri natalibus nihil dicit, sed illud saltem refert, ipsum ob fastum & insolentiam animi genitorem suum contemsisse & à Deo originem suam ducere voluisse. Verba pauca adscribam: *De Alexandro Philippi filio narrant, quod, posteaquam is Persarum vires ac potentiam everterit, non modò reliquam vitæ rationem majorem ad fastum, & omnibus intolerabilem arrogantiam composuerit: verùm etiam genitorem suum ac communem hominum contemserit naturam. Hammonis enim se filium, & non Philippi existimari volebat.* Juliani sententiam sequi videtur *Bocatius lib. 13. de Geneal. Deor.* quando ita loquitur: *O insipidum incliti juvenis desiderium! malle potius se adulterio, quàm ex connubio genitum: malle Draconis se filium credi, quàm Philippi clarissimi Regis, & potius spurium, quàm legitimum arbitrari. O mortalium mentium non solùm inanis, sed detestanda gloria! is qui continuè in oculis amicorum patiebatur mortalia, per mendaciorum fascinationes ab iisdem se immortalem existimari cupiebat insipidè.* Lepidum est, quod *Veccius* d. l. è *Chrysostomo* recitat de Diogenis Cynici & Alexandri M colloquio. Rex iste multum audiverat de Diogenis Philosophi moribus, ideo cupiditate videndi istum hominem accensus se contulit ad eum locum, ubi vir iste commorababatur, & deprehendit eum expansis membris in terra jacentem & apricantem. Alexander dubio procul existimavit, ad suum adventum Diogenem surrecturum, & devotis gestibus se excepturum. Verùm ille jacui immotus, ita ut Alexander eum alloqui cœperit: annon eum nosset, qui cum ipso nunc loqueretur? Respondit Diogenes: novi satis nam ille est spurius. Qua loquendi licentia vel dicacitate offensus Alexander irretortis oculis eum aspexit indignationem animi præ se ferens. Tum Diogenes ait: Noli excandescere: Tales enim omnes Heroes sunt. Dum enim nolunt inhonestos natales fateri, ad celandam eorum turpitudinem originem nativitatis adscribunt alicui Deo, ut patrem Deum;

matrem verò hominem habeant. Sed hoc obiter. Cæterum Alexander à Jove Ammonio, quod voluit, impetrat; nempe ab ejus Antistite declaratur Jovis filius. At *Justinus l. 11. c. 11. n. 7. p. 186* refert, quod per præmissos legatos subornaverit antistites, quid sibi responderi voluerit. Hinc Alexandrum ingredientem templum statim Antistites salutarunt ut Hammonis filium. Qui lætus Dei adoptione ab isto patre se natum credi voluit. Quod itidem *Orosius l. 3. c. 16. p. 159. & 160.* confirmat, quamvis in eo à Iustino discrepet, quod Alexander ad se accersitum fani istius antistitem ex occulto monuerit, quid sibi tanquam consulenti responderi voluerit: Iustinus autem referat, Regem per præmissos Antistitem subornasse ad gratum responsum proferendum. Quod verò Vates Jovis Ammonij in proferendo Oraculo de Alexandri divina origine fuerit corruptus, id videtur etiam *Curtius l. 4. c. 7. n. 26.* statuere his verbis: Vates *ÆQUE* in adulationem compositus. Dubio procul juxta Curtij mentem duo fuerunt Jovis Ammonij Sacerdotes, *alter*, qui Alexandrum filium Jovis appellavit: *alter*, qui eum futurum totius orbis Rectorem declaravit. De hoc posteriore dicit, quòd *æque* in adulationem fuerit compositus: unde firmiter concluditur, & priorem illum in adulationem fuisse compositum. Interea Alexander nomen filij à Sacerdote Jovis Ammonij accepit & agnovit. *Diodorus Siculus lib. 17. p. 528.* rem eodem ferè modo persequitur & quidem verbis sequentibus: *Cum introductus in templum Alexander à Sacerdotibus Deum intueretur, vates natu grandior ad illum accedens,* SALVE, *inquit*, FILI. *Et hanc à Deo appellationem habe. Cui respondens ille*: Accipio pater, *ait*, tuusque deinceps nuncupabor: *Si tamen orbis totius imperium mihi concesseris. Sacerdos itaque delubrum adiit: Cumq́; viri, qui Deum pro ritu more sublevant ad destinata quædam vocis signa se movissent, ille ex adyto respondit: Deum quod peteret, certissimè effectum dare.* De hac facto Alexandri *Athanasius Kircherus Tom. I. Syntagm. 3. c. 6. p. 204. Oedipi Ægypt.* idem statuit, quod reliqui: scilicet, Jovis sacerdotem Regi blandientem eum Ammonis filium vocasse: & ambitiosum Regem hac compellatione ita fuisse delectatum, ut postea non aliter quàm Ammonis filius & dici & haberi voluerit. Mater tamen Olympias id ægrè tulit: Itaque cùm ipse ad matrem ita scripsisset: *REX ALEXANDER JOVIS AMMONIS FILIUS OLYMPIADI MATRI SALUTEM.* Ei Olympias rescripsit ad hanc sententiam: *Amabo, mi fili*, inquit, *quiescas; neque deferas me, neque crimineris adversus Iunonem. malum*

lum mihi prorsus illa magnum dabit, cùm tu me literis tuis pellicem illi esse confiteris. Vide *A. Gellium l. 13. c. 5. p. 658. Noct. Atticar.* R. Joseph. Ben. Gorion refert: *Nectanebum* Olympiadem sub efficta figura Ammonis compressisse. Verba Gorionidis è versione *Kircheri* ita se habent. *Et dixit ad Reginam Nectanebus: scias, quòd nunc de majoribus Diis, de quibus Tibi dixi, amplexabitur Te, & ipse quæret Te, & adjuvabit Te in omnibus, quæ desideras. Et dixit Regina: Quis est iste Deus? & quæ forma ejus? & dixit ei: Nomen illi Deo est Ammon fortis & vocatur hoc nomine, quia ipse confirmat & adjuvat omnes confidentes in eum. Et dixit illa: Ostende mihi speciem & figuram ejus, qui veniet: Et ille dixit ad eam: Vir est rectus statura, non senex, nec juvenis, & in fronte ejus cornua, sicut cornua bovis: & barba ejus sicut barba canis, & ex illo nascetur tibi filius.* E quibus patet: Alexandrum fuisse filium *Nectanebi*, qui Olympiadem sub assumta figura Ammonis compressit. Hinc Olympias meritò sibi timebat Junonem conjugem Ammonis Jovis, sub cujus figura falsò & per dolum malignum erat vitiata. Hæc ita *Kircherus* d. pag. 204. Ne autem huic historiæ quicquam desit; addi possunt, quæ refert *Plutarchus in Vita Alexandri p. 680.* Et hæ sunt tres causæ, ob quas, Alexander M. potissimum voluerit Oraculum Jovis Ammonij consulere *Justinus* tamen *lib. 11. c. 11. n. 2. p. 185.* videtur *Quartam causam* addere, ac si Rex iste & de *futurorum* aliorum scilic. *eventu* illud voluerit interrogare.

XIII. Præter Alexandrum & alij magni æstimarunt Oraculum Ammonium, quas inter fuit Lysander vir versutior dicam an prudentior. Is enim, quod in ipsius vita narrat *Plutarchus in Tom. 1. p. 444.* post susceptum munus Magistratus proposuit: Sibi esse necessarium iter ad Ammonis delubrum, ut sacrificia, quæ ante prælia voverat ibidem redderet. Quidam namque verè ajunt, quòd cùm in Thracia is Aphygæorum oppidum circumsideret, ei in somnis adstiterit Jupiter Ammon. Inde soluta obsidione Aphygæis præcepit sacra facere, ipseque in Africam profectus maturavit placare Deum. Sunt tamen nonnulli, qui putant: Lysandrum hoc finxisse, & autoritatem Ammonis vertisse in velamentum iniquitatis suæ, ne ipse periculum incideret, timebat siquidem Judicium Ephororum. Sed illud quidem ita esse poterit; interim ad Lysandri historiam, & quod Lacedæmonij olim Deum Ammonium quàm maximè coluerint revertar. Lycurgus postquam ei ab Alexandro alter oculus excussus, & ne alterum quoque perderet oculum à concursu Lacedæmoniorum servatus erat, & *Ophthalmitidi* Minervæ

templum fecerat, progressus est ad Ammonis Oraculum; constat siquidem Lacedæmonios omnium Græcorum maximè usos fuisse in principio Oraculo Lybico. Et scribit *Pausanias l. 3. p. 282.* de Lysandro ferè eadem, quæ *Plutarchus* d.l. scilicet: Eum *Aphytin in Pallene oppidum oppugnantem per nocturnum visum monitum ab Ammone, melius Lacedæmoniis eventurum, si Aphytæos desiissent bello vexare: & ita Ammonis religiosius colendi eum Autorem fuisse tradunt. Venerantur certè Ammonem Aphytæi cultu nihilo minore, quàm Ammonii ipsi in Lybia.* Quos Plutarchus vocat *Aphygeos*, illos Pausanias appellat *Aphytæos*, cujus lectionem probatam video à nonnullis Criticis; Et quidem Aphyte fuit oppidum in Thracia non procul à Pallene, sive, uti *Ortelius in Thesauro Geograph.* scribit circa Pallenem: *Herodotus* verò *l. 7. c. 123. p. 421.* in Pallene: Fuit olim insigne ab Oraculo quodam Apollinis; Verùm postquam Ammonis monitu à Lacedæmonijs liberati fuerunt, cœperunt, teste *Stephano*, Oraculum Jovis Ammonij frequentissimè adire, ipsumque Jovem tanquam Sospitatorem suum colere & venerari. Lacedæmonij aliquando gravi lue, quâ multi homines absumti sunt, laborarunt: & cùm desperarent ferè de salute, ne tota periret multitudo, pertimescentes, tandem ad Oraculum Ammonium confugerunt, cujus sacerdos natu grandis, consulto prius consvetis ceremonijs Deo, illis hoc responsum dedit; *Sparta liberabitur à malo, si Iovis sacra restaurarent.* Illa enim longo tempore erant neglecta, ita ut posteri nesciverint: an Jupiter à majoribus tantopere fuerit cultus? Sed, perlatô ad ipsos hoc Jovis effatô collapsa ara restituta est, & sacra pristina in melius reformata sunt, *Arnold. de Villa nova in Collectan. Antiquit. tit. de Sacris Gentil. cap. 13. fol. 693.* Et Lacedæmoniorum preces & sacra magis Ammoni placere, quàm Græcorum sacra omnia refert *Plato in Alcibiade. II. p. 458.* historia est notabilis. *Volo insuper aliud quippiam tibi referre,* ait Socrates ad Alcibiadem, *quod aliquando à senioribus quibusdam accepi. Dicebant enim semper civitati nostræ accidisse, ut quotiescunque bellum Athenienses cum Lacedæmoniis gererent, nostri tum terra tum mari infortunati essent, nec unquam victores redirent. Quare indignatos Athenienses, cùm non haberent, qua arte tantam calamitatem vitarent, decrevisse: Ammonem consulere, quam ob causam Dii Lacedæmoniis potius, quàm Atheniensibus victoriam largirentur, cùm ipsi tamen sacrificia tum plura tum decentiora, quàm reliqui Græcorum offerrent, simulacris donisq; templa sic ornantes, ut nulli alii: pompasq; quotannis sumtuosissimas & venustissimas celebra-*

celebrarent &, omni sumtu, qui ad rem divinam spectat, cunctis Græcis magnificentiores existerent: cùm Lacedæmoniis nulla istorum esset cura, adeò circa cultum divinum parcis, ut animalia mutilata passim mactarent, & in aliis omnibus ceremoniis longè admodum parcioribus, quàm Athenienses, cùm tamen opum magnitudine à nobis non superentur. Posteaquam hæc dixisset nuncius interrogans: quo pacto à præsenti calamitate liberari possent, non multa ad hæc respondisse Prophetam, Deum enim non permittere. Accersito verò Atheniensium Legato in hunc modum fuisse locutum: Hæc dicit Ammon: Placere magis Lacedæmoniorum sibi acclamationem, quàm reliquorum Græcorum sacra omnia, nec plura iis respondisse. Acclamationem verò nullam prorsus aliam Deus mihi dixisse videtur, quàm illorum preces; etenim revera illæ permultum à cæteris differunt. Hæc Plato. Athenienses aliquando bellum contra Siculos moturi legatos miserunt ad Ammonis Oraculum, ut sciscitarentur, nunquid feliciter contra eos essent præliaturi. Qui ex Lybia reversi, & ab Alcibiade subornati responsum à Deo se accepisse asseverarunt: *Syracusanos ab Atheniensibus capiendos esse.* Dum itaque instructis navigijs in Siciliam traijciunt, interceperunt navim, in qua invenerunt tabulas, quibus nomina sua tributim perscripserant Syracusani, quæ in templo Jovis Olympij depositæ erant ad conquirendum delectum juventutis bello idoneæ. Res ad vates delata est, qui judicarunt, Oraculum illud non Syracusarum expugnationem, sed istarum tabularum interceptionem intellexisse. Vide *Plutarch. Tom. 1. Oper. in Vita Niciæ. p. 531. & seqq.* Similiter, Hannibal Dux Carthaginensium Jovem Ammonem consuluit de fato suo, & rerum futurarum ultimo successu, cùm jam suis Carthaginensibus se ingratum esse, & factione suorum in odium se adductum intelligeret, & ita in vitæ discrimine versaretur: Illi Oraculum respondit: Λίβυσσα κρύψει βῶλος τὸν Ἀννίβαλ δέμας: O Hannibal Libyssa terra teget corpus tuum. Quo impetrato responsô putavit, se suis tandem civibus progressu temporis reconciliatum iri, adeóque credidit hoc Oraculo sibi reditum in patriam promitti, ubi consenesceret, & post mortem sepeliretur. Quapropter de sua salute parùm sollicitus in Asia, quò confugerat, securius vivendo indulsit Genio. Venerat enim ad Prussiam Bithyniæ Regem: cujus tamen fidem paulò post suspectam habuit, quòd Romanorum potentiam metueret, à quibus quotidie urgebatur, ut Ducem Carthaginensium Tito Qvinctio Flaminio Romanorum Legato traderet. A quo cùm proditus esset in vico majore adjacente, cui nomen erat Libyssæ, ne in manus Flaminij veni-

eret, hauſtô, quod in annulo clauſum geſtabat, venenô, ſeipſum interfecit. *Veccius* hanc hiſtoriam recitat è *Plutarcho, qui Tom. 1. oper. p. 380. in Vita Flaminii* illam quoque habet; ſed ibidem mentionem non facit Oraculi Ammonii, verùm ſaltem dicit: *Oraculum vetus fuiſſe de Hannibalis exitu*. Idem *Plutarchus* d. l. addit, quod ubi Hannibal calicem ſumſiſſet, dixerit: liberemus tandem diuturna cura Populum Romanum, quando mortem invidioſi ſenis expectare longum & grave cenſuit. *Paulus Oroſius l. 4. c. 8. p. 239.* Hannibalem eo loco lapidibus fuiſſe obrutum à Carthaginenſibus. Sed *lib. 4. c. 20. p. 271.* Sentit cum Plutarcho, quod is veneno ſeſe necaverit: *Iisdem diebus*, ait, *Hannibal apud Pruſiam Bithyniæ Regem, cum à Romanis repoſceretur, veneno ſeſe necavit.* Quod & *Livius* refert *lib. 39. c. 51. p. 500*, alij Eum planè cruci fuiſſe affixum dicunt. Semiramisquoq; Jovem Ammonium de vitæ ſuæ exitu conſuluit, & gratum ab eo accepit reſponſum apud *Diodor. Sicul. l. 2. p. 102. Biblioth.* Univerſam Ægyptum peragravit, Libyaque magna ex parte in ditionem redactâ Jovem Ammonem adiit, ut ex eo ſciſcitaretur vitæ ſuæ finem. Redditum autem ei fuit hoc Oraculum: Fore, ut ex hominum conſpectu abiret, & immortalem à nonnullis Aſiæ gentibus honorem indipiſceretur, quando Ninyas ei filius inſidias ſtruxiſſet. Veccius cenſet, & Seſoſtrim Regem cœcum factum pro recuperando viſu conſuluiſſe Jovem Ammonem. Quæ hiſtoria eſt lepida, & refertur à *Diodoro Siculo lib. 1. p. 54* licèt hic non dicat, conſilium ſanitatis recuperandæ ab Ammone fuiſſe datum: Seſoſtris itaque accepto iſto in fortunio, plurimis ſacrificijs & honoribus longo tempore iram Numinis averruncare ſtuduit; ſed fruſtra, decimo tamen anno Oraculi monitu juſſus eſt, & Deum Heliopolitanum venerari, & feminæ alienum virum non, expertæ lotio faciem abluere. Exorſus quidem à ſua conjuge eſt, ſed manſit cæcus, poſtea multas alias exploravit. Sed nullam invenit incorruptam præter hortulani cujusdam uxorem. Cujus urina uti faciem lavaſſet, ſanitati reſtitutus viſum recepit: quam poſtea matrimonio ſibi copulavit. Reliquas verò uxores, quas inter propria erat conjux, in vico quodam congregatas tanquam adulteras concremavit vivas. Vicus iſte ab hoc eventu dictus eſt *GLEBA SACRA*. Sed fortean ſatis de illis, qui Oraculum Jovis Ammonis adierunt.

XIV. Cambyſes voluit templum Jovis Ammonis deſtruere, quem in finem integrum exercitum ad illud fanum evertendum ablegavit, ſed adverſa tempeſtate impeditus fuit, quo minus conſilium

potue-

potuerit ad effectum perducere. *Iustinus l. 1. c. 9. n. 1. 2. 3. 4. p. 18. 19.* ait: *Huic,* scilicet Cyro, *successit filius Cambyses, qui imperio Patris Ægyptum adiecit. Sed offensus superstitionibus Ægyptiorum APIS cæterorumque Deorum ædes dirui iubet. Ad Ammonis quoque nobilissimum templum expugnandum exercitum mittit, qui tempestatibus & arenarum molibus oppressus interiit. Herod. l. 3. c. 26. p. 171. & 172.* istius historiæ quoque meminit. *Seneca l. 2. Quæstion. natur. c. 30. p. 512.* brevissimè factum istud narrat his verbis: *Aliquando Cambyses ad Ammonem misit exercitum, quem arena Austro mota, & more nivis incidens texit, deinde obruit.* Licèt verò Cambysi propositum in evertendo oraculo Ammonio non successerit: illud tamen, quod tanto in honore erat constitutum, tandem defecit, quòd *Strabo lib. 17. p. 813. Geograph.* indicat, quando ita ait: *Multis de Ammone dictis id tantum adiicimus: Veteribus & divinationem universam, & Oracula in summo fuisse honore, nunc eadem admodum negligi, Romanis in Sibyllæ Oraculis, & Etrusca divinatione per extispicia auguria, & servationes de cælo acquiescentibus. Itaque Ammonis Oraculum fere desertum est, quod in honore quondam fuerat. Id ii imprimis declarant, qui Alexandri res conscripserunt, qui quanquam adulandi gratia non pauca adiecerunt; indicant tamen & talia, quæ credenda sunt.* Quo tempore autem desierit hoc Oraculum, facilè nemo definiet, & puto in ejusmodi incertis rebus temerè operam insumere haut oportere. Verùm hæc de Oraculo Ammonio dicta sunto.

CAPUT IV.

DE Oraculo Dodonæo.

I.

Dodona est Urbs Chaoniæ in Epiro, juxta quam propinquum erat nemus Jovi sacrum, totum quercubus repletum, & ita glandibus abundans: in quo nemore templum erat Jovi sacrum. Nunquam verò apud Scriptores memoratur Dodona, quin simul & nemoris istius fiat mentio. Fuit autem uti quidam volunt ampla & florens civitas, numero civium, & opum abundantia satis clara. An civium numerus ibidem excreverit ob celebre, quod ibi habebatur, Oraculum, an verò, quòd ibi esset copiosus victus? dici equidem non potest. Quidam hoc posterius affirmant, & huc trahunt locum *Virgilii lib. 1. Georg. v 148. 149.*

Cum

—— Cum iam glandes atque arbuta sacra
Deficerent silvæ, & victum Dodona negaret.

A quo etiam lib. II. Georgic. v. 8. Glans dicitur Chaonia, id est, opima & copiosa, cujusmodi glandarijs Chaonia abundabat. Non credo tamen ob quercuum copiam homines in urbem Dodonam se contulisse, utut maximè istius temporis homines simpliciore victu contenti fuerint. Neque assentior illis, qui existimant ob glandium ubertatem homines ibi confluxisse ad saginandos porcos: Constat namque & homines olim glandibus vesci fuisse solitos. Quo pertinet, quod dicitur *lib. I. Georg. Virgil. v. 8.*

Liber & alma Ceres vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit arista.

Alij arbitrantur: Oraculum hoc nomen habere à Dodone nympha Oceani filia, quæ ibi sedem habuisse, vel etiam Oraculo isti (quod tamen probari vix poterit) præfuisse creditur.

II. Supra nempe cap. 2. p. 245. disputatum fuit, nunquid Ammonium, an verò Delphicum Oraculum esset antiquius; & *p. 246.* pro Oraculi Delphici antiquitate conclusum fuit his verbis: *Quantum itaque ex historiis Græcis cognoscere licet, vix erit in Græcia Oraculum, quod sit Delphico vetustius.* Verùm assertionem hanc facit dubiam *Herodotus l. 2. c. 52. p. 110.* quando ait: τὸ γὰρ δὴ μαντήιον τοῦτο νενόμιστο ἀρχαιότατον τῶν ἐν Ἕλλησι χρηστηρίων εἶναι. Id est. *Hoc Oraculum omnium quæ apud Græcos sunt, vetustissimum esse existimatur.* Καὶ ἦν τὸν χρόνον τοῦτον μοῦνον, hoc est: *Et illo tempore erat solum & unicum.* Jam si eo tempore fuit solum & unicum, plura tum oracula in Græcia non fuerunt, adeoque illis, qui postea accesserunt, fuit prius & antiquius. Verùm (1) Herodotus loquitur ex hominum opinione. sæpe autem nonnulla ex hominum opinione creduntur, & in publicas literas referuntur, quæ tamen non statim in rei veritate ita se habent (2) sunt nonnulli Critici, qui eo nomine Herodotum accusant, quòd in quibusdam aliorum opinionem secutus veritatem rei non adeò attenderit. (3) Nemo est, qui ferè id statuat, quàm Herodotus, cujus solius testimonio standum non est (4) *Strabo l. 9. p. 417.* Oraculum Delphicum commendat ab antiquitate, & ob illam dicit istud fuisse insigne seu celebre: additque, & Agamemnonem illud adijsse. Quo sanè confirmatur, quod dictum est supra *pag. 282.* Oraculum Delphicum ante devastationem Trojæ exstitisse.

tisse. Et (5) scribit *Diphilus*: *Quo tu tendis? Delphos adire volo, ad consulendum Deum. Hujus enim Oraculum vetustissimum est in Græcia*: quod testimonium adducit *M. Musurus Viterbiensis* in notis ad fragmenta Græcor: Poëtarum collecta *pag. 39*. Mecum facit *Alexander ab Alexandro l. 6. c. 2. p. 605. Genial. dier.* qui ita differit: Delphicum Oraculum *cuncta Oracula antiquitate excellebat: proximum huic fertur Dodonæi Iovis Oraculum*. Quod etiam probat Servius. Illud quidem repugnare nolo, quod & tempore, quô inclaruerat Delphicum Oraculum, & Dodonæum existere, & inclarescere cœperit, atque ita simul ambo frequentata fuerint: & hoc colligo è *Strabone l. 16. p. 762. Geogr.* qui ait: Antiquos divina in majore veneratione & honore habuisse, atque ita multos ad Oracula profectos fuisse, & ea consuluisse. Et quidem alios se contulisse Delphos: alios verò Dodonam abijsse, ut *ex alta quercu Iovis Oracula caperent*, nam plurimum ejus consilio utebantur homines. Interim persisto in mea sententia: Delphicum Oraculum fuisse Dodonæo vetustius; nec me ab ea dimovebit *Ianus Boissardus de divinat. p. 89.* quando nullo antiquitatis testimonio subnixus scribit: *Fuit hoc Oraculum omnium Græcorum antiquissimum longe ante Delphicum tempore, ad quod conveniebant homines ex omnibus mundi regionibus terra mariq; ut de iis, quæ futura expectabantur, à Deo instruerentur.* Quandoquidem prius consistit in nuda assertione, cui fides simpliciter haberi nequit: posterius commune est omnibus oraculis, ut pote quæ ad obtinendam rei dubiæ aut futuræ cognitionem consulebantur. Sed aliud dubium movet *Plutarchus in vita Pyrrhi pag. 383.* Quod scilicet post diluvium Deucalion & Pyrrha apud Dodonam constituerint Jovi templum, ibique consederint in Molossis: Jam verò diluvium Deucalionis incidit in annum mundi 2492: quo tempore erectum dicatur Oraculum Dodonæum: cùm Oraculum Delphicum extiterit demum Anno 1638. ab orbe condito ut ita longè vetustius videatur Oraculum Dodonæum Delphico, cui quoque sententiæ subscribit *Simson. part. 1. Chronol. p. 36.* Verum dici potest (1) Plutarchum fundare se in aliorum opinione, & ita nihil certi affirmare. Proinde etiam ex illo loco firmum argumentum pro asserenda antiquitate Dodonæi Oraculi præ Delphico desumi nequit. (2) Simson in Chron. d. l. adducit locum è Vetere Homeri Interprete ad Iliados π. qui talem è *Thrasibulo* hanc narrat historiam: Deucalion post diluvium profectus in Epirum ἐμαντεύετο ἐν τῇ δρυΐ, id est, in quercu Oraculum consuluit: cumque responsum ei Columba dedisset, Dodonam condidit, in

bòribus habitare, & hæ illorum templa putarentur. *Plinius l. 12. c. 1 p. 245.* Arbores, ait, *fuerunt Numinum templa, priscoque ritu simplicia rura etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant.* Apud Celtas, qui Jovem præ cæteris Dijs venerantur; Simulacrum Jovis est alta quercus. *Maxim. Tyrius diss. 38. p. 267.* Et inde procul dubio ortum est, lucos fuisse sacros habitos, & in magna veneratione fuisse, inque ijs sacra Dijs esse facta. Quod absque dubio Israëlitæ imitati sunt, qui in sylvis patulas sibi deligebant arbores, inque ijs extructis altaribus partim vero Deo, partim idolis sacrificabant. Apud Germanos quondam fanaticum istum errorem fuisse observatum, *Tacitus. c. 9. n. 4. de mor. Germ.* testatur: *Lucos & nemora consecrant,* ait, *Deorumq; nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident.* Luci isti erant umbrosi; vel tegebantur opacitate densarum arborum, quoniam antiqui in horrore sylvarum & in tenebris habebant reverentiam, & inter caliginem habitare credebant Numen. *Scaliger Exercit 298. dist. 4. ad v. Cardan. p. 836.* scribit: *Meticulosos exterreri plus in tenebris, quàm in luce. In nocte magis fit repræsentatio, quia nihil aliud intuemur, quàm quod est in imaginationis campo.* Hinc facilè perspicitur, inquit *Bernegger. Qu. 48. ad Tacitum.* quid initium dederit religioni lucorum. Animadvertère nimirum homines callidi, ac coercendorum superstitione subditorum prudentes, hujusmodi sylvas opacitate sua tacitum quendam ac religiosum horrorem animis incutere solere qui & arborum proceritate, & solitudine loci silentioque, præsertim accedente præconcepta falsi Numinis opinione, mirum in modum augetur. Ita etiam in nemore sacro prope Dodonam constitutum est Jovis Oraculum, quod è magna quercu audiebatur: Inde Quercus dicitur *Sacra* apud *Virgil. Eclog. 7. v. 13.* More Græcorum qui quercus ἱερὸς, id est, sacras nominant. Et Gallorum Sacerdotes sacri appellabantur *Druides à Quercu.* Imò quercus alicubi tanquam Numen Jovis adorata est. Pari ratione quercus in Sylva prope Dodonum fuit Jovi Sacra, vocalis, & ob Oracula reddita nobilis. *Plinius l. 17. c. 25. p. 364.* refert è C. Epidij commentarijs, quòd arbores reperiantur locutæ. An hoc ad Oracula, an verò ad vim miraculorum sit referendum, ipse non addit. Cœterum ad rem: Communis est sententia: Quercum fuisse in nemore Dodonæo, quæ sit locuta: quantumvis *Lucianus Tom. 2. in Gallo. p. 594.* dicat, arborem illam fuisse Fagum: ἡ φηγὸς ἐν Δωδώνῃ ποτὲ αὐτόφωνος ἐμαντεύσατο: In Dodona sylva fagus olim per se loquens Oraculum edidit. Sophocles Quercum vocat

ferunt tantam verborum copiam, ut nullus omninò sit garriendi finis. Verum quicquid sit de hoc proverbio, quodcunque de lebetum sono refertur, Aristoteles pro figmento habet. Sunt tamen, qui existimant, quos inter est *Peucerus de Divinat Tit. de Oraculis p. 228.* ab ipsis lebetibus ibi responsa fuisse edita. Nam ait *Peucerus*, Dodonæum oraculum frequentatum est ad Dodonam amplissimam & vetustissimam urbem Molossidis in Epiro vicinam nemori quercino, in quo vocales quercus crevisse proditum est, quæ statim, ubi accessissent interrogaturi, commoverint se atque insonuerint, expressô, quod dandum erat, responsô, ibidemq; statuam stetisse quæ virga æneos lebetes pulsaverit, hos ad moderatos ictus paulatim increpuisse, & *numeris ligata responsa* edidisse.

IV. Alij duas columbas reddidisse Oraculum scribunt, quarum una Delphos, altera in Jovis Ammonij templum avolavit. Primum enim loquebantur quercus: deinde duæ mulieres Sacerdotes responsa dare cœperunt, quarum una *Peristera*, altera *Triton* vocabatur. Cùm verò *Peristera* columbam significet apud Græcos, hinc locus datus est fabulæ, quòd duæ columbæ ibi responsa redderent. Vide *Natal. Comit. lib. 6. c. 12. p. 603. Mytholog.* Quidam docent: illas columbas non fuisse aves, sed feminas, quæ responsa dederint consulentibus. *Pausanias lib. 10. p. 577.* ita narrat hanc rem aliàs fabulis involutam: *Phaennis* hominis in Chaonibus regnantis filia & *Pelea* apud Dodonæos (quas columbas fuisse fabulati sunt) divinarunt illæ quidem, Sibyllæ tamen non fuerunt ab hominibus vocitatæ. Ex ipsius itaque sententia fuerunt feminæ vaticinatrices, quæ in Thessalorum lingua dicebantur πελειάδες voce ambigua, ut; quæ & fatidicas & columbas denotaret. Vide *Vossium lib. 1. c. 7. p. 54. de Orig. & Progr. Idololat.* Huc pertinent quoque, quæ *Andreas Tiraquellus ad l. 6. c. 2. Alex. ab Alexandro Genial. dier. p. 605.* notat. In Epiro, inquit, dicitur nemus fuisse, in quo responsa dabant columbæ, quòd ideo fingitur, quia *lingua Thessala Peliades & columbæ & vaticinatrices* vocantur. Omnes ergò illi, qui hactenus adducti sunt, Scriptores eò tendunt, ut fabulæ instar habeant, quod ab Autoribus hactenus est prolatum. Duæ siquidem aves non reddiderunt responsa, sed duæ feminæ, quæ ob ambiguitatem vocis locum dederunt fabulæ. Quænam sit sententia *Herodoti è lib. 2. c. 55. & seqq. p. 111. & 112.* hic adscribam; locus est aliquanto prolixior, ideo, omisso Græco textu latinam versionem saltem adducam: Verba ita se habent: Antistites

tistites Dodonæorum hæc ajunt: Geminas Thebis Ægyptijs columbas nigras advolavisse, unam quidem in Lybiam; alteram ad ipsos: *quæ fago insidens humana voce elocuta sit*, eò loci Jovis Oraculum condi debere, & se interpretatos esse quod ipsis annunciaretur, id esse divinitus factum & ob id se ita fecisse. Eam verò, quæ ad Lybias abijsset, columbam jussisse, ut & ipsi Ammonis Oraculum conderent, quod & ipsum Jovis est. Ita referebant Dodonæorum Sacerdotes cùm assensu cœterorum Dodonæorum templo vicinorum. Quarum (scilicet Columbarum vel Sacerdotum) antiquissimæ nomen erat *Promenea*: proximæ *Timareta*; minimæ natu *Nicandra*. De quibus ita mea fert opinio: si revera Phœnices abduxerunt feminas Sacerdotes, & earum alteram in Lybia, alteram in Græcia vendiderunt; hanc, quæ in Græcia illa, quæ Pelasgia vocabatur, venijt, eam esse, quæ apud Thesprotos venijt, atque deinde ancillantem ibidem condidisse sub enata fago fanum Jovis, *quemadmodum, Thebis mos erat ministrare in Jovis templo.* Hinc processit, ut hic memoria ejus haberetur, atque hinc Oraculum institutum. Et postquam illa linguam Græcam accepit, dixisse ajunt: *Sororem suam in Africa ab iisdem Phœnicibus venundatam.* Quod autem *illæ mulieres à Dodonæis columbæ vocatæ sint*, ob id mihi videtur factum, quia *barbaræ essent, quòd videlicet simile quiddam avibus sonare ipsis viderentur. Interjecto deinde tempore columbam humana voce locutam ajunt, postquam quæ ipsi intelligere possent, mulier locuta est, tamdiu volucris modo sonare visa, quamdiu barbarè loquebatur.* Nam columba quomodo humanam vocem sonaret? *Nigram* autem *columbam* esse dicentes: *Ægyptiam feminam significant.* Suntque pene inter se simillima Oracula, & illud apud Thebas Ægyptias: & hoc apud Dodonam. Estque ratio divinandi in templo ab Ægyptijs ascita. Ipsi igitur Ægyptii extiterunt Principes: & conventus, & pompas & concitabula factitandi & ab ijs Græcis didicerunt. Cujus rei hoc apud me argumentum est, quòd illa constet priscis temporibus, Græcanica verò instituta recens fuerint propalata. Ita Herodotes! qui non malè rem fabulis involutam ad veram reducit historiam, & talia profert, quæ à vero propius absunt. Etenim 1. Quod dicit per *columbas* intelligi *Sacerdotes feminas*, in eo nihil absurdi continetur; nam: ex antiquis monumentis constat, apud Ethnicos olim ad ministerium sacrum adhibitas fuisse feminas, quæ non tantùm sacra administrarent; sed etiam Oracula interpretatæ sint, quod è superioribus copiosius patet. 2. Quoniam *columbæ* sunt

castæ & puræ aves, quæ sordida & fœtida loca valdè devitant: qua de re legi poterit *Ulysses Aldrovandus*: ita & *feminæ* deligebantur ad munus Antistitum, quæ essent vitiorum sordibus non inquinatæ, sed puræ ac sanctæ, quæque Deo isti, cui ministrare debebant, essent gratæ. 3. potissimum quoque *hæ Sacerdotes* dictæ sunt *columbæ*, ob ignotam loquendi rationem: nam quia ignaræ erant linguæ apud Dodonæos usitatæ & ipsæ utebantur sua vernacula, quam Dodonæi, & alij Oraculum ibidem conditum consulentes intelligere non poterant, ideo instar avium garrire dicebantur. Inde *Diogenes* Cynicus olim dicebat: *sive barbarus loquatur: sive avis cantet perinde est, quoniam utriusque vox non est intelligibilis.* Ita datus est locus fabulæ, quòd Columbæ interrogantibus responsa dederint, quamdiu istæ Sacerdotes non potuerint loqui ita, ut, quid dicerent ipsæ, interrogantes intelligerent; sed vocem perinde ut avium garritum audirent. Postquam verò (4) linguam istius regionis didicerunt, & ad intelligentiam consulentium loqui potuerunt, tum demum dictum est de illis, quòd humana voce loquerentur. Etenim homo non potest homini manifestare animi sui sensa, quàm mediante sermone: quem si non licet intelligere, perinde est, sive homo loquatur, sive avis, aut aliud animal brutum edat sonum: tum verò aliquis dicitur loqui, ut homo: quando verba profert, quæ intelligi poterunt; quippe quod tum sensus verborum, quæ facit loquens, percipi queat. (5) Dicuntur columbæ *advolasse*, quo verbo *feminarum istarum abductio* in illa loca intelligitur: Sunt enim subductæ, in illam regionem advectæ, & ibidem venundatæ á Phœnicibus, quod sanè speciem veritatis habet, cùm è sacris pariter & profanis historijs constet, homines fuisse clam & furtim subreptos, & in alijs locis divenditos. (6.) Utraque Oraculum condidisse creditur; & quidem altera Jovis Ammonij: altera verò Jovis Dodonæi Oraculum: & hoc posterius in nemore sub fagis vel quercubus constitutū fuisse ab ipsa dicitur. (7) *Nigras* fuisse *columbas*, sic interpretatur *Herodotus*, quasi feminæ Ægyptiacæ fuerint, quæ vel ob *colorem*, vel ob *mores* dici potuerint nigræ. Quod autem (8.) feminæ istæ fuerint Ægyptiacæ, vult è similitudine Sacrorum ostendere Historicus, nam ab Ægyptijs acceperunt, & didicerunt sacra, eaque etiam retinuerunt diu: multum verò temporis intercessit, antequam Græcorum instituta de sacris fuerunt propalata. An verò (9.) feminæ successerint isti sacerdoti, Herodotus non commemorat. Apud *Diodor. Siculum* tamen *lib. 15. p. 383. Biblioth.* reperi-

reperitur, quòd feminæ ibidem munere Sacerdotali functæ fuerint. Refertur ibi acris pugna inter Lacedæmonios & Arcadas agitata, ubi Lacedæmonij victoriam reportârunt, ita ut ne unius quidem viri jacturam fecerint. Ubi ait Scriptor: *προεῖπον δ' αὐτοῖς αἱ Δωδωνίας ἱέρειαι τὸν πόλεμον ὗτον Λακεδαιμονίοις ἄδακρυν ἔσεσθαι: Dodoneæ sacerdotes ita prædixerunt, bellum hoc absque lacrymis exiturum Lacedæmoniis.* E quo loco illud subinde ostenditur; non tantum insequentibus temporibus feminas ad sacrum istud Sacerdotale munus fuisse adhibitas, sed etiam plures una istud subijsse. Illud tamen meretur considerationem, quare etiam & viri ibidem Oraculum & quidem solis Bœotis interpretati sint? Causam aperit nobis *Strabo lib. 9. p. 402. Geograph.* locus est valdè egregius, ideo eum hic adscribam; Cum inter Pelasgos & Bœotos susceptum bellum adhuc duraret, tum Pelasgi abierunt, ut Oraculum consulerent, quod itidem & Bœoti fecerunt. Quid responsum fuerit Pelasgis, non constat: Bœotis tamen antistes respondit: *illos rebus usuros secundis, si impiè agerent.* Qui verò missi erant ad consulendum Oraculum, suspicati sunt: vatem in gratiam Pelasgorum, qui ejus gentiles essent (*nam ab initio templum illud Pelasgicum fuit*) ita respondisse; ideo eam corripuerunt, & correptam in rogum conjecerunt. Et ita ratiocinabantur: *Sive iure sive per iniuriam facinus commissum esse iudicaretur*, quod utroque modo res benè se esset habitura. Nempe si vates mala fide edidisset oraculum, justo ipsa esset affecta supplicio: si verò nihil fraudis commisisset, tum id se fecisse, quod jussi erant. Debuerunt namque impiè agere; magis impium verò facinus vix perpetrare potuerunt, quàm occidendo Sacerdotem, & quidem Oraculorum interpretem. Illi itaque qui templi curam habuerunt, nefas esse putarunt, tanti flagitij autores indicta causa in templo necare, ideo rem ad judicium detulerunt, quòd duæ mulieres sacerdotes & fatidicæ adhuc superstites constituebant. Cum verò Bœoti urgerent, nullibi receptum esse, ut mulieres judicia exercerent, tum totidem viri illis fuerunt adjuncti, ita ut *Viri absolverent: mulieres autem damnarent*, & cùm æquales numero essent sententiæ, illi vincerent, qui absolverent. Ex quo tempore receptum est, *ut apud Dodonam solis Bœotis viri Oracula redderent.* Cœterùm fatidicæ mulieres, Oraculo isto in diversam sententiam explicato, dixerunt Bœotis: Deum præcipere, ut colligerent suos tripodes, eosque quotannis Dodonam mitterent. Quod etiam *Bœoti* fecerunt: semper enim unum aliquem è tripodibus Deo dedicatis noctu abstulerunt, eumque

umque vestibus occultatum clam Dodonam deportarunt. Huc usque Strabo. Et ita Bœoti improbè egerunt, dum tripodem furto subductum alteri clam miserunt Dodonam. Furari sanè est iniquum facinus, & constitutis rerum dominijs, delictum juri naturæ planè adversum. Videre interim ex hac narratione licèt, quàm egregia illa gentilium religio sit, quâ ipsi iubentur alteri id, quod suum est, auferre, illudque Deo consecrare, nec non clam rem furtivam ad locum sacrum deferre.

V. Prope templum Dodonæum fuit fons miræ naturæ: ejus namque aqua licèt gelida sit, & immersas faces extinguat; tamen si extinctæ eidem admoveantur, utique eas accendit. Idem iste fons meridie semper deficit, qua de causa eum vocant *Anapavomenon*: mox increscens ad medium noctis exuberat, & ab eo rursus sensim deficit. *Plinius l. 2. c. 103. Natur. histor. pag. 32.* Hujus fontis mentionem quoque facit *Pomponius Mela l. 2. c. 3. f. 71. de Situ Orbis* his verbis: *In Epiro Dodonei Iovis templum, & fons ideo sacer, quòd cum sit frigidus & immersas faces sicut cæteri extinguat: ubi sine igne procul admoventur, accendit.* Et hisce convenientia exhibet *Iulius Solinus c. 13. p. 234. Polyhistor.* quando ita ait. *In Epiro sacer fons est frigidus ultra omnes aquas, & spectatæ diversitatis, nam si in eum ardentem demergas facem, extinguit: si procul ac sine igne admoveas, suopte ingenio inflammat.* Videri etiam hoc de fonte possunt ea, quæ collegit *Lilius Giraldus Syntagm. 2. Histor. Deorum. pag. 129. 130.* Quæ sit causa tàm miri effectus, illam conatur reddere *Lucretius* in sequentibus versiculis:

Frigidus est etiam fons, supra quem sita sæpe
Stuppa iacit flammas, concepto protinus igni,
Tedaq; consimili ratione accensa per undas
Collucet, quocunque natans impellitur auris,
Nimirum quia sunt in aqua permulta vaporis
Semina, de terraq; necesse est funditus ipsa
Ignis corpora per totum consistere fontem,
Et simul expirare foras, exireq; in auras
Non tam viva tamen calidus queat ut fieri fons.

Versus istos in suis observationibus *ad Alexand. ab Alexandro l. 6. c. 1. p. 605. Genial. dier.* exscripsit *Andreas Tiraquellus.* Verùm examinanti istam Lucretij rationem apparebit, nihil solidi ipsum dixisse: nam aqua istius fontis ab alijs Scriptoribus dicitur gelida: ergo si ignis corpora per totum fontem consistant, non potest dici gelida, sed vel tepida

vel calida. Quod verò Poëta addit, illa ignis corpora non tam viva esse, ut calidum fontem efficere possint, illud continet petitionem principij. Vnde enim Lucretius scivit, quod ignis corpora per totius fontis aquam dispersa tantam vim, virtutem, & efficaciam non habuerint, ut fons exinde potuerit effici calidus? *Augustinus l. 21. c. 7. pag. 1419. de Civit. Dei.* aliter philosophatur, scilicet, Deum isti fonti ut & alijs rebus prodigiosis talem naturam tribuisse. Hinc scribit in *Epist 3. ad Volusian. Demus, aliquid Deum posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.* Sed hic modus philosophandi est expeditus: Ignoratâ siquidem alicujus rei causâ, Deus autor, utpote à quo omnes res suam acceperunt naturam, in subsidium advocari potest. *Nicolaus de Serres* scribit: In Francia similem ferè esse fontem, qui accensa extinguat: & extincta iterum accendat: quod ipse fermè pro miraculo agnoscit; ad quod tamen si de veritate rei non sit dubitandum, ascendere minimè oportet. Referam hic judicium viri rerum naturalium peritiâ ad invidiam usque celebris, sed occultato nomine. Is ita de tali fonte differit. 1. In fonte est aqua, quæ ob humiditatem resistit contrariæ qualitati, uti est siccitas: nec ei resistit saltem, verùm etiam eam dissolvere, destruere, & ad naturam sibi similem trahere inclinat. Agens siquidem vult contrarium evertere, illudque suæ naturæ reddere conveniens. 2. Quoniam verò in accensis summa est siccitas, igitur aqua non tantùm in illam agit, sed & humiditate sua summam siccitatem, quæ in flamma & igne est, extinguit. 3. In fonte isto occurrit etiam ignis, quatenus atomi tanquam effluvia quædam corporis ignei in superficie aquæ copiosè hærent: quæ tamen nihil, nisi conjungantur, accendunt: conjunctæ verò ob vim intensivam agendi vim inflammandi consequuntur. 4. Hinc si humiditas siccitatem flammæ tollit, effluvia ignis attrahuntur ad locum extinctionis, & cùm extincta flamma exhalationem post se relinquat, effluvia istæc collecta intenduntur in circumstante aëre, ut incensio corporis inflammabilis fieri queat, & revera sequatur. Addi potest. 5. Et hoc, quod aqua ita possit purificari, ut per aërem beneficio artis deducta possit accendi: quidni etiam tunc, ubi tanta copia igneorum effluviorum per aquam fontanam sit dispersa? Neque obstat. 6. Si quis dicat: in aqua fervida esse summum calorem, non tamen ibi corpus aliàs inflammabile accendi: Respondet namque, disparem hic esse rationem, quod scilicet ignis re-

vera

vera quoad ſubſtantiam in calefactione per intermedium ſuppoſitum non communicetur aquæ; ſed ſaltem calor juxta intenſiſſimum gradum abſque tamen effectu incendendi per aquam diſpergatur. ubi nulla accenſio fieri poteſt; nam quicquid inflammatum eſt, & in talem aquam intingitur, hoc ſtatim ob humiditatem aquæ deletur: neque exhalatio extinctæ candelæ vel facis poteſt virtualiter cauſari collectionem igneorum corporum in unum punctum ad accendendum, quoniam talia corpora ibi non ſunt, & aquæ calefactæ evaporatio ob continuum motum & humectationem aëris non patitur ibi accenſionem fieri rei extinctæ. Aliter tamen eſt in fonte Dodonæo, & ſimilibus, ibi namque aqua non ebullit, nec ſenſualiter, verùm virtualiter calida eſt, ob diſperſa per eam corpuſcula ignea, quæ ibidem reſident, & dictis modis conjuncta effectum accendendi operantur. Huc uſque Vir ille nobilis. Cui equidem contradicere animus non eſt; attamen, ut unum vel alterum contra iſtam ſententiam in medium proferam, nemo, ut arbitror, mihi vertet vitio; utpote cùm dubia cum álijs, ſalvo aliorum ſummo honore, liceat communicare. 1. Non video, quomodo hypotheſis illa: (*Quod aqua ob intenſivam humiditatem extinguat ignem ob ſiccitatem, quæ in eo deprehenditur*) defendi poſſit, ſi corpuſcula ignis hærent in aqua? Sunt namque in loco aut ſibi penitus contrario ſubjecto, ubi potius pereunt, quàm conſervantur. Neque quicquam refert, ſi quis inferat: tenuiſſima corpuſcula, quæ naturam velut ſpirituum ob ſubtilitatem induant, ibi intelligi. Quoniam adhuc dubium remanet, quod ſi ipſa ignis naturam & qualitatem adhuc retineant, quomodo ipſa poſſint contra inimicam aquæ qualitatem ſubſiſtere? cum periculum ſit, ne ob ſiccitatem ſuam deleantur ab aqua; niſi quis velit dicere: Effluvia iſtæc ob ſubtilitatem ſuam tranſire in aliud genus rerum. Sed eo modo non ſuſtinebunt amplius rationem ignis, cùm tamen illud ponatur tanquam certum, ſcilicet ignis corpuſcula ſeu effluvia per aquam eſſe diſperſa. 2. Dubium oritur, quod aqua fontana exhalationibus ſit obnoxia, & ita iſtæc ſubtilia corpora poſſint unà facilè abſumi? Equidem ſcio, quid reſpondere aliquis poſſit: Evaporationem non fieri niſi in re ſimili, & ita ignea corpuſcula per evaporationem non abſumi, nec in evaporationes reſolvi, quippe quæ ſint diſſimilis naturæ: etſi fortean unà recedant, ſtatim tamen nova in decedentium locum ſuccedant, ut ita nunqvam etiam in maxima aqvæ fontanæ exhalatione ignea iſtæc

corpuscula desint. Verumtamen dicitur: qvòd in superficie aquæ, ubi exhalatio potissimùm vim suam habet, istæc ignea corpuscula resideant; hinc nulla apparet ratio, ne qvidem sensibus probanda, quomodo istæc effluvia, ut loqui malunt alij, possint ibi firmam invenire sedem? Et licèt ignis in aqvam non resolvatur, quæritur tamen, an per resolutionem aqvæ in vaporem simul non abeant effluvia? contrarium enim nondum est probatum. Alterum illud, qvod in locum decedentium nova corpuscula ignea subitò substituantur, fide quidem non destituitur, nisi quòd illa quibusdam altius rem considerantibus non tàm facilè imprimi queat. Verùm si hæc omnia conceduntur, illud maximam dubitationem gignit: 3. Vnde vis colligendi corpuscula illa ignea in unum oriatur? & quomodo istæc accensio semper admoto corpore inflammabili fieri queat? Si quæ est difficultas in isto discursu, hæc certè est; (1.) Nondum est definitum, unde vis istæc uniendi producatur? (2) qua ratione corpuscula istæc ignea colligantur? Et (3) quænam virtus sit, quà uniantur istæc effluvia ad effectum inflammandi (4) quo medio istæc accensio fiat? videtur nobilis Autor vel ad Antiperistasin, vel ad peculiarem quandam virtutem collimare. Prius illud à quibusdam ab Aristotelis doctrina in scientia naturali recedentibus penitus rejicitur. Posterius autem, nempe, quòd ibi peculiaris quædam virtus adsit, requirit adhuc probationem, quænam nimirum illa sit, & à qua causa excitetur ad talem effectum? Neq; satis facit, si quis regerat: perinde rem in fonte Dodonæo se habere, uti si unius candelæ extinctæ exhalatio seu fumus contingatur ab ardente candela altera, tū statim in legitima distantia fit accensio, & flāma candelæ ardentis communicatur candelæ extinctæ; pari modo extinctæ facis exhalatio per virtutē attractivam evocat ignea corpuscula in unum, quæ cum ignē revera in se habeant, in momento inflammant mediante illà exhalatione, quâ flamma concepta ad ellychnij adhuc fumantis corpus transit: Etenim hic 1. dubitatur de alio corpore, quàm candela, quod non extinctum ante est. 2. Nunquid similis effectus sit, qui adscribitur fonti Dodonæo, quàm quem videmus in accensione lucernæ extinctæ à face ardente? quoniam hujus posterioris ratio patet; de priore non item constat; sed istius difficultas vel inde augetur, quòd ignis dispersus in superficie aquæ ponatur, & tamen cùm summè siccus sit, ab humiditate aquæ non extinguatur. Sed 3. si illud non impugnetur, adhuc qværitur: Vnde sit vis attractiva in illa exhalatione? & quomo-

quomodo illa se habeat? & qua ratione dispersum ignem per aquam colligere possit? Nec capere me posse lubens fateor, quod in exhalatione sit virtus attractrix ignis, & tamen istius operatio ab humore aquæ non impediatur, sed subinde illa exhalatio statuatur medium deferendi flammam, ad corpus ellychnij fumantis, cùm fumus iste sit illa ipsa exhalatio, quæ virtute sua ignes sparsos attrahere debeat, & brevi expiret, nisi fungus sit aliquanto crassior. Quod vero dicatur: in momento & collectionem corpusculorum igneorum & accensionem fieri, illud videtur principij petitionem sapere. Speciosa satis proferuntur, modò vera fuerint. Multi effectus in rebus naturalibus habentur, quorum causa quidem à quibusdam redditur, ab alijs verò impugnatur: qui dum in defendenda sua opinione sunt tenaces, sæpe veritatem non attingunt. Interim non probo illorum sententiam, qui ubi alicujus rei rationem ignorant, statim, ut antea dixi, ad causam efficientem remotam confugiunt; qui modus philosopandi est quidem certus, quoniam Deus est causa Universalis, quod & *Aristoteles lib. 1. c. 9. Ethic.* intellexit; sed non est accuratus, cùm proxima causa adhuc ignoretur, cujus tamen notitia exactam demum rei scientiam gignit. Verùm de fonte præter spem dixi pluscula, impulsus dubijs, quæ mihi examinanti discursum de effectu fontis Dodonæi inciderunt.

VI. Dicendum adhuc aliquid est de illis, qui Oraculum Dodonæum consuluerunt. De *Deucalione* quidam scribunt, quòd is post diluvium, quo homines absumti erant, ad Oraculum hoc Dodonæum accesserit. & ab eo quæsierit, qua ratione homines possent reparari. Variant autem Scriptores. 1. de *Tempore* quando nimirum illud acciderit? uti ex *Eusebio*, Tatiano, Clemente Alexandrino, & Augustino l. 18. eo de C. D. patet. *Apollodorus l. 3. Biblioth.* statuit illud contigisse tempore *Nyctimi*, qui fuit filius Lycaonis. 2. *In clade seu damno*, quod per illud datum est. *Lucianus Tom. 3. & quidem de Dea Syria p. 756.* ita describit illam inundationem, ac si illa fuerit universalis & omnes homines exceptis Deucalione & Pyrrha absumserit. *Ob eam rem*, inquit, (scilicet, cùm contumeliosi admodum essent homines) *maxima calamitas ipsos est consecuta. Statim enim & tellus multam aquam effudit, & imbres magni fuerunt, & flumina solito majora decurrerunt, & mare quoque in multum ascendit eo usque, dum omnia aquis inundarentur atque omnes perirent. Deucalion autem solus hominum relictus fuit, in secundam videlicet generationem, prudentiæ simul & pietatis gratia. Serva-*

sui autem fuit hoc pacto: Arcam quandam magnam, quam ipse habebat, impositis in eam liberis & uxore sua conscendit. Cæterùm cùm ipse ingrederetur, venerunt eodem & apri, & equi, & leonum genera, & serpentes, aliaq́; quæcunque tellure pascuntur bina ex unoquoque genere cuncta. Ille autem recepit ad se omnia, atque ea ipsum haut quaquam lædebant; sed magna inter eos concordia erat, unaq́; in arca navigabant, quamdiu aqua superabat. Et hæc Græci de Deucalione tradunt. Quæ omnia apparent Noatico diluvio valde consentanea. *Ovidius* quoque *lib. 1 Metam. fab. 9. p. 16.* inundationem tanquam universalem describit. Quamvis tamen hoc Diluvium sub Deucalione factum fuerit saltem particulare, & si fides habenda est *Apollodoro*, maximam tantummodò Græciæ partem perdiderit. *Aristoteles* quoq; *l. 1. Meteor. c. 14. p. 337.* Diluvium, quod tempore Deucalionis accidit, putat *circa Græciam maximè, & eam potissimùm partem, quam antiquam Hellada vocant, factum esse. Hæc autem ea regio est, quæ circa Dodonam & Achelοum existit.* Et refert *Diodorus Siculus lib. 1. p. 10. Biblioth.* quòd in Deucalionis diluvio, maxima parte animantium extinctâ Ægyptij incolæ sub meridie positi servati fuerint. Et hæc sententia videtur vero consentanea: cùm præter unam, quæ fuerit universalis, in historijs non legatur. Et hæc est illa, quam Mòses descripsit; quam licèt non nemo impugnare, & particularem eam aliquot adhibitis rationibus efficere conetur; tamen erroneam istam doctrinam *Martinus Schoock in libello de Diluvio castigavit:* Sicuti etiam & veritas historiæ Mosaicæ contra Præadimatarum impiam opinionem jamdudum à viris optimis vindicata est. 3. *In Oraculo, quod dicitur Deucalion post diluvium consuluisse.* Quidam dicunt illud fuisse *Dodonæum:* Alii verò, uti & *Ovidius* volunt, fuisse illud Oraculum Themidis: ita enim canit in *fab. 10. lib. 1. Metam. p. 17.*

Corycidas Nymphas, & Numina montis adorat
Fatidicamq́; Themin, quæ tunc Oracla tenebat.

Et in *Fabula XI. dictis libri p. 21.* ita Deucalion loqui introducitur:

Dic Themi, qua generis damnum reparabile nostri
Arte sit; & mersis fer opem mitissima rebus.

Videtur autem stolida quæstio, cum Deucalion cum sua uxore adhuc viveret, quando Oraculum consulere voluit de resarcienda clade humano generi illata. Quod sanè ipse scire potuit: existimo tamen longè alijs de causis Oraculum à Deucalione fuisse consultum. Quo sensu verò dici possit, quod ipse Oraculum consuluerit, antea exposui. Neque

que enim mihi unquam persuaderi patiar, eo tempore in nemore Dodonæo Jovis Oraculum fuisse constitutum: licèt facilè concesserim, quod ex arbore quadam juxta illius ævi superstitionem Dæmon responderit Deucalioni: quippe, quòd hæc opinio innata fuerit hominum animis: Deos in sylvis habitare, & cumprimis arboribus insidere. Verùm Ovidius priori sententiæ est contrarius: & quamvis opponi possit, ipsum tanquam Poëtam fabulas potius quàm veritatem rerum gestarum persequi; nihilominus tamen in proposito argumento non exhibuit fabulam, licèt aliquid fabulosi admiscuerit. Quinimò sæpe etiam ipsi Poetæ sub fabulis latentem veritatem referunt. Deinde poterit objici per Themin posse intelligi Sacerdotem, adeoque facilè *Ovidium* cum alijs posse conciliari: Sacerdotes enim & Themides dictas fuisse Oraculorum interpretes constat. Sed præter quam quod hæc objectio quadantenus defendi posset; nunquam hoc probabitur: Sacerdotes Jovis Dodonæi dictas fuisse Themidas: Longè aliud namque vel in hoc capite ostensum est supra. Præterea illud legitur, quòd Themis olim Delphis oracula reddiderit juxta testimonium Orphei *à Boissardo de Divinat. p. 98* adductum: è quo sequeretur: Delphicum Oraculum fuisse consultum à Deucalione, quod tamen inter historicos hactenus dixit nemo. Et licèt antiquitus *Themis* habita fuerit *Oraculorum præses*; Attamen nemo inventus est, qui dixerit: illam & præsedisse Oraculo Dodonæo. Manet itaque incertum, quodnam Oraculum propriè Deucalion consuluerit? Tutius tamen erit asserere: quoniam prope Dodonam, juxta Aristotelis sententiam, diluvium sub Deucalionis imperio contigit, quòd is Deum consuluerit in *Quercu nemoris prope Dodonam*, etiamsi peculiare ibi nondum constitutum fuerit Oraculum, vel etiam templum. Nam quidam putant: ipsum Deucalionem Jovi Dodonæo templum erexisse. *Pausanias* tamen *l. 1. p. 31.* scribit: ita vulgo proditum esse, quando ait: *Olympii Iovis vetustissimum templum Deucalionem ædificasse vulgò proditum est.* Incertum itaque illud adhuc videtur esse quam incertitudinem auget *Lucianus de Dea Syria. p. 757.* dum primo fabulatur; magnum terræ hiatum fuisse factum, quô tota aqua diluvij fuerit absorpta. Deinde refert: Ubi hæc ita facta sunt, *Deucalionem & aras constituisse, & ædem supra hiatum Junoni sacram erexisse* Ubi addit: se hiatum istum vidisse. Nondum itaque tum temporis ibi fuit templum: Sed templa fuerunt in sylvis, montibus, & præcipuè in arboribus, quercubus cumprimis & fagis, in quibus Dij libenter habitare crediti sunt.

sunt. Vide *pag. 312.* Cœterùm quæ de Deucalione referuntur, ac si is templum Jovis Dodonæi condiderit, non conveniunt cum *Herodoto*, quippe qui *lib. 2. c. 55. p. 111. 112.* scribit: illud conditum esse à Sacerdote, locum adduxi integrum *supra pag. 317.* qui ibi legi poterit.

Lacedæmonij Oraculum Iovis Dodonæi consuluerunt de victoria: quibus responsum datum est. *ut de salute potius sua, quàm de victoria essent solliciti. Cicero l. 1. c. 35. p. 187. de divinat.* Quod etiam eventus postmodum probavit, nam in Leuctrica pugna succubuerunt, & imperium Græciæ amiserunt. In itinere ante celeberrimum istud prælium Lacedæmoniorum copijs dira ostenta evenerunt. Mos fuit Regibus Spartanorum ad bellum proficiscentibus ovium greges in extremo agmine habere, quô & ad sacra, & antequam signa conferrent, ad litandum hostiæ in promtu essent. Earum pecudum Duces itineris erant Capræ, quas pastores nominant *Catœadas.* Tum quidem gregem invaserunt lupi, ovibus nullam sanè noxam intulerunt, solas vero Catœadas necarunt. *Pausanias l. 9. p. 513.* Hoc Oraculum dedit quoque responsum Aboriginibus, cujus meminit *Dionysius Halicarn. l. 1. p. 15. & 16.* quod supra *l. 1. c. 24. p. 192. & 193.* integrè expositum est, quod huc repetere supersedeo. Interea tamen & hoc Oraculum interdum ancipiti responso consulentes decepit. Exemplum habemus 1. *in Molosso Epirotarum Rege Alexandro*, cui Oraculum Jovis Dodonæi Urbem Pandosiam, omnemque Acherusium tanquam fatalem prædixit *Iustin. l. 12. c. 2. n. 3. p. 198.* sive ut verbis *Livii l. 8. c. 24. p. 145.* id exprimam, Accito à Tarentinis in Italiam data dictio erat, *caveret Acherusiam aquam, Pandosiamque urbem, ibi fatis ejus terminum dari.* Verba Oraculi in Græcorum commentariis invenit *Petrus Victorius*, eaque *l. 15. c. 15. p. 386. Variar. lection.*, exhibuit:

Αἰακίδη προφύλαξο μολεῖν ἀχερούσιον ὕδωρ
Πανδοσία θ' ὅπη τοι θάνατος πεπρωμένος ἐστί.

Cùm utraque in Epiro essent, ignoravit eadem & in Italia esse: quapropter ad declinanda fatorum pericula peregrinam militiam cupidius elegit, & in Italiam secessit. Ubi ipsi bellum primò cum Appulis fuit, sed illorum urbis fatô cognitô non longè pòst pacem & amicitiam cum eorum Rege fecit. Gessit quoque cum Brutijs Lucanisque bellum, multasque urbes cepit. Haut procul Pandosia urbe, sunt verba *Livii* d. l. imminentes Lucanis ac Brutijs finibus tres tumulos aliquantum inter se distantes insedit, ex quibus incursiones in omnem partem

hostilis

hostilis agri faceret: & ducentos ferè Lucanorum exules circa se pro fidis habebat, *ut pleraque eius ingenia sunt cum fortuna mutabilem gerentes fidem.* Ab istis tamen Lucanis exulibus ad suos nuncij missi sunt; pactoque reditu promissum est; *Regem aut vivum, aut mortuum in potestatem daturos.* Ipse tamen Rex cum delectis militibus egregium facinus ausus per medios erumpit hostes, & Ducem Lucanorum cominus congressum obtruncat; contrahensque suos ex fuga palatos pervenit ad amnem ruinis recentibus pontis, quem vis aquæ abstulerat, indicantem iter. Quem cùm incerto vado pertransiret agmen fessus metu ac labore miles increpans nomen abominandum fluminis: *Iure Acheros vocaris*, inquit. Quod ubi ad aures accidit Regis, adiecit extemplò animum fatis suis: substititque dubius an transiret? Tum Sotimus minister ex Regiis pueris, *quid in tanto discrimine periculi cunctaretur* interrogans, indicat: *Lucanos insidiis quærere locum.* Quos ubi respexit Rex procul grege factò venientes, stringit gladium, & per medium amnem transmittit equum, jamque in vadum ingressum eminus veruto Lucanus exul transfigit. Lapsum inde cum inhærente telo corpus examine detulit amnis in hostium præsidia. *Ibi fœda laceratio corporis facta: namq; præciso medio, partem miserunt* Consentiam: *pars ipsis retenta ad ludibrium, quæ cùm iaculis saxisque procul incesseretur, mulier urna ultra humanarum irarum fidem sævienti turbæ immissa, ut parumper sustinerent*, precata, *flens*, ait, *virum sibi liberosque captos apud hostes esse, sperare, corpore Regio ultrinque multatô, se suos redemturam.* Is finis lacerationi. Quod reliquum erat membrorum *Consentiæ* datum est sepulturæ. Verùm *Iustinus l. 12. c. 2. n. 15. p. 199.* refert: *Corpus Regis à Thuriis publicè redemtum & sepultum fuisse.* Tam tristi exitu clausit vitam animosus alioquin Rex Epirotarum. *Strabo l. 6. p. 256. Geogr.* nihil de vitæ ipsius fine refert; tantùm narrat, ipsum fuisse deceptum ab Oraculo Dodonæo: jussus erat, inquit, Pandosiam & Acherontem vitare, cumque verò eô in *Thesprotia* talia loca, quæ istud nomen haberent, ostensa fuissent: tamen in Brutiis fuerunt loca simile nomen obtinantia, ubi tandem Rex interiit. Responsum quod ei ab Oraculo datum erat, *Strabo* hoc esse vult;

Πανδοσία τρικόλωνε πολύν ποτε λαὸν ὀλέσσεις

Pandosia trivertex multum populum disperdes.

Pandosia siquidem tres habebat vertices, illamque urbem præterfluit *Acheron* fluvius. Existimavit quidem Rex iste, non suorum; sed hosti-

um cladem ab Oraculo prædictam esse; sed non prius fatalis loci nomen cognovit, quàm occideretur: moriensque intellexit, non in patria sibi periculosam fuisse mortem, propter quam tamen patriam fugerat. II. In *Atheniensibus*, quibus à Dodonæo Oraculo responsum erat datum, *ut Siciliam deducerent coloniam.* Non longè ab urbe aberat terræ non sanè magnus tumulus, cui *Sicilia* nomen. Verùm illi Oraculum aliter interpretantes extra fines bellum inferre ausi *apud Syracusas magna clade temeritatis suæ pœnas dederunt.* Uti illud refert *Pausanias l. 8. p. 434.* Non tantum Delphicum Oraculum, quod aliàs à veritate commendatum est, fraudis & deceptionis; verùm etiam Dodonæum Oraculum circumventionis & ambiguitatis accusatur, quod duo jam commemorata exempla satis demonstrant.

VII. Tandem templum Jovis Dodonæi disturbavit Philippus, qui immanis prædo audiit, quique nihil à se peccari putavit, etiamsi Deorum fana expilaret. *Polybius lib. 5. p. 360. 361.* qui subinde refert, quòd Ætoli hujus templi porticus omnes demoliti sint; ornamenta, quæ maximo studio & impensis collecta fuerant, dejecerint, neque solùm superiorem partem incendio concremarint; verùm etiam mœnia funditus diruerint. Everterunt statuas numero ultro duo millia, quamplurimas etiam fregerunt; saltem ab ijs abstinuerunt, quæ vel figuras vel inscriptiones Deorum habebant. Vide & *Alex. ab Alexandro l. 6. c. 2. p. 605. & ibidem Tiraquel. Genial. dier.* Non tamen eo statim tempore simul & Oraculum istud desiit, quoniam post Philippi obitum sæpe Oraculum illud & consultum est, & ab eo responsa sunt reddita. Neque verò ex antiquis Scriptoribus quisquam temerè reperietur, qui dixerit Oraculum in ipso templo fuisse: quin potius isti retulerunt, illud ex alta quercu vel fago respondisse. Sedem itaque Oraculi relictam esse etiam post Dodonæi fani devastationem nullus dubito; ita, ut nihilominus consulentibus responsa fuerint data, licèt ædes Jovi sacrata ibidem fuerit diruta. Nisi quis velit dicere & istam fatidicam quercum fuisse excisam, & subinde Oraculum disturbatum. Præterquam enim quod hoc nullibi dicitur, licèt planè negari non possit; tamen vix fidem impetrabit hoc, nempe totum nemus fuisse devastatum. Et cùm in nemoribus Dij crediti fuerint habitare, non est absurdum: Jovem in usum istum sacrum aliam sibi elegisse quercum tanquam templum: vel, quod minorem habet dubitationem, milites quercus religione motos ab

istius

istius violatione abstinuisse. Interim post dirutum Jovis Dodonæi templum & Oracula isto in loco fuisse reddita ex historiis patet.

CAPUT V.

DE ORACULO TROPHONIO.

I.

ORaculum hoc nomen habet à Trophonio Viro, uti nonnulli putant, ultra modum gloriæ cupido: vel secundum aliorum narrationem, nimium avaro & famelico, architecturæ tamen peritia valdè celebri. Historia de eo recensetur sequens: Agamedes & Trophonius sua quidem ætate omnes ferè architectos in arte fabricandi superabant. Hi cum *Hyrieo*, vel ut alij volunt, *Augia* extruerent ærarium, unum lapidem tam concinnè collocarunt, ut, quoties libitum esset, istum eximere, locumque ingredi, nec non, quantum placeret, de reposita ibidem pecunia suffurari possent. Quæ res Hyriei animum satis anxium reddebat, quòd cùm claves secum haberet, & signa januæ impressa inviolata cerneret, quotidie tamen numerum suarum divitiarum imminui conspiceret. Ea propter ad ora vasorum, in quibus reposita erat pecunia, laqueos disposuit, quo simul ac pecuniam quis furari conaretur, & ita eam attingeret, statim captus teneretur. Agamedes itaque, postquam more solito erat ingressus, laqueis irretitus hæsit. Quod ubi intellexit *Trophonius*, statim fratri suo præcidit caput, veritus, ne posteres die, cùm is illuxisset, per tormentum quæstione instituta proderetur tanquam Socius delicti. *Pausanias lib. 9. p. 548.* qui addit: Trophonium absorptum esse hiatu terræ, & quidem eo in loco, qui est prope Lebadiam, ubi postea Oraculum est conditum. Alij tamen putant: ipsum in Lebadiam Boeotiæ regionem aufugisse & ibidem extruxisse sibi domicilium subterraneum, ubi postmodum Oracula data sunt. Quidam in eo conveniunt: Trophonium præ nimia vel avaritia pecuniæ, vel etiam gloriæ cupiditate in extructo sibi domicilio subterraneo sacra constituisse, ubi postea celebre Oraculum exortum est. Videri hac de re poterit *in Adagiis p. 440. Erasmus Roterodamus.* Alij existimant, quòd Trophonius fuerit vates peritissimus, qui in specu quodam

ſubterraneo, dum adhuc viveret, hominibus prædixerit futura; poſt ejus mortem verò Genius ejus in antrum iſtud deſcenderit, ibique Oracula reddere perrexerit: ubi poſtmodum populus ſuperſtitione dementatus ad exquirenda Oracula frequenter acceſſit. Quam opinionem refert *Gilbertus Cognatus ad Tom. 2. Lucian. p.71.*

II. Cœterùm Trophonius, uti dixi, vates fuit peritiſſimus, & ſuo ſeculo ſatis excellens, Deorum cultor, & religionis æqui juſtique obſervator valdè ſingularis. Hic poſtquam cum Agamede adytum Delphicæ ſpeluncæ, ex qua Apollo Oracula ſolitus erat reddere, quinque lapidibus artificiosè compactis muniverat, partim ut ſtructuræ formâ locum a Deo habitatum formidabiliorem efficeret, partim quoque ut religionem tanti Numinis augeret, petijt mercedem non parvam quidem operis & laboris ſui, nihil tamen certi, ſed quod eſſet optimum homini. Quod Apollo ſe daturum oſtendit & quidem poſt ejus diei tertium: qui ut illuxit, mortuus unà cum Agamede eſt repertus. *Cicero l.1. Tuſcul. Quæſt. cap. 47. fol. 94. Et in lib. de Conſolat. fol. 309.* Eô autem mortuô vim divinandi & futura hominibus prædicendi iſto in loco, ubi antea vivus officium divinationis peregerat, indies majorem fuiſſe factam, eamque toti ferè orbi innotuiſſe veterum traditione affirmatur. Dicunt enim, Deum ipſi nihil præclarius dare potuiſſe, quàm ut placidum ſine doloris ſenſu hac è vita ipſi concederet exitum, eique famæ & nominis immortalem gloriam largiretur, &, quod in partem divinitatis referendum eſt, virtutem divinatoriam in loco domicilij ſervaret integram, ipſeque ita divinis coleretur honoribus, licèt Jovi iſtud Oraculum & facta inde denominatio à quibuſdam tribuatur.

III. Obſervavi apud *Ciceronem l.3. cap. 22. fol. 173. de Nat. Deorum* & *Mercurium* dici *Trophonium*, verba ita ſe habent: Mercurius *unus* Cœlo Patre, Die matre natus: cujus obſcœnius excitata natura traditur, quod adſpectu Proſerpinæ commotus ſit: *Alter* Valentis & Phoronidis filius, is, qui ſub terris habetur, idem *Trophonius.* Occaſione hujus loci *Boccatius* fingit Mercurium dici Trophonium à Græco verbo *τρέπειν*, quod ſignificat *vertere*: cùm eim Mercurius Mercatorum Deus olim creditus ſit, putat aptiſſimè & Mercatorum, eorumque præſidis naturæ quàm maximè convenire, ut moribus quorumcunque populorum, ad quos pergunt, ſeſe ſcitè accommodare ſciant. Quod tamen tanquam commentum reijcit *Lilius Gyraldi Syntagm. 9. Hiſt. Deor. p. 427.*

IV. Por-

IV. Porrò de loco hujus Oraculi agendum erit *Caspar Peucerus in lib. de Divinat. p. 239.* refert: duo fuisse Trophonii Oracula: *Vnum* Thebis: *Alterum* Lebadiæ in Bœotia. Illud scribit fuisse consultum à Thebanis dimicaturis contra Lacedæmonios ad Leuctra: qui cùm rem divinam facerent, & ad sciscitandum solenni ritu se præpararent, galli continuo cantu *Carmen triumphale* decantaverint. *Alexand. ab Alexandro l. 6. c. 2. fol. 609. Gen. Dier.* ait: Trophonij templum fuit apud Thebas Bœotiæ à Cadmo conditas: ubi Trophonij Oraculum multi nominis; quod cùm à Bœotijs de Thebano bello consuleretur, ibique res divina fieret, gallos gallinaceos perpetim cecinisse ferunt, quo concentu Thebanis insignis victoria prædicta fuit. Quò tendunt verba *Plinii lib. 10. c. 21. fol. 194. Natural. Hist.* Galli gallinacei *totis noctibus canendo nobilem illam adversus Lacedæmonies victoriam præsagivere, ita conjecta interpretatione, quoniam victa illa ales non caneret.* Eandem historiam recitat *Cicero lib. 1. de Divinat. c. 34. fol. 186.* Sed illam contigisse apud Oraculum Lebadiense dicit: *Cumq; eodem tempore*, ait, *apud Lebadiam Trophonio res divina fieret, gallos gallinaceos in eo loco sic assiduè canere cœpisse, ut nihil intermitterent: tùm augures dixisse Bœotiis, Thebanorum esse victoriam, propterea quòd avis illa victa silere soleret: canere, si vicisset.* *Alterum* autem fuit in Lebadia, Oraculum sanè clarissimum, & de quo veterum potissima extant testimonia. Ita *Strabo lib. 9. p. 414.* ait: *Apud Lebadiam Iovis Trophonii Oraculum est situm, inter Heliconem & Charoneam prope Coroneam.* Et *Pausan. l. 1. p. 61.* In Bœotia Lebadia Trophonio est sacra. *Et lib. 4. p. 229.* ubi de Scuto Aristomenis differit, quòd ipse Delphici Dei monitu in Trophonij sacro penetrali, quod *ad Lebadeam est*, illud repererit, ac rursus illo in templo id dedicaverit. Eodem in loco Oraculum istud esse idem refert *l. 9. p. 548. & 550.* De Paulo Æmilio cum agit *Livius l. 45. cap. 37. p. 577.* narrat de eo, quòd ipse Lebadiæ templum Jovis Trophonis adierit. *Plutarchus in libro de Facie in Orbe Lunæ fol. 944.* meminit *Trophoniadarum Bœoticorum*, qui sunt Genij apud Lebadiam Bœotiæ, ubi Trophoniam est Oraculum. Plura testimonia non adducam, cùm ex illis hactenus allatis abundè constet, celebre istud Trophonium Oraculum in Bœotia apud Lebadiam extitisse.

V. Sed de origine hujus Oraculi aliquid certi statuendum est. Equidem quod nonnulli existimant, Trophonium vatem perinsignem hujus Oraculi conditorem esse, id ita dicunt: cùm tamen alij appo-

nant non malè, Oraculum esse responsum divinum, & ab eo, qui vel Deus sit. vel pro tali habeatur, suam trahere originem, ut proinde vulgaris istæc sententia non videatur omniũ dubitationibus facere satis. Verùm quantumvis istæc traditio, quòd Jupiter è fanatica Ethnicorum superstitione supremus inter omnes Deos isti Oraculo autoritatem divinam impertiri, & illud sibi tribuere voluerit, admittatur; hucusque tamen curiositati inquirentis de primis ejus natalibus ex ista præmissa narratione respondere plenè non licebit, quippe quòd historici hac de re & aliam referant sententiam. Communiter autem istius origo ita ferè exponitur. Aliquando ob pluviæ defectum ingens in Bœotia extitit terræ & agrorum ariditas, in tantum, ut nihil fructuum frugumque ibidem produceretur; quin etiam à vicinis desiderata ipsis negarentur. Qua in annonæ penuria satis grandi Bœoti consuluerunt Apollinem. Ubi Pythia conscendit tripodem, & consulentibus respondit: explorandum esse consilium Trophonij in Lebadia. Illi monitis divinis parere volentes locum, ubi Trophonium invenirent, penitus ignorarunt. Eapropter quidam ex *Acrephnia* urbe oriundus nomine *Saon* vir ætate grandis, & in arte divinandi peritus Bœotos fideliter monuit, ut illi præcedens apum examen sequerentur, & eum locum, ubi illud subsideret, ipsi haberent pro certa Oraculi sede: quippe quòd apes forent Duces itineris. Vatis consilium ipsi lubentes admittunt, & apum istud examen divinitus oblatum cum *Saone* unà comitante sequuntur, donec apes blando murmure susurrantes in cujusdam arboris ramos involarunt, ibique substiterunt. Tum ipsis *Saon* ostendit antrum subiacens, sed terra & multis sentibus coopertum: quibus excisis, & averruncatis cespitibus hiatum subterraneum aperuerunt, Geniumque loci debito modo salutarunt. Quô factô, eum rogârunt, ut leges ac ritus, quibus Oraculum consuli deberet, ipsis indicaret. Quod quoque impetrarunt; nam non tantùm rationem & modum consulendi istud Oraculum intellexerunt; verùm etiam subinde didicerunt, quo pacto ædem sacram Deus iste sibi strui vellet, ubi in posterum ipse responsa supplicibus esset redditurus. Postquam hæc ex præscripto perceperunt, vultu tristi & animo mœrente domum regressi, nec postea unquam visi sunt ridere; sed totum vitæ tempus in mœstitia transegerunt. *Pausanias lib. 9. p. 553.* qui historiam hanc descripsit, refert: *ipsum Trophonium* istæc omnia exposuisse *Saoni.* Verba ex interpretatione *Romuli Amasæi* ita se habent:

bent: *Hoc Oraculum cùm antea prorsus ignoraretur, ex huiusmodi casu ad Bœotos eius pervenit notitia. Cùm unum & alterum iam annum nullis terra imbribus irrigaretur, è singulis civitatibus Delphos missi sunt, qui opem* Oraculi *implorarent. His sciscitatibus remedium exposcentibus Pythius Apollo imperavit, ut Lebadeam euntes à Trophonio mali auxilium quærerent. Lebadeam itaque profecti cùm Oraculum reperire non possent, Saon quidam Acrephniensis collegarum natu maximus cùm apum examen conspexisset, quocunque illæ diverterent, sequi statuit. Vbi igitur eas ad specum advolantes vidit, & ipse subiens Oraculum, quod quærebant, illud esse intellexit. Saonem hunc cùm ea, quorum causa missus fuerat; tùm sacrorum omnem ritum, & quæ inter consulendum fieri fas est, edoctum à Trophonio memorant.* Hæc Pausanius. Ubi observandum. 1. *Quid Saon didicerit à Trophonio?* Scilicet, quibus ritibus Deus iste à consulentibus coli deberet. Certis namque legibus ac modis Deos istos, antequam Oracula redderent, coli voluisse, in primo libro expositum est. Deinde intellexit, quid inter consulendum fieri deberet, quâ ratione quæstio proponenda: & qua solennitate responsio iterum esset accipienda. Verùm de templi extruendi ratione nihil refert Pausanias; tamen *Boissardus p.125. de Divinat. ut & Peucerus de Divinat. p. 241.* istius mentionem faciunt. 2. Locus ad quem ab Oraculo Delphico missi sunt legati, fuit *antrum vatis Trophonii*, in quo ipse quondam habitavit; fuit autem antrum istud collapsum, terrâ obductum, sentibus & vepretibus coopertum, ut non sine labore antiquam, & veram Trophonij sedem invenire potuerint, quam ductu apum divinitus conspectarum tandem reperit Saon. 3. *Quomodo Saon hæc discere potuerit Trophonio iamdudum mortuo?* Verùm responsio non est difficilis, ipse siquidem utpote defunctus non potuit Saonem informare; sed malus Genius id fecit, quem Trophonium dixit Delphicus Deus, quippe in cujus antro seu specu celebre Oraculum extare deberet: vel etiam, quòd creditum fuerit: Trophonij Manes adhuc ibidem superesse, & vim fatidicam nondum esse extinctam: Non igitur ipse Trophonius, sed illius Genius, seu Dæmon edocuit Saonem ritus, & mores colendi & consulendi Oraculum; retinuit tamen nomen Oraculi Trophonij, non tantum, quod Trophonius ibi quondam domicilium suum habuerit, & vaticinatus sit; verùm etiam, quòd ejus Genius adhuc vivere, & ita Oracula ibidem reddere perrexerit. Inde videmus; Hoc Oraculum ab Herodoto, Tullio, Luciano, Pausania, Philostrato, Origene

Origene contra Celsum, & multis alijs vocari : Oraculum Trophonium. Quorum nullus tamen *Iovis Trophonii* meminit præter Strabonem & Livium. Ille *lib. 9. p. 414. Geograph.* Λεβαδία δ' ἐστιν, ὅπου Διὸς τροφωνίου μαντεῖον ἵδρυται. *Apud Lebadiam Trophonii Oraculum est.* Hic *lib. 45. cap. 27. p. 577* ait: *Paulus Æmilius Ledadiæ quoque templum Iovis Trophonis adit.* Quin imò & alibi *Strabo* simpliciter hoc Oraculum dixit *Trophonium*, non addito nomine *Iovis*. Vide *Lilium Girald. Synt. 2. de Histor. Deor. p. 134.* Interim quia duo probati Scriptores Jovem vocant Trophonium, & illud Oraculum Jovis Trophonij, utique necesse est, talem denominationem quandoque fuisse in usu, licèt non negem, appellationem Oraculi Trophonij omissô Jovis nomine, frequentiorem & sine dubio etiam antiquiorem fuisse. Ratio hujus denominationis hæc fuisse creditur : Quamdiu vixit Trophonius, tum fuit religiosissimus Deorum, cumprimis verò Jovis cultor, cujus Numine, uti illud perhibetur, multa solitus fuit docere, quæ ad salutem hominum maximè pertinerent. Post ipsius mortem repertô antrô, templum Lebadiense consecratum est Jovi, qui per Genium Trophonij creditus est reddere Oracula, quique inde cum hoc cognomento appellatus est *Iupiter Trophonius*, sicuti id ita declarat *Boissardus in lib. de Divinat. pag. 126.* Verùm quicquid sit de hac opinione, illud certum est: Oraculum hoc communiter & passim in antiquis scriptis appellari Trophonium : licèt nullam importet repugnantiam, si dicatur : templum Lebadiæ consecratum fuisse Jovi, qvem præ cœteris Dijs, dum viveret, Trophonius coluerit; & Oraculum, qvod à Trophonio acceperit originem, isti etiam Deo adscribi.

VI. Describitur, hoc Oraculum. 1. *Quod fuerit in loco subterraneo*, scilicet in specu, ubi qvondam suum domicilium fixerat Trophonius. *Strabo lib. 9. fol. 414.* ait : *Is qui Oraculum Iovis Trophonii consulit, ipse in hiatum terræ cuniculumq; descendit.* Et apud *Livium l. 45. cap. 27. p. 577.* refert Paulus Æmilius, *se vidisse os specus, per quod Oraculo utentes sciscitatum Deos descendunt.* Vixisse autem Trophonium in loco subterraneo certissimum est: fecisse autem eum id ideò, ut vel contemplationibus suis utpote ab hominum strepitu remotus eò commodius inhærere; vel etiam secretioribus cum suo Deo colloquijs frui posset, quorundam constans est doctrina. 2. *Obscuro*, in quem lux diurna non inciderit; & quidem hoc vel augendam religio-

nem

nem & venerationem loci: vel etiam ad timorem incutiendum illis, qui exinde responsa petere voluerunt, ne quivis de vulgo temerè ad hoc Oraculum accederet. 3. *Tetro & horrido* non quidem, quòd locus ex se horrorem incusserit accedentibus; sed quòd homines in locis obscuris & tenebricosis, cùm soli sint, metuere soleant. Inde etiam compertum est: homines noctu ob tenebras facilè pertimescere, cùm nesciant, quid sibi accidere, & quomodo periculum ipsi depellere queant; ne dum, quòd Dæmonis illusiones in tenebris, vel saltem illarum metus pavidis potissimùm animis horrorem immittere consveverint. Itaque & hoc Oraculum Trophonium in loco horrido fuit, ut cum tremore homines ad illud consulendum devoti accederent. 4. *Profundo*, in quem admotis scalis descendebatur: unde aliquot gradibus ad imum oportuit se dimittere, antequam ad locum Oraculi aliquis potuerit pervenire. Per totum itaque hiatum scalæ angustæ & teretes extensæ pertingebant in pavimentum inferius, quibus descendebatur; quod sine difficultate magna fieri haud potuit. Vide *Boissard. p.125. de Divinat.* Integram loci istius descriptionem exhibet *Pausanias, lib. 9. p. 552.* his verbis: *Est Oraculum supra lucum in monte, crepido in orbem candido saxo circumducta. Crepidinis ambitus est instar areæ minimæ, altitudine minore, quàm cubitûm duorum. Erecti sunt super crepidine obelisci tàm ipsi, quàm Zonæ, quibus continentur, ænei. Inter eos media sunt ostia. Intra ambitum specus est, non naturâ, sed arte, & certo proportionis modo quàm solertissimè excisus. Eius subterraneæ cellulæ forma furno persimilis: cuius latitudo dimensa per rectam lineam ab imo ambitu ad summum cubita æquarit plus minus quatuor. In altum subsidit hiatus haut amplius octo fere cubitorum. Nulli ferè gradus constructi sunt, qui ingressos ad imum solum demittant: Sed ad Trophonium descensuri scalas admovent angustas æquè atque habiles. Vbi descensum fuerit, inter medium solum, & antri testitudinem cavernula est latitudine duorum dodrantum, altitudine dodrantali. Qui eò penetrarit, pedes prius in cavernulam illam immittit; mox genua properat ad pedes adiungere: statim reliquum corpus ad genua contractum eodem prope modo, quo si maximi & concitatissimi amnis aquarum vertice correptum fuisset, intro abripitur. Qui verò inde redeunt, per pedes retrogrediuntur. Interim nemo ex iis, qui eò pervaserunt, emansit, unô saltem exceptô, qui de Speculatoribus Demetrii fuit. Is enim neque quicquam eorum sacrorum, quæ fieri ad fanum illud religione sancitum est, fecit: neque sciscitandi causâ, sed quod aurum & ar-*

tum, quod illic esset, se asportaturum speraverat, ingressus sacrum istum locum dicitur: Cujus *etiam cadaver in diversam partem, & non per sanctum istius hiatus ostium ejectum est.* Ita *Pausanias.* Quæ verba *Pausaniæ* in compendium ferè clarius redegit *Casparus Peucerus p. 240. de Divinat.* quando ait: *Oraculum situm* erat supra nemus ad montem, fundamentum in circuitu stratum erat lapidibus candidis, ambitus fundamenti istar minimæ areæ pene altitudinem duorum cubitorum æquabat: huic duo insistebant *obeli*, (id est, *columnæ*) ænei, & quibus hi connectebantur vincula, per quæ fabricatæ patebant januæ. Versus ambitum prominebat hiatus non naturâ factus, neque ortus casu, sed magno artificio accuratissimè structus Hujus ædificij figura furnum repræsentabat, latitudine quatuor, longitudine cubitorum ferè octo per totum, cum scalæ angustæ & teretes extensæ pertingebant in pavimentum inferius, quibus descendebat. Huculque *Peucerus*, qui satis perspicuè è Pausania locum Oraculi Trophonij specialem depinxit.

VII. Porrò dicendum aliquid est de ritibus, quos adhibere tenebantur illi, qui Oraculum istud consulere volebant. Illi autem à varijs Scriptoribus hinc inde sparsim collecti sunt. (1) *Ingredientes oportebat vel nudos, vel albâ aut etiam puniceâ veste amictos in specum descendere.* Ita *Maximus Tyrius Dissert. 26. p. 179.* refert: *In Trophonii antro* (nam & hic circa urbem Lebadiam locus est vaticinijs destinatus, ab Heroë dictus Trophonio) *qui consulere Deum vult, puniceo indutus talari amictu per angustum supinus ingreditur ostiolum.* Causa istius ritus hæc videtur fuisse, quod Dæmon nudos habere voluerit consulentes, utpote qui, uti corpore sic & animo denudati affectibus & vitæ improbitate destituti tanquam sancti comparerent. Albo autem vel etiam puniceo vestitu incedentes admisit, quòd color albus puritatem; & puniceus color qualitatem cutis in corpore potissimùm calefacto quadantenus exhibeat. Et dubito an illorum sententiæ adstipulari debeam, qui docent: puniceum colorem tanquam regium in consulentibus fuisse desideratum, quod Oraculi Præses Jupiter haberetur maximus Deorum, & veluti eorum Rex: Nam dubitatur adhuc à quibusdam de Jove, an is fuerit Præses Trophonij Oraculi? Positô interim, verum istius Oraculi ipsum Jovem fuisse præsidem; tamen incertum remanet, an ipse à subditis postulare potuerit, vel voluerit ut ipsi Regio ornatu incedentes Oraculum consulerent. Tutius est asserere, placuisse id ita Deo isti, ut consulentes accederent nudi, vel candi

candida aut punicea veste amicti. *Lucianus Tom. 2. in Dialog. Mortuor. p. 70.* mentionem facit *lintei vestimenti*, quò induti esse debuerunt descendentes ad istud Oraculum: quod incidit cum candido amictu, quò consulentes vestiti esse debuerunt, uti ex ante dictis patet.

IIX. Antequam in specum ingrederentur consulturi Oraculum, ipsi in vestibulo, quod bono Genio & bonæ Fortunæ sacrum erat, commorabantur, & se quotidie aqua, quæ hauriebatur è canali Hercynnæ fluvij, abluebant ita se purgabant: *Pausanias l. 9. p. 311.* ut ita puri coram Deo isto comparerent. More enim receptum fuit apud Ethnicos, ut sacra facturi, precaturi, templum ingressuri, vel aliud quid sancti peracturi, se prius lavarent, ad expiandum se, quò sancti & puri deprehenderentur. Præterea qui erant polluti vel ob contrectationem cadaveris, vel ob commissam cædem, vel ob aliud quoddam perpetratum delictum, nisi purgati Deo suo non placebant. Ita qui funus duxerant, antequam domum redirent, aqua lustrabantur, propter contractam à funere pollutionem. *Iulius Pollux lib. 8. Onom.* ait: οἱ ἐπὶ τὴν οἰκίαν τοῦ πενθοῦντος ἀφικνούμενοι, ἐξιόντες ἐκαθαίροντο, ὕδατι περιῤῥαινόμενοι: *Qui ad ædes lugentis pervenerant, cùm exinde exirent, purgabantur aqua circumspersi.* Et Scholiastes *Aristophanis in Nubibus* hujus moris meminit, quando ita inquit: ἔθος ἦν μετὰ τὴν ἐκκομιδὴν τοῦ νεκροῦ λοῦσθαι τοὺς κατ' οἶκον καθαρμοῦ χάριν. *Moris fuit post elationem cadaveris familiares lavari purgationis gratia.* Festus *ad l. 6. v. 231. Virgil. Æneid.* hoc notat: Funus prosecuti redeuntes ignem supergrediebantur aqua aspersi, quod purgationis genus vocabant *Suffitionem*. Plaut. *in Amphitru. Act. 5. sc. 1. v. 41. 42.* Invocat Deos immortales manibus puris. Ubi notat *Taubmannus p. 91.* Puras manus tàm à sordibus & illuvie, quàm à cæde & sanguine in sacris exigebant antiqui. *In Aulular. Act. 3. sc. 6. v. 43.* Eo lavatum, ut sacrificem. *Et Act. 4. sc. 2. v. 5.* Nunc lavabo, ut rem divinam faciam. In *Ovidio lib. 4. Fastor. p. 115.* illustre est hujus rei testimonium, quando is ita canit:

His Dea placanda est: hæc tu conversus ad ortus
Dic quater: & vivo perlue rore manus.

Istius ritus scilicet lavandi manus ante sacrificia meminit quoque *Dionysius Halicarnass. lib. 7. p. 478. & 479. Antiqu. Romanar.* Præterea cæde & sanguine pollutas manus fuisse abluendas, priusquam sacra

aut aræ attingerentur vel etiam preces instituerentur, loco Virgilij *l. 2. Æneid. 717.* ostendi potest:

Tu Genitor cape sacra manu, Patriosq́; Penates
Me bello è tanto digressum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Ubi per vivum flumen aqua perenniter fluens intelligitur: & ait *Hadrianus Turneb. l. 1. c. 29. p. 20. Advers.* in parte religionis fuisse positum, flumine vivo se abluere. Sophoclis enarrator egregiè morem istum ob oculos ponit: ἔθος γὰρ ἦν τοῖς παλαιοῖς, ὅτε ἢ φόνον ἀνθρώπου ἢ ἄλλας σφαγὰς ἐποίουν, ἀπονίπτειν τὰς χεῖρας εἰς κάθαρσιν τοῦ μιάσματος: *Mos erat veteribus, quando sive cædem hominis, sive alias cædes fecissent, lavare manus in expiationem piaculi.* Cum quo ad amussim concordat *Anticlides lib. 74. redituum* apud *Eliam Schedium c. 26. de Dis Germ. p. 361.* ἔθος γὰρ ἦν τοῖς παλαιοῖς, ὅπερ καὶ νῦν ἀκμάζει, ὅταν ἢ φόνον ἀνθρώπων, ἢ καὶ ἄλλας σφαγὰς ἐποίουν, ὕδατι ἀενάῳ τὰς χεῖρας ἀπονίπτειν εἰς τοῦ μιάσματος κάθαρσιν: *Erat mos antiquorum, qui nunc quoque servatur, ut qui cædem hominum vel aliorum animalium commisissent, perenni aqua manus abluerent, ad commissi piaculi lustrationem.* Præter manus etiam & os lavare solebant, quod *Horatius* indicat *Lib. 1. Satyra. 5. v. 24.* ubi dicit:

Ora manusq́; tua lavimus Feronia lympha.

Quid autem per Feroniam hoc loco propriè intelligi debeat, pulchrè & copiosè exponit *Levinus Torrentius* ad istum versiculum. *p. 464. 465* Quinimò corpus quoque abluebant, aspergebantque, prout Dijs inferis superisque sacrificaturi erant. *Barnab. Brisson. l. 1. pag. 5. de Formul.* Præterea ante supplices preces manus fuisse lotas exemplo *Telemachi* apud *Homer. in Odyss.* confirmatur, qui, antequam Deo supplicaret, suas manus lavit. Insuper, qui nocturna venere polluti erant, indigebant lotione, quod discere licebit è *Persii Satyra. 2. v. 15.*

Hæc sanctè ut poscas Tyberino in flumine mergis
Mane caput bis terve & noctem flumine purgas.

Ubi per *noctem* intelligitur *nocturnus concubitus*, sordes è nocturna Venere contractæ. Ritibus namque ac ceremonijs erat cautum, ne hesterna Venere inquinati Deos adirent, sed prius mane purè lavarent, idque vivo flumine. *Eilhard. Lubin.* ad illum versic. *p. 616.* Qui itaque

non

non erat ita lustratus, non poterat ad aras accedere, & Deo sacrificare, quod colligo è *Senecæ Thyeste Act. 1. sc. 1. v. 93. Moneo ne sacra manus violatâ cæde, neve furiali malo adspergat aras.* Et ut nemo templum ingrederetur impurus positum erat ad valvas labrum aqua repletum: in quam titionem ex ara sumtum mergebant: eaque ingredientes sese aspergebant, vel etiam à sacerdotibus aspergebantur. Luculentum hoc de more locum deprehendimus in libro *Hippocratis de sacro morbo sect. 3. p. 87. Maxima,* inquit, *& sceleratissima peccata Deus expiat, & purificat, tutelaq; nostra existit, nosq; Diis ipsis templorum ac delubrorum terminos constituimus, quos nemo nisi purus transcendat, & ingressi non tanquam inquinati respergimur, sed, ut siquid antea scelus contraximus, illud expiemus.* Elegans & huic rei accommodatum exemplum refert *Sozomenus l. 6. c. 6. p. 489. Histor. Eccles. de Valentiniano*, qui cum Juliano Cæsare templum Ethnicum ingredi coactus fuit. Ubi Sacerdos ritu gentilitio virides olivæ ramusculos madefactos manu tenens ingredientes adspersit, ita ut gutta quædam in Valentiniani vestem delapsa sit. Quod ipse tam graviter tulit, ut non solùm Sacerdoti convitiatus fuerit; sed etiam inspectante Juliano illam particulam vestimenti, in qua gutta hærebat, penitus absciderit, eamque abjecerit. Vide supra *lib. 1. p. 62.* Confer etiam quæ habet *Seldenus lib. 1. c. 3. pag. 29. & 30. de Jure Synedrii.* Verùm pluscula de hoc ritu mihi exciderunt præter omnem intentionem. Interea redeo ad id, unde digressus sum. Voluit itaque Genius Trophonij tam anxiè à consulentibus lotionem exposcere, ut procul dubio loci istius sanctitatem ipsis commendaret, ne in eum aliquis impurus ingrederetur, sed ut bene lotus & lustratus à crimine, delicto, improbitate, aut quocunque impuritatis genere purus, immunis, & castus ad opus istud arduum peragendum demum accederet: quod aliàs impuri hominis ingressu locus iste profanaretur, & Deus ibidem offenderetur, ipse verò nihil impretraret; sed voto suo penitus excideret. Neque simpliciter illis assentior, qui existimant, lotionem illam desideratam fuisse ab ingredientibus ad ostendendam innocentiam suam; quippe quòd tum lustratio haberet saltem vim probandi innocentiam in casu dubio: num quis aliquod notabile scelus commisisset aut non? vel ut quis testaretur, animum suum procul abesse à facto, nec in illud se consentire, quod tamen tenetur perficere, sicuti Pontius Pilatus voluit manus lavare ut suam innocentiam publicè probaret, & se invitum cogi ad sententiam mortis ferendam declararet,

ret, culpamque istius condemnationis à se rejiceret in populum. Vide *Isaac. Casaubon. Exercit. 16. §. 75. p. 536. ad Annal. Baron. Et Vossium l. 2. c. 5. p. 244. Harm. Evang.* Verùm exegit Genius loci puritatem corporis abluti, ut hac ratione omne iniquum, criminosum & impurum esset expiatum, & ita loti nunc confidente animo ad Deum accedere, & ab eo gratum consequi possent responsum. Verùm licèt puritas corporis non improbetur in eo, qui ad sacra se vult conferre; tamen animi puritas potissimùm est spectanda. Perelegantem locum habet *Cicero l. 2. c. 9. fol. 827. de Legib.* quem hic adscribere non piget: *Castè iubet Lex adire ad Deos, animò videlicet, in quo sunt omnia; nec tollit castimoniam corporis: Sed hoc oportet intelligi, cùm multùm animus corpori præstet, observeturq́;, ut casta corpora adhibeantur, multò esse in animus id servandum magis. Nam illud vel aspersione aquæ, vel dierum numero tollitur; animi labes nec diuturnitate vanescere, nec amnibus ullis elui potest.* Bene prudentissimus Cicero, nihil enim prodest, corpus habere à sordibus purgatum, animo adhuc sceleribus & pravis cupiditatibus inquinato. Accommodatè loquitur *Lactantius l. 5. c. 19. p. 522. & 523.* Illi *infelices*, ait, *ex sceleribus suis non intelligunt, quàm malum sit, quod colunt; quandoquidem flagitiis omnibus inquinati veniunt ad precandum & se piè sacrificasse opinantur, si cutem laverint, tanquam libidines intra pectus inclusas ulli amnes abluant, aut ulla maria purificent. Quanto satius est mentem potius eluere, quæ malis cupiditatibus sordidatur, & uno virtutis ac fidei lavacro universa vitia depellere.* Sic morem hunc ethnicum perstringit *Arnobius l. 7. p. 228.* in fine, quando ita loquitur.: *Quorum templa cum adire disponitis ab omni vos labe puros, lautos, castissimosq́; præstatis?* Vide *Herald. animadv. ad ist. loc. p. 266.*

IX. Legi aliquando testimonium mihi tum temporis adolescenti à Viro erudito & in Græcis pariter & Latinis antiquitatibus valdè exercitato communicatum è *Nicolai Leoniceni libro de Antro Trophonii* (quo tamen libro careo, nec eum hactenus mihi comparare potui) quo ostendebatur: Ac si consulturi Oraculum Trophonij antequam sacrificarent, prius ad focum Trophonij supplices sederent. Verba, prout tum ea poteram assequi, ita se habebant. *Descensuri ad Oraculum Trophonii per angustum antrum admotis scalis perrepebant, & lavabantur accuratè, aliquot dies per integrum corpus: abluti verò deducebantur ad focum Trophonii, ut in eo considerent supplices, & crimi-*

num veniam peterent : Postea ulterius pergebant ad Trophonii statuam, quam flexis genibus gemebundi adspiciebant, & eius genua contingebant. Quô debita solennitate prius peractô ad aram accedebant sacra facturi &c. Fateor, quàm magna licèt diligentia inquisiverim in istius ritus veritatem, & ea propter raros libros, quos ex parte non sine magnis sumtibus mihi acquisivi, anxiè pervolverim, nihil tamen de adducto more huc usque reperire me potuisse. Et (1.) Si per *focum* intelligeretur ara, aliquid concederem isti testimonio, cùm constet: Focum interdum pro ara, & vicissim aram pro foco sumi. Ita apud *Virgilium l. 12. Æneid. v. 17. & 18.*

—— —— —— Teucriq; parabant
In medioq; focos, & Diis communibus aras,
Gramineas. Vide ibidem *Cerdam n. 6. fol. 681.*
Et apud *Tibullum lib. 4. p. 154.*
Natalis Iuno sanctos cape thuris acervos
Quos tibi dat tenera docta puella manu:
Lota tibi est hodie tibi se lætissima comsit,
Staret ut ante tuos conspicienda focos.

Sed scriptor iste hìc distinguit focum ab ara, & dicit: prius deductos fuisse consulturos Oraculum ad focum, deinde demum ad aram: & quidem ob distincta negotia ibidem peragenda: In *foco*, ut ibi supplices sederent: *In ara*, ut ibi sacrificarent. (2) *De more sedendi in foco, res est nota.* Ulysses post longum suum errorem, ubi venit in domum Alcinoi, ibi supplicans Aretæ Alcinoi uxori ad focum consedit. Quem tamen Alcinous manibus prehensum è foco sublevavit, eumque splendido throno imposuit. *Homer. Odyss. l. 7. pag. 202* Istius moris vestigia deprehendimus apud *Apollonium Rhodium lib. 4. Argonaut. v. 692. pag. 446.*

Τὼ δ' ἄνεω καὶ ἄναυδοι ἐφ' ἑςίῃ ἀΐξαντες
ἵζανον ἥτε δίκη λυγροῖς ἱκέτῃσι τέτυκται.

Illi sine sonitu & voce, in focum facto impetu sedebant, quod à miserabilibus supplicibus fieri ius est. Coriolanus in exilium actus contulit se Antium ad Tullum Attilium hostem Romanorum: & sumtô habitu, unde, quis esset, cognosci haut posset, inimici Tulli domum ingressus, statim *ad focum velato capite consedit tacitus.* Quod servi indicarunt Domino, qui statim eum surgere, & bono animo esse jussit, eumque benignè

nignè & humaniter excepit. *Plutarchus in Vita Coriolani fol. 224. & 225.* Similiter cùm Athenienses & Lacedæmonij persequerentur Themistoclem, hic se in spem asperam conjecit, & Regem Molossorum Admetum supplex adiit; cujus filium ipse amplexus *se ad focum ejus abjecit. Plutarchus in Vita Themistocl. fol. 124.* Cum enim Focus sacer esset locus, ibique confugerent Ethnici ad preces, quæ dirigerentur ad ipsos Lares propterea dictos *Focarios Deos*, inde supplices ibi considentes tutelam & gratiam se inventuros sperabant Hinc scribit *Iosias Furner. l. 3. select. c. 21. p. 216.* Confugiebant supplices ad focum, quia se tutos putabant esse ob reverentiam Vestæ, Penatium, & Larium, quibus focus erat consecratus. Inde Focus appellatur *Ara Penatium. Et Horatius in libr. Epod. Od. 2. vers. 43.* Focum dicit *Sacrum* Ubi *Lævinus Torrentius* notat *pag 340.* Sacrum vocat focum, vel quod Vestæ consecratus sit: vel quod focus sit ara Deorum Penatum. Interim fateor me desiderare notitiam observati hujus ritus in specu Trophonij. Etenim supplices illi in foco considentes sperabant gratiam & tutelam, quod etiam testantur Argonautæ apud *Apollon. Rhodium pag. 476.* qui spe sua decepti ædibus expulsi sunt ; Sed qui abluti erant, pro puris & mundis habebantur, adeoque certi erant de Dei istius gratia, nec amplius criminis venia utpote jam tum remissâ indigebant. (3) Quòd de Trophonij statua adducitur, de eo itidem valdè dubito. De illo quidem non est dubium, quin ad genua statuarum Deos repræsentantium accesserint supplices, quòd crederentur genua consecrata esse misericordiæ: illud autem in antro Trophonij quoq; contigisse, nullus loquitur historicus, nec alij scriptores, qui de Trophonio ejusque specu quicquam in literas retulerunt. Deinde statua Trophonij non in sacello aut voragine Oraculi, sed eminente tumulo ferreis obeliscis septa munitaque consistebat ac colebatur non procul ab Oraculi sede. *Philostratus l. 8. c. 8. de Vita Apollon. Thyan. fol. 420. Maiolus in Dieb. Canicular. fol. 361.*

X. Descendentes ad Oraculum sacra faciebant, & quidem Trophonio, & filijs; Apollini præterea, Saturno, Jovi, cui Regi cognomen, Junoni Heniochæ, & Cereri, quam Europea nominant, ac fuisse Trophonij nutricem perhibent. Apud alia quoque Oracula receptum esse, ut sacra fierent, non est dubium: voluit siquidem malus Genius ita coli, ut divinam Majestatem, vel ejus saltem opinionem hominum superstitioni deditorum animis altius imprimeret.

XI. Porrò quando sacrificia præsto sunt, subinde adest *Aruspex,* qui

qui Cæsarum hostiarum viscera inspicit, eorumque qualitatem perscrutatur. Quod ideo fit, quoniam ex illa inspectione prædicit, quô animô *Trophonius* erga consultatorem sit affectus; num sit placatus, an adhuc iratus? an benigna vel invita mente eum sit excepturus? Cœterùm eadem hora, qua se voragini immittere volebat consultator, arietem rursus immolabat ad ipsam foveam, & *Agamedem Trophonii Socium & amicum* sœpius invocabat. Istius viscera iterum diligentia summa considerabat Aruspex, potissimùm verò, numquid à prioribus discreparent, vel cum ijs convenirent. Si convenirent? tum bona spe pergere eum jubebat. Et ita consultator initiatus descendebat. *Pausan. l.9. p.551.* Quod si verò deprehenderet aliquid aliud à prioribus ostentis demonstrari, tum iterum solabatur consultatorem, quasi Deus isto quidem sacrificio mitigatus sententiam mutasset, & priora reddidisset irrita: *Boissardus de Divinat. fol. 125.*

XII. Ne sic quidem satis præparatus fuit consultator, ut potuerit ad Oraculum deduci; sed prius sacrificuli & quidem noctu abducunt eum ad Hercynnam fluvium, ex quo antea erat ablutus. Ibi pueri duo ex oppidanorum liberis fortean tredecim annorum, quos vocant *Hermas*, id est, *Mercurios*, consultatorem oleo perungunt, & ex isto fluvio abluunt, nec non eidem pro captu suo ministrant omnia, quæ adhuc sunt opus. De veritate hujus ritus non dubito, cùm *Pausanias*, qui singula exponit, *lib. 9. p.553.* fateatur, quòd scribat *non solum audita, sed quæ & aliis accidisse viderit, & ipse sit expertus: cùm ad Trophonium consulendi causa ipse etiam venisset: Omnes autem qui à Trophonio redeunt, quæcunque vel audiverunt, vel viderunt, à se conscripta in tabulam referre coacti fuerunt.* Causam istius ritus scriptor non explicat; existimo istam solennitatem fuisse adhibitam, ut bene lotus & oleo perfusus nihil sordium amplius contrahere; sed purus & immaculatus coram Oraculo se sistere posset consultor.

XIII. Et licèt hæc quoque debito modo fuerint expedita; nondum tamen consultor rectà ad Oraculum pergere potuit, sed prius à sacrificulis deductus fuit ad amnis fontes, qui fuerunt duo, quorum alter *Lethe*: alter vero *Mnemosyne* dicebatur. Dum è fonte Lethes bibebat, ei contingebat oblivio omnium eorum, quæ antea memoria complexus fuerat: Sed quando è fonte Mnemosynes aquam hauriebat, ejus beneficio omnia, quæ intra ea penetralia visurus, & auditurus erat, memoria firma continere poterat, uti præter *Pausaniam* id indi-

cat *Agathias*. Sive verùm, sive falsum hoc fuerit, non curo: Illud tamen Oraculum isto ritu significare voluisse puto, quod qui ad penetrale Oraculi descensuri, & ab eo responsum de futuris rebus accepturi sint, deponere debeant omnia illa vana, quæ hucusque audiverunt vel viderunt, quibusque mens à divinis contemplandis vehementer impeditur: interim memoriam habere teneantur de illis omnibus, quæ in sacris & ad salutem eorum pertinentibus à Deo isto sunt percepturi. In eo utique Dæmon imitatur verum & sanctissimum Numen, quando in cultoribus suis requirit oblivionem rerum vanarum & inutilium, & attentionem ad effata divina. Vanæ enim hujus mundi illecebræ, utpote quæ abstrahunt animum hominis à meditationibus sacris, oblivioni; bona verò, & quæ accendunt mentem ad cognoscenda ardua eaque divina, memoriæ sunt tradenda, inque ea accuratè custodienda.

XIV. Hisce ita peractis *simulacrum à Dædalo fabrefactum proferebatur*, cujus inspiciendi copia non fiebat ulli, nisi ei demum, qui Trophonium esset aditurus; qui tamen jubebatur cum multa religione votis nuncupatis, & emissis precibus illud venerari. Qualis autem istæc fuerit imago, à Pausania subticetur. Procul dubio fuit sculptile alicujus Dei, vel ipsius Trophonij vel aliud Signum sacrum, & mirifica arte à Dædalo fabrefactum, ut ita propter raritatem operis in tanto honore fuerit.

XV. Tandem, ubi ad Dædali simulacrum consultator verba pietatis protulit, & animum devotum ostendit, tunica indutus lintea pura, vittisque sacris redimitus, crepidisque subligatis cinctus in hiatum, ubi erat Oraculum, sese demittere, & cum isto Deo, quæ ipsi erant demandata, conferre potuit, prout itidem *Pausanias lib. 9. p. 551.* hoc tradit. Non tantùm descendens puro corpore, verùm etiam puris vestimentis amictus esse debuit: ea propter etiam legimus ex institutis gentilium & vestes, si de earum puritate dubitaretur, fuisse lotas. Scholiastes *Euripidis*, ait: *nefas est immunda veste conspici in fano ad sacra, inde opus est lotione.* In gente Hebræa lotionem vestimentorum singulari lege introductam & præscriptam fuisse; socer testatur Codex. Voluit autem Genius Trophonij, seu quicunque ibi fuerit Præses, imitari divina instituta, & mundum ornatum requirere in illis, à quibus debuerit interrogari.

XVI. Qui descendebant, unà secum afferebant placentas & libas, quibus oportebat placare lemures subterraneos, eum in finem, ut ipsi

ipsi securè & illibato corpore ingredi in specum, & vicissim exinde egredi possent. Huc tendunt, quæ habet *Lucianus Tom. 2. in Dial. Mortuor. p. 70. Equidem*, ait Menippus, *nisi Lebadiam fuissem profectus, ac linteis amictus*, offam etiam ridiculè manu gestans, *per angustum aditum irrepsissem, nequaquam fieri potuisset, ut te defunctum esse cognoscerem.* Ad quem locum observat *Gilbertus Cognatus p. 72. Qui ex Trophonii antro Oracula sciscitabantur, nudi in aditu specus sedere soliti sunt: gestabant autem placentas, quas Lemuribus occurrentibus objicerent*, ne scilicet ab illis læderentur, sed absque noxa & damno feliciter iterum ex eo loco possent recedere. *Zenodotus* refert, quod descendentes *hastam* quoque secum sumere soliti sint ad depellendos serpentes. E quibus apparet horridum & periculosum fuisse hoc antrum, in quo Trophonij Oraculum latebat. *Horridum*, propter tenebras, in quibus facilè timidis hominibus vel ad strepitum muris horror incutitur: & propter lemures & varia spectra, quæ descendentibus occurrerunt: *Periculosum* ob serpentes & aspides, a quibus facilè potuerunt lædi. Certè si conditionem istius antri aliquantò accuratius consideraverimus, mirum est, quod homines ausi fuerint in illud descendere & in tàm lurido & noxio specu horrendum Dæmonem consulere, nisi forteam à Sacerdotibus de gratia & benevolentia istius Dei fuerint confirmati, ijsque certissima spes facta, tum de benigno responsò, tum etiam de incolumi reditu.

XVII. In specu consultator supplex procidebat in genua, & clausis oculis, quæ in mandatis habebat, clara voce proponebat: Sed responsum de futuris non omnes eodem modo percipiebant. Alius ex visis: alius verò ex auditis notitiam futurorum consequebatur. Quæ verò audiebant, apertâ voce recitabantur. Quod è *Pausaniæ lib. 9. p. 552.* repetit *Peucerus de Divinat. p. 241.* Plures modos cognoscendi futura in specu Trophonis Lebadiensi non observavi apud antiquos scriptores: nam quod vir quidam non incelebris in suis lectionibus antiquis addat *Somnium*, illud quidem non reprehendo; sed cùm istæc doctrina non sit munita testimonio antiquò, ideo de istius certitudine dubito. Nec commodum fuisse puto, ibi dormire, & somnia capere, ob lacertos, & varios serpentes, qui specum perreptarent, ibique dormientibus nocituri essent, cùm nequidem vigilantes ab eorum morsibus tuti viderentur. Nec quicquam impedit, quod non nemo de Enthusiasmo & somnijs urget: Nam illud intelligendum est de Oraculo, quod fuit

 Thebis

Thebis in Bœotia. Ibi reddebantur Oracula à ſacerdote *Enthuſiasmo correpto*, factis tantùm Deo levibus ſacrificijs farre, vino, oleo, & placentis *Boiſſardius de Divinat. fol. 126.*

XIIX. Hactenus conſulentium ingreſſum in antrum iſtud ſatis horridum, varias ceremonias, & præparationes, ipſamque rationem conſulendi Trophonium vidimus: nunc porro diſpiciendum erit, quomodo, acceptô reſponsô, iterum egreſſi ſint, & quid cum illis tum actum ſit. Et quidem (1) per easdem fauces patuit reditus omnibus, qui in antrum iſtud deſcenderant, ita, ut per pedes retrogresſi fuerint. *Pauſan. lib. 9. p. 513. Peucer. p. 241. de Divinat.* In adyto, perceptis ijs, quæ deſiderabat conſulens, ceu flatu excuſſus prorumpebat ſubitò, & cum impetu ex ijsdem anguſtijs, per quas detractus fuerat, ſed pedibus primò exertis. Id eſt, quòd, poſtquam Divinum reſponſum, ſive auditu ſive etiam viſu percepit conſulens, ſtatim vehemente veluti vento abreptus per iſtas anguſtias, per quas antea in antrum iſtud ſcalis adhibitis deſcenderat, iterum detruſus ſed pedibus exinde per oris iſtius ſpecus anguſtiam prius fuerit protractus (2.) Deinde ſacrificuli redeuntem à Trophonio conſultatorem ſtatim *in ſolio Mnemoſynes*, id eſt, *Memoriæ* dicato collocarunt, quod non procul ab adyto poſitum eſt: & ſimul hauſtum aquæ è fonte memoriæ bibendum ei porrexerunt, ut ejus memoria confirmaretur de omnibus illis, quæ is ab Oraculo percepiſſet. Præterea (3.) Interrogarunt eum de cunctis, quæ in ſacro iſtoc antro vel vidiſſet vel audiviſſet, quandoquidem, uti antea dictum eſt, Trophonius non ſemper voce reſpondebat, ſed interdum viſu patefaciebat quod conſulens deſiderabat. Quodcunque igitur is ibidem cognoviſſet, ſive viſu, ſive auditu, de illo à Sacerdotibus examinabatur, qui quoque iſtud fateri tenebatur, ita ut nihil quicquam ipſis reticere auderet. (4) Ubi hoc intellexerunt, & explorarunt cuncta, miniſtris eum commendabant, utpote, quibus mandatum erat, ut talium curam haberent. Qui quoque ſublatum hominem in cellam Bonæ Fortunæ, & Boni Genij, in qua is ante deſcenſum in antrum commoratus erat, reduxerunt. Et licèt adhuc fuerit attonitus, & multo terrore oppletus, ita, ut neque ſe ipſum, neque quenquam ex circumſtantibus agnoſceret; tamen non longè poſt reſipuit, & timore paulatim deferveſcente vires recollegit. Tandem (5) cogebatur omne illud, quod in antro Trophonij viderat, vel etiam audiverat, in tabula quadam conſignare ſeu deſcribere. Sic ait *Pauſanias l. 9. p. 515. Coguntur*

guntur sanè omnes, qui à Trophonio redeunt, quaecunque vel audiverunt, vel viderunt, à se conscripta in tabulam referre.

XIX. Illud quoque à nonnullis tanquam verissimum traditur, illos, qui ex antro Trophonio redierant, nunquam postea amplius risisse, sed animo tristi, & tetrico vultu per totum vitae tempus fuisse conspectos. Inde natum est proverbium: *In antro Trophonii vaticinatus es:* quòd intelligendum est de homine vehementer tristi, tetricoque; cùm olim creditum sit: Eum, qui in Trophonij specum descendisset, postea nunquam ridere. *Erasm. in Adagiis pag. 440.* ubi adducit simul testimonium ex *Aristoph.* qui in *Nubibus* ait:

—— ὡς δέδοικ' ἐγὼ,
Εἴσω καταβαίνων ὥσπερ ἐς Τροφωνίου.
—— Vt videlicet horrui
Haut aliter, ac subiens specum Trophonii.

Quam quoque opinionem arripuit *Alexand. ab Alex. lib. 6. c. 10. fol. 618. Genial. Dier.* In quo illud proditur mirum, ait, *eum qui post consultum Oraculum inde digressus foret, animo semper afflicto & iacenti nunquam ridere solitum esse.* Tantum de *Parmenisco* legimus, quòd is ab Apolline Delphico precibus prius institutis hoc impetraverit, ut, postquam à regressu è Trophonij specu ridere desierat, facultatem ridendi receperit. Historiam describit *Athenaeus l. 14. c. 1. fol. 614.* verbis sequentibus: *Parmeniscus Metapontinus*, cùm in antrum Trophonij descendisset, reversus postea nunquam ridere potuit: Ea de re sciscitatus est Delphicum Oraculum, cui Pythia ita respondit:

Εἴρῃ μ' ἀμφὶ γέλωτος ἀμείλιχε μειλιχίοιο·
Δώσει σοι μήτηρ οἴκῳ τὴν ἔξοχα τῖε.
De iucundo risu me rogas ô tristis homo,
Domi suae mater dabit, quam imprimis venerare.

Quô acceptô Oraculô speravit post reditum in patriam certissimè se risurum: Sed cùm id non sequeretur, deceptum se à Pythia credidit; ubi casu Delon appulit; & admiratus est in insula, quicquid ibi videbatur. Interim Latonae fanum ingressus, & Matris Apollonis insignem statuam se visurum putavit: Sed dum ligneam & informem illam deprehendit, praeter opinionem effusus est in risum. Tum demum Pythiae responsum consideravit, & quid sibi accidisset, paulò plenius animo revolvit. Liberatus quippe a tali morbo, Deam istam magnis honoribus

noribus coluit. Factum illud dubio procul est, ut Oraculi veritas pateret; aliàs illud risu tum temporis dignum non fuit, quoniam ista quidem ætate rudes adhuc fuerunt statuæ Deorum ut & hominum illustrium. Huc tendit *Lucanus, qui lib. 3. pag. 94.* ait.

—— Simulacraq; mæsta Deorum
Arte carent, cæsisq; extant informia truncis.

Eleganter quoque ea de re disserit *Arnobius lib. 6. advers. gentes p. 196. in fine*, quem locum eruditis observationibus illustrat *Elmenhorstius pag. 176. & 177.* ut & *Heraldus p. 244.* Informes autem fuisse Deorum statuas priscis seculis nec novum nec inauditum fuit, utpote quibus nondum pictores aut figuli erant. Vide *Theod. Canter. l. 2. c. 25. p. 772. Variar. Lection. in Tom. 3. Thesauri Critici Gruteriani.* Quòd non ita intelligendum esse arbitror, ac si nulli tùm temporis fuerint pictores, & statuarij; sed quòd artes istæ nondum ita fuerint excultæ, ut ejusmodi artifices ligna, aut lapides in continuam ac decoram formam elaborare, aut aliquam imaginem aptè depingere sciverint. Ea propter, cum ars pingendi jam ortum duceret: & quodammodo in lacte fascijsque versaretur, adeò rudi & impolito stylo depinxerunt animantia, ut adscribere ad ea pictores necesse esset: *Hoc est bos, illud equus, hoc arbor. Ælian. l. 10 c. 10. p. 268. Variar. histor.* Vide *Aurelium de Foiano in doctissimis observat. ad h. cap. pag 454.* ubi *Aristot. c. 10. Problem.* eruditè explicat. Testantur quoque alij Scriptores non ignobiles, cunctas ante Dædalum statuas conniventibus oculis, pedibus junctis, brachijs latera demissis, statu rigido & prorsus inconcinno factitatas fuisse. Vide *Francisc. Iunium l. 1. c. 3. p. 16. de Pictura Veter.* Verùm hæc obiter. Cœterùm non amplius risisse eos, qui rediissent ex antro Trophonij, multi alij cum *Erasmo* statuunt, qui quoque docent, partim ob profundas antri istius tenebras, partim ob spectra ibidem occurrentia, præter injectum terrorem, & expulsam ex animis illorum lætitiam omnem risum ijs fuisse ademtum. Et videtur illorum sententiam confirmare exemplum Parmenisci, qui Oraculi auxilium ad recuperandam ridendi facultatem imploravit; quòd ipsi necessum haud fuisset, nisi ipsi ut & alijs è specu isto lurido reversis tale quid contigisset Attamen disertè *Pausanias l. 9. p. 553.* narrat, quòd licèt regressus è specu Trophonij adhuc magno terrore attonitus & sui & omnium adsistentium fuerit oblitus; tamen paulò post resipuerit (id est, ad se, collectis viribus, redierit) *& pristina ei mens & risus*

sus restitutus sit. Quòd etiam principijs naturæ videtur convenientius. Quantumvis enim ob spectrorum in locis tenebricosis discursantium adspectum aliquis non modico terrore obstupescat, ita, ut pavor iste ferè emotæ mentis eundem reddat, atque ita animi hilaritas & risus uno velut impetu recedant; attamen illud diutius non durat, quàm timoris istius adhuc supersunt vestigia, & recens istius superest memoria. Quando verò animus ad se revertitur, & vires corporis resocillantur, tum quoque cuncta redeunt ad pristinum suum statum, & subinde etiam risus, cuius tamen facultas nondum fuit sublata, sed saltem quadantenus repressa, & obfuscata, ibidem restituitur.

XX. Ultimo videnda sunt exempla eorum, qui hoc Oraculum Trophonium consuluerunt. Et quidem à nonnullis refertur, quòd *Philippus Rex Macedoniæ* aliquando Trophoniū Oraculum consuluerit, à quo tamen hoc responsum acceperit: Φυλάττεσθαι δεῖν τὸ ἅρμα, id est, *cavendum sibi esse Harma.* Quæ vox significare potuit capulum in gladio *Pausaniæ* eburneum, cui currus insculptus erat; vel etiam Thebanam paludem, ubi occisus est. Historia paucis ita se habet: Pausanias primis pubertatis annis stuprum passus fuerat ab *Attalo*; cujus indignitati hæc etiam fœditas accessit. Nam illum perductum in convivium, solutumque mero *Attalus*, non suæ tantùm; verùm etiam convivarum libidini velut scortum vile subjecerat, ludibriumque omnium inter æquales reddiderat. Quàm rem ægrè ferens *Pausanias*, querelam *Philippo* sæpius detulit. Cùm verò varijs frustrationibus non sine risu auxilium differretur, is iram in ipsum Philippum vertit; ultionemque, quàm ad adversario non poterat, ab iniquo Iudice exegit. *Diodor. Siculus lib. 16. p. 480. 481. Iustinus l. 9. c. 6. n. 6. 7 8, pag. 153.* quandoquidem ipsum penes paludem *Harma* interemit: Vide & *Boissardum de Divinat. fol. 126.* Alij, quos inter est *Diodor. Siculus*, ut & *Valerius Maximus l. 1. c. 8. n. 9. p. 45.* putant, Oraculum ei de infelici exitu datum fuisse à Pythia Delphica. Sed *Ælianus l. 3. c. 45. Var. Histor. p. 172.* priorem sententiam refert, cujus verba ex interpretatione Latina ita se habent: Philippum in Bœotia ferunt *in æde Trophonii* responsum accepisse, ut caveret sibi à curru. Illum igitur metu Oraculi nunquam ascendere currum voluisse perhibent. Hinc jam *duplex fama evulgata est.* Nam alij dicunt: *Pausaniæ gladium, quò Philippum interemit, in capulo currum exebore sculptum habuisse.* Alij *verò, cùm circumiret Thebaicam paludem, cui Currus nomen erat, trucidatum esse.* Atque prior sermo vulgaris est, posterior

posterior verò non ita frequens. Priorem etiam secutus est *Valerius Maximus l.1.c.8.n.9. in Extern. p. 45.* Nam ait, *denunciatum periculi genus non effugit* Philippus; quia *Pausanias in Capulo gladii, quô eum occidit, quadrigam habuit cælatam.* In aliis tamen circumstantijs discrepat *Valerius ab Æliano.* Peregregiè consensum & dissensum scriptorum circa hanc historiam exhibuit dictus *Aurelius p. 188. Edit. Lugdun.* Sed Philippô relictô, videamus, quid Timarchus in speçu Trophonij observaverit: ordine autem rem integram, sed paucis, proponam è *Plutarchi* libro *de Deo Socratis fol. 590. 591. 592.* Et quidem *Timarchus* rite prius peractis omnibus, quæ à consulentibus peragenda erant, in Oraculum Trophonij descendit. Post ingressum in illud antrum ibidem duas noctes & unum diem exegit præter solitum, ita ut familiares & amici cœperint eum deplorare, de eo jam actum esse putantes. Sed præter illorum spem manè redijt salvus καὶ μάλα φαιδρὸς, id est, valdè lætus; quòd est indicium expulsi metus & tristitiæ, nec non recuperati risus, & mentis exporrectæ. Tum, ubi Deum comprecatus est & gratias eidem egit, multa mira sibi visa & audita narravit. (1) Cum descendisset in Oraculum, initio in magnas incidit tenebras, & votis factis diu jacuit, non satis sentiens, vigilaret ne an somniaret? Visum tamen sibi est caput strepitu unà accidente percussum fuisse, & futuris invicem discedentibus in animum exivisse. (2) Deinde animus aëri pellucido & puro permixtus fuit, & tum primum longo pòst tempore sibi respirare est visus, hactenus oppressus. (3) Audivit obscurè quendam strepitum supra caput agitatum, qui suavem emitteret vocem: Quid autem dictum fuerit, non additur. Dubio procul admonitus est ad observanda ea, quæ ipse visurus, aut auditurus esset. Et quod à vero non videtur abhorrere, ipse Genius Trophonij, vel aliud spectrum Dæmonis talem strepitum edidit, quo ipse ad attentionem excitatus fuit. (4) Postquam in tali conditione constitutus oculos sursum extulit, unde scilicet ipse descenderat, terram non vidit. Sed molli igni splendentes insulas alium ex alio colorem mutantes, unde lumen varijs istis mutationibus fuit tinctum. (5) Deorsum verò intuenti apparuit hiatus ingens teres, veluti exciso globo, terribilis valdè & plenus tenebrarum non quiescentium, sed subinde conturbatarum & exæstuantium. *Hinc exauditi sunt infiniti rugitus & gemitus animalium, vagitus infantium, mixti virorum & mulierum ejulatus, omnis generis soni & tumultus confusi è profundo sursum elati*, quibus haut mediocriter fuit perterritus.

(6) Post-

(6.) Postmodum quidam à Timarcho conspectus est, qui dixit ei: *O Timarche, quid cupis cognoscere? Qui*, inquit: *Omnia, quid enim non est admirabile?* Quo dictô, alter iste disserere perrexit: *Ad nos quidem*, ait, *superiorum istorum pars exigua pertinet, sunt enim aliorum Deorum: Proserpinæ autem portionem, quam nos administramus, unam de quatuor, ubi Styx eas discernit, licèt tibi, si vis, contemplari.* Ibi varia de fluvio Styge & Luna, nec non & alijs de Stellis quidem audivit; verumtamen hâc additâ promissione: *quòd hæc tertio post mense plenè cogniturus esset.* (7) Iterum gravi dolore capitis correptus fuit, ita, ut nihil eorum, quæ circa ipsum erant, sentire, aut intelligere potuerit. Vidit tandem. (8) se in antro Trophonis apud introitum, ubi nimirum ab initio procubuerat, jacere. Quam narrationem *Plutarchus p. 592. Tom. 2. Oper.* dixit *Fabulam.* Hæc relatio extollitur à scriptoribus quibusdam, ac si Timarchus ea omnia, quæ in Trophonij antro à se visa & audita essent, exactè indicasset, adeoque exinde plena istius Oraculi descriptio haberi posset: sed, ut quod verum est, dicam; Timarchus nihil dixit, quod ad descriptionem hujus Oraculi pertinere possit, quandoquidem si fides Plutarchi dictis habenda est. 1. Ad Oraculum ipsum Timarchus non pervenit: nec 2. ipse illud certa de re interrogavit, multò minus 3. certum ab eo responsum impetravisse dicitur. Neque 4. ullum ex istis, quæ ab alijs Scriptoribus enarrantur, circa Timarchi descensum contigisse ibidem memoratur. Verò igitur similius est, Timarchum ad ipsum Oraculum Trophonij non pervenisse; sed vel finxisse talia, quæ Plutarchus refert, vel etiam ipsius animo extra corpus, ut ita loquar, abrepto talia fuisse ostensa. Ad quod credendum me impellit. (1) ipsius Plutarchi testimonium, quô Timarchi relatio dicitur *Fabula*, id est, ejusmodis sermo, cui fides non habenda sit. (2) quod nihil tale illis, qui in antrum Trophonij descenderunt, obtigisse legatur. Omnia enim, quæ hactenus adducta sunt, non mediocri diligentia collecta sunt de Oraculi Trophonij veritate pariter ut & autoritate; Nemo tamen eorum, qui illud consuluerunt, simile quippiam retulit. Proinde (3) dicendum est: talia vel ficta, vel si illud historiæ fidei non adeò convenire existimamus, extra consvetum ordinem Timarcho in ectasi manifestata fuisse. Certè si (4) Timarchi narrationem amplecti velimus, duo exinde sunt arripienda. (1) Quod locus superior, quem adspexerit, ipsi lætus atque amœnus apparuerit, utpote insulis istis exhibitis, seu in phantasmate repræsentatis aliquid sublimius & beatius

humana felicitate promittentibus vitæ melioris apparatum. (2) Locus autem inferior quadantenus similitudinem inferni, quem Christiani damnatorum perpetuum sed variorum subinde cruciatuum carcerem describunt, nunquam desituram miseriam exhibeat, vel saltem præfiguret. Quidnam autem Oraculo proposuerit, vel quod ab eo responsum acceperit *Timarchus*, Plutarchus non dixit. A Timarcho tamen Oraculum fuisse consultum, & ab eodem impetratum responsum, alij non dubitant. Lucianus magnus iste Deorum irrisor, Oraculum Trophonium, & istius antrum ludibrio habuit; Is enim introducit Menippum, qui jocatur, se per Trophonij antrum ab inferis rediisse ad lucem. Locus habetur in *Tom. 2. Dial. Necyomant. p. 124. & 125.* Ubi alter ad Menippum ait: *Confide ô Menippe, brevem quippe facilemq; tibi monstrabo semitam.* Et me protinus abducens in regionem quandam magis priore tenebricosam, manu procul ostendens subobscurum, tenueque ac velut per rimam influens lumen: *Illud*, inquit, *Trophonii templum est, atque illac ad inferos è Bœotia descenditur. Hac ascendes, atque illico eris in Græcia. Ego igitur* scilicet Menippus *hoc sermone gavisus, salutato mago, difficile admodum per angustas antri fauces subrepens, nescio, quo pacto in Lebadiam perveni.* Hæc *Lucianus*. Sed videamus, quid *Apollonius Thyanæus* in specu Trophonio peregerit. Is, ut paucis hoc moneam, fuit Philosophus, & Pythagoreæ disciplinæ sectator, cujus divinitatis famam dignitatemque ipse adauxit. *Eunapius p. 11. de Vitis Sophistar.* ubi reprehendit *Philostratum Lemnium*, quod suis libris de *Apollonio* scriptis titulum fecerit de *Vita Apollonii*, cum debuisset verius scribere: ἐπιδημίαν ἐς ἀνθρώπους θεοῦ, id est, *Accessum Dei ad homines.* Quippe virum istum magni æstimarunt, ob variam & reconditam scientiam, quàm habuisse perhibetur: nec non ob varia opera, quæ perfecit non sine mortalium admiratione. Intellexit variarum gentium linguas, quas tamen nunquam didicit: quin & cogitationes hominum ipsum intellexisse refert *Philostratus l. 1. fol. 25.* Nam cum *Damis* se comitem itineris præberet *Apollonio*, & eum ita alloqueretur: Quanquam alijs rebus sum fortasse rudior, in hoc certè plurimum valeo, quòd iter Babyloniam ducens optimè novi: quin etiam civitates, virosque omnes, in quibus commoda multa sunt, perfectè scio, non multo antea illinc reversus. Linguas præterea barbarorum, quæ multiplices variæque sunt, utpote Armeniorum, Medorum, Persarum, Cadusiorum omnes intelligere, & egregiè proferre possum. Cui Apollonius

lonius respondit : Ego quoque, ô amice, has omnes novi, cùm nullam tamen didicerim. Illô autem vehementius admirante, noli, inquit Apollonius, mirari, si omnes hominum linguas intelligere sum professus: nam & quæ taciti intra se homines cogitant etiam percipio. Quæ ubi audivit Damis Assyrius, quasi *Dæmonem intuitus Apollonium venerabatur: qui ex illo tempore sese in disciplinam ei tradidit, omniaq; ejus dicta memoriæ mandavit.* Præterea dicitur intellexisse animalium voces, & avium cantus. *Porphyrius l. 3 p. 103. de Abstinent.* Fama de eo est, quòd puellam Romæ defunctam à mortuis excitaverit, quod *Eusebius* contra *Hieroclem*, qui volebat è Philostrati scriptis Apollonium comparare cum Servatore nostro Jesu Christo *fol. 460. in Oper. Philostrati*, vehementer negat. Porro quæ alibi locorum fiebant, ipse cognoscebat, non aliter ac si ipso præsente talia essent facta, vel fierent. Ita cum Domitianus Imperator Romæ occideretur, statim vel eadem hora *Ephesi*, ubi tum temporis degebat, hoc *Apollonius* dixit. *Philostratus l. 8. c. 10. fol 415. de Vita Apollon.* Inde factum est, ut pro Deo coleretur; & quantumvis ipse esset divinus, homo tamen mortalis & corpore indutus videbatur. *Eunapius in Vita Chrysanthii pag. 146.* Hic *Apollonius*, quem ego vetitæ & illicitæ Magiæ addictum fuisse credo, necessarium sibi esse existimavit, ut in Lebadiam descenderet, quòd Trophonium nondum esset affatus, licèt aliquando illius templum intrasset. *Philost. l. 4. c. 8. fol. 180. de Vita Apollon.* Narrat autem idem, quod alij de descensu angusto in specum; illud tamen addit, *quòd non aliter, quàm sedendo quis ingredi possit.* Præterea & illud refert; *demitti eo*, qui intrare volunt, *albis vestibus indutos & mellitas placentas manibus portantes, quibus reptilia demulceant, quæ intrantibus obviam serpunt.* Cum verò Apollonius templum ingressus esset, dixit: *Se velle ad Oraculi interiora penetrare Philosophiæ causa.* Cujus propositum Sacerdotes impediverunt, *prohibendo eum ab ingressu in secretius penetrale*, & populo palàm indicarunt: se nunquam concessuros, *ut homo incantator suo accessu Oraculum polluat*: interim Apollonio, quò minus ipsius voluntati se accommodare possent, invalidas quasdam attulerunt excusationes. Quibus auditis ipse quidem eo die ab ingressu se continuit, & prope fontem *Hercynna* considens de causa modoque orandi disputavit; Noctis autem principio ad speluncæ fauces venit plurimis adolescentibus comitatus, *ubi quatuor obeliscos speluncæ aditum claudentes revulsit, & cum lucerna sub terram penetravit quasi ad colloquium comparatus.* Qui ingressus Deo valde gratus

 fuit,

fuit, adeò, ut Sacerdotibus postea in somnis apparuerit, & illos in admirationem viri converterit. Quibus subinde præcepit, ut Apollonium prosequerentur in Aulidem; cùm ibidem ipse miranda quædam signa esset ostensurus. Permisit quoque ut septem integros dies persisteret, quòd nulli eorum, qui ad Oraculum intrassent, hactenus concessum fuerat. Habuit autem *Apollonius* libellum, in quo ea, quæ ab Oraculo interrogaverat, & ipsi responsa erant, perscripsit. Cum ingrederetur penetrale Oraculi, perhibetur talem interrogationem proposuisse: *Quamnam, ô Trophoni, veram virtutem & purissimam philosophiam esse putas?* Procul dubio voluit adhuc certior reddi de veritate & autoritate Philosophiæ Pythagoricæ, utpote, quòd opiniones Pythagoræ istius Oraculi consensu jam tum essent probatæ. Libellus iste Antium, quæ est civitas Italiæ ad mare sita, delatus ibidemque suspensus est, ob quam causam quoque locus iste quàm maximè celebratur: quamvis post mortem Apollonij Hadrianus Imperator libellum istum consecutus sit, ut & aliquot ejus epistolas, quas in Regia, quàm Antij habebat, collocavit. Ita de Apollonij ingressu differit *Philostratus*: nihil tamen eorum, quæ ipsi evenerunt in specu Trophonij: nec quicquam de responso à Deo ibidem impetrato commemorat. Sed satis multa de hoc Oraculo dixi: Pergo itaque ad Oraculum Delium.

CAPUT VI.
DE
ORACULO DELIO.

I.

DElium Oraculum dictum est ab Insula præclarissima Delo, quæ nomen accepisse perhibetur ἀπὸ τοῦ δηλοῦν, quod est manifestare. Nam uti in fabulis est, cùm Jupiter Latonam imprægnasset, Juno Jovis conjux idipsum ob zelum conjugalem molestè tulit; quare eam ubique persecuta est, & terram iurare coëgit, ne Latonæ vellet locum pariendi præbere. Quæ quoque hinc inde diu lateque erravit, donec pervenerit in Ortygiam à Coturnicibus, quæ primum ibidem visæ fuerunt ita appellatam. Cùm itaque initio hæc insula sub undis delitesceret, tum, ubi Latona nullum pariendi locum invenire potuit, dicta insula

insula

insula jussu Jovis inter aquas eminuit, & Latonam recepit, ut ibidem parere posset, quæ quoque gemellos enixa est, Apollinem & Dianam, quibus homines statim fecere sacra. Ita se habet fabula passim ab antiquis decantata.

II. Licèt à quibusdam haberi videatur pro vera historia. *Strabo* tamē *lib. 10, fol. 485. Geograph.* pro fabula venditat productam narrationem, nam ait: Antiquitus jam inde à Saturni temporibus in magno fuit hæc Insula honore: *fabulæ enim perhibent, ibi Latonam partus doloribus solutam in lucem edidisse Apollinem & Dianam.* Eandem sententiam fovere videtur *Cornel. Tacitus l. 3. Annal. cap. 61. pag. 101.* Primi omnium Ephesij, inquit, adjere memorantes, *non ut vulgus crederet Dianam atque Apollinem Delo genitos: esse apud se Cenchrium amnem, Lucum Ortygiam, ubi Latonam partu gravidam, & olea qua tum etiam maneat adnisam, edidisse ea Numina, Deorumq; monitu sacratum nemus.* Verùm è *Plinio* apparebit, veram illam esse historiam, quando *l. 4. c. 12. fol. 64. Natural. histor.* ita scribit: *Ipsaque longè clarissima Cycladum media, templo Apollinis & mercatu celebrata Delos, quæ diu fluctuata (ut proditur) sola motum terræ non sensit ad M. Varronis ætatem, Mutianus prodidit bis concussam. Hanc Aristoteles ita appellatam prodidit, quoniam repente apparuit enata.* Ita Plinius. Nescio an non huc pertineat, quod narrat *Herodotus lib. 6. c. 98. fol. 365. & 366.* Cum Delij audirent Persarum felices progressus, tum relicta Delo fuga Tenum abeunt. Eò tendentes naves præcedens Datis non sinebat ad Delum habere stationem, sed trans Delum apud Rheneam. Ubi autem cognovit, ubi Delij essent, missô caduceatore eos his verbis allocutus est: *Viri sacri quid fuga abiistis? non pro merito de me malè opinantes? Ego enim & ipse mea sponte animatus sum, & à Rege jussus, quo in loco DUO DII GENITI SUNT*, ne quid aut eum locum, aut ejus incolas lædam. Voluit itaque ut redirent ad sua, & incolerent insulam. Quamprimum autem is ab istius loci finibus abijt, statim Delos tremuit, Deô mala ventura hominibus portendente. Prius enim insula istæc erat immobilis, sicuti ab Oraculo quondam prædictum erat:

> Κινήσω καὶ Δῆλον ἀκίνητόν περ ἐοῦσαν
> *Et movebo Delum, etiamsi existat immota.*

Dubio procul magnus iste terræ motus fuit. Nam Callimachi Interpretes ait; καὶ θουκυδίδης σεισμὸν γενόμενον μέγαν βουλόμενος ἐξηγήσασθαι

φησὶν, ὅτι τοσοῦτον ἦν μέγας, ὥστε τὴν Δῆλον νῆσον σεισθῆναι. *Thucydides narraturus magnum terræ motum ait, ita magnum fuisse, ut pati quoque potuisset Delos.* Tanquam verum itaque narratur ab *Herodoto* Latonam duos istos Deos in Delo peperisse: & ob istum partum Persas noluisse illam insulam violare. Idem *Cicero Orat: 1. contra Verrem c. 18. fol. 51.* refert his verbis: *Latonam ex longo errore & fuga gravidam, etiam ad pariendum vicinam temporibus exactis confugisse Delum, atque ibi Apollinem Dianamq́; peperisse, qua ex opinione hominum* illa Insula eorum Deorum sacra putatur: *tantaq́; eius autoritas religionis, & est, & semper fuit, ut ne Persæ quidem, cum bellum toti Græciæ Diis hominibusq́; indixissent, & mille numero navium classem ad Delum appulissent, quicquam conarentur aut violare, aut attingere.*

III. Cœterùm Insulam illam dictam fuisse Ortygiam & quidem ab Achivis certum est, ideo, quòd multi coturnicum greges in eam contenderent è mari, ibidemque subsisterent, ob accessus & tanquam portus commoditatem. *Athenæus lib. 9. c. 11. fol. 392. Deipnosophist.* Qui scriptor quoque producit versus alicujus cantilenæ, in quibus illud continetur, quòd in Delo Latona pepererit gemellos, Apollinem scilicet & Dianam. Verba leguntur *fol. 694.* Ἐν Δήλῳ ποτ' ἔτικτε τέκνα Λατώ, Φοῖβον χρυσοκόμαν ἄνακτα Ἀπόλλωνα, ἐλαφηβόλον τ' ἀγροτέραν Ἄρτεμιν, ἃ γυναικῶν μέγ' ἔχει κράτος: id est, *in Delo quondam liberos enixa Latona est Phœbum auricomum, Regem, Apollinem, & certis iaculis ferientem venatricem Dianam feminarum omnium valentissimam.* Id tamen videtur veritati non adeò convenire, insulam istam diu sub aquis mersam subitò eminuisse: Sed mirum est, quod *Iustinus* narrat *l. 30. c. 4. n. 2. 3. p. 399.* Eodem anno, ait, inter Insulas *Theramenem & Therasiam* medio utriusque ripæ & maris spatio, terræ motus fuit. *In quo cum admiratione navigantium repente ex profundo cum calidis aquis insula emersit.*

IV. Sed alij de ea controversia certent; potius dicendum erit, quòd Delus fuerit. (1) *Latonæ sacra*, dubio propul ob memoriam istorum gemellorum, quos ibi peperisse dicitur Latona. Inde à *Virgilio l. 3. Georgic.* appellatur *Delos Latonia in versic. 6.*

Cui non dictus Hylas puer, & Latonia Delos.

Et apud eundem *Virgilium lib. 4. Æneid. v. 144.* Apollo dicitur invisere *Delum maternam*, id est, matri suæ consecratam. Ita & *Seneca in Agamemn.*

gamemn. In choro Act. 2. v. 365. p. 273. Tu *maternam* ſiſtere *Delon* Lucina jubes. Et volunt nonnulli, ac ſi *Diana* adulta occupaverit *Dicten* in Creta: Apollo Lyciam; Latonæ verò conceſſa fuerit Delos. Communis interim traditio eſt, inſulam illam ſacram eſſe factam Latonæ, ob memorabilem iſtam partum Apollinis & Dianæ. (2) *Celebris* propter inſigne emporium tum temporis toto ferè orbe celeberrimum: ubi id, quòd alijs non placebat, poterat facilè diſtrahi. Ut proinde proverbium inde extiterit: ἔμπορε κατάπλευσον, ἔξελε πάντα πέπραται: Mercator appelle navim, expone: omnia illico vendideris. *Strabo lib. 14. fol. 668. Geograph.* qui licèt ibi loquatur de mancipijs, quæ ibidem facilem repererint emtorem; attamen & alijs de rebus in commercio poſitis proverbium iſtud intelligendum eſſe certò mihi perſvadeo. *Eraſm. p. 59. in Adag.* Quandoquidē in Emporijs varij generis merces exponuntur, uti fuit Delos: quàm civitatē clariorem reddidit Oraculum, ad quod conſulendum è diſtinctis regionibus & provincijs confluxerunt, ut proinde uſus mercaturæ ibi valde floruerit. Cui augmentum dedit conventuum è tota Græcia iſta in urbe celebratorum ſolennitas. Ubi enim ejusmodi conventus habentur, ibi ſolent mercatores libenter commorari, & varias ibidem advehere merces, cùm ſoleant divites cumprimis res novas, quæ ad vendendum aſportantur, ſibi abſque ſumtuum parſimonia acquirere, partim ut novis ac pretioſis rebus inſtructi ſint, partim ut, poſtquam domum redierunt, conjugi aut liberis aliquid, quod rarum ſit ac pretioſum, donare queant. Quomodo autem tam illuſtris civitas interierit, è *Pauſania lib. 3. p. 193.* explicatum eſt ſupra *in libro. 1. cap. 22. pag. 220. & ſeqq.* (3.) *Commendata à bonis civium moribus & hoſpitalitate.* Incolæ enim iſti dicuntur fuiſſe civiles, & ſtudioſi in recipiendis peregrinis. Quam virtutem dubio procul didicerunt vel ab externis & hoſpitibus ad eos frequenter accedere ſolitis; vel etiam exinde, quod maturè ad colendum Numen, & exercendam pietatem educati ſint. Ubi enim multi peregrini adveniunt, ibidem variarum gentium mores addiſcuntur: cùm illi, qui non admittunt peregrinos, ſuis patrijs moribus ſaltem inhæreant, quomodo alibi locorum vivatur, prorſus ignorantes. Quamvis alij velint acceſſu exterorum ſæpe inſtituta patria & virtutes corrumpi, quippe quòd nonnulli homines rerum peregrinarum avidi ſæpe aliena facilè imitantes non ſe ipſos tantùm; ſed etiam integram civitatem depravare poſſint. Quod intellexit Lycurgus Lacedæmoniorum Legislator, qui abeſſe juſſit à ſua civitate peregrinos:

grinos:

grinos: civibusque suis studium peregrinandi interdixit. Delij verò & ipsi humani fuerunt, & se tales erga adventantes hospites præbuerunt, ijsque necessaria suppeditarunt: quo nomine quoque celebres olim fuerunt *Magnesii ad Meandrum flumen siti*, qui peregrinis adventantibus *tectum, oleum, acetum, salem, lucernam, mensas, lectum, & stragulas vestes* suppeditarunt. Delij quoque illis, qui Delphis Delum proficiscebantur, præbuerunt *acetum, salem, oleum ligna & stragula. Athenæus lib. 4. c. 22. fol. 173.* Nitidè quoque & opiparè vixerunt, variosque habuerunt coquos, quibus à certis ministerijs, quæ illi subibant, certa nomina indere consveverant. Vide *Isaac. Casaubon. ad d. cap. Athenæi fol. 306.* Verùm illud obiter. (4) *Sancta* ob religionem, & Oraculi claritudinem, quod à varijs fuit consultum, & de quo ordine nonnulla proferam.

V. Et quidem 1. Quod templum attinet, magna istius fuit religio, ob antiquam traditionem supra allatam, ac si ibidem Latona Apollinem & Dianam ediderit in lucem. Situm est fanum istud ad mare, & ferè quinque millia passuum distat à Tanagra oppido *iuxta Ptolomæum l. 3. c. 15* in Bœotia mediterranea. *Livius l. 35. cap. 51. fol. 433.* istius templi meminit his verbis: *Templum est Apollinis Delij imminens mari*, quinque *millia passuum à Tanagra abest.* Addit etiam, quod Ius asyli ibidem, ibique aliquis nec cæsus, nec sanguis ibidem effusus fuerit. 2. Simulacrum Apollinis in isto templo fuit erectum, & elegantissime pro moribus istorum temporum elaboratum; in dextra manu sculptum habuit arcum in memoriam interfecti Pythonis serpentis: in sinistra verò effigiatæ erant tres Gratiæ cùm instrumentis musicis. *Plutarchus in lib. de Musica fol. 1136.* istam statuam ita describit è relatione Anticlis, & Istri. *Simulacrum Apollinis in Delo*, inquit, *positum in dextra manu arcum, leva autem gratias habet, quarum quævis aliquod Musicum instrumentum tenet*: Lyram *una*; *alia* tibias: *media* fistulam *ori admotam. Neque meus hic est sermo; sed Anticles & Ister in Illustrationibus suis hæc retulerunt. Et simulacrum illud ita antiquum est, ut dicatur à Meropibus factum, qui Herculis ætate vixerunt.* 3. In isto Apollinis Delij templo fuit ara miro quodam artificio composita & quidem è dextris animalium cornibus, ita ut nullo glutine, nec alijs vinculis cohærerent, ac propterea inter septem mundi miracula quondam fuerit relata. *Plutarch in lib. de Solertia animal. fol. 983.* de ea ita scribit; Mihi sæpius videnti atque contrectanti (scilicet Nidum halcyonis) subijt dicere: Tale quid in Delo fano Apollinis me cernere memini, nempe *aram cera-*

tinam sive cornutam, quæ inter septem mundi miracula celebratur, neque glutine ullo neque aliis vinculis cohærens è solis dextris cornibus compacta est. Verùm idem *Plutarchus in Tom. 1. Oper. in Vita Thesei fol. 9.* refert aram istam ceratinam compositam fuisse è cornibus animalium sinistris. Theseus solvens è Creta, inquit, Delum appulit, ubi rem divinam fecit Apollini, dedicatoque Veneris signo, quod ab Ariadna acceperat, tripudium saltavit cum impuberibus, quod hac etiam memoria ferunt Delios servare. Quod genus saltationis (uti memoriæ prodidit Dicæarchus) à Delijs dicitur *Grus. Saltavit circum aram Ceratonem, quæ ex cornibus omnibus sinistris erat compacta.* Ovidius tamen Epist. 20. pag. 138. cornutam quidem describit aram; non tamen addit, an è dextris an verò è sinistris cornibus illa fuerit compacta, dum ita canit:

Miror & innumeris structam de cornibus aram,
Et de qua pariens arbore nixa Dea est.

Ita & apud Græcos Poëtas *Callimachus in Hymno Apollinis v. 62.* illam aram depinxit, sed de differentia cornuum nihil meminit.

—— ὁ δ' ἔπλεκε βωμὸν Ἀπόλλων
Δείματο μὲν κεράεσσιν ἐδέθλια, πῆξε δὲ βωμὸν
Ἐκ κεράων, κεραοὺς δὲ πέριξ ὑπεβάλλετο τοίχους....

Id est, *ipse verò compingebat aram Apollo, & quidem construxit cornibus fundamenta, compegit verò altare ex cornibus, cornua item circum parietes posuit.* Similiter *Martialis Epigr. 1. lib. de Spectaculis v. 4.* aram istam in genere saltem cornibus frequentem vocat:

Dissimulesq́; Deum cornibus ara frequens

Vide, quæ *Raderus* in doctissimis suis Commentationibus *fol. 23. & 24.* observavit. Equidem me non latet versiculum istum *Martialis* à quibusdam intelligi de Jove Hammone, qui cornibus arietinis pingebatur; verumtamen nuspiam legitur: *Jovem Ammonium* habuisse aram ex animalium cornibus compactam: licèt ipsius imago capite arietino, vel etiam cornibus arietinis sculpta vel depicta fuerit. Satius igitur fuerit, locum istum explicari de ara Apollinis Delij, quæ ab ipso quadrimo è cornibus Cynthiadum caprearum à sorore seu Diana in venatione interfectarum fuerit extructa. *Schrevelius* ad ist. vers. *p. 3.* Confer etiam, quæ habet *Tiraquellus ad l. 6. c. 2. fol. 607. Alexand. ab Alexandro Genial. Dierum*, Pereruditè autem ostendit *Angelus Politianus Syllog. 1. Observ. & Emendation. p. 64. & 65.* quòd iste versus neutiquam

loquatur de templo *Ammonis in Lybia, Nam,* ait, *cùm hic magnificentissima orbis terrarum ædificia memorentur, quæque inter miracula referantur, ut ex eorum comparatione Amphitheatri præconium crescat, ridiculum profectò fuerit, de templo hic Hammonis audire pauperrimo scilicet.* De cujus templi paupertate vide quæ *supra c. 3. hujus libri p. 294.* dicta sunt. Hac occasione non possum, quin etiam recorder aræ in honorem *Apollinis Spodii* extructæ Thebis in Bœotia, à quibus Apollo ob victimarum multitudinem ita denominatur: ea siquidem ara erat è cineribus accensarum & concrematarum victimarum congesta. Ita ait *Pausan. lib. 9. p. 511.* Supra lapidem Sophronistera est Apollinis ara cognomento Spodij è victimarum cineribus congesta. *Andreas Tiraquellus ad l. 6. c. 2. fol. 607. Genial. Dier. Alex. ab Alexandro* dicit: spodos sive spodium esse cineris genus, quod è fornacibus ærarijs sursum evolet, atque exinde recidat in pavimentum. *Dioscorid. l. 5. c. 85. Plinius l. 34. c. 18. fol. 678.* Similiter & Jovis Olympij, & Junonis Olympiæ, ut & *Panos* ara è cinerum congestu extructa est. *Idem l. 5. p. 390. 292. 293.* Interim sponte nolui me detinere in conciliandis *Plutarchi* textibus contrarijs, dum alibi è dextris; alibi verò è sinistris animalium cornibus aram istam esse extructam dicit. Ridiculum sanè foret, ità, ut ne somnianti quidem incidere posset talis conciliatio, ac si pro ratione positus corporis cornua istæc dici potuerint vel dextra, vel sinistra: nullibi namque ne minimo quidem verbulo hoc attingit *Plutarchus.* Neque probari poterit. quòd Apollo exstructor istius aræ cornua dextra elegerit: Soror autem Diana sinistra substituerit, cùm ipsa capras in venatione occidisset, è quarum cornibus ara istæc est constructa. Neque multum tribuo isti conciliationi, quasi Thesei tempore ara Delij Apollinis è sinistris; illo tempore verò, de quo loquitur *Plutarchus in lib. de Solertia animal.* eam è dextris cornibus fuisse compactam: cùm nullibi tale quid me legisse lubens fatear. Nemo tamen, ut ego quidem arbitror, peccabit, qui dixerit, *Plutarchum in vità Thesei* errasse; vel plura cornua ex istis fuisse dextra. Nam & multi è vetustis scriptoribus, quando de ara Delia loquuntur, vel è dextris eam cornibus: vel simpliciter è cornibus, non addita determinatione *dextri vel sinistri,* eam extructam esse referunt. Sed missâ hac dissertatione. 4. Dicendum. est aliquid de modo colendi Deum Delium, & petendi ab eo Oraculum. *Callimachi Interpres* ad hymnum Apollinis quatuor ceremonias affert, quibus adhibitis, consuli Oraculum solebat: (1)

Pur-

Purgato corpore & decora veste amicti incedebant. Qui vertit Græcum textum, me in eo reddidit dubium, an per vocem γλευκὰς intelligere oporteat candidam, an vel ornatam & decoram vestem? De albi vestimenti usu in consulendo Oraculo Delio aliàs nihil observavi. (2) *Procidebant coram Apolline ad monstrandam humilitatem animi.* Nam, addit Interpres, *Dij non nisi devotis & humilibus concedunt beneficia, eosque dignantur responso: superbos irrident cum ludibrio & contemtu.* Qua in re iterum Dæmon imitatus est unicum illum & verum Deum, qui elatis animis resistit, & humilibus impertitur gratiam suam. (3) A simulachro Apollinis *digrediebantur ad aram*, & flexis genibus sedentes precabantur & vota faciebant. (4) Libabant vel primitias frugum, vel aliud quiddam, & ita, exposito animi desiderio, responsum suæ propositionis vel quæstionis requirebant. Dicit Interpres *Libabant*, quia in illa ara nullum animal mactabatur, quod monstrari solet exemplo *Æneæ*, qui quidem preces instituit in fano Apollinis Delij, eumque ex more veteri adoravit, non tamen sacrificavit. *Virgil. l. 3. Æneid. v. 84. & seqq.*

Templa Dei saxo venerabar structa vetusto
Da propriam Thymbrae domum, da mœnia fessis
Et genus & mansuram urbem. &c. *v. 89.*
Da pater augurium, atque animis illabere nostris.

1. Ait *Æneas* hoc emphatico verbo *Venerabar* non facta sacrificij mentione, quia Apollo Delius tantum supplicantium veneratione & precibus colebatur, non verò cæsis victimis. 2. Templum commendat à *saxo vetusto* quod *Paulus Velius* ita interpretatur, ac si per eas voces denotetur antiquitas istius templi, quod *Cerda* ad *istum loc. Virgil. fol. 284.* putat esse frigidum, adeoque præfert sententiam *Epaphi lib. 19.* qui Delphis, ait, aliquando accidisse, ut templum religiosum antea & intactum, spoliatum, incensumque fuerit. Additque multas circa Corinthum urbes, insulasque proximas motibus terræ haustas fuisse: Delon verò neque antea, neque postea hoc incommodo vexatam, sed semper EODEM MANERE SAXO. Provocat ad autoritatem *Thucydidis*, qui *lib. 2. fol. 104.* ait: *Præterea Delus paulò ante hæc tremuit, quæ nunquam ante post Græcorum memoriam mota fuerat.* 3. Preces dirigit ad Apollinem, ut det domum, ubi sit genus seu familia: det mœnia, intra quæ sit urbs: det domum quidem propriam, id est, *æternam*: ut & urbem *mansuram*. 4. Idem *Cerda* ad *dict. loc. n. 4. fol. 284.* rationem investigat, quare Æneas Apollinem Delium vocet

Thymbræum? cum tamen campus Thymbra, & eum profluens amnis Thymbræus sit prope antiqvum *Ilium*, seu *Trojam*, & ibi, ubi amnis iste in *Scamandrum* incidit, sit *Apollinis Thymbræi* templum, quinquaginta stadijs ab Ilio distans. *Strabo lib. 13. fol. 598.* Scilicet *Æneas* hoc fecit Trojanæ calamitatis ergo, & putavit fore, ut Deus ipse vehementer commoveretur, *quod in Thymbræo Apolline, qui erat prope Trojam, Trojanorum ruina repræsentaretur melius.* Et dum inter alia precatur: *Serva altera Trojæ Pergama,* rectè potuit *Thymbræum Apollinem* nominare, qui apud eadem Pergama colebatur prætermissô *Apolline Deliô*, etiamsi ad hunc dirigeretur oratio, quasi in *Thymbræo Apolline patrium Apollinem* nominet, eumque invocet. Huc usque Cerda. Quocum facit & alius, qui hoc ab Ænea factum esse dicit, ut is eò facilius moveret *Apollinem Delium*, quô Trojanorum suorum, à quibus tàm impensè coleretur, reliquias defenderet. Præter preces institutas nihil ulterius agit *Æneas*; sed saltem in hæc erumpit verba: *Da pater augurium,* id est, uti *Taubmannus* id explicat *p. 500.* redde Oraculum, vel da evidens signum, quô certi simus de itinere: *atque animis illabere nostris,* id est, ut tuam mentem rectè assequi possimus. Itaque Oraculum postulat perspicuum, ut nimirum illud queat intelligi; procul dubio fuit edoctus, sæpius ambigua & tortuosa Deorum responsa consultoribus Oraculorum imposuisse. Verum satis de hoc Virgilij loco. Redeo igitur ad id, unde deviavi, ritum istum de non cædenda victima in ara Apollinis Delij paulò plenius explicaturus. *Macrobius l. 2. c. 6. p. 349. Saturnal.* Postquam factum Æneæ hactenus explicatum adduxit, provocat ad *Cloatii* testimonium, quô ipse probat: *Esse Deli aram, apud quam hostia non cæditur, sed tantùm solenni prece Deum venerantur.* Verba *Cloatii* hæc sunt: *Deli ara est Apollinis γενήτορος, in qua nullum animal sacrificatur.* Unde exordium ibi fit à precibus, intermissô sacrificiô: Inde dicta est ara istæc βωμὸς εὐσεβῶν, id est, *ara piorum.* Ita ait *Porphyrius l. 2. de Abstinent. p. 78.* θεωρῆσαι δὲ ἔστιν ἐκ τοῦ περὶ Δῆλον ἔτι νῦν σωζομένου βωμοῦ· πρὸς ὃν οὐθενὸς προσαγομένου παρ' αὐτοῖς, οὐδὲ θυομένου ἐπ' αὐτοῦ ζώου, εὐσεβῶν κέκληται βωμός. *Hoc autem perspicere licet ex ara circa Delum usque ad hunc diem asservata: ad quam quia nullum ad eam adducitur, nec super ea mactatur animal,* piorum *vocatur* ara. Paria tradit *Cyrillus lib. 9. contra Julian.* dum ait: *Videre licet ex altari, quod adhuc apud Delon est, apud quod quia nullum*

lum animal offertur vel sacrificatur, piorum *vocatum est* altare. Pythagoras aram istam tanquam *inviolatam* adoravit, nullum autem ibidem exhibuit sacrificium. *Diogenes Laertius lib. 8. in Vita Pythag. p. 576.* hoc ostendit verbis sequentibus. *Denique aram Delirantum Apollinis Genitoris, quæ post Ceratinum est, adorare, quod frumenta & hordeum & placentas illi absque usu ignis imponere ex more soleant, cæterùm nulla iecinora, ut Aristoteles in Deliorum republica testatur.* Græca verba sic se habent: βωμὸν προσκυνῆσαι μόνον ἐν Δήλῳ τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ γενήτορος, ὅς ἐστιν ὄπισθεν τοῦ κερατίνου διὰ τοῦ πυρὸς καὶ κριθὰς, καὶ τὰ πόπανα μόνα τίθεσθαι ἐπ' αὐτοῦ ἄνευ πυρὸς ἱερεῖον δὲ μηδέν. Hunc locum commaculavit quidem Interpres; verùm in majore errore deprehenditur *Iulianus Aurelius*, qui in libro de Deorum cognominibus scripto, Autoris verba malè exposuit, nam illud ὄπισθεν τοῦ κερατίνου, vertit, quæ post *Ceramicum* erat, qui locus fuit *Athenis* celebris, cùm tamen *Laertius* loquatur de Delo & ara in fano Apollinis è cornibus composita. Vide *Hadrian. Iunium l. 1. Animadversionum. c. 21. p. 349.* in *Tomo quarto Thesauri Critici Gruteriani.* Neque dicendum est, quod in templo isto duæ fuerint aræ, *altera è cornibus facta, altera non*; cùm nemo ullum istis doctrinæ vestigium hactenus protulerit. ὄπισθεν igitur vertendum est: *Pone, retro, à tergo*, ut ita preces ad istam aram à Pythagora sint fusæ. In historiam hactenus explicatam consentit quoque *Cicero l. 3. c. 36 fol. 176. de Natura Deor.* Quanquam Pythagoras, ait, cum in geometria quiddam novi invenisset, Musis bovem immolasse dicitur; sed id quidem non credo, *quoniam ille ne Apollini quidem Delio hostiam immolare voluit, ne aram sanguine adspergeret.* Huc tendit *Cloatius* apud *Macrobium d. loco*, quando dicit: Pythagoram istam aram tanquam inviolatam adorasse. Quò pertinet quod *Iamblichus c. 5. p. 40. de vita Pythagoræ* refert: Circa hoc ipsum tempus ipse in summa admiratione fuisse perhibetur in Delo Insula, cùm eum, qui dicitur incruentus, accessisset, simulq; Apollinis Genitoris aram ejusque administros, qui ipsius sacris essent operati: unde ad omnia Oracula se contulit. *Et cap. 1. pag. 47.* clarius loquitur iste scriptor his verbis: εὐθὺς δὲ περίβλεπτος καὶ περισπούδαστος ἐγένετο, καθάπερ τὸ πρότερον. ὥστε εἰς Δῆλον κατέπλευσεν. ἐκεῖ τε γὰρ πρὸς μόνον τὸν βωμὸν γενέτορος Ἀπόλλωνος προσευξάμενος, ὃς μόνος ἀναίμακτός ἐστιν ἐθαυμάσθη παρὰ τοῖς ἐν τῇ νήσῳ. Id est, *continuò autem suspici cœpit illustris cunctisq; conspicuus, uti & prius*

erat, cum Delum navigavit, ibi enim ad solam aram Apollinis Genitoris, utpote quæ sola omnium incruenta est, vota precesq; fecit, & in summa apud homines insulares admiratione & æstimatione fuit. Quò pertinet, quod dictus *Iamblichus c. 24. p. 106.* de Pythagora refert, αὐτὸς ἔζησεν ἀπεχόμενος τῆς ἀπὸ τῶν ζώων τροφῆς, καὶ τοὺς ἀναιμάκτους βωμοὺς προσκυνῶν. Ipse ita vixit, ab animalium carnibus in victu abstinens, atque *aras incruentas* adorans. Hisce adjungi poterit locus *Clementis Alexandrini lib. 7.* qui ait: *Antiquissimam aram in Delo sanctam vulgo jactarunt. Ad hanc autem dicunt solam accessisse Pythagoram cæde & morte minimè inquinatam.* Illud itaque certum est & indubitatæ veritatis, quòd Deli ad Genitoris aram nemo cædat hostiam. *Censorinus c. 2. p. 10. de Die Natali.* Præterea Delij non tantùm ad aram nullam interfecerunt bestiam; verùm etiam edicto jusserunt, ne quis in tota illa insula occideret animal; sed istæc ab omni cæde esset immunis, atque ita haberetur *Sancta*: quod *Iulianus Aurelius* in d. lib. acriter defendit. Illud dubio caret: in Delo nec mortuos sepelire, vel eosdem cremare, aut mulieres ibi parere fas fuisse, imò ibidem nec canem alere licuisse. Sic *Strabo lib. 10. Geogr. fol. 486.* οὐκ ἔξεστιν ἐν αὐτῇ τῇ Δήλῳ θάπτειν, οὐδὲ καίειν νεκρόν, οὐκ ἔξεστι δὲ οὐδὲ κύνα ἐν Δήλῳ τρέφειν. *Mortuum in Delo sepelire, aut cremare fas non est; canem quoque in Delo esse non licet.* Idem refert & *Thucydides l. 4. p. 242*: locum infra adscribam integrum. Illustris hac de re locus est apud *Plutarch. in Apophthegm: Laconicis fol. 230.* ait: κατὰ τὸν νόμον τὸν παρὰ τοῖς Δηλίοις οὔτε αἱ γυναῖκες ἐν τῇ νήσῳ τίκτουσιν, οὔτε οἱ τελευτήσαντες θάπτονται: *Lege apud Delios receptum est, ut neque pariant in Insula mulieres, neque mortui sepeliantur.* Ad hunc ritum tendit *Pausanias l. 2. p. 126.* dum simile quid intra ambitum luci Æsculapio sacri observari tradit; verba eius sunt: *Æsculapsi lucum circumquaque montes incingunt: intra cujus ambitum mori quenquam aut nasci religio est: eodem scilicet ritu, qui & in Delo insula servatur.* Aliquando *Athenienses* lustrarunt Delum insulam, quod factum est per sublationem sepulchrorum & effossionem demortuorum, qui in insula ista decesserant. Inter quos supra dimidiam partem inventi sunt Cares, quod agnitum est partim ex genere armorum, quæ cum ipsis sepeliuntur, partim ex ipso sepeliendi modo; Etenim, uti *Franciscus Portus* ad *l. 1. Thucyd. p. 15.* notat: *Reliqui populi ora defunctorum versus orientem convertebant: Cares contrà occidentem versus.* Equidem Pisistratus Rex Atheni-

Atheniensis Delum quidem lustraverat; sed non totam, at tantum insulæ spatium, saltem, quantum à templo prospici poterat. *Herodot. l. 1. c. 64. fol. 25.* postea verò ab Atheniensibus ex Oraculo quodam tota fuit lustrata hoc modo: *Quæcunque in Delo defunctorum monumenta erant, omnia sustulerunt, & edixerunt, ne quis in posterum in illa Insula moreretur, neque mulier in ea pareret, sed morituri in Insulam Rheneam transportarentur. Rhenea autem tam parvo intervallo distat à Delo, ut Polycrates Samiorum Tyrannus, qui quondam ad aliquod tempus & classe polluit, & aliis insulis imperavit, Rheneam etiam captam Apollini Delio consecraverit ad Delum catena religatam.* De hac insula & *Strabo lib. 10. fol. 486.* agit, & dicit, ibi esse monumenta seu sepulchra Deliorum, verba ejus sunt: ῥήνεια δ' ἔρημον νησίδιόν ἐστιν ἐν τέτρασι τῆς Δήλου σταδίοις, ὅπου τὰ μνήματα τοῖς Δηλίοις ἐστίν, οὐ γὰρ ἔξεστιν ἐν αὐτῇ τῇ Δήλῳ θάπτειν οὐδὲ καίειν νεκρόν. id est, *Rheneia insula exigua & deserta est intra quartum à Delo stadium, ubi sunt monumenta Deliorum: nam mortuum in Delo sepelire vel cremare fas non est.* Cum itaque Delii & morituros, & parituras mulieres extra Delum in insulam Rheneiam mitterent, ut ibidem mortui sepelirentur, prægnantes verò ibidem parerent, inde interrogati sunt: πῶς ἂν ἡ Δῆλος πατρὶς ὑμῶν εἴη, ἐν ᾗ οὔτε γέγονέ τις ὑμῶν, οὔτ' ἔσται: hoc est: *Quomodo Delus patria vestra sit, in qua nemo vestrum natus est, neque erit,* scilicet post mortem? *Plutarch. in Laconic. Apophthegmat. fol. 230.* Revertor ad priora, ubi & hoc addendum: Quod post illam lustrationem Athenienses festa lustralia, ludosque Deliacos, qui quinto quoque anno celebrabantur, instituerunt, atque celebrarunt. Fuit autem & priscis temporibus in Delo frequens Ionum & accolarum in insulis circumjacentibus habitantium conventus, de quo aliquid supra *pag. 353. Nam cum uxoribus & liberis ad spectacula conveniebant, ut nunc* Iones, *ad ludos in Dianæ Ephesiæ honorem institutos. Illic autem gymnicum Musicumq; certamen fiebat. Et civitates eò saltatorum choros mittebant.* Quod autem hæc ita se habuerint, confirmatur testimonio *Homeri*, quo sanè probatur, vel priscis temporibus ingentem conventum & celebritatem in Delo fieri consuevisse. Postea verò Athenienses & eorum incolæ cœtus quidem saltatorum cum sacris eò mittebant. (quod etiam *Messenios* fecisse testatur *Pausanias l. 4. p. 106.*) sed certamina & cœtera pleraque exoleverunt, donec Athenienses certamen tunc instaurarunt, & equorum cursum addiderunt,

runt, quod ante non fuerat. Hæc *Thucydides*. Qui quoque *lib. 1. fol. 64.* refert, quòd Magistratus Atheniensis in Delo habuerit ærarium, & in ejus templo conventus instituerint; quæ omnia multum iuvârunt ad hoc, ut Delos tàm insigne & opulentum audierit Emporium. *Strabo lib. 10. fol. 486.* egregiè de istius autoritate & augmento divitiarum loquitur his verbis: *Delum sic celebrem auxit à Romanis eversa Corinthus, eò enim mercatores transiverunt invitante eos immunitate templi, & commoditate portus: opportunè enim sita est navigantibus ex Italia & Græcia in Asiam; & solennis conventus habuit quippiam mercatui affine*: frequentabantque eum cùm alij, tum maximè Romani: atque ita ibi cuncta facilè potuerunt distrahi. Adde & *Strabon. lib. 14. fol. 668.* Postquam verò *Corinthus est restaurata, Athenienses insula potiti sacra & negotiationes diligenter procuraverunt, supervenientes autem Mithridatis Duces, & Tyrannus eam ad defectionem pertrahens, omnia devastarunt; rursumque Romani insulam occupaverunt desertam, cùm Rex se recepisset domum: exinde in hunc usque diem inops permansit.* Eandem historiam ferè persequitur *Diodor. Siculus lib. 12. fol. 121.* qui tamen *fol. 124.* addit, quod Athenienses *Oraculi cujusdam jussu Deliis insulam restituerunt.* Adde *Vbbon. Emmium. Tom. 2. p. 215. & 229. Veter. Græciæ.* Aliàs insula istæc tantæ sanctitudinis est habita, ut ad eam quotannis Athenienses tacti religione varijs mercibus onustam navim mitterent, quo tempore quenquam vinciri aut religione affici religioni fuit, donec rediret navis. *Alexand. ab Alexandro l. 6. c. 2. fol. 607. Genial. dier.* Verùm nimis latè evagatus sum, ideo contraho vela, & nunc quidem 5. de *Oraculi Delii in responsis veritate* aliquid indicabo. Illud Oraculum cœteris licèt ambiguis & sæpe in sermone fallacibus, pro certissimo fuit habitum, ut *Delia Sortes* pro verissimo Oraculo habeantur. *Caspar Pencerus de Divination. Tit. de Oraculis. p. 237.* scribit: *Deliæ Sortes ob perspicuitatem & certitudinem in admirationem venerunt, quod sine ambiguo sensu, sineq; obscuritate quæsita declarare persuasum erat, cùm pleraque Oracula obscura & ambigua esse experientia evargueret.* Et *Callimachus*: Delius Apollo certus in responsis: Interpres ita reddidit: *Oraculum Apollinis, quod Deli est, aperte & verè respondet.* Quoniam verba non fuerunt ambigua, obscura, nec incerta & fallacia; sed perspicua & vera. Hinc credunt Insulam denominatam esse Delum, à δηλῶν à manifestando, quod Apollinis Oracula, quæ ubique obscura sunt, illic manifesta dentur. *Andr. Tiraquell. ad l. 6. c. 2. fol. 606. Alex. ab Alexandro*

Genial. Dier. Adde, quæ supra dicta sunt *l. 1. c. 3. pag. 17.* Tandem 6. varia donaria Apollini Delio semper offerebantur à consulentibus, unde vivebant istius Sacerdotes, quos propterea *Crito Comicus* vocavit *Phœbi Delii parasitos.* Ubi tamen observandum: vocem *Parasiti* olim non fuisse malam, nec denotasse ejusmodi hominem, qui cuncta ad alterius voluntatem loquitur, & in ejus contubernio est, in omnibus illi assentatur, cunctaque illius dicta & facta laudat ventris causa: verùm ejus *appellationem fuisse sanctam & venerabilem, licèt nunc sit sordida & infamis*, uti multis illud persequitur *Athenæus. l. 6. c. 6. p. 234. Deipnosoph.* nam Græci quondam appellabant *parasitos*, quos Romani in superstitionum suarum ritibus *viros Epulones* dixerunt. Putat etiam *Casaubonus ad l. 6. c. 6. Athenæi fol: 410.* Titios sodales non multum ab ijs fuisse diversos. Quod autem in *Delo Parasiti* nomen fuerit honestum, illud colligo è dicto loco *Athenæi*, ubi tale quid legitur: In publicis tabulis legum, quæ latæ sunt *de Deliastis*, ita scriptum est: *Caduceatores duo sunto ex caduceatorum ferialium stirpe. Per annum in Delo illi* Parasiti *sunto*, quasi dicas *Coëpulones* sunto. Quando itaque *Crito Comicus* Sacerdotes Apollinis Delij vocat *Parasitos*, tum is nihil aliud indigitat, quàm illos esse amicos, & familiares Apollinis, qui unà epulentur, & vivant ex illis donarijs, quæ largiter offerebantur à consultatoribus Oraculi. Ita hoc explicat *Lælius Bisciola l. 11. c. 12. fol. 851. Horar. Subcisiv.* cujus explicationem quoque probat *Martinus Raderus* ad *lib. 9. Epigram. 29. Martialis fol. 628.* & quidem ad istud distichon:

Vos me laurigeri parasitum dicite Phoebi,
Roma sui famulum dum sciat esse Jovis.

Vide & *Cœlium Rhodiginum l. 12. c. 1. fol. 609. Antiquar. Lection.* Interim *Augustinus l. 6. c. 7. fol: 384. de Civit. Dei*, aliam habet interpretationem, & quidem de Jovis parasitis ita disserit: *Epulones etiam Deos parasitos Jovis ad ejus mensam qui constituerunt, quid aliud, quàm mimica sacra esse voluerunt. Nam Parasitos Jovis ad ejus convivium adhibitos, si mimus dixisset, risum utique quæsivisse videretur.* Legi quoque hoc occasione poterunt quæ *Ludovicus Vives* ad illa *Augustini* verba notavit *fol. 1634. Edit. Paris. de Anno. 1636.* Omnia quippe ad ulteriora nunc quidem transeunti adducere non licebit.

CAPUT VII.

DE ORACULO BRANCHIDARUM.

HOc Oraculum fuit Apollinis *Didymai*, sive, uti alij loquuntur *Dindymai*, à Didyma loco Mileti, ubi istud Oraculum erat, ita dicti. Appellatum autem est Oraculum *Branchidarum*; & ipse Apollo vocatus est *Branchides*, vel à *Brancho* adolescente Thessalo, quem & vivum dilexit, & post mortem in ejus honorem templum exstrui curavit: vel à *Brancho filio*, cui artem vaticinandi concesserat: vel denique à *Branchidis* populis, apud quos sacra consulentibus dabat responsa. Sed cuncta exequar ordine.

I. Branchus, ut aliquid demus fabulis, fuit filius Apollinis, quem ipse suscepit ex *Iance Succronis filia* eo tempore, quo ipse Admeti Regis armenta pasceret in Thessalia. Adultus desiderio cognoscendi & videndi patrem ductus matrem sæpius rogavit, ut sibi genitorem suum manifestaret, eumq; subinde ostenderet. *Strabo* narrat *l.9. fol. 421. Geograph.* Branchum hunc natum esse de stirpe *Macharei Delphi*, qui Neoptolemum Achillis filium occidit. Sed pergam in fabula: Ubi Branchus patrem suum è matris consilio adijt, ejusque malas osculatus est, tum Apollo contemplans filium se ac matre dignum, nec non corporis animique dotibus exornatum esse, valdè gavisus fuit, & pueri istius capiti coronam imposuit, eique virgam donavit, quâ fultus vaticinari, & futura prædicere, ut & pôscentibus reddere Oracula cœpit. Postea, cùm in honorem Apollinis Didymæi ad Possideum Joniæ promontorium prope Miletum satis egregium & ferè magnificentissimum extrueretur templum, tum Apollo filium hunc suum præfecit sacris publicis, & Oracula per eundem reddidit diu. Postquam verò multos per annos sacerdotis officium sustinuit in templo sui patris, extrema senectute decessit, & post mortem inter Divos relatus est, uti mox dicetur.

II. Hinc Apollo permisit, ut filius iste suus diceretur *Deus Branchides*, utpote in collegium Deorum cooptatus, quanquam & ipse Apollo exinde cognomentum acceperit, qui tamen vocatur & *Didymeus* vel à loco Didyma, ut supra indicatum est vel quod geminam sui nominis.

nominis speciem præferat, illuminando & formando Lunam: quoniam ex uno fonte lucis gemino sidere spatia diei & noctis illustrat. *Macrobius lib. 1. c. 17. p. 242. Saturnal:* Similiter vocatus est *Milesius* & quidem ab urbe *Mileto* Ioniæ capite *Plinius l. 5. c. 29. fol. 84.* ubi fuit hoc Oraculum. *Apuleius lib. 4. Metamorph. p 77. Dei Milesii vetustissimum percontatur Oraculum,* quem postea Apollinem esse dicit.

III. Ut antea indicavi, Branchus in numerum Deorum est relatus, & quidem, uti *Boissardus in lib. de divinat. fol. 137.* refert, *communi Milesiorum Decreto:* communibus ceremonijs, honoribus, & templo cultus est cum Apolline, unde ipse *Deus Branchides* appellatus est, templum *Branchiadum:* & Sacerdotes *Branchidæ:* ut memoria *Branchi* tàm magnificis nominibus nobilitaretur: Quinimò & ipsi populi dicti sunt *Branchidæ,* apud quos hoc Oraculum reddebatur. Illud præterire silentio non possum, quòd *communi Milesiorum Decreto* Branchus ordini Deorum adscriptus sit, ac si hominibus competat potestas sui similes, id est, ad vitiositatem pronos, & interitui obnoxios ultra humanam sortem evehendi, & in numerum Deorum referendi. Ut proinde stolida licèt consentiens fuerit observatio, præsertim apud Lacedæmonas, ut præclaros & eximios viros, qui periculis se subjiciendo patriam defendissent, vel etiam bene meritis eam auxissent, in cœlum extollerent, & Deorum sedibus adscriberent, illisque divinos honores decernerent, templaque in illorum honorem conderent, flamines seu sacerdotes illis ordinarent, pulvinar, aras & sedes immortalitatis ijs exhiberent. Quantumvis Græci ad eam quoque dementiam redacti fuerint, ut etiam ob beneficia viventes cœlo consecrare, &, quam ipsi non habuerunt, immortalitate donare consueverint. *Alexand. ab Alexandro l. 6. c. 4. fol. 621. Genial. Dier.* De illustribus personis è decreto populi in Deorum ordinem receptis res est clara; Ita enim *Ælianus l. 5. c. 12. Variar. histor. p. 177.* ait: ἐκκλησίας οὔσης Ἀθηναίοις παρελθὼν ὁ Δημάδης, ἔψηφίσατο θεὸν τὸν Ἀλέξανδρον τρισκαιδέκατον, hoc est, *Convocata Atheniensium concione Demades surgens* Decreto jussit, *ut Alexander scriberetur Deus decimus tertius.* Quamvis tamen populus istud Decretum non probaverit, sed illud impietatis accusaverit, & Demadi mulctam centum talentorum irrogaverit, quod Alexandrum mortalem & hominem adscripsisset *Olympicis,* id est, *Divis & cœlestibus.* Nihilominus tamen ejusmodi stultitia non Græcos tantùm; verum etiam Romanos inescavit, ut mortales homines licèt meritis ra-

rioribus celebres Deorum cœtui adjungerent. Sic *Lampsaco* contigit ut cum prius ei heroici tributi essent honores, postea decretum sit, *ut ei velut Numini sacrificaretur. Plutarchus de Virtut. Mulier. fol. 255.* Inde mos antiquissimis temporibus ferè extitit generalis, ut illis, qui de salute publica & vita communi bene essent meriti, summi iique divini honores decernerentur. Factum itaque est vel ex adulatione, vel è quadam superstitione, ut homines aliquem optimè de republica meritum in Deorum cœtum referrent, eique divinitatem, quam nec ipsi habebant, nec eam alteri concedere poterant, satis stolidè tribuerent, eumque divinis honoribus indebitè colerent: Vide Lactantium *l. 1. c. 15. p. 79. & 80.* quod vocarunt ἀποθέωσιν vel θεοποιΐαν, id est, *Deificationem*: quandoquidem eum, qui Deus non erat, sed homo, fanaticis ausibus facere voluerunt Deum, seu ei conferre divinitatem. Huc tendit *M. Manilius l. 4. Astronom.*

Iam facit ipse Deos, mittitq; ad sidera Numen
Majus & Augusto crescit sub Principe cœlum.

Romani in eo fuerunt solliciti, ut partim suos Imperatores & Principes: partim quoque alios, quos singulari amore complectebantur, in Deorum numerum referrent. Egregium locum habet *Plinius in Panegyr. c. 11. n. 1. 2. p. 22.* dum ita ait: *Dicavit cœlo Tiberius Augustum, sed ut Majestatis Numen induceret. Claudium Nero: sed ut irrideret: Vespasianum Titus, Domitianus Titum, sed ille, ut Dei filius, hic ut frater videretur. Tu sideribus intulisti, non ad metum civium, non in contumeliam Numinum, non in honorem suum, sed quia Deum credis. Minus est hoc, cùm fit ab his, qui & sese Deos putant. Sed licèt illum aris, pulvinaribus, flamine colas, non alio magis tamen Deum & facis, & probas, quàm quod ipse talis es.* Illud observatu dignum est, quòd olim *Deificatos* flamine, sacerdote, & templorum extructionibus colerent. Ita *Augusti* ad Deos transgressi sacerdos fuit *Livia. Velleius Paterculus l. 2. c. 75. n. 3.* & quidem, uti *Bœclerus* notat ad illud caput. *p. 247. ex decreto Senatus.* De ea ita scribit *Dio Cassius lib. 56. p. 600.* Tum verò immortalitatem ei (scilicet *Augusto*) tribuerunt, flaminesque & *Sacerdotem Liviam* constituerunt. Sed de Flaminibus eorum, qui Deorum ordini adscripti erant, consule *Onuphrium Panvinium l. 2. de Republ. Romana. fol. 171. 172. Et Kirchmann. l. 4. c. 14. p. 651. 652. de Funer. Roman.* Deinde in eorum honorem erigebantur templa ad contestandam divinitatem, quam post mortem essent indepti. Ita *Iulio Cæsari* post mortem templum.

plum est dedicatum, nec mirum, cùm teste *Suetonio in vita Cæsaris c. 76. p. 33.* adhuc vivus templa, aras, simulacra juxta Deos, pulvinar & Flaminem habuerit. Augusto quoque templum & sacrarium decretum & extructum est, de quo scribit *Dio Cassius lib. 56. p. 600.* Postquam Livia Numerio cuidam Attico Senatori & Prætori decies sestertium dederat dono, quòd jurasset, vidisse se Augustum in cœlum ascendentem, quemadmodum antiquitus Romulum Proculus vidisse perhibetur; tum *decretum est Romæ Augusto Sacrarium à Senatu, à Livia autem & Tiberio factum; alibi quoque multis in locis ei fana extructa sunt à populis partim volentibus, partim invitis. Nolaque domus, in qua decesserat, in templum mutata. Dum ejus templum Romæ ædificabatur, auream ipsius imaginem in æde Martis lecto impositam collocaverunt, omniq; eam cultu, quâ in posterum essent usuri, venerati sunt.* Similiter & *Cornelius Tacitus l. 1. c. 11. Annal. p. 7.* affirmat: Templum Augusto fuisse decretum. *Sepultura,* inquit, *more perfecta templum & cælestes religiones decernuntur.* Notat *Bulengerus l. 1. c. 10. fol. 18. de Imper. Romano.* Moris fuit, ut funere ducto unus aliquis produceretur, qui juratus diceret: se ex rogo Cæsarem in cœlum ascendentem vidisse. *Iustinus. Apol. 2.* τοὺς ἀποθνήσκοντας παρ' ὑμῖν αὐτοκράτορας ἀεὶ ἀπαθανατίζεσθαι ἀξιοῦντες, καὶ ὀμνύντά τινα προάγετε ἑωρακέναι ἐκ τῆς πυρᾶς ἀνερχόμενον εἰς τὸν οὐρανὸν τὸν κατακαέντα καίσαρα. Id est, *Cum Imperatores mortuos dignos esse putetis, qui immortalitate à vobis donentur, producitis aliquem qui juret, se vidisse ex rogo Cæsarem crematum in cœlum euntem.* Plura qui de templis *Deificatorum* apud Romanos scire vult, consulere poterit *Iulium Cæsarem Bulenger. l. 1. c. 8. & 9. fol. 13 14. 15. de Imp. & Imperio Romano.* Illud non omittendum est, quòd imagines Deificatorum ad formam Deorum fuerint effigiatæ, illisque signa apposita, quæ Deorum statuis apponi solebant, uti radius, astra, fulmen: cujus ritus vestigia deprehendo apud *Lucan. lib. 7. p. 226.*

—— Cladis tamen hujus habemus
Bella pares superis facient, civilia Divos
Fulminibus manes, radiisq; ornabit & astris
Inq; Deûm templis jurabit Roma per umbras.

Præterea & mulieres consecratæ alicujus Deæ effigiem imitabantur, uti *Livia* habitu Iunonis: Drusillæ Deificatæ ponebatur statua Veneris in foro. Rem egregiè narrat *Dio Cassius lib. 59. fol. 648.* Decreta

Drusillæ omnia, quæ *Liviæ*, ac insuper, ut immortalis haberetur: ut aurea effigies ejus in curia poneretur: *ut in foro imago Veneris statura ejus æqualis collocaretur*: peculiare fanum ei ædificaretur, eamque statuis sacris non modò viri; sed & mulieres venerarentur. *Livius Geminius* Senator juravit, *vidisse se eam in cœlum ascendentem, ac cum Diis conversantem; & perniciem sibi suisq; liberis imprecatus est, si vanum id asseruisset. Et ob id donatus est decies sestertiûm.* Statuis Deificatorum solebant apponere aquilam, quam credi volebant defuncti animam alis suis in cœlos & ad Deorum consessum afferre. *Iohan. Meursius ad Artemidor. l. 2. cap. 10. Oneirocritic. p.* ἔθος γὰρ παλαιὸν ἀποθνήσκοντας τούτους πλάσσειν τε καὶ γράφειν, ἐπ' αὐτῶν ὀχουμένους, καὶ διὰ τῶν δημιουργημάτων τιμᾶν. *Mos vetus est hos mortuos tum fingere tum pingere iis (antea enim dixerat* ὀχεῖσθαι ἀετῷ *vehi aquila) insidentes, & per hujusmodi opificia colere.* Inde Herculis raptator Achilles à *Lycophrone* appellatur aquila. *Demsterus ad l. 3. c. 18. p. 480. Rosini Antiquit. Romanar.* Notatu dignum quoque & hoc est: illis, qui in Deorum numerum essent relati, nomina fuisse mutata tàm apud Græcos, quàm apud Romanos, uti prolixum eorum catalogum exhibet *Alexander ab Alexandro l. 6. c. 4. fol. 622. & 623. Genial. dier.* Ea propter illi, qui Heroum templa transituri erant, ne in Deos receptum alio nomine, quàm quod ei ex apotheosi impositum fuisset, compellantes offenderent taciti & silentes, indictoque sibi silentio precabantur. Eleganter hac de re scribit *Petr. Nannius l. 5. c. 3. p. 1194. miscellan. in Tom. 1. Thes. Critici Gruter. Nefas olim fuit, indigitati & inter Divos recepti nomen edere, quod illis à consecratione novum solet indi, neque fas erat mortali divinis nominibus uti, quod Iudæi servant in suo Tetragrammate, quod ab ipsis* ἀνεκφώνητον *dictum. Id enim in mysteriis latere debet. Quamobrem olim taciti heroum templa præterire solebant iram offensi herois metuentes nisi hoc facerent.* Drusilla, cujus antea memini, post consecrationem vocata est *Panthea*, & divinis honoribus per omnes urbes culta. *Dio Cassius l. 59. fol. 648.* Porro solebant quoque jurare per consecratorum Nomina & Numina. Ita per *Augustum* jurarunt ex instituto *Claudii*. De quo *Suetonius in vita Claudii. c. 11. p. 170.* ita scribit: *Iusjurandum neque sanctius sibi neque crebrius instituit, quàm per Augustum*: id est, uti *Casaubonus p. 452.* in Comm. ad d. c. illud declarat; per *Genium* aut *salutem Augusti*. Quin istum honorem Augusto adhuc vivo delatum fuisse, ut per ipsius nomen

men juraretur, colligo cum *Lælio Bisciola l. 12. c. 4. fol. 905. Hor. subcis.* ex *Horatii l. 2. Epist. 1. v. 15. fol. 715.*

Præsenti tibi maturos largimur honores
Iurandasq; tuum per nomen ponimus aras.

Decretum quoque est, ut mulieres quoties testimonium essent perhibituræ, jurarent per Drusillam consecratam. *Dio Cassius l. 59. fol. 648.* Consecrati quoque Divi nomen consequebantur: *Demsterus ad l. 3. c. 18. p. 480. Rosini* ait: Ab hac ἀποθεώσεως consuetudine emanavit, ut Divos Deosque Imperatores appellarent, Numenque ijs adscriberent. Non tamen id prius faciebant, quàm Senatus autoritas intercederet. *Ælius Spartianus* in *vita Hadriani p. 63.* sic loquitur: Acta ejus irrita fieri Senatus volebat: nec *appellatus est Divus, nisi Antonius rogasset.* Et de *Antonino Pio* refert *Iulius Capitolinus* in vita ejus p. 61. Cum jucunditate à Senatu *Divus* appellatus est, cunctis certatim admittentibus. Catalogum *Divorum* reperire licet apud *Onuphr. Panvinium lib. 2. fol. 176. 177. & seqq. de Republ. Rom:* Cœterùm & vivi adhuc Imperatores dicti sunt *Divi.* Limnæus id propterea factum esse vult *l. 2. c. 6. n. 13. Iur. Publ.* quod ipsi post mortem Dei nomen acciperent, & ad Deorum classem transferrentur: quanquam *Petr. Faber l. 3. c. 16. p. 238. Semest.* ideo istam appellationem ipsis esse tributam existimet, quòd potestatem habeant remittendi pœnam delinquentibus. Locum integrum adduxi in libro de *Iure Aggratiandi c. 6. p. 67.* Inde passim in Iure nostro Imperatores dicuntur *Divi,* uti *Divi Fratres, Divi Principes. l. 7. C. Quando prov. non est nec: l. 1. & 3. C. de Donat. l. 1. C. Si pign. pign. dat. l. 16. C. ad L. Iul. de Adult. l. 3. C. de his qui sibi adscrib. l. 1. C. de Debitor. Civit.* Inde *Lex Divalis l. 2. C. Theod. Ne sanct. bapt. iter: Divale Præceptum l. 6. C. Theod. de domest. & protect.* Et *Ammian. Marcellin. l. 28. p. 384.* dicit: *Divorum arbitria,* id est, uti *Lindenbrogius* ad illum locum explicat *p. 178.* Imperialia statuta. Vide *Barnab. Brisson. l. 3. formul. pag. 301. & Henricum Salmuth ad tit. 2. lib. 1. Pancirolli p. 11. de reb. deperd.* Vnum adhuc addam, quod in Deorum numerum recepti Saliari carmine cantarentur. De Germanico id affirmat *Tacitus l. 2. cap. 83. pag. 73. Annal.* Honores, ut quis amore in Germanicum aut ingenio validus reperti decretique, *ut nomen ejus Saliari carmine* caneretur. Ita *Marcus Antoninus Philosophus,* teste *Iulio Capitolino,* postquam filius suus *VERVS* erat mortuus, jussit, ut *Saliari carmini* nomen ejus insereretur: adde *Kirchmann. l. 4. cap. 14. pag. 659. de funer. Romanor.*

Saliare

Saliare carmen dicitur à *Saliis Sacerdotibus Martis*, qui Deorum & hominum laudes certis hymnis decantabant. Vide *Onuphrium Panvin. l. 2. de Republ Roman. fol. 194 Alex. ab Alexandro l. 1. c. 26. fol. 75. & 76. Genial. dier. & Rosin l. 3. c. 20. Antiq. Roman. p. 485.* Simile quid fuit apud Athenienses, si nomina Minervæ peplo intexerentur. Vnde viros præstantes dixerunt ἀξίους τοῦ πέπλου, peplo dignos. *Vossius l. 1. c. 12. p. 97. de Orig. & Progressu Idololat.* Quô ritu verò istæc ἀποθέωσις seu Consecratio fuerit peracta, referunt exactè *Herodianus l. 4. c. 2. p. 176. & seqq. VVolfgang. Lazius l. 3. fol. 366. de Republ. Romana. Iulius Cæsar Bulinger. l. 1. cap. 10. fol. 17. de Imper. Romano*: &, qui in omnium ferè manibus est *Johan. Kirchman. l. 4. c. 73. p. 638. de Funer. Roman.* ubi *Herodiani* locum integrum exhibet, ut ita opus non sit, eum denuo exscribere. Verùm ad *Branchum* ut revertar, is communi Milesiorum Decreto, & usitatis ceremoniis Deorum cœtui adjunctus; nec non honoribus divinis ac templo cultus est cum Apolline. *Boissard. de Divinat fol. 137.* E quibus constat, quòd (1) post mortem Branchus in ordinem Deorum fuerit assumtus pro more gentilium, qui homines post illorum hac è vita excessum faciebant Deos (2.) & quidem communi Milesiorum decreto. Nemo siquidem ex hominibus in consortium Deorum assumebatur, nisi quem commune integri populi suffragium ad istud fastigium extollebat. Qui enim ab aliquo populo debuit pro Deo haberi, necessum fuit, ut prius in Deum eligeretur. Fuit sanè apud quasdam gentes in usu, ut nemo reciperetur in ordinem Deorum, nisi prævia deliberatione publica (3.) Adhibitæ sint à Milesiis usitatæ ceremoniæ, quibus Branchus cooptatus fuerit in Senatum Deastrorum. Illæ siquidem publicæ solennitates fidem vel fucum faciebant vulgo nimis credulo, quasi per eas mortuus transiret in ordinem Divorum (4.) denique publicè cultus fuerit; quod fiebat potissimùm dupliciter (1.) divinos honores adorationis, invocationis, & publicarum precum ei conferendo (2.) Templum & aras eidem extruendo, ubi & precarentur, & in quibus sacrificia exhiberent. Quibus addi (3.) potest, Sacerdotes constituendo, qui divina juxta præscriptos ritus peragerent, & hominibus monstrarent, quibus ritibus Deus iste colendus esset.

IV. Sed videndum de ipso Branchi Oraculo. Postquam enim Branchus in numerum Deorum erat receptus, non tantùm divinis honoribus est cultus, & quidem cum Apolline paribus; verùm etiam Oraculum

culum circa urbẽ Miletum Apollini sacram extructum est, & quidem in memoriam Branchi, qui peritiâ vaticinandi, cũ adhuc viveret, præditus, magnam sibi ex ista arte pepererat gloriam. Aliàs dicitur Milesium Oraculum: item Oraculum Apollinis Didymæi, qui & hoc in loco Oracula dare credebatur. Nec non Oraculum Branchi, vel Branchidarum, in honorem & memoriam Branchi: Vnde etiam populi, apud quos hoc Oraculum reddebatur, juxta quosdam Branchidæ dicti sunt. Fuit autem hoc Oraculum non minus celebre atque alia, quæ magnam hominum multitudinem ad se trahebant indies: Etenim, uti infra apparebit Reges, Principes & alij populi istud consuluerunt; quod indicium est, illud suo tempore satis clarum fuisse.

V. Templum egregium mole & magnificentia admirandum extructum est in honorem Apollinis, in quo Oraculum erat constitutum. Quòd Xerxes destruxit, & incendio demolitus est, illudque expilavit asportatis exinde varijs donarijs, rebusque pretiosis, quæ ibi continebantur. Milesii tamen devastatum templum iterum condiderunt, illudq; è ruinis restaurârunt & sacram istam ædem splendore & magnitudine auxerunt. De quo audiendus est *Strabo l. 14. fol. 634.* qui ita loquitur: *Post Possidium seu Neptunium Milesiorum deinceps est Oraculum Didymei Apollinis in Branchidis, sursum versus circiter octodecim stadia. Incensum est à Xerxe: Branchidæ cùm fugienti Persæ thesauros Dei tradidissent, unà abierunt, ne pœnas sacrilegii & proditionis dare cogerentur. Post illud tempus Milesii templum omnium maximum construxerunt, quod ob magnitudinem mansit sine culmine. Nam ambitus delubri æquat pagi amplitudinem: estq; intus & extra locus pretiosus. Ornatum est templum donariis antiquarum gentium sumtuosissimè.* Hæc Strabo. De hoc excidio etiam narrat aliquid *Herodotus l. 6. c. 8. p. 340.* verbis sequentibus: *Hæc tum Milesiis contigerunt, cùm ex iis plerique viri à Persis, qui criniti erant, sunt cæsi, uxores ac liberi in prædam cesserunt, templumq;, quod erat apud Didymos, ut & delubrum unà cum Oraculo deflagrarunt.* Eô tempore quoque ænea Apollinis statua à Xerxe Milesiis est erepta, quam tamen Seleucus post aliquot annos illis restituit, teste *Pausania l. 8. pag. 484.*

VI. Oraculum illud respondebat verbis: consulentibus namque ad datam quæstionem verbis, quæ percipi poterant, responsum dabat. Illud *Strabo l. 17. fol. 814.* indicat, ubi inter Jovis Ammonij, & Milesiorum, quòd apud Branchidas est, Oraculum compara-

tionem instituit, refertque: Quòd responsa ab Oraculo Ammonio non *verbis*, uti apud *Delphos & Branchidas*; sed nutu & signis magna ex parte dentur. Sunt nonnulli, qui existimant: feminam divino Numine correptam vaticinia dare consulentibus. Inter illos, qui hoc referunt, est quoque *Petrus Crinitus qui L. 20. cap. 1. p. 478. de honesta disciplina* rem totam, sed paucis describit verbis sequentibus. *Vates fatidica*, inquit, *in Branchis, quæ in axe consedit, aut virgam manu gestat à Numine aliquo sibi concessam, aut pedes interdum limbumq́ undis proluit, vel ignis vaporem ex undis haurit, sicutiq́ his rationibus divino splendore completur, Deoq́ plena rerum pandit Oracula*: Quæ verba Crinitus desumsit è *Iamblicho*. Videmus autem 1. In Oraculo Branchidarum fuisse sacerdotem feminam vaticinandi dono præditam, quæ scil. consulentibus responsa redderet, planè uti apud Delphos quoque Pythia Oracula sciscitantibus pandebat. 2. *Consedit in axe*, sicuti Pythia in Tripode, quando Oraculum exponere volebat. 3. Virgam gestavit manu à Numine aliquo sibi concessam. Quam virgulam putant nonnulli fuisse divinatoriam Brancho datam ab Apolline, supra pag 394. quamvis ab alijs ea de re dubitetur: dicunt tamen quòd si eam ipsa manu teneret, Deus accederet; vel ad præsentiam Dei divino afflatu impleta vim divinandi consequeretur. 4. Vel lavat pedes, more antiquis valde usitatô, qui pedum sordes è pulvere contractas, vel aliàs ob consvetudinem abluebant, cùm sacra essent facturi, vel in templis opus pium uti preces & simile quid peracturi. Ego existimo illam ablutionem pedum fuisse unum ex ritibus, quos observavit Sacerdos antequam vim vaticinandi fuerit indepta: sicuti idem quoq; statuo de eo, quod statim de limbo in aquam intincto docetur. 5. additur, *vel ignis vaporem ex undis haurit*: quæ verba lucem capiunt è *Iamblichi libro de Mysteriis p. 67* quòd scilicet, quando Sacerdos istam ad aquam venit, spiritus quidam è fontis aqua evolet, & quidem sub specie ignis: nam, uti idem Jamblichus dicit *lib. cit. pag. 58.* qui Numen suscipit, ante susceptionem aspicit quandam ignis speciem. Itaque ex aqua, antequam vim divinandi consequeretur, spiritus sub specie ignis evolat. 6. Hisce ita perfectis, impleta fuit splendore divino Sacerdos, id est, divinam illam virtutem vaticinandi unaque cum ipso Deo nacta reapse vaticinata est. Hisce addit *Iamblichus d. lib. 20. pag. 67.* sequentia. *Ex his omnibus fit accommodata Deo, quem extrinsecus accipit. Quod autem ex nulla virtute corporea vel animali propria vel locorum instrumentorumve vaticinium fiat, sed ex præsentia Dei venientis extrinsecus,*

ejus, patet ex eo, quòd ipse Sacerdos, antequam det Oracula, multa rite peragat sacrificia, observet sanctimoniam, lavetur, triduum prorsus abstineat cibo, habitet in secessu, tamq; incipiat paulatim illuminari, mirificeq; gaudere. Per quæ patet provocari Deum extrinsecus, ut adveniat, & forinsecus advenire; & prius, quàm Sacerdos ad locum aquæ veniat, quodammodo inspirari, & in ipso loco, dum Spiritus quidam ex aqua evolat sentis, constat aliud quiddam præter hæc esse Deum separatum ab his omnibus. Itaque & hoc in loco quondam Deum occupasse Sacerdotem Branchi vel Apollinis ad reddendum Oracula veterum superstitio credidit.

VII. Quâ linguâ autem in templo Branchi Oracula sint reddita paucis addendum est. *Apuleius l. 4. Metamorphos. p. 77.* scribit: Latina linguâ ibi Apollinem respondere & quidem ob Milesiæ conditorem: agit autem ibi de venusta Psyche, cujus pulchitudinem mirati sunt omnes, ejus tamen nuptias expetiit nemo. Itaque ipsius pater Dei Milesii vetustissimum percontatur Oraculum, & tanto Numine precibus & victimis ingratæ virgini petit nuptias & maritum. Sed Apollo, quanquam Græcus & Jonicus propter Milesiæ conditorem ita *Latina Sorte* respondit:

Montis in excelsi scopulo desiste puellam
Ornatam mundo funerei thalami.
Nec species generum mortali stirpe creatum,
Sed sævum atque ferum vipereumq; malum.
Qui pennis volitans super æthera cuncta fatigat,
Flammaq; & ferro singula debilitat.
Quem tremit ipse Iovis, quo Numina terreficantur,
Flumina quem horrescunt & stygiæ tenebræ.

Verùm ex illo responso nondum firmiter poterit colligi, ac si Oraculum Branchidarum seu Dei Milesii semper Latinè consulentibus respondere consueverit; sed hoc saltem, quòd Apuleius narrat, ad ejus personam referendum est, utpote qui fabulam Milesiam scribebat. Ita sentit *Lilius Gyraldus Syntagm. 7. Histor. Deorum. fol. 318. 319.* Non refello Interpretes, ait: scilicet qui docent, Oraculum hoc verbis Latinis reddidisse quærentibus, sed ego ita expono: *propter Milesiæ conditorem, non dictum de urbe intelligo, nam cur ideo Latinè respondisset? sed ad fabulam Milesiam refero, quam scribebat Apuleius, ut ille statim à principio Operis proposuit: & ad Apulei personam refero, qui latinè Milesiam fabulam scribebat.* Hæc Giraldus. Non negat quidem *Giraldus*, quin Latinè re-

sponderit *Milesij Oraculi* Sacerdos, sed illud ex Apulei loco adducto validè colligi & adstrui posse saltem non concedit. Interim idem hoc Oraculum ad quæstionem, quisnam Christus esset, respondit Græcè, quod legi poterit apud *Lactantium l.4.c.13. p.189. Divinar. Instit.* Plura qui de nominibus aut varijs appellationibus hujus Oraculi legere volunt, evolvere poterunt *Commentar. Freinshemii ad l.7.c.5.n.28. Curtii.*

IIX. Sed videamus illos, qui Oraculum hoc consuluerunt. I. Communiter hoc *Æoles & Iones* fecerunt. *Herod. l.1.c.157. p.66.* illud tradit: *Erat*, inquit, apud Branchidas *Oraculum pervetustum, quo Æoles Ionesq; communiter uti consueverunt.* Communiter dicit, quia illi populi, quoties Deus esset consulendus, semper futuræ rei cognitionem ab hoc Oraculo petebant. II. Idem Historicus d. l. refert de Cumæis, quòd de *Pactya* extradendo, quem reposcebant Persæ, Oraculum Branchidarum consuluerint. Historia ita se habet. *Pactyas Lydus à Tabalo & Cyro* defecit. Hic quia Lydorum thesaurum sub sua custodia habebat, navibus conscensis auxiliarios conduxit, maritimisque omnibus persvasit, ut communem secum susciperent expeditionem. Quô factô, *Sardis* castra movit, & *Tabalum* in arce undique conclusum obsedit. Ea propter Cyrus valdè indignatus Crœso omnem rem exposuit: qui istius iram blandis verbis, & insigni consilio mitigavit. Cui paruit Cyrus, & *Mazarem hominem Medum* ad se accersivit, eique mandavit, ut, quæ ipse à Crœso audivisset, *Lydis imperaret.* Præter hæc & illud præcepit; ut omnes, quotquot cum Lydis castra posuissent Sardis, sub corona venderentur, Pactyas autem vivus ad se perduceretur. Pactyas ubi intellexit, exercitum non procul abesse, conterritus confugit Cumam. Mazares verò nuncios misit Cumam ad reposcendum Pactyam. Cumæi verò consilio statuerunt ad Deum apud Branchidas referendum, quid facto opus esset: quarum consultoribus respondit Oraculum: *Pactyam Persis esse permittendum.* Quod ubi cognoverunt, Oraculo acquiescendum, *Pactyamq; Persis* tradendum esse existimarunt. Sed *Aristodicus Heraclidis filius* inter Cumæos satis clarus constanter obstitit, quo minus Cumæi Oraculi responso parerent; sive quòd Oraculo parum fideret, sive quòd existimaret, ipsos Consultores Oraculum non rectè perferre, nec ejus mentem dextrè proponere. Unde factum est, ut iterum de Pactya interrogaturi alij mitterentur Sacerdotes Consultatores, inter quos ipse Aristodicus erat. Qui cum ad Branchidas venissent, tum Aristodicus consuluit Oraculum hisce verbis: *O Rex! venit ad nos supplex Pactyas Lydus mortem fugiens violentam;*

lentam; quem Persæ reposcentes jubent Cumæos homines dimittere. Nos Persarum potentiam formidantes tamen supplicem nondum reddere ausi sumus, donec indubitatè ex Te intelligeremus, quid facere deberemus. Sed Oraculum idem responsum dedit Aristodico, scilicet: *Pactyam Persis permittendum esse.* Hoc acceptô Oraculô Aristodicus templum circumivit & passeres aliasque aviculas, quæ fortè in templo istic nidulabantur, è nidis exemit. Quod cùm ille faceret, memorant vocem ex adyto auditam, quæ ad Aristodicum ferretur, & hujusmodi quiddam sonaret: *ἀνοσιώτατε τῶν ἀνθρώπων, τί τάδε τολμᾷς ποιέειν; τοὺς ἱκέτας μου ἐκ τοῦ νηοῦ κεραΐζεις; Ἀριστόδικον δὲ οὐκ ἀπορήσαντα πρὸς ταῦτα εἰπεῖν, ὦ Ἄναξ, αὐτὸς μὲν οὕτω τοῖσιν ἱκέτῃσι βοηθέεις, Κυμαίους δὲ κελεύεις τὸν ἱκέτην ἐκδιδόναι; τὸν δὲ ἀμείψασθαι τοῖσδε. Καὶ κελεύω, ἵνα γε ἀσεβήσαντες θᾶσσον ἀπόλησθε, ὡς μὴ τὸ λοιπὸν περὶ ἱκετέων ἐκδόσιος ἔλθοιτε ἐπὶ τὸ χρηστήριον. Hominum scelestissime, quænam libido Te incessit, ut anderes meos supplices diripere? Aristodicum nihil dubitasse ad hunc modum respondere: Tune Rex sic auxilium fers supplicibus: & Cumæos iubes Pactyam tradere Persis? Cui Deus respondit: Equidem*, inquiens, *iubeo ut impii malè pereatis, neque deinde Oraculum hoc de supplicibus vestris lacessatis.* At ne sic quidem Cumæi Pactyam interimendum Persis tradere voluerunt; sed illum deportarunt in Chium, cujus incolæ illum Persarum libidini tandem exhibuerunt. III. *Seleucus Syriæ Rex* Oraculum hoc Branchidarum interrogavit de suo in Macedoniam reditu, quam Syriæ à morte Alexandri occupatæ ac defensæ fortitudine sua conjungere cupiebat. Sed Oraculum ei reditum dissvasit hoc versu:

Μὴ σπεῦδ' Εὐρώπην· Ἀσίη τοι πολλὸν ἀμείνων.
Ne festina ad Europam: in Asia eris longe melior.

Et licèt hoc Oraculum habitum fuerit pro verissimo, quod absque circuitione & obscuritate, seu etiam ambiguitate responderet; tamen Seleuco de morte sua seu vitæ exitu percontanti locum planè incertum ambiguo responso indicavit:

Ἄργος ἀλευόμενος τὸ πεπρωμένον εἰς ἔτος ἥξεις·
Εἰ δ' Ἄργει πελάσειας τότε κεν παρὰ μοῖραν ὄλοιο.
Fatales perages omnes annos si fugeris Argos
Ante evum fatale cades, cùm veneris Argos.

Cum ergo monitu Oraculi caveret & fugeret Argos omne, Pelopon-

nesium, Amphilochicum, tertium situm in Orestia, unde Macedones Argeadæ nominati sunt, Ionicum à Diomede errante conditum. Tandem ab Hellesponto accedens ad urbem Lysimachiam, post devictum & cæsum Lysimachum, casu incidit in aram amplam magnitudine ornatuque splendidam & celebrem cultu, quam accolæ nominabant Argos. Ad aram illam sceleratè ex insidijs ab hospite Ptolomæo Cerauno interfectus complevit Oraculi prædicta. *Appianus Alexandrin. in lib. de Bell. Syriac. p. 123. 128. 129.* IV. Hoc Oraculum consuluerunt *Cares*, cum bellum essent suscepturi contra Persas. Etenim suis viribus solum non confidentes sciscitati sunt, quosnam sibi socios contra hostem eligere deberent? & num quid ne expediret, Milesios sibi associare, eorumque consilijs & auxilijs uti contra tam potentem hostem? Sed illis *Branchida Sacerdos* postquam Deus illam occupaverat, paucis respondit:

Πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι.

Olim Milesii erant strenui. Quo dicto illorum ineptitudinem ad bellum notavit: Nam licèt olim strenui & fortes viri fuerint; attamen ab illa mascula virtute, fortitudine nimirum, diu degenerarunt, ut proinde *Caribus* in proposito bello planè inutiles essent futuri. Verùm cum Cares nihilominus eos in fedus Societatis reciperent, eorumque opera contra Persas uterentur, factum est, ut Milesij ferè omnes in bello isto perirent. Quàm historiam ex parte describit *Herodot. l. 5. c. 119. 120. fol. 331.* V. *Licinius Imperator*, postquam à Constantino in bello superatus & in fugam actus erat, tum, qui antea religionem Christianam secutus erat, eamque defenderat, mutatâ sententiâ, complures ex Sacerdotum ordine, qui in ejus ditione vivebant: tum non paucos ex laicis: tum maximè quoque militiæ adscriptos graviter afflixit. Etenim existimabat impius Princeps, se magna molestia tum demum affecturum esse Constantinum, si Christianam religionem acerbè exagitaret, simulque sibi habuit persvasum: Ecclesias Christianas pro solo Constantino precari, & pro viribus eò anniti, ut ab illo solo regerentur. Cum verò iterum contra Constantinum suscepturus esset bellum, victimis & vaticinationibus usus est, *quò belli expectati administrationi melius prospiceret.* Et ita quorundam, qui eum victorem fore pollicebantur persvasionibus seductus ad fanaticam & impiam Gentilium religionem consilio satis perverso sese contulit. Inde etiam gentiles memorant, quòd is Oraculum Didymæum consuluerit, eique Deus iste ita responderit;

Ὦ γέρον, ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταί
Σή τε βίη λέλυται: χαλεπὸν δέ σε γῆρας ἱκάνει.
Te vetulum vexat juvenum manus impete forti
Et tua soluta est vis, quia difficilis senectus advenit.

Quod Oraculum eſt valdè dubium & incertum. Vide *Sozomen. l. 1. c. 7. Hiſtor. Eccleſ. fol. 412.* Equidem *Cuſpinianus in vitis Cæſarum fol. 89* meminit, hunc Licinium ſine augurijs & divinationibus nihil egiſſe, & diſſolutæ vitæ hominem fuiſſe, adeò ut vix urbem aliquam ſine adulterijs & virginum ſtupris reliquerit incontaminatam; attamen de conſulto Oraculo Didymæo nihil tradit. Interim victus à Conſtantino pedeſtribus & navalibus copijs amiſſis, ſe Nicomediam recepit, & poſtea Theſſalonicæ vitam privatam degit, ubi etiam è medio ſublatus eſt.

IX. De *Juliano Apoſtata* è *Suida* refert *Boiſſardus, Lib. de divinat. fol. 138. 139.* quòd & is Oraculum Didymæum conſuluerit eo tempore, quo bellum pararet adverſus Perſas: qui quoque reſponſum accepit ſatis ambiguum, quod non tantùm dictus Boiſſardus habet, verùm etiam *P. Martinius Morentinus* Navarrus in præfat. ad Juliani Imperat: Miſopogonem, ubi ſimul iſtius vita eſt expoſita. *pag. 18. & 19.* Præmiſſa illa eſt operi Juliani. Oraculum eſt aliquanto prolixius, & aliàs ambiguum, ideo non apponam. Illud tamen addere lubet. Julianum præfecturam Oraculi Didymæi accepiſſe: uti ipſe hoc fatetur. *Epiſt. 62. p. 237.* Ego, inquit, quoniam patriorum ſacrorum maximus ſum Pontifex, & *Oraculi Didymæi præfecturam modò ſortitus ſum*, edico tibi, ne quid eorum, quæ ad Sacerdotem pertinent, tribus totis menſibus attingas. Oraculum enim iſtud *Deorum inimicos* pronunciaverat, non eos, qui Sacerdotes pulſarent, aut contumelioſè tractarent; ſed qui debitis illos honoribus privarent.

X. Tanta fuit hujus Dei autoritas, ut quantumvis non licuerit Deos inſtituere hæredes, Apollo tamen Didymæus potuerit inſtitui. Quod colligo ex *Ulpiani* Fragment. *Tit. 23. §. 5 p. 114.* qui ita ait: *Deos heredes inſtituere non poſſumus, præter eos, quos SCto, conſtitutionibus Principum inſtituere conceſſum eſt. Sicuti Jovem Tarpeium,* Apollinem Didymæum, *ſicuti Martem in Gallia &c.* Unde etiam varia legata ipſi fuiſſe relicta nullatenus dubito, quæ in ſplendorem templi, & cultus ibidem uſitati ſolennitatem & ornamentam ceſſerunt: quin integra ipſis relinqui potuit hæreditas, quæ in honorem iſtius Dei vel ad extru-

ctionem

ctionem aut reparationem ædis ſacræ, exercitium cultus divini, vel etiam ſuſtentationem Sacerdotum, pauperum, aut aliorum hominum qui ad inſerviendum negotijs ſacris præſto ſunt, impenderetur. Hujus moris Deo relinquendi legata aut hæreditatem deprehendo veſtigia in *l. 1. §. 5. ff. ad L. Falcid.* ubi Paulus ait: *Ad municipum quoque legata, vel etiam ea, quæ Deo relinquuntur, l. ex Falcidia pertinet.* Quem textum etiamſi nonnulli *negativè* legant, ſcilicet: *Non etiam ea, quæ Deo relinquuntur:* affirmativam lectionem tamen defendit *Gvil. Forner. l. 2. c. 25. p. 242. 243. Select.* Hodiè ut obiter illud addam, quin Deo aliquid in teſtamento relinqui poſſit, non eſt dubium. Quicquid autem Deo relinquitur in teſtamento, illud ad cultum divinum, vel ad alios neceſſarios Eccleſiæ uſus, vel etiam ad ſuſtentationem pauperum impendi poteſt. Vide *Franciſc. Zypaum. lib. 3. de Conſult. Canonic. conſultat. 1 fol. 236. 237. & Mantzium Tit. 6. qu. 7. n. 2. f. 157. de Valido & inval. Teſtam.*

X. Urbem Branchidarum, teſte *Strabone lib. 11. fol. 517. 518.* devaſtavit *Alexander M.* Circa iſtæc loca autem ſcil *Siſimithræ Petram & Sogdianam* Alexander Branchidarum urbem excidit: Milites autem, quos ibi *Xerxes* collocaverat, ultro eum ſunt ſecuti, quòd pecuniam Dei in Didymis & donaria proditoriè indicaſſent. Quorum proditionem & ſacrilegia abominatus Alexander, urbem delevit. *Curtius l. 7. cap. 5. n. 28. & ſeqq.* prolixè narrat hujus urbis interitum è quo paucula ſaltem pro ratione inſtituti excerpere lubet. Pervenit ad parvum oppidulum, cujus incolæ erant Branchidæ. Nam illi juſſu Xerxis, cum is è Græcia rediret, Mileto tranſierant, & in ea ſede conſtiterant quia templum, quod Didymeon appellatur, in gratiam Xerxis violaverant. Illi magno gaudio Regem excipiunt, ſe & urbem dedentes. Alexander Mileſios in ſuo exercitu militantes, qui vetus odium gerebant in Branchidarum gentem, convocari jubet, ijsque liberum de Branchidis permittit arbitrium. Variantibus deinde ſententijs, quod factu optimum eſſet, ſeipſum conſideraturum oſtendit. Poſtero die Branchidas procedere jubet: ubi ad urbem pervenit, ipſe cum expedita manu portam intravit, & datô ſignô, milites juſſit diripere urbem proditorum receptaculum, ipſosque ad unum omnes cædere: deijcere mœnia urbis, ne quod iſtius extaret veſtigium. Lucos quoque ſacros non exciderunt modò, ſed etiam extirparunt, ut vaſta ſolitudo, & ſterilis humus, excuſſis etiam radicibus, linqueretur. De his ita judicat Curtius: *Quæ ſi in ipſos proditionis autores excogitata eſſent, juſta ultio eſſe non crudelitas videretur:*

nunc culpam majorum posteri luere qui ne viderant quidem Miletum, adeò Xerxi non potuerunt prodere. Ubi ex hoc loco Curtij videmus, quòd licèt quidam in illa sint sententia, ac si Branchidæ sint certi populi, apud quos nimirum hoc Oraculum olim responsa dederit, ut etiam supra *p. 364. 365. & 371.* è quibusdam Geographis fuit indicatum; attamen alij, inter quos etiam est *Freinshemius* ad dict. loc. *Curtij*, Branchidas putarunt fuisse certam Milesiarum familiam, cui creditum fuerit templi apud Milesios Apollini consecrato Sacerdotium, uti Paphij templum *Cinyradibus* commissum fuisse *Tacitus l. 2. c. 3. n. 3. p. 43. Histor.* refert. Branchidarum autem appellationem vetustiorem fuisse, quàm Milesij scribit *Pompon. Mela, lib. 1. c. 17. p. 45.* Id quidem esse potuit, ut ab Oraculo Branchidarum totus populus nominatus fuerit, apud quem istud coleretur: nec non certæ Milesiorum familiæ, quæ Branchidarum habuit nomen, cura istius templi atque Oraculi commissa fuerit; attamen isti populo denominationem Branchidarum derogare vetat antiquorum Scriptorum traditio. Deinde & hoc addit *Freinshemius*, quòd Oraculum hoc non fuerit in urbe Mileto, sed in ditione ejus & territorio. *Plinius l. 5. c. 29. fol. 84. Natur. histor.* unius ferè diei itinere Oraculum collocat ab urbe Mileto. *In Ionia primus sinus Basilicus, Posideum promontorium & oppidum Oraculum Branchidarum appellatum, nunc Didymæi Apollinis à litore stadiorum viginti, & inde centum octoginta Miletus.* Interim videtur locus, ubi Branchidæ & templum fuerunt, vero nomine *Didyma* fuisse dictus, quanquam à Sacerdotibus vulgò nominaretur Templum & Oraculum Branchidarum. Hoc Didymeum templum postea *Caligula* restaurare voluit. *Sveton. in Caligula. c. 21. p. 142.*

CAPUT IIX.

DE ORACULO APOLLINIS COLOPHONII.

I.

ORaculum istud nomen accepit à Colophone quondam Joniæ civitate non incelebri, cujus loci commoditatem egregiè descripsit Herodotus *lib. 1. c. 142. p. 60.* ubi Apollinis afflatu responsa consulentibus

tibus dabantur. Hujus incolæ *Colophonij* scilicet, navalibus copijs abundarunt, nec non equestribus adeò præcelluerunt, ut ubicunque gentium gereretur bellum, quod confici non posset, tum Colophoniorum equitum auxilio hostis profligaretur. Vnde natum est proverbium: *Colophonem addere.* Qua de re egregiè *Strabo lib. 14. fol. 643.* Ἐκτήσαντο δέ ποτε καὶ ναυτικὴν ἀξιόλογον δύναμιν. Κολοφώνιοι καὶ ἱππικὴν, ἐν ᾗ διέφερον τοσοῦτον τῶν ἄλλων ὥσθ' ὅπου ποτὲ ἐν τοῖς δυσκαταλύτοις πολέμοις τὸ ἱππικὸν τῶν Κολοφωνίων ἐπικουρήσειε, λύεσθαι τὸν πόλεμον· ἀφ' οὗ καὶ τὴν παροιμίαν ἐκδοθῆναι τὴν λέγουσαν: τὸν Κολοφῶνα ἐπέθηκεν, ὅταν τέλος ἐπιτεθῇ βέβαιον τῷ πράγματι. *Quondam Colophonis & nauticas res memorabiles habuerunt, & equitatum, quâ ita aliis præstabant, ut ubicunque bellum aliquod ambiguum esset, Colophonio equitatu superveniente id dirimeretur. Inde etiam ortum ferunt adagium:* Colophonem imposuit, *quando res aliqua stabili fine absolvitur.* Hujus adagij meminit *Erasmus in Adagiis fol. 570.* & ita illud explicat: *Colophonem addidit;* hoc dici consuevit, cum summa manus rei cuipiam imponitur, aut cum accedit id, absque quo negotium confici non potest, quod multis testimoniis scriptorum antiquorum ibidem simul illustrat & confirmat.

II. Apollinis Clarij Oraculum dicitur fundasse Manto Tiresiæ filia cum victorum, qui Thebanos superassent, potestatem effugisset. Sed quicquid sit de hac traditione. Antiquum istud Oraculum fuit. *Pausanias l. 7. p. 367.* ita scribit: *Colophonis, quod Clari est Apollinis templum, & Oraculum ipsa antiquitate sanctissimum ducunt.* Nullum quidem dubium est, quin Oraculum istud satis fuerit vetustum, an verò illud à Manto sit conditum, à paucis, creditur. Vide Lilium Giraldum *Syntagm. 7. pag. 326. Histor. Deorum.*

III. Interim nonnulla de hoc Oraculo videamus. Et quidem (1) *de Loco.* Nonnulli docent: Istud Oraculum fuisse non in urbe Colophone, sed in luco ante illam urbem: quod probant autoritate *Strabonis lib. 14. fol. 642.* Et huc adducunt è *lib. 3. Virgil. Æneid. v. 360.*

Qui tripodas, Clarii lauros, *qui sidera sentis.*

Strabonis locum quod attinet, is ita se habet: *Colophon urbs Ionica, ante hanc clarii Apollinis lucus, in quo antiquitus Oraculum fuit.* Quibus verbis id videtur significare, quasi tempore *Strabonis* Oraculum istud esse desierit, & non nisi nudum saltem istius superfuerit nomen, cum tamen

ætate

ætate *Taciti* illud viguiſſe poſtea indicabitur. Locus *Virgilii* diverſimodè explicatur: alij intelligunt hîc laurum, quæ erat in ipſo templo, & per quam dabantur Oracula: alij verò coronam ex lauru factam, quam Phœbus ipſe, & Sacerdos, qui edebat Oracula, capite geſtabant. Inde crebrum apud Græcos eſt: ἐκ τῶν στεμμάτων μαντεύεσθαι, *è coronis vaticinari.* Senſus itaque iſtorum verborum (*Clarius* ſcilicet Apollinis *lauros ſentis*) hic eſt: Oracula, quæ per laurum dantur, quæ nimirum erat in æde ſacra Apollinis: vel quæ laurus datur à Sacerdote, qui eo tempore illam geſtat. *Ludovic. de la Cerda. ad L. 3. Virgil. Æneid. fol. 321. 322.* (2.) *Quis ibi reddat Oraculum?* nempe non femina, ſed Sacerdos, qui accerſitur è certis Mileſiorum familijs, conſulentibus ibi reſpondebat. Quod refert *Tacitus l. 2. Annal. c. 54. n. 4. p. 61.* quando de *Germanico* narrat, quòd is appulerit *Colophonem*, ut Clarij Apollinis Oraculo uteretur. *Non femina illic, ut apud Delphos, ſed certis e familiis & fermè Mileto accitus Sacerdos numerum modo conſultantium & vota audit.* Præterea (3) Sacerdos, antequam redderet Oraculum, deſcendit in ſpecum ibique è fonte hauſit aquam, & ita edidit reſponſa verſibus compoſitis ſuper rebus, quas quis mente concepiſſet. *Plinius l. 2. cap. 123. p. 33.* paucis rem attingit: *Colophone*, inquit, *in Apollinis ſpecu lacuna eſt, cujus potu miræ redduntur Oracula, ſed cum bibentium breviore vita.* Iſtius fontis quoque *Tacitus* d. l. meminit his verbis: *Tum in ſpecum digreſſus Sacerdos, hauſtâ fontis arcani aqua, ignarus plerumq; literarum & carminum edit reſponſa.* E quibus patet, quod rudes & imperiti literarum, & quod magis, carminum pangendorum ignari Oracula tamen verſibus reddiderint. Hujus quoque meminit *Macrobius l. 1. c. 18. p. 243. 244. Saturnal.* Ariſtoteles apud Ligyreos, ait, in Thracia eſſe adytum Libero conſecratum, ex quo redduntur Oracula: Sed in hoc adyto vaticinaturi plurimo mero ſumto, *uti apud Clarium aqua potata*, effantur Oracula. Plenius rem deſcribit *Iamblichus de Myſter. Ægyptior. p. 65.* dum ait: *Erat in Colophone ſubterraneus locus, in quo fons erat. Sacerdos igitur ſtatutis noctibus ſacrificabat, poſtea guſtabat aquam, tandem vaticinabatur, ibi factus præſentibus inviſibilis.* Pergit Jamblichus: Videri poteſt alicui Spiritus divinus tranſiiſſe per aquam in Sacerdotem. Neque tamen eſt ita, inquit, ſed τὸ θεῖον, *ſeu divinum implet aquam virtute quadam ad vaticinium conferente, ſcilicet purgatoria. Hinc cum Sacerdos bibit, ipſa ſcilicet aqua purificat luminoſum ſpiritum ipſi inſitum, & accommodat*

ipsum Deo, qua facta purificatione accommodationeq́, Deum capere potest. Ita sermocinatur vir iste è sua gentili Theologia. (4) Sacerdos respondebat carminicè seu versibus compositis de illis rebus, de quibus Apollo interrogabatur. Certissimum autem Dæmonis hoc opus fuisse constat. Etenim rudes acciti versibus respondere poterant, cùm tamen ipsi artis Poëticæ essent ignari, imo ne literas interdum scirent. An autem (5) hoc Oraculum ibidem ambiguè responderit, de eo nihil compertum habeo, nisi quod *Tacitus* d. l. refert de *Germanico*, qui illud consuluit, cui per ambages maturum obitum prædixit. Verba Historici sunt: *Ferebatur* (scilicet Oraculum) *Germanico per ambages, ut mos Oraculis, maturum exitum cecinisse.* Sed verba illa *per ambages* videntur admittere geminum sensum: Ut significent idem (1) *atque longa circumductione ubi:* ut cum quis non directè aliquid alteri indicare vult, longiore verborum apparatu adhibitô per anfractus & circuitiones ei mentem suam exponit, ne, si statim indicet, quod ipsi est molestum, ingratum & odiosum, inde timorem percipiat (2) *ambiguè loqui*, significat id quod licet in utramque partem interpretari, ut tamen adhuc, cognitis licèt verbis, dubitetur, quid alter intenderit, quidve denunciare voluerit. Quoniam verò *Tacitus* addit, *ut mos est Oraculis*; Oracula autem non longam & prolixam verborum Orationem instituerunt, cùm constet, ea sæpissimè brevissimo sermone respondisse, attamen obliquum, tortuosum, & ambiguum responsum dederunt consulentibus. Unde ipsi, si illud in favorem sui & ita in benignam partem voluerint interpretari, graviter decepti sunt; inde omninò puto, *Tacitum* hoc voluisse, quod & istud Oraculum ambiguo sermone maturum exitium cecinerit, id est, versibus prædixerit *Germanico*.

CAPUT IX.

DE ORACULO SEBENNYTICO LATONÆ.

I.

Latona, cui aliàs Delus fuit sacra, in Ægypto religiosè fuit culta, utpote quæ credita est partui præesse, unde etiam tanquam Dea partus habita.

habita, & precibus invocata est, ut parientibus auxiliares manus præbere, easque partus tempore juvare velit. Eruditissimus *Athanasius Kercherus*, quem ob raram scientiam summopere veneror, *in Tom. 1. Synt. 1. Nomo. 10. fol. 38.* admirandi Operis *Oedipi Ægypti*: ex Herodoto & Diodoro Siculo refert, *Isin*, quæ ibi *Horum* peperit, & *Græcorum Latonam* pro una eademque Dea sumi, cùm Isis quoque apud Ægyptios pro Dea partus colatur. Hujus Deæ Oraculum est valdè inclytum. Dicitur autem.

II. *Sebennyticum* ab Ostio Nili, quod Sebennyticum appellatur, uti Scriptores existimant recentiores. Non tamen memini, illud Oraculum apud antiquos Historicos ita vocari. Nam fuit illud situm in urbe Buto, de quo *Strabo lib. 17. p. 802.* Post Milesiorum murum ad *Sebennyticum Ostium* procedenti sunt lacus, quorum alter Buticus à Buto urbe nominatur. Inde *Sebennytica Vrbs, & Sais* inferioris regionis metropolis. In hac Minervam colunt, ut cujus templo Psammetichi sepultura est. Circa Butum Hermopolis in insula jacet. *Buti est Latonæ Oraculum.* Addo insigne testimonium *Herodoti l. 2. c. 155. fol. 150.* quod se ita habet. *Est Oraculum hoc* (de quo ipse ibidem loquitur) *in Ægypto sacrum Latonæ positum in magna urbe, cui nomen est Buto contra ostium Nili, quod* Sebennitycum *appellatur à superiore parte maris flumen subeuntibus.* Dubio procul itaque, qui hoc Oraculum appellarunt Sebennyticum, respexerunt ad Ostium Sebennyticum, & inde appellationem istam deduxerunt. Verùm in eo non morabimur.

III. In Urbe Buto tria clarissima fuerunt templa: *Apollinis, Dianæ, & Latonæ.* In Latonæ templo reddebantur Oracula. Fuit autem fanum istud grande, & porticum habuit decem passibus sublimem. *Herodotus d. lib. p. 151.* refert: In isto templo Latonæ *delubrum* fuisse *factum ex uno lapide, cujus parietes æquali altitudine, ad longitudinem quadragenûm cubitorum: & cujus lacunari pro tecto impositus est alius lapis quatuor cubitorum per aras crassitudinis.* Quod delubrum se vidisse scribit Herodotus, illudque pro maximè mirabili habuit. Quæ subinde annectit de Insula Chemmide natante, & prope templum Buti in lacu profundo ac spatioso sita, illa consultò omittam.

IV. Oraculum hoc apud multos Principes & populos, qui illud consuluerunt, sanctissimum fuit habitum, idque ex parte propter opinionem de ejus veritate in respondendo conceptam. Ita *Herodotus l. 2. c. 152. fol. 149.* judicat: *Latonæ Oraculum in urbe Buti apud Ægyptios*

veracissimum est. Quæ verba videntur hoc innuere, ac si istud Oraculum præ reliquis omnibus veritate responsorum excelluerit. Nihilominus tamen & obscuris ambiguisque sermonibus Oracula istæc quoque fuisse prodita patebit infra. Etenim in more fuit Oraculis positum, ut in rebus dubiis & quarum eventum ipsa nescirent, ambiguo sermone uterentur, ut si juxta consulentis sensum vaticinium non haberet effectum, culpa non divino responso, sed falsæ interpretationi istius responsi imputaretur.

V. Quibus ceremoniis Oraculum Latonæ consultum fuerit, hactenus deprehendere non potui. *Herodotus l. 2. c. 63. p. 113.* dicit: ibi accedentes *Sacrificasse.* Nullum autem est dubium, quin certis ritibus Oraculum coluerint, antequam illud interrogarent. Præcipuè cum Ægyptij supra modum superstitionibus, & varijs ritibus fuerint dediti: ut ita à fide veritatis non recedat, si statuatur, quod certis adhibitis ceremonijs ad consulendum illud accesserint.

VI. *Psammetichus* consuluit Oraculum Latonæ quod Buti est, de ultione sumenda ab illis, qui ipsum ignominiosè persecuti essent: factum autem ei hoc est responsum: *ὡς τίσις ἥξει ἀπὸ θαλάσσης χαλκέων ἀνδρῶν ἐπιφανέντων, quod ultio ei affutura sit è mari, quandò ipsi apparebunt viri enei.* Quod responsum de viris æreis ipsi in auxilium venturis magnam ipsi iniecit dubitationem, ita ut fidem Oraculo dare non potuerit. Non longo tamen interiecto tempore necessitas maris, & fluctuum impetus coegerunt quosdam Jonas & Cares prædandi causa navigantes ad Ægyptum appellere. Qui cùm ære armati exissent in terram, quidam id Psammeticho ad paludes refert: *is, qui nunquam hactenus viderat homines ære armatos, agnovit Oraculum esse completum,* & cum Jonibus ac Caribus fecit amicitiam, eosque magnis pollicitationibus induxit, ut secum manerent: quorum auxilijs, & aliorum Ægyptiorum consensu, reliquos Reges sustulit, & totâ Ægypto solus potitus est: postea suis auxiliatoribus ad inhabitandum certa prædia Nilo medio diremta concessit, quibus nomen *Castra* impositum est. Deinde Cambyses hoc Oraculum de vitæ suæ termino, & quonam loco diem suum obiturus esset, interrogavit. Quæ historia est notatu digna, ideo illam ex Herodoto excerpere, & hîc apponere non dubito. Cambyses Rex Persarum, cujus genus sibi vendicant Ægyptij, teste *Herodoto lib. 3. c. 2. p. 162.* impius fuit Princeps, qui nullam vel exiguam saltem curam reli-

gionis habuit, ita ut & Ægyptiorum Deum Apim vulneraverit lethaliter. Etenim sunt verba *Herodoti l. 3. c. 29. p. 172.* Sacerdotes Apim adduxerunt, Cambyses velut vecordior, educto gladio, cùm vellet ejus ventrem ferire, percussit ejus femur, & editô cachinnô ad Sacerdotes dixit: *O mala capita! tales ne Dii existunt, sanguine & carne præditi nec non ferrum sentientes? dignus nimirum Ægyptiis hic Deus?* nos certè ludibrio habuisse non juvabit. Hæc locutus *imperavit iis, quorum hoc munus erat, ut Sacerdotes quidem flagris cæderent; cæteros autem Ægyptios, ut quemque feriantem adipiscerentur, occiderent. Apis sauciatus in templo tacens extabuit, quem è vulnere extinctum Sacerdotes clam Cambyse sepeliverunt.* Ob quod scelus Cambyses continuò insanivit, & immania scelera perpetravit. Fratrem suum è falso somnio interfici curavit: sororem germanam, quam duxerat uxorem, ob vocem paulò liberaliorem, quod scilicet doleret, interemti fratris neminem existere ultorem, temerè occidit. *Herod. l. 3. c. 31. 32. p. 173. 174.* Præterea derisor erat religionis, & omnem adeò pietatem ejuraverat, ut non tantùm simulacra Deorum ludibrio haberet; sed & de exercitu circiter quinquaginta millia delegerit, quibus præcepit, ut Ammonios diriperent, & Oraculum incenderent. *Herod. l. 3. c. 25. p. 171.* Vide supra *cap. 3. p. 306. 307.* Prexaspis charissimi sui amici filium, qui Regi vina miscebat, in conspectu ejus propter objectam ipsi temulentiam, intenso arcu percussit, in cujus dissecti corporis corde inventa est sagitta. *Herod. l. 3. c. 34. 35. p. 175. Et Seneca l. 3. c. 14. f. 71. de Ira.* Post tot perpetrata scelera & flagitia non resipuit, nisi cum seipsum sauciasset. Quondam Oraculum Latonæ in urbe Ægyptiorum Buto consuluerat, & quidem de loco mortis suæ, quod ei respondit: *Illum in Ecbatanis moriturum.* Quod responsum ipse ita interpretatus est, ac si ultimum ei fatum immineret & *Ecbatanis*, quæ est *metropolis Mediæ*, quapropter postea eam ingredi noluit, cùm tamen Oraculum loqueretur de *Ecbatanis Syriæ*. Eo autem tempore, quo voluit exercitum ducere in Syriam, ipsi insilienti in equum vagina gladij excidit, unde nudatus gladius perstrinxit ejus femur, & quidem in ea parte, in qua prius ipse percusserat Apim Ægyptiorum Deum. Vulneratus ita Rex, quodnam illi oppido esset nomen, sciscitatus est? Audiens verò urbem istam esse *Ecbatana*, resipuit, & verba Oraculi expendit, nec non dixit: *Hoc in loco fatale est Cambysem decedere.* Femur quoque vulneratum citò contabuit, & postquam in conspectu multorum Persarum omnem suam conditionem & vitæ improbitatem deflevit, tandem

exstin-

II. Jovis tamen Oraculum apud Ægyptios est. *Herod. l. 2. c. 83 fol. 119.* & quidem, uti quidam contendunt, in urbe Heliopolitana, unde dicitur Jovis Heliopolitani Oraculũ, quod Imperator Trajanus consuluit, & quidem scriptis codicillis seu tabulis: Num quid peracto bello, quod contra Parthos movebat, Romam esset rediturus? Ubi jussit Deus iste vitem sibi Centurialem in ædem deferri: illatam in partes scindi vel dividi: divisam sudario involui & condi, & perendie iterum efferri. *Petr. Crinitus l. 22. c. 2. p. 522. 523. de honesta disciplina.* Dicit *Centurialem vitem*, nam Centurionum erat officium castigandi milites *VITE*. *Sic Plinius lib. 14. c. 1. fol. 229.* ubi de vitibus agit, ita loquitur: *Quid quod insertæ castris summam rerum imperiumq; continent. Centurionum in manu vitis illius virtutis præmium, tardos ordines ad lentas Aquilas perducit, & in delictis pœnam honorat.* Hujus moris vestigia in Jure Romano adhuc videre licèt: nam in *L. 13 §. ff. de re militar.* ait JCtus Macer: Eum qui Centurioni castigare se volenti restiterit, sic veteres notarunt; *Si vitem tenuit, militiam mutat: Si ex industria fregit, vel manum centurioni intulit, capite punitur.* Sed hac de consvetudine legi possunt *Marcellus Donatus ad l. 1. Taciti p. 125. Petr. Faber. l. 1. c. 17. Semestr. p. 83.* Exinde apud *Lucilium* centurio quidam loco militari dictus est: *CEDO ALTERAM*, uti illud refert *Cœlius Rhodigin. l. 26. c. 33 fol. 1482. Lection. Antiquar.* Quod obiter pro intellectu istius Oraculi saltem digito tangere volui. Non tamen ad credendum induci potero, ac si Apollo & Jupiter apud Ægyptios nomine Solis intelligantur, adeoque unum omnium sit Oraculum. Etenim 1. de Sole quidem constat, quòd eum Ægyptij maximè venerati sint, eumque tanquam Deorum Regem coluerint; attamen de ejus Oraculo vix quicquam invenire licebit. 2. Apollinis ut & Jovis Oraculum distincta fuisse è loco Herodoti ante adducto luculenter patet. Quod igitur attinet.

III. *Apollinis Oraculum* in Ægypto, illud non incelebre fuit, sicut alibi locorum Oracula Apollinis extiterunt clara, & in magna fuerunt autoritate. Quibus ritibus illud fuerit cultum, & quâ ratione quæstiones fuerint propositæ, item quibus modis, & qua lingva illud responderit, pro certo dicere nequeo. Quod non nemo quondam aliquot ritus, quibus ad Oraculum hoc consulendum usi fuerunt, è Jamblicho colligere voluerit, ac si coacti fuerint (1) corpus à sordibus purgare (2) in diem tertium usque jejunare. (3) Apidi prius sacrificare 4. flexis genibus coram statua Apollinis sedere, & ita 5. quæstio-

nem proponere: postmodum 6. jacere in terra, ubi tandem Apollo ipse vel viva voce, quam tamen præter consulentem audire potuit nemo, & quidem in illa lingua, quam interrogans intelligere potuit; quamvis communiter Ægyptiaco idiomate respondere solitus fuerit, vel in somniis futurorum notitiam aperuerit, id sanè apud *Iamblichum* me reperire haut potuisse, lubens fateor. Proinde ea quidem falsitatis non accuso; attamen plenam quoque illis habere fidem non potero. Illud Oraculum Apollinis Ægyptii memini me legisse apud celeberrimum *Athanasium Kircherum Tom. 1. Synt. 3. c. 9. fol. 237. & 238. Oedipi. Ægyptiaci*, quo expressum est velut compendio quodam, quinam sacrorum ritus singulis Dæmonum generibus conveniant, & quæ victimæ singulis fuerint dicatæ, & quænam sint sacrificiorum leges, quas Ægyptij accuratissimè ex mandato Apollinis servare cogebantur. Oraculum istud quia est prolixum, & institutum nostrum parum juvare poterit, adscribere non lubet.

IV. Meminit porrò *Herodotus l. 2. c. 83 p. 119.* Oraculorum *Dianæ, Minervæ, & Herculis.* Sed ulterius nihil addit, & qui de Ægyptiis scripserunt, curioso lectori vix certi quippiam de illis suppeditare poterunt. Aliàs, ut hoc obiter attexam, Dianæ Sarpedoniæ Oraculum est notum, ubi vaticinabantur Sacerdotes divino furore afflati. *Strabo l. 14. p. 776. Geograph.* Pari modo Diana Persica fuit clara; nam hæc Dea à Persis plurimum colitur, eademque mysteria, quæ ab alijs de ea creduntur, etiam Barbari ad hæc usque tempora servant, & sacra in ejus honorem celebrant. *Diodor. Siculus l. 5. p. 344.* Habuit quoque Sacerdotes mulieres, quæ ipsius responsa proferre solebant, quæque sacris præfectæ super ardentes prunas nudis illæsisque pedibus ambulabant. *Strabo l. 12. p. 537.* ut fides haberetur Enthusiastis Sacerdotibus responsa Deæ proferentibus. *Boissard. p. 179. de Divinat.* Simile quid narrat *Strabo l. 5. p. 226. Geographiæ*, quòd scilicet in urbe Feronia Dea istius nominis colatur à vicinis & quidem valdè studiosè: Prope urbem verò sit lucus, in quo memorabile sacrificium perpetretur: Correpti autem istius Numinis afflatu homines prunarum ardentium struem illæsi perambulent, & quotannis eò turba hominum cùm solennis conventus, tum spectaculi ejus causa confluat. Apud plures populos Diana hæc fuit religiosè culta, à quibus etiam accepit nomina varia, quod studio prætereo. *Herculis Ægyptii* præter Herodotum mentionem facit & *Pausanias l. 10. p. 578.* Alias & alibi fuit Herculis Oraculum juxta amnem Buraicum, non

procul

procul à Bura Achaiæ oppido fluentem, quod futurorum prædictionibus fuit celebre, *ex talis autem & abaco constitutum*, hoc modo: Consulturus Deum quisque imprimis ad eum supplices preces instituebat, quibus peractis, *quatuor talos super mensam iaciebat*, qui ex plurium hostiarum ossibus confecti illic passim reperiebantur. Talorum postea situm variasque inter se figuras observans, quidnam illæ prædicere vellent, ex abaco postea scriptum notatumque clarè lectitabat. *Simon Maiolus in Dieb. Canicular. fol. 363.* Minervam quod attinet, illius Oraculum non apud Ægyptios, verùm etiam in Græcia clarum fuit, ubi Acarnan Ariolus spiritu divino afflatus Pisistrato reddidit Oraculum, quod ipse secutus feliciter contra Athenienses pugnavit, &, illis devictis, tyrannidem sibi stabilivit. *Herod. l. 1. cap. 62. 63. & 64. p. 24. 25.*

V. Martis quoque Oraculum apud *Ægyptios* viguisse autor est *Herodotus l. 2. c. 83. p. 119.* quod potissimùm in rebus bellicis ad devincendos hostes, oppugnandas urbes, in materia federum, & publica defensione consulebatur. Consulentes plerumque equum vel canem obtulisse scribit Apollodorus: *Equum* ideo, quia istius usus in bello est maximus: *canem* ob vigilantiam; est namque illud animal vigilans, & ad cujusque accessum latrare solet. Quæ virtus cumprimis requiritur in milite. Apud *Thraces* itidem fuit Martis Oraculum, quod idem *Herodotus l. 7. c. 76. p. 409.* refert. Quod Oraculum fuit in admiratione, utpote è quo quicquid saltem desiderabatur, disci poterat. vide *Maiolum in Dieb. Canicular. fol. 361.*

CAPUT XI.

DE ORACULO SERAPIDIS.

I.

SErapis à quibusdam intelligitur is, qui à Poëtis dicitur *Pluto* Deus iste infernalis, quod etiam non uno loco *Plutarchus* significavit, quippe qui Serapidem cum Plutone confudit. Et *Archemacus Eubeus* præter Serapidem alium Plutonem non agnoscit, teste venerabili *Kirchero Tom. 1. Synt. 3. cap. 5. p. 194. Oedipi Ægyptiaci.* Alij Apim, Osiridem, & Ditem patrem interpretantur. A Græcis *Pluto*, à Gallis *Dis* Pater, ab Ægy-

ptijs *Serapis* est dictus, celebris & in magna veneratione ab isto populo habitus Deus. Res autem, ut breviter dicam, ita se habet. Osiris postquam per multos annos regnasset Argis, Ægyalo fratri reliquit imperium, ipse verò secessit in Ægyptum insigni classe, ubi homines hactenus rudes ad mitiorem vitæ cultum traduxit, eosque rationem colendarum vinearum docuit. Quô factô, Rex Ægyptiorum communi incolarum suffragio factus est, ubi post aliquot annorum spatium à Typhone fratre interfectus est: quem tota Ægyptus flevit, & quibuscunque honoribus potuit, ejus inferias prosecuta est. In publico autem luctu versantibus Ægyptijs occurrit bos eximiæ pulchritudinis cicur admodum & valdè tractabilis: qui tũ existimarunt animam Osiridis in hunc bovem transmigrasse, quem exinde vocarunt *Apim*; quem Sacerdotes indictis ferijs & solenni festo adorandum proposuerunt, ubi hæc consvetudo ac religio mansit, ut *bos* adoraretur pro *Osiride*. Habuit autem bos iste, qui Apis dicitur, teste *Herodoto l. 3. c. 28. p. 172.* hæc signa: *Toto corpore est niger, in fronte habens figuræ quadratæ candorem: in tergo effigiem aquilæ: in palato aut lingua Scarabæum, in cauda duplices pilos.* Cui tamen descriptioni, uti judicat *Ælianus l. 11. c. 10. p. 641. 642. Histor. animal.* ipsi Ægyptij non assentiuntur, sed istum sermonem tanquam mendacem rejiciunt; Ipsi verò novem & viginti notas huic sacro Bovi aptas & consentaneas esse dicunt. *Pomponius Mela l. 1. c. 9. p. 30. de Situ Orbis* ait: *Apis est bos niger, certis maculis insignis, & cauda linguaq; dissimilis aliorum.* Illud mirum est, quòd isti Bovi tanquam Deo suo certum vitæ terminum præscribant, quem ipsi excedere non licuerit. Quo termino peractô, Antistites illum in Sacerdotum fontem demergebant, & per totam Ægyptum indicto justitio, veste laceratâ, & passis evulsisque capillis demortuum cum planctu lugebant: donec alio ejusdem coloris bove invento publica lætitia promulgaretur, & sacrificia conviviaque à populo cum hymnis & tripudijs passim celebrarentur. vide *Diodor. Siculum lib. 1. p. 76.* Bos iste non è congressu animalium, sed fulmine concipitur, quod iterum refert *Mela* d. l. *Rarò nascitur*, inquit, *nec coitu pecoris, ut aiunt, sed divinitus & cœlesti igne conceptus: diesq; quo gignitur, genti maximè festus est.* Quo de festo *Herodotus l. 3. c. 27. pag. 172.* Cambyse Memphim ingresso Apis, quem Græci vocant ἔπαφον, apparuit. *Ægyptij, cùm Apis extitisset, vestimenta quàm pulcherrima ferebant, & celebrando festo operam dabant.* Qua occasione Cambyses abusus Apim vulneravit de quo supra *pag. 315.* dictum

dictum est. Cœterùm duo in Ægypto sacri fuerunt Boves, qui quoque religiosè culti sunt: quorum alter *Mnevis* vocatus ab Heliopolitanis: alter *Apis* dictus à Memphitis: uterq; pro Numine habebatur. Ita *Strabo lib. 17. fol. 833.* ait: *Memphitæ Venerem colunt, & sacram vaccam alunt, quemadmodum* Apis *quidem in Memphi; Heliopoli vero Mnevis nutriuntur. Hi enim Dii apud eos putantur: qui alibi aluntur, Dii non sunt, sed sacri.* Et *fol. 805.* cum de Bubasto & Bubastica præfectura dixisset, subjungit: *Supra eam* (scilicet Babasticam præfecturam) *est regio Heliopolitana, ubi Solis urbs est aggeri magno imposita, Solis templum habet* & Mnevim bovem, *qui in septo quodam nutritur, & ab Heliopolitanis pro Deo habetur, quemadmodum* & Apis *à Memphitis.* Eadem refert & *Plutarch. in lib. de Iside & Osiride fol. 364.* his verbis: *Qui Heliopoli nutritur bos, (Mnevin vocant, sacrum Osiridi, & nonnullorum sententia Apis patrem) is niger est, & proximè secundum Apin colitur honoribus.* Mnevis Soli: Apis verò Lunæ sacer fuisse perhibetur, sicuti illud annotavit *Ælianus l. 11. c. 11. p. 650. Histor. Animal.* ubi multa quoque de Mnevide bove refert. Verùm ab Æliano diversum sentire videtur *Macrobius l. 1. c. 21. Saturnal. p. 257.* dum ita ait: *Taurum ad Solem referri multiplici ratione Ægyptius cultus ostendit, vel quia apud Heliopolim taurum Soli consecratum, quem Neton cognominant, maximè colunt; vel quia eos Apis in civitate Memphi Solis instar excipitur* Eruditissimus *Selden. in lib. de Dis Syris Syntag. 1. c. 4. p. 137. & 138.* existimat mendum esse in textu, & pro *Neton* scribendum esse *Mnevin* vult. *Ab incuria librariorum erratum est; Codex Macrobii MS. & vetustissimus in instructissimo Antiquitatis Thesauro viri tàm studiis, quàm natalibus clarissimi Roberti Cottoni habet NEVTON. Sed legendum Mnevin quod in Neuton Scriptorum lapsu facile mutabatur,* quæ quoque citra dubium vera est, quod & jam tum observavit *Jacobus Ouzelius in suis animadv. ad Minuc. Felic. p. 162.* Non possum, quin hic apponam locum ex *Ammiano Marcell. l. 22. p. 245.* qui valdè cum præcedentibus convenit. *Apim bovem operosa quæsitum industria, tamen post tempus inveniri potuisse dicunt, quod earum regionum existimant incolæ, faustum & ubertatem frugum, diversaq; indicat bona.* Super qua re pauca conveniet expediri. *Inter animalia antiquis observationibus consecrata Mnevis & Apis sunt notiora: Mnevis Soli sacratur, super quo nihil dicitur memorabile, sequens Lunæ. Est enim Apis bos diversis genitalium notarum figuris expressus, maximeq; omnium corniculantis Lunæ specie latere dextro insignis: qui cum post vivendi spatium præstitutum sa-*

pro fonte immersus è vita abierit (nec enim ultra eum trahere licèt ætatem, quàm secreta librorum præscribit autoritas mysticorum: nec nisi semel ei in anno bos femina inventa cum notis certis offertur) *alter cum publico quaritur luctu, & si omnibus signis consummatus reperiri potuerit, defertur. Memphin urbem præstantem præsentia Numinis Æsculapii claram.* Quæ conveniunt cum his, quæ jam tum dicta sunt, & dicentur porro.

II. Postquam in Deorum numerum translatus est Apis, nomen *Serapidis* post mortem accepit. Cujus rationem reddere voluit *Eusebius* teste *Lilio Giraldo Syntagm. 6. q. 272. Histor. Deor.* qui plenè hanc appellationis historiam persecutus est. *Nam*, ait, *Serapidem ab Ægyptiis divinos honores consecutum, non ignoramus.* Nymphiodorus autem Amphipolitanus in tertiô de Asiaticis Legibus. *Apim taurum mortuum in* Soro *gracè, quod latinè* arcam *dicimus*, positum *Sorapim* primò, & deinde *Serapin* appellatum *fuisse contendit.* Hanc appellationem quoque probat *Augustinus lib. 18. cap. 5. fol. 1156. de Civit. Dei*, verbis sequentibus: *His temporibus Rex Argivorum Apis navibus transvectus in Ægyptum, cùm ibi mortuus esset, factus est Serapis omnium maximus Ægyptiorum Deus. Nominis autem hujus, cur non* Apis *etiam post mortem, sed* Serapis *appellatus sit, facillimam rationem* Varro *reddidit. Quia enim arca, in qua mortuus ponitur, quod omnes iam σαρκόφαγον vocant, σορὸς dicitur Graecè, & ibi eum reperiri sepultum cœperant, priusquam templum eius esset extructum: veluti Sorosapis, vel Sorapis primò: deinde una litera, ut fieri solet, commutata, Serapis dictus est. Ruffin. l. 2. cap. 23. fol. 201. Histor. Ecclesiast.* Constitutum est etiam de illo, ut quisquis eum hominem dixisset fuisse, capitalem penderet pœnam. *Jacobus Ouzelius in Animadv. ad Minucium Felic. p. 158.* ait: Sarapis dictus etiam est Sorapis, ubi Græculi nugantur, dum sic dictum volunt ex σορὸς loculus, & Apis, quia bos ille, qui Apis dicitur, sale fuerit conditus, & loculo sive Sarcophago impositus. Adde & insignem *Kircherum Tom. 1. Syntagm. 3. c. 5. pag. 196. Oedipi Ægyptiaci.* Suidas ait: Serapidem à quibusdam Jovem seu Osirim, ab alijs verò Nilum fuisse dictum, juxta illud Martiani Capellæ in sua Philologia: *Te Serapin Nilus, Memphis miratur Osirim.* Vocatus est *Nilus* exinde, quod modium haberet in capite, & manu teneret mensuram aquæ. Alij autem, quod ejusdem *Suida* autoritate dico, volunt: Apim fuisse hominem

catum, & Regem Ægyptiacum habitantem in civitate Memphi, qui
iquando tempore penuriæ Ægyptijs vitæ subsidia è propriis faculta-
bus præbuit. Quô defunctô, templum in ejus honorem constitue-
nt, in quo Bos Symbolum agriculturæ gerens nutriebatur: Sed vox
pis in lingua Ægyptiaca denotat bovem. *Giraldus d. Syntagm p. 274.*
stumat: *Sarapidis* nomen Ægyptium esse, & significate lætitiam & hi-
ritatem & ideo Ægyptij hilaria festa vocant Σαίρει, eò quod com-
uni urbium plausu & tripudio peragerentur. *Plutarch in lib. de Iside*
Osiride fol. 362. Plerique Sacerdotum, inquit, in idem recidere ajunt.
sirin & Apin, enarrantque & docent nos, Apin esse intelligendum for-
osam animæ Osiridis imaginem. *Ego autem, siquidem Ægyptia vox est*
rapis, gaudium ea & lætitiam boni significari censeo, hoc adductus argumen-
, quòd Charmosyna, id festum lætitiæ diem Særei *appellant Ægyptij.* Ve-
m communis est sententia, quæ antea indicata est; & etiam illud sta-
litur multorum autoritatibus, Bove illo mortuô, alium, qui ejusdem
coloris, quæri. Illo casu Ægyptios valdè lugere: hoc vero tempore
mmis gaudijs & lætitia eos affici.

III. Prius illud inter alia vel inde elucet, quòd Ægyptij luctus
mpore ob defunctum Apim cæsariem suam tondere soliti fuerint, et-
msi vel puniceos Nisi cincinnos superassent. Quod testatur *Lucia-*
Tom. 3. Dial. de Sacrific. pag. 94. 95. Ὁ μὲν γὰρ Ἆπις ὁ μέγιστος Θεὸς
τοῖς, ἂν ἀποθάνῃ τίς οὕτω περὶ πολλοῦ ποιεῖται τὴν κόμην, ὅστις οὐκ ἀπο-
ρήσας, καὶ ψιλὴν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, τὸ πένθος ἐπεδείξατο, κἂν τὸν Νίσου
χῃ πλόκαμον τὸν πορφυροῦν; ἔστι δὲ ὁ Ἆπις ἐξ ἀγέλης Θεὸς, ἐπὶ τῷ προ-
χειροτονούμενος, πολὺ καλλίων καὶ σεμνότερος τῶν ἰδιωτῶν βοῶν. Id est.
pis ille, qui quidem Deus apud illos scilicet Ægyptios est maximus, si quan-
moriatur, quis usque adeò magni facit Cæsariem suam, qui non eam deton-
at ac modo capite luctum præ se ferat, etiamsi vel purpuream Nisi comam
buerit. Est autem hic Apis Deus ex armento iam ante suffragiis designa-
, utpote multò formosior, & venerabilior reliquis illis privatis & grega-
s bobus. Huc pertinet, quod tradit *Plinius l. 8. c. 46. fol. 158.* Donec ali-
n scilicet Bovem invenerint Ægyptij, mœrent, *derasis etiam capiti-*
. Elegantem quoque locum habet *Julius Firmicus Maternus de Er-*
re profanar. religion. p. 4. qui ita sonat. Hæc est Isiaci sacri summa. *In*
adytis habent idolum Osiridis sepultum: hoc annuis luctibus plangunt,
dunt capita, *ut miserandum casum Regis sui turpitudine de honestati de-*
fleant

fleant capitis: tundunt pectus, lacerant lacertos, veterum vulnerum resecant cicatrices: ut annuis luctibus in animis eorum funestae ac miserandae necis exitium renascatur. Et cum haec certis diebus fecerint, tum fingunt se lacerati corporis reliquias reperire, & cum invenerint, quasi sopitis luctibus gaudent. Haec Firmicus. Pari modo & Byblij in sacris Adonidis capita detondent, quod testatur *Lucianus Tom. 3. Dial. de Syria Dea p. 751.* Byblij capita detondent, quemadmodum *Aegyptii, quando Apis apud ipsos mortuus est.* Posterius autem, quod scilicet repertô aliô bove laetentur, & sacros dies habeant festivos, ex *Herodoto lib. 3. cap. 27. pag. 172* patet. Cum enim Cambyses in Aegyptum venissent, eo tempore novus Bos seu Apis apparuerat. Ibi Aegyptij pulcherrima vestimenta gestabant, & celebrando festo operam dabant. Quod tamen Cambyses malè interpretatus est, & Apim vulneravit, uti illud supra *p. 385.* fuit adductum. Caeterùm quae de Novo Api invento jactantur, illa saltem uno *Diodori Siculi l. 1 p. 76. Biblioth.* testimonio adhuc firmabo. ὅταν γὰρ τελευτήσαι ταφῇ μεγαλοπρεπῶς, ζητοῦσιν οἱ περὶ ταῦτ᾽ ὄντες ἱερεῖς μόσχον ἔχοντα κατὰ τὸ σῶμα παράσημα τὰ παραπλήσια ὡς προϋπάρξαντι. ὅταν δ᾽ εὑρεθῇ τὰ μὲν πλήθη τοῦ πένθους ἀπολύεται, τῶν δ᾽ ἱερέων οἷς ἐστιν ἐπιμελὲς, ἄγουσι τὸν μόσχον τὸ μὲν πρῶτον εἰς Νείλου πόλιν, ἐν ᾗ τρέφουσιν αὐτὸν ἐφ᾽ ἡμέρας τετταράκοντα. Ἔπειτα θαλαμηγὸν ναῦν οἴκημα κεχρυσωμένον ἔχουσαν ἐμβιβάσαντες ὡς θεὸν ἀνάγουσιν εἰς Μέμφιν εἰς τὸ τοῦ Ἡφαίστου τέμενος. ἐν δὲ ταῖς προειρημέναις τετταράκονθ᾽ ἡμέραις μόνον ὁρῶσιν αὐτὸν αἱ γυναῖκες κατὰ πρόσωπον ἱστάμεναι, καὶ δεικνύουσιν ἀνασυράμεναι τὰ ἑαυτῶν γεννητικὰ μόρια. Τὸν δ᾽ ἄλλον χρόνον ἅπαντα κεκωλυμένον ἐστὶν εἰς ὄψιν αὐτοῖς ἔρχεσθαι τούτῳ τῷ θεῷ. Id est. *Post magnificam defuncti* scilicet Apis *sepulturam destinati huic negotio Sacerdotes vitulum eadem praeditum nota, qua superior fuit, investigant, quô inventô, plebi à luctu vacatio datur. Sacerdotes autem, quibus hoc curae est, vitulum primùm in urbem Nili perductum ad dies quadraginta pascunt. Deinde in navim contectam habitaculum cureum habentem introducentes tanquam Deum transportant Memphim, eumq; in fano Vulcani collocant. Per quadraginta illos dies feminae duntaxat ipsum vident, ante faciem ejus constitutae, elevatisq; peplis inguina ostendunt. Caetero deinceps tempore in conspectum novi Dei prodire illis interdictum est.*

§. V. Sunt qui putant, ea, quae de bovis Symbolo dicuntur, optinè con-

mè convenire Josepho ad exprimendum beneficium; *bos* namque est *Symbolum fertilitatis*. Quod & antiqui statuerunt: Nimirum Josephum ob Ægyptum à fame liberatam, vel ob somnij de septem vaccis interpretationem constitutum fuisse Principem Ægypti, & nomen Apis accepisse. Quò tendit *Abenephius* apud magnum *Kircherum Tom. 1. Synt. 3. c. 5. fol. 197. Oedipi Ægypt.* qui ita ait: *Et dixit Josephus Pharaoni, constituat me super thesaurum terræ, quoniam fidelis ego custos ero. Et constituit eum Rex super omnia repositoria terræ, & factus est Joseph quasi Rex totius Ægypti, & vocaverunt eum APIS.* In illa opinione quoque est *Ruffin. l. 2. c. 23. Histor. Ecclesiast. fol. 201* Quidam, ait, in honorem nostri *Joseph* formatum perhibent simulacrum scilicet Serapidis, ob divisionem frumenti, quâ famis tempore subvenit Ægyptijs. Idem ferè expressit *Julius Firmicus Maternus p. 18. de Errore profan. religion.* Nonnulli, quos interest & *Iacobus Ouzelius in Animadv. ad Minucium Felic. Octav. p. 158* addunt *Josephum Bovem esse dictum c. 23. n. 17. Deuternom.* Unde autem veteres hujus interpretationis conjecturas ceperint, pulchrè exposuit insignis *Vossius l. 1. c. 29. p. 215. & seqq. de Orig. & Progressu Idololatr.* ex quo paucula, quæ proposito nostro inservire possunt, velut in compendium contracta hîc opponam. *Primò* exhibet triplex Josephi beneficium, quod consistit partim in enarratione & *interpretatione somnii Regii*; partim *in consilio*, quod Regi dedit: partim in *prudenti ac fideli procuratione annonæ* ex autoritate Regis. Quod *somnium* attinet, illud est de septem vaccis præpinguibus & macilentis item de septem spicis crassis opimisque ut & totidem arefactis. *Genes. 41.* Cum autem in exponendo hoc somnio vana esset omnis Ægyptiorum sapientia, Rex à Pincerna, qui hactenus Josephi erat oblitus, illo quidem tempore monitus accersivit Josephum è carcere, qui ei quoque accuratè istud explicavit de septem fertilibus & totidem sterilibus annis certissimè obfuturis. Deinde cùm parum profuisset Regi, quid futurum esset, scire, nisi itidem ipse novisset ea ad usum transferre; ideo Josephus hoc ei dedit *consilium*, ut aliquem rei frumentariæ præficeret in quatuordecim annos proximos, & sub eo constitueret præfectos, per quos necessaria possent procurari. Inde monet granaria esse construenda ad asservandum omne frumentum, quod fertili isto septennio colligeretur, ut exinde sequentibus septem infrugiferis annis prospicere posset suis subditis. Præterea Pharao, ubi audivit tanti viri consilium, non tantùm illud approbavit; verùm etiam annonariæ eum rei præfecit, quin constituit eum

Principem totius Ægypti, ita ut omnis populus ipsius os osculari deberet; quod de *signo subiectionis* intelligit *Tertullianus*, cùm osculum ex illius sententiâ videatur signum subjectionis, quo cum facit *Vatablus ad d. cap. v. 40. p. 55* quando in notis ait : Alij vertunt Te jubente osculabitur manum tuam populus meus, in signum scilicet obedientiæ, est enim *Osculum signum subiectionis.* Idem illud sensit magnus *H.Grotius.* Non tamen hic solenne adorationis signum notatur; sed metaphorica saltem videtur esse locutio, quod populus amicè accipiet, atque obedienter amplexabitur, quicquid profectum erit ab ore Josephi. Ac si dixisset Pharao : *Quicquid iusseris, uno populi consensu quasi osculum omnes porrigerent, excipi volo.* Verùm *Iohan Drusius ad d. vers. 40. fol. 360. in Tom. 1. Critic. Sacror.* negat Osculum esse signum vel Symbolum subjectionis, interim à priore interpretatione non multum abit. *Vossius* tamen *lib. 1. c. 29. p. 217. de Idolol.* adstipulatur Tertulliano, cum ita disserit: *Rex Pharao eum* (scilicet Josephum) *toti præfecit Ægypto, sic solo, ut solio esset superior; totaq; enim oscularetur Ægyptus non illo duntaxat benevolentiæ osculo, quali Darius Zorobabelem prosecutus dicitur. 3. Esræ c. 4. v. 47. sed in* signum subjectionis, *unde & μεταληπτικῶς interpretari licet* obedire : *ut cepere* LXX (scilicet Interpretes) *cum transferunt* : ἐπὶ τῷ στόματι σȣ ὑπακȣ́σεται πᾶς ὁ λαός μȣ. *Ad tui oris imperium cunctus populus obediet.* Annulum porro Josepho dedit, tum ut Symbolum esset dignitatis, tum ad literas & diplomata publico nomine signanda. Vestimentum ei dedit è bysso candida. *Collo ejus iniecit torquem aureum, ac statuit, ut currus ejus esset à Regio secundus.* Nomine itidem mutato vocari eum jussit *Saphenath Paneah*, quod Onkelus reddit : *Vir, cui secreta revelantur.* Jonathan : *Vir occultorum interpres.* Josephus, κρυπτῶν εὑρετής *Occultorum inventor.* Vulgatus vertit: *Salvator mundi.* Et AEgyptiacè id ita sonuisse ait quoque B. Hieronymus in *Quæstionib. Hebraicis.* Dictusque, inquit, *Salvator mundi, eò quòd orbem terræ ab imminente famis excidio liberârit.* Qvem dissensum tamen hodie post intermortuam penè veteris AEgypti linguam difficilè dirimere licet. Vide *Drus. ad c. 41. n. 45. Genes. fol. 363. Tom. 1. Critic. Sacror. Confer Drusium ad v. 43. c. 41. Genes. fol. 302. Tom. 1. Critic. Sacror.* Ulterius Pharao jussit per præconem Josepho acclamari *Abrech: Pater regis.* Denique dedit ei *Asnath* in uxorem, non quidem istius præfecti carceris, qui *Potiphar* dicebatur, quique Josephum ab Ismaëlitis emerat, sed *Cohen*, id est, Sacerdotis,

dotis, vel potius *Principis viri ſive præfecti in On*, ſeu Heliopoli, cui nomen *Potsipherah*. Et obſervat *Vatablus* d l. *Tametſi hæc vox* COHEN *Sacerdotem ſignificet; doctiores tamen hoc loco malunt* Principem, *transferre: nam conſentaneum eſſe videtur, unum fuiſſe ex aulæ primoribus, qui etiam ſatrapa, vel præfectus foret Civitatis ON.* *Secundò* Beneficium Joſephi non potuit convenientius exprimi, præcipuè apud AEgyptios, quàm *Symbolo Bovis*. Etenim Deus ipſe boum ſignum prætulit ad fertilitatem & ſterilitatem ſignificandam. Variat autem annonæ ratio pro anni fertilitate & ſterilitate, quæ tamen viciſſim ab agricultura dependet. Inde Bos *Socius hominum in ruſtico opere, & Cereris miniſter* dicitur *Varroni Lib. 2. c. 5. de re ruſtica p. 114.* Item *Socius laboris agriq; culturæ animal. Plinio l. 8. c. 45. fol. 157.* Et addit Varro, *ab hoc antiqui manus ita abſtineri voluerunt, ut capite ſanxerint, ſi quis occidiſſet. Quæ in re teſtis eſt Attice.* Et quod de Attica dicit Varro, illud firmat *Ælian. l. 5. cap. 14. Var. hiſtor. p. 179.* βοῦν ἀρότην καὶ ὑπὸ ζυγὸν πονήσαντα σὺν ἀρότρῳ· ἢ καὶ σὺν τῇ ἁμάξῃ μηδὲ τοῦτον θύειν, ὅτι καὶ οὗτος εἴη ἂν γεωργὸς καὶ τῶν ἐν ἀνθρώποις καμάτων κοινωνός, id eſt, *Bovem aratorem, qui jugum trahit, vel cum aratro, vel cum plauſtro ne mactes: quoniam ille etiam eſt agricola, & humano generi laborum ſocius.* Sed videndum *Tertiò*, qualis iſte honor fuerit, quo AEgyptij qui benemeritorum memoriam ſacris ad poſteros Symbolis propagarent, Joſephum proſecuti ſint? Is dubio procul ab initio fuit civilis. Sed dicis bovem fuiſſe alitum à Sacerdotibus, & pro Deo cultum. Reſp. Nemo iſtum honorem temerè dixerit divinum, quòd in memoriam Joſephi, qui famis tempore AEgyptum conſervaſſet, bos aleretur à Sacerdotibus, ac populo etiam cum grata ejus beneficij commemoratione monſtraretur? Interim honorem iſtum, qui antea civilis erat, tandem degeneraſſe in divinum non nego, cœterùm abſque Joſephi culpa, præcipuè ſi iſte poſt mortem demum ipſi tanquam conſervatori Ægypti datus fuerit. Ejus quoque tàm lene & amabile imperium fuit, ut eô mortuô, luctus fuerit maximus totâ Ægyptô, atque ita cuncti certatim quoſuis in eum congeſſerint honores. Acceſſit, quòd uxor ipſius fuerit filia Sacerdotis Heliopolitani cui maxima per Ægyptum erat autoritas. Fortean tempore Imperij ſui Joſephus quoque multos ex iſta familia, cui innitebatur, ad magnos evexit honores? Hinc quia tàm præclarè meritus fuit de tota Ægypto acceſſit fortean tàm inſignis affectus erga domum Joſephi, quæ multis Pro-

 ceribus

ceribus pariter & Sacerdotibus sanguine erat conjuncta. Quin imò & ipsi Memphitæ vel sola æmulatione induci potuerunt ad honorem istum in memoriam Josephi introducendũ, ne qua ex parte ipsi viderentur inferiores Heliopolitanis. Duo itaque boves sacri quorum Heliopolitanus dicebatur Mnevis: Memphiticus autem *Apis* fuerunt, uti nominibus quoque eos distinguit *Strabo l. 17.* Unde *Apim διακριτικῶς* seu distinguendi causa Memphitem bovem appellat *Tibullus l. 1. Eleg. 7.* Cumque Heliopolitani suum dicassent *Soli*: Memphitæ suum sacrarunt *Lunæ*, quod traditum *Æliano l. 11. c. 11.* Utrumque tamen *Osiridi* dicatum ait *Diodorus in primo.* Et favet de Apide etiam *Plutarchus lib. de Iside & Osiride.* Ubi ex Ægyptijs Sacerdotibus se ait accepisse, *Apim eundem esse atque Osirim, ipsique Apim esse Osiridis animam* arbitratur. *Facileq; hæc conciliantur. Nam Μνεῦις est Osiris antiquior, qui cum Iside agriculturam docuit Ægyptios; Apis vero est Osiris iunior, qui proprio nomine* Josephus. *Honoratior eorum Apis; nempe quia recentius & excellentius esset beneficium Iosephi, quàm Mnevis, Heliopolitani autem, ubi viderunt majorem esse gloriam bovis Memphitici, dicebant,* Mnevim suum esse patrem Apidis, *putà quia ad Mnevis exemplum Apis esset inductus.* Quod è Plutarchi memorato. Isidis & Osiridis libro se desumsisse fatetur Vossius. *Quartò* quod illud sacrum de bove Ægyptiaco non nisi Josepho quàm optimè possit accommodari, ita ulterius ostendit *Vossius pag. 219.* ex Apidis & Serapidis nominibus. Nam quia lingua Ægyptiaca & Hebræa quidem in non paucis discreparunt, in plurimis tamen etiam convenerunt, hinc putant: *Apis nomen fuisse illud, quô Iosephus in sacris nuncupatus est.* Nempe ut exprimat Hebræum *AB* pater: unde Syriacum *ABBA*; & quia *AB* non solum immediatè dicitur pater, sed etiam avus, proavus, abavus &c. ideò Latini ex Hebræo *AB* formarunt *avus.* Jam verò, quæ appellatio Josepho accommodatior, quàm *AB* sive *Patris*, utpote qui fuerit totius AEgypti nutritius. Quin ipse *Iosephus Genes. 45. v. 8.* dixit fratribus suis ad Patrem Jacob reditum parantibus: *se constitutum esse in patrem Pharaonis.* Imò huc fortean pertinet, quòd Pharaonis jussu acclamatum ante eum sit *ABRECH*, quod *Onkelus* componit ex *Ab* Pater: & *Rech* Rex. Et si placet interpretatio *R. Iuda*, Patris vocabulum ei convenit, nam illud ipse compositum esse arbitratur ex *AB* pater: & *Rach* tener. Ut pater dicatur *ratione Senilis prudentiæ*: Sed *Tener* propter iuvenilem, & teneram ætatem: quandoquidem triginta

inta saltem annorum erat, cum ad præfecturam AEgypti eveheretur. Vox Apis igitur Josepho est indita ob paternam curam, vel senilem prudentiam, & syllaba *is* in vocabulo *Apis* est saltem vocis istius productio. *Quinto* è nomine *Serapidis* vel etiam *Sarapidis Vossius pag. 221.* suam assertionem nititur stabilire. Nam quia Apis idem est atque Osiris, eò arbitrantur nonnulli ex *Osir & Apis* prius fuisse *Osirapis*, postea præcisâ principe literâ *Sarapis*, quod apud *Clementem Alexandrinum extat in Protreptico.* Nec minus tamen placet esse ex *Sor*, quod bovem significat, & *Apis*, ut significet bovem patrem, id est, *patrem regni Ægyptiaci Josephum Symbolo bovis signatum.* Vel ut sit ex *Apis*, & *Sor*, hoc est, *Princeps*, quasi dicas *Princeps Apis.* Nam *Sur* denotat Hebræis *dominari*, unde *Sar* Princeps, quod vocabulum *Josepho* melius, quàm *Pharaoni* conveniit, unde Apis est Josephus. Quæ *Vossius p. 221. & 222.* ulterius contra Scaligerum putantem: Sarapim non fuisse Ægyptiorum Deum patrium, sed ἐπίθετον seu inquilinum, non adducam; In ijs tamen, quæ in compendium redegi, & pro meliore intellectu hujus Dei, cujus Oraculum mox sum interpretaturus, me non peccasse existimo, quòd liber Vossij non sit in omnium manibus, ipseque etiam hoc argumentum aliquando diffusius tractaverit.

V. Quoniam verò Ægyptij in magno honore habuerunt Apim, & distinctis locis Boves duos tanquam publicos Deos coluerunt; inde etiam dubio procul originem traxit vitulus ille aureus, quem Israëlitæ sibi in deserto erigebant, cùm Moses ad Deum in montem evocatus moram haut parvam in redeundo faceret. Ita *Lactantius lib. 4. c. 10. p. 376. Divinar. Instit.* hac de re loquitur. *Cum Moses Dux* Israëlitarum *in montem ascendisset, atque ibi quadraginta diebus moraretur, aureum caput bovis, quem vocant Apin, quod eos in signum præcederet, figurarunt.* Inde dixit Aaron ad populum: *Ecce Dij tui Israëli qui te eduxerunt ex Ægypto.* Quibus verbis itidem Jerobeam *1. Reg. c. 12. v. 28.* cum duos vitulos fecisset, & unum in *Dan*, alterum in *Bethel* posuisset, populum sibi subditum, ne is teneretur statis temporibus Hierosolyma proficisci, & ibi sacra facere ad præcavendum defectum, allocutus est. *Ecce Dij tui Israël, qui Te eduxerunt ex Ægypto.* Aptum huic rei testimonium legitur apud Hieronymum ad c. 4. Hoseæ: *Videtur*, inquit, *idcirco mihi populus Israël in solitudine fecisse sibi vituli caput, quod coleret, & Jeroboam filius Nabath vitulos aureos fabricatus, ut quod in Ægypto didicerant, Ἄπιν καὶ*

Mnevin, qui sub figura bovis coluntur, esse Deos, hac in sua superstitione servarent. Locum exhibet *Jacob. Ouzelius ad Minuc. Felic. p. 162.* Causam aliam, quare Israëlitæ sibi vitulum fecerint in deserto, reddit *Benedict. Pererius ad c. 31. Genes. v. 28.* nempe, ut, cum ipsi in deserto duriora cogerentur pati, cultu Apidis remedium inopiæ sibi parare possent. Verba ejus sunt: *Videret superstitiosa gens Hebræa Ægyptiorum in bovis cultu solennitates, dum in Ægypto commorans iis adhuc commisceretur, vidit & causam tanti cultus, nimirum bonorum terrenorum inde redundantiam: quare dum duriora in deserto subirent, eos sibi subitò Deos, qui inopia remediari possent, quales ipsi cum Ægyptiis Apides existimabant, asciuere.* Sed quomodo formatus ille in deserto vitulus fuerit, curiosi fortean scire desiderabunt. *Paulus Fagius ad c. 32. Exodi. n. 2. fol. 674. in Tom. 1. Critic. Sacror.* putat: Aaronem diu restitisse petitioni populi, & omnem operam impendisse, ut differret negotium istud in adventum Mosis. Ideo jussit, ut de auribus suis populus rumperet inaures aureas, quod ipse non futurum existimabat. Proinde conjecit, ut Rabbini docent, omne aurum & argentum in ignem, ut si populus tam pretiosiæ rei dispendium videret, pœnitentia ductus à proposito eò facilius desisteret. Scriptura tamen dicit: *Aaronem stylo formasse vitulum.* In Hebræo texto est *Iatzar bacheret*, id est, graphio figuravit, sive ut habent LXX. Interpretes ἔπλασεν ἐν τῇ γραφίδι. Quæ verba quidam ita intelligunt, ut Stylus ille fuerit formula ac typus, in quem Aaron projecerit aurum, quod fusum expresserit vituli similitudinem, nam in textu sequitur: *Fecit ex eo vitulum conflatilem.* Alij verò per *Stylum* intelligunt *Scalpellum*, id est, instrumentum artificum deaurantium, quo deaurant & exsculpunt, sicut qui describunt literas in tabulis. Et ita, uti referunt, vitulus est effectus, non quod in fornacem sit conjectus, & imago in igne coaluerit; sed conflatum est totum aurum in fornace per ignem in unam massam, & illa rudis massa postmodum formata est, quæ exijt in vituli imaginem: simili modo, uti fit ab illis, qui sigilla & vasa aurea exsculpunt. *Selden. in lib. de DIS Syris Syntagm. 1. c. 4. p. 138.* non malè conjectat, quando vult: Vitulum istum fuisse *Idolum conflatile, nec facilè intelligi, quid stylo fecerit* Aaron, *nisi quod notas Apidis, aut ejusmodi quid insculpserit. Quaem massam inprimis conflatam volunt Hebræorum nonnulli, inde vituli figura scalpelli seu styli opera donatam.* Res itaque eò tendit, ac si Aaron scalpello notas seu Characteres Apidi aliàs inscribi solitos rudi isti massæ

infor-

formam animali figuratæ insculpserit. An verò integer vitulus fu-
it conflatus, an saltem vituli caput, hîc disputare non est necessum,
robabilius erit, integrum vitulum fuisse confectum. *Johan. Stephan.*
Menoch. l.4.c.3. n.13. p. 408. de Repub. Hebr. Vlterius & hic sub quæstionem
catur : An populus Israëliticus tantum peccatum commiserit istius
tuli confectione ? Nam quidam rigidè defendunt, *quòd universâ*
assâ in ignem proiectâ exierit quidem vitulus, non artis & ignis virtute,
i Hebræi docent; sed quòd in populo Israëlitico magna adhuc esset Ægy-
tiorum colluvies, ubi etiam Magi deprehendebantur, qui sua arte id ege-
nt, ut præter omnem expectationem egrederetur vitulus. Ita Isidorius
larius *ad c. 32. v. 2. Genes. fol.678. Tom. 1. Criticor. Sacror.* Quo cum ex-
arte facere videtur *Selden. de DIS Syris Syntagm. 1. c. 4. p. 138.* dum ita
t : *Magorum ars, eorum scilicet, qui ex Ægyptis proselyti erant, aliis hic*
tere videtur. Etiam ipsum ignem ex auro liquefacto vitulum formâsse pu-
runt nonnulli Hebræorum. Deinde, non dicit Sacer Codex, quod
aron populum Israeliticum abduxerit à vero Deo; quando-
uidem 1. omnibus constabat, vitulum non eduxisse populum ex Æ-
ypto. Et 2. quando Aaron indicit festum, non vituli vel Apidis sed
sius Jehovæ festum indicit. Ut exinde peccatum istud tam magnum
on videatur, uti à quibusdam exaggerari solet. Verùm Resp. nihil
st, quod pro excusatione populi Israelitici adducitur. Nam licèt iste
on statim à verò Deo desciverit; descivit tamen à vero ejus cultu, &
ub bovis aut vituli imagine sacrosanctum istud Numen colere voluit,
uod est impium. Et quantumvis Israelitæ putarint, observantiam suam
on in vitulis, sed in ipso vero Deo sisti; attamen, quoniam Deus ejus-
nodi cultum gentilem aversatur, & velut à se repellit, non potest ho-
os iste per vitulos ad Deum transferri, sed in ipsis vitulis terminatus
st. Vide *Vossium l. 1. c. 3. p. 19. & 21. Idolatr.* Porro *Stephanus Act.7.v.41.*
isertè istum vitulum vocat *Idolum.* Præterea Moses post descensum
e monte gravi zelo correptus exprobrat Aaroni, quòd populum in
am horrendum peccatum dilabi passus fuerit. Quin Deus propterea
opulum istum ob tantam Idololatriam voluit deperdere, nisi Moses
recibus istud impedivisset. Ipse quoque Moses ne tàm horrendæ I-
ololatriæ superesset vestigium, vitulam redegit in cineres, quos post-
a projecit in torrentem, ut ipsi Israelitæ, cùm ex aqua ista biberent,
nà cum aqua imbiberent & absorberent cineres Dei sui. Illud interim
opprobrium gentis Judaicæ effectum est, quasi istis Judæis, qui pota-
runt

runt de pulvere vituli incinerati exinde rubras & aurei coloris barbas acceperint. *Galleus ad l. 4. 10. p. 376. Lactantii Divin. Institut.* Verùm missis istis propius ad rem accedere oportet, & quidem.

VI. De *Imagine vel Statua Serapidis* aliquid dicendum est. Et primò videndum, quomodo *Macrobius l. 1. Saturnal. cap. 20. pag. 283.* imaginem istius depingit. *Eidem Ægypto*, inquit, *adiacens civitas quæ conditorem Alexandrum Macedonem gloriatur, Sarapin atque Isin cultu penè attonitæ venerationis observat: omnem tamen illam venerationem Soli se sub illius nomine testatur impendere, vel dum calathum capiti ejus infigunt, vel dum simulacro signum tricipitis animantis adiungunt; quod exprimit medio eodemq; maximo capite leonis effigiem. Dextra parte caput canis exoritur mansueta specie blandientis: pars verò læva cervicis capite rapacis lupi finitur; easq; formas animalium draco connectit volumine suo, capite redeunte ad Dei dextram, quâ compescitur monstrum.* Incomparabilis Kircherus *Tom. 1. Syntagm. 3. c. 5. p. 198.* Oedipi Ægypt. exhibet imaginem Serapidis juxta Macrobij descriptionem, eamque interpretatur. Nam, ait, qui Solem hinc interpretantur, ex capite Leonis tempus præsens indicari volunt: quòd ejus conditio inter præteritum futurumque actu præsenti valida sit fervensque; præteritum ex lupi capite conjiciunt, quòd animal sit oppidò obliviosum, oblivio autem de præterito est, futurum ex abblandientis canis effigie, quod est indicium spei, quæ semper nobis adblanditur. Spes verò semper de futuro est. Quid verò serpens sibi velit, *Cyrillus* manifestat: *Temporis*, inquit, *signum serpentem fingunt, eò quod in longitudinem porrigitur, & multis complicatur spiris, quæ sunt multa dierum annorumq; series, taciteq; proserpit, nullo editô strepitu juxta illud Maronis*: Atque in se sua per vestigia labitur annus. Addit tamen *Kircherus fol. 199.* & aliam supressæ caudæ rationem, quòd nimirum tempus vel à præterito, vel à præsenti, vel à futuro consideretur, quæ omnia incerta nobis sunt. *Præteritum* siquidem intueri minimè, neque mente quidem concipere possumus; *futurum* longè minus, quod nondum sit, & finis ejus prorsus ignotus. *Præsens* verò cùm sit instabile velocissimumque, vix percipi potest. Verùm quia hoc potius Græcorum commentum quàm Ægyptiorum doctrina est, ideo, relictô illô commentô, dici potest: Serapim ex interpretatione Ægyptiorum esse *Spiritum seu harmoniam mundi*, quod indicium est certum, quoniam Ægyptij istud simulacrum ex omnibus mundi rebus constituerunt. Fuit autem Serapidis simulacrum tàm grande, ut

utrinque

trinque latera templi Alexandrini contingeret, si fides habenda est roaldo in Comm. ad Apuleium rem ita describenti: *Apud Alexandriam mplũ fuit Serapidis Opere fornicario constructum, & mira arte visendum, quo simulacrum Dei ita erat vastum, ut dextra unum parietem, alterum va perstringeret, quòd ex omnibus metallorum lignorumq; generibus fe- batur. Erat enim dolo & arte composita fenestella, ab ortu solis ita a- ata, ut radius solaris per eam directus os & labra Serapidis illustraret, ita, inspectante populo osculo salutatus à sole videretur.* Qua de deceptione iam agit *Ruffinus l.2. c.23 fol. 201. Histor. Eccles.* locum adscribam in- grum. *In hac* (scilicet æde sacra) *simulacrum Serapis erat ita vastum, dextra unum parietem, alteram læva perstringeret: quod monstrum ex nibus generibus metallorum lignorumq; compositum ferebatur. Interio- delubri parietes laminis primò aureis vestiti, super has argenteis, ad po- remum æreis habebantur, quo munimento pretiosioribus metallis forent. ant etiam quædam ad stuporem admirationemq; videntium dolis & arte mposita. Fenestra exigua ab ortu solis ita erat aptata, ut die, qua fuerat stitutum simulacrum Solis ad Serapim salutandum introferri diligenter mporibus observatis, ingrediente simulachro radius Solis per eandem fene- ram directus os & labra Serapis illustraret, ita ut inspectante populo, osculo lutatus Serapis videretur à Sole.* Hæc ita Ruffinus. Præterea quod l Apis figuram attinet, illa antea est ex parte descripta; pauca saltem ponam, quæ illustrare poterunt istius simulachrum vel imaginem. 1. pis fuit *niger*, qui color apud Ægyptios habitus fuit in delicijs. 2. In orpore quamvis nigro habuit certas maculas candidas, sicuti & 3. in ectore candorem exhibuit: ut &. 4. In dorso figuram aquilæ, quæ cuti Princeps est inter aves, ita & Apis præ bobus reliquis omni- us excellit. 5. Cornua gerit instar Lunæ, cùm ipse quoque sit Lunæ ncer; & ea propter excogitatæ sunt tot notæ in hoc bove, quot dies unt in mense, qui computatur juxta motum Lunarem. Verùm de gura & imagine non dicam plura; Legi interim poterit *Selden. Syn- gm. l. c. 4. p 141. & seqq. de DIS Syris.*

VII. Exposita statura & imagine Serapidis, paucula sunt ad- enda de ejus templo satis illustri & magnifico. Nescio tamen an- najore perspicuitate illud fuerit descriptum, quàm à *Marcellino* l est factum, qui illud *lib. 22. pag. 252.* hisce verbis exhibet: *His ac- edunt*, inquit, *altis sublata fastigiis templa, inter quæ eminet Serapium, uod licèt minuatur exilitate verborum; atriis tamen columnariis amplis-*

 simis

runt de pulvere vituli incinerati exinde rubras & aurei coloris barbas acceperint. *Galleus ad l. 4. 10. p. 376 Lactantii Divin. Institut.* Verùm missis istis propius ad rem accedere oportet, & quidem.

VI. De *Imagine vel Statua Serapidis* aliquid dicendum est. Et primò videndum, quomodo *Macrobius l. 1. Saturnal. cap. 20. pag. 213.* imaginem istius depingit. *Eidem Ægypto*, inquit, *adiacens civitas quæ conditorem Alexandrum Macedonem gloriatur, Sarapin atque Isin cultu penè attonitæ venerationis observat; omnem tamen illam venerationem Soli se sub illius nomine testatur impendere, vel dum calathum capiti ejus infigunt, vel dum simulacro signum tricipitis animantis adiungunt; quod exprimit medio eodemq́, maximo capite leonis effigiem. Dextra parte caput canis exoritur mansueta specie blandientis: pars verò leva cervicis capite rapacis lupi finitur; easq́, formas animalium draco connectit volumine suo, capite redeunte ad Dei dextram, quâ compescitur monstrum.* Incomparabilis Kircherus *Tom. 1. Syntagm. 3. c. 5. p. 198.* Oedipi Ægypt. exhibet imaginem Serapidis juxta Macrobij descriptionem, eamque interpretatur. Nam, ait, qui Solem hinc interpretantur, ex capite Leonis tempus præsens indicari volunt: quòd ejus conditio inter præteritum futurumque actu præsenti valida sit fervensque! præteritum ex lupi capite conjiciunt, quòd animal sit oppidò obliviosum, oblivio autem de præterito est, futurum ex abblandientis canis effigie, quod est indicium spei, quæ semper nobis adblanditur. Spes verò semper de futuro est. Quid verò serpens sibi velit, *Cyrillus* manifestat: *Temporis*, inquit, *signum serpentem fingunt, eò quod in longitudinem porrigitur, & multis complicatur spiris, quæ sunt multæ dierum annorumq́, series, taciteq́, proserpit, nullo editô strepitu juxta illud Maronis*: Atque in se sua per vestigia labitur annus. Addit tamen *Kircherus fol. 199.* & aliam supressæ caudæ rationem, quòd nimirum tempus vel à præterito, vel à præsenti, vel à futuro consideretur, quæ omnia incerta nobis sunt. *Præteritum* siquidem intueri minimè, neque mente quidem concipere possumus; *futurum* longè minus, quod nondum sit, & finis ejus prorsus ignotus. *Præsens* verò cùm sit instabile velocissimumque, vix percipi potest. Verùm quia hoc potius Græcorum commentum quàm Ægyptiorum doctrina est, ideo, relictô illô commentô, dici potest: Serapim ex interpretatione Ægyptiorum esse *Spiritum seu harmoniam mundi*, quod indicium est certum, quoniam Ægyptij istud simulacrum ex omnibus mundi rebus constituerunt. Fuit autem Serapidis simulacrum tàm grande, ut

utrinque

ntrinque latera templi Alexandrini contingeret, si fides habenda est *Beroaldo in Comm. ad Apuleium* rem ita describenti: *Apud Alexandriam templũ fuit Serapidis Opere fornicario constructum, & mira arte visendum, in quo simulacrum Dei ita erat vastum, ut dextra unum parietem, alterum leva perstringeret, quòd ex omnibus metallorum lignorumq; generibus ferebatur. Erat enim dolo & arte composita fenestella, ab ortu solis ita aptata, ut radius solaris per eam directus os & labra Serapidis illustraret, ita, ut inspectante populo osculo salutatus à sole videretur.* Qua de deceptione etiam agit *Ruffinus l.2. c.23 fol. 201. Histor. Eccles.* locum adscribam integrum. *In hac* (scilicet æde sacra) *simulacrum Serapis erat ita vastum, ut dextra unum parietem, alteram leva perstringeret: quod monstrum ex omnibus generibus metallorum lignorumq; compositum ferebatur. Interioris delubri parietes laminis primò aureis vestiti, super has argenteis, ad postremum æreis habebantur, quo munimento pretiosioribus metallis forent. Erant etiam quædam ad stuporem admirationemq; videntium dolis & arte composita. Fenestra exigua ab ortu solis ita erat aptata, ut die, qua fuerat institutum simulacrum Solis ad Serapim salutandum introferri diligenter temporibus observatis, ingrediente simulachro radius Solis per eandem fenestram directus os & labra Serapis illustraret, ita ut inspectante populo, osculo salutatus Serapis videretur à Sole.* Hæc ita Ruffinus. Præterea quod ad Apis figuram attinet, illa antea est ex parte descripta; pauca saltem apponam, quæ illustrare poterunt istius simulachrum vel imaginem. 1. Apis fuit *niger*, qui color apud Ægyptios habitus fuit in delicijs. 2. In corpore quamvis nigro habuit certas maculas candidas, sicuti & 3. in pectore candorem exhibuit: ut &. 4. In dorso figuram aquilæ, quæ sicuti Princeps est inter aves, ita & Apis præ bobus reliquis omnibus excellit. 5. Cornua gerit instar Lunæ, cùm ipse quoque sit Lunæ sacer; & ea propter excogitatæ sunt tot notæ in hoc bove, quot dies sunt in mense, qui computatur juxta motum Lunarem. Verùm de figura & imagine non dicam plura; Legi interim poterit *Selden. Syntagm. l. c. 4. p 141. & seqq. de DIS Syris.*

VII. Exposita statura & imagine Serapidis, paucula sunt addenda de ejus templo satis illustri & magnifico. Nescio tamen an majore perspicuitate illud fuerit descriptum, quàm à *Marcellino* id est factum, qui illud *lib. 22. pag. 252.* hisce verbis exhibet: *His accedunt*, inquit, *altis sublata fastigiis templa, inter quæ eminet Serapium, quod licèt minuatur exilitate verborum; atriis tamen columnariis amplissimis*

 amplissimis

simis & spirantibus signorum figmentis, & reliqua operum multitudine ita est exornatum, ut post Capitolium, quô se venerabilis Roma in eternum extoll.t, nihil orbis terrarum ambitiosius cernat. In quo bibliotheca fuerunt inæstimabiles: & loquitur monimentorum veterum concinens fides, septingenta vo'umina millia Ptolomæis Regibus vigiliis intentis composita, bello Alexandrino, dum diripitur civitas sub Dictatore Cæsare, conflagrasse. Ubi Templi istius magnificentia commendatur 1. ab *atriorum amplitudine*, scilicet tam amplum hoc fuisse templum, ut magna atria illud exornarent 2. *à parietum ornamentis.* Refert namque ex alijs *Peucerus lib. de Divinat. pag. 244.* pariter triplicibus diversæ materiæ laminis aureis, argenteis & æneis obductos, & velut incrustatos, eosque ita coaptatos & inter se connexos fuisse, ut amotis anterioribus, adhuc superessent posteriores, opere planè stupendô 3. *à splendore totius ædificij*, qui elucet è comparatione hujus templi cum Capitolio apud Romanos, ædificio certè mirando, & per totum terrarum orbem satis celebri, de quo consulendi sunt Romanarum rerum Scriptores, qui in pulchritudine & incredibili artificio istius ædis describendo ferè inter se certant. Nunc refert *Marcellinus*, quòd post Capitolium Romanum nihil ambitiosius, id est, pulchrius, magis decorum, & excellentius cernat orbis, dum illud Serapeium possit cum Capitolio quoad elegantiam, & operis stupendam structuram contendere 4. *A Bibliotheca raritate.* Ptolomæus Rex Ægypti magnus librorum studiosus varias bibliothecas coëmit, & in pulchram Alexandriam transferri curavit, neque ille contentus fuit ijs, qui in Græcia, Latina, aut Ægyptiaca lingua essent scripti; Sed etiam è Judæa non sine magnis sumtibus sibi rarissima, quæ potuit, volumina comparavit. Atque ea in re usus est opera Demetrij Phalerei, qui à Chaldæis, Romanis & Ægyptiis innumera ferè scripta conquisivit, eaque in linguam Græcam subinde transferri curavit. Verùm thesaurus iste librorum in bello inter Cæsarem & Pompeium civili sed heu funesto! tandem perijt. Quo de fato tàm exquisitæ & pretiosæ bibliothecæ legi poterit *Justus Lipsius lib. de Biblioth. cap. 1. in Tom. 3 Operis fol. 627.* Templum hoc commendatur quoque à multis donarijs, quæ Reges, Principes, & alij Heroës ibi dedicarunt: illi potissimùm, qui consulendi Oraculi causa ad istud accesserunt. Interim ab Ægyptijs perpetua velut constitutione servatum fuit, ut quemadmodum Saturni, ita & Serapidis templa ipsi intra civitates & oppida non admitterent; sed illa saltem extra
eas

as construi concederent, cujus causam suppeditat Italiæ decus *A-tanas. Kircher. part. 1. Synt. 3. c. 5. fol. 199. Oed. Ægypti.* Scilicet: *Ut ve-ti pervigiles & excubitores Deos extra pomœrium & in suburbiis sedes abere permitterent, tanquam illorum nomine & favore validis septi præ-diis forent; proq; aris focisq; ac Deorum templis, & solo, in quo nati essent, cumbarent, illorumq; ministerio & opera ab hostili incursu & clandestinis sidiis se tutos annotarent.* Legi tamen & aliam rationem, quare Se-pidis templa in Ægypto extra urbem fuerint condita; scilicet, ut a-ricolæ eum potissimùm invocarent tanquam fertilitatis præsidem & romotorem. Istud enim hominum genus, quod agros colit, potius tra civitates, quàm in ijs habitare consuevit.

IIX. De ipso Serapidis Oraculo aliquid dicendum. De quo ucianus *Tom. 3. Dial. de Astrolog. pag. 257.* ait: *Apis apud illos,* scilicet, *Ægyptios regionem sortitus est: & qui eam incolunt partem, Oraculum quoque decarnat, signum videlicet divinationis, quam à cœlesti Tauro pe-unt.* In specie verò, quomodo Oraculum istud in respondendo se ge-at, exponit *Plinius l. 8. c. 46. p. 158. Natur. histor.* & quidem verbis se-uentibus: Sunt Api delubra gemina, quæ vocant thalamos, augu-a populorum. Alterum intrasse lætum est, in altero dira portendit. *Responsa privatis dat, è manu consulentium cibum capiendo.* Quod cla-ius explicat *Alexander ab Alexandro l. 6. c. 2 fol. 611. Genial. dier.* Re-ponsa dabat, non ut reliqua Oracula, sed si oblatum pabulum sumsis-et à consulentibus secundos eventus, atque omnia prospera decer-nebat: si verò pabulum sumere abnueret, in dubio mala & memo-andis cladibus casura divinabat. *Peucerus in lib. de Divin. pag. 244.* e genere respondendi sequentia refert, etiamsi Autorem, unde istam ententiam desumserit, non addat. *Memphi ex vacca,* inquit, *Heliopoli x bove Mnevo, in Arsinoe ex Crocodilis conjectati sunt de futuris. Prout nim oblatas escas vel accepissent, vel aspernati fuissent, & sic feliciter & ptatos exitus, vel contra graves luctus, repentina incommoda dira ac pe-ifera omnia præmonstrare putabantur.* Equidem Crocodilum cultum uisse ab Ægyptijs omni caret dubio, cujus causam assignat *Diodorus Siculus l. 1. pag. 80. Biblioth.* panem, carnem, & vinum ipsi suppeditarunt peregrè advenientes, qua de re testem habeo *Strabonem lib. 17. fol. 810. & 812* qui egregiè totum hoc narrat verbis sequentibus. In urbe Ar-inoe, quæ olim Crocodilorum urbs dicebatur, & tota illa præfectu-a *mirum in modum colitur Crocodilus, & est sacer apud eos in lacu que-*

dam seorsim nutritus, & sacerdotibus mansuetus, ac Suchus vocatur. Nutritur autem pane, carne ac vino, quæ à peregrinis afferuntur ad ejusmodi spectaculum venientibus. Hospes noster, pergit Strabo, qui nobis sacra commonstrabat, ad locum unà accedens placentulam & carnem assam, & quoddam mulsi vasculum è cœna attulit. Bestiam in ripa lacus invenimus, ex Sacerdotibus alij ejus os aperuerunt, alius placentam ingessit, postea carnem, deinde mulsum infudit, ille in locum desiliens in ulteriorem partem traiecit: Attamen nihil habet de modo vaticinandi ex præbitione ciborum; sicut nec *Herodotus*, qui tamen *lib. 2. cap. 69. fol. 116.* de cultu Crocodilorum non contemnenda affert. Nam ait: *quibusdam Ægyptiorum Crocodili sacrosancti sunt: quibusdam non sunt, sed veluti hostes exagitant. Sacros admodum esse eos existimant, qui circa Thebas & Mœrios stagnum incolunt: quorum utrique unum ex omnibus Crocodilis alunt cicurem & edoctum manu tractari, appendentes e us auribus vel gemmas, vel ex auro fusiles inaures, & primoribus pedibus catenam innectentes, cibaria quoque accommodata & sacra præbentes, consectantur tanquam pulcherrimè viventem. At ubi mortem obiit, sale conditum sacris in urnis sepeliunt.* Nihilominus, quod neque Strabo, neque Herodotus tradit, & à Peucero allatum est, deprehendere licebit apud *Ælianum l. 8. c. 4. p. 478. de Histor. Animal* utpote qui narrat, signum esse mali ominis, quando Crocodilus objectum cibum non vult devorare, sed illum rejicit: quod illustrat exemplo Regis Ptolomæi, qui cum ex Crocodilis antiquissimum & præstantissimum appellaret, non fuit exauditus. Et cum cibaria ei comedenda objecisset, ea Crocodilus rejecit. Inde Sacerdotes collegerunt, quòd Crocodilus cibum capere noluisset, inde is prænoverit, Ptolomæum esse vicinum ad moriendum. Verùm *Lilius Giraldus Syntagm. 1. de Histor. Deor. fol. 99.* solum Apim responsa dare scribit, & quidem ita: Mitto reliquam Ægyptiorum superstitionem, & falsarum opinionum ineptias, qui Apim præcipuo honore venerati, solum responsa dare, & prosperos eventus ac futuras calamitates præmonstrare fabulantur. Plinius ibidem in pandendis Oraculis solius Apidis facit mentionem, qui *fol. 158.* hoc addit, quòd Bos Apis, cùm se proripuit in cœtus, secretus incedat submotô lictorum strepitu, *grexq; puerorum comitetur carmen honori ejus canentium, & tum intelligere videtur: Se adorari velle. Hi greges repente lymphati futura præcinunt.* Illud quoque præterire nequeo, quod idem *Plinius cit. loco* de Crocodilis in loco Nili, quem vocant Phialam, latentibus narrat;

narrat; nam ait, *Memphi est locus in Nilo, quem à figura vocant Phialam, omnibus annis ibi auream argenteamq́; pateram mergentes, diebus quos habet natales Apis; septem hi sunt, mirumq́; neminem per illos à Crocodilis attingi: octavo post horam diei sextam redire belluæ feritatem.* Si verum est, quod narrat Plinius, mirum alicui videri possit, unde Crocodilis tanto dierum spatio, cùm Apidis natales celebrantur, tàm mansveta contingat natura, ut contra vim ingenij sui, atque ita innatos mores à læsione hominum abstineant; elapsò autem isto festò statim post horam sextam diei octavi naturalem suam feritatem recipiant: Sed quid aliud dicemus, quàm tale quid singulari quadam astutia Dæmonis interveniente Magorum opera in incantandis istis belluis evenire. Quid enim Crocodilus novit de Apide, an sit Deus Ægyptiorum nec ne? quid intelligit de ejus natalibus? multò minus scit, natales istos in ejus honorem publico subinde indicto festo celebrari. Nulla præterea inter istos est quædam cognatio naturalis, ut Deus inferior in reverentiæ signum, quando superioris natales quotannis recoluntur, velit suam feritatem deponere, atque ita publicam istam lætitiam sua crudelitate non turbare.

IX. Restat adhuc, ut de illis videamus, qui hoc bovinum Oraculum consuluerunt. Ita Germanicus Cæsar consuluit Serapidis Oraculum. Is enim cum bovi isti cibum exhiberet, tum noluit istum accipere, sed illius manum aversatus est. Quod tristem exitum, & futurum malum denotavit. Neque omen istud caruit successu, quandoquidem non multo pòst Germanicus est extinctus. *Plin. l. 2. c. 46. p. 158. Histor. natur.* De quo itidem *Ammianus Marcellin. l. 22. p. 245.* narrat sequentia: *Cum, initiante antistitum numero centum, inductus in thalamum esse cœperit sacer, conjecturis apertis signa rerum futurarum dicitur demonstrare: & adeuntes quosdam indiciis averti videtur obliquis, ut offerentem cibum aliquando Germanicum Cæsarem, sicut lectum est, aversatus portenderit paulo pòst eventura.* Verùm non tantùm nutu, aut externo quodam indicio bos vivus, qui Apis dicitur futura prænunciavit; sed etiam Serapidis simulacrum, aut Antistites istius Dei ex signis mentem istius sunt interpretati. De *Hannibale* legimus, quòd post tàm magnam acceptam cladem in Asiam ad Prussiam Bithyniæ Regem recipere se voluerit, prius Oraculum Serapidis consuluerit, à quo hoc audivit, Λιβύσσα κρύψει βῶλος, Ἄννιβαλ, τεὸν δέμας.

Hannibal, Lybyssa tegat corpus tuum. Quo responsô impetratô, aliquantum quidem exhilaratus est, quòd suæ tandem civitati se reconciliatum iri speraret, & senectute inter suos placidè traductâ tandem in patria consecuturum esse sepulchrum ex autoritate Oraculi sibi certissimè persvaderet. Verùm istac sua interpretatione & spe deceptus, seipsum veneno dicitur occidisse, quòd ad preces Romanorum à Prussia Rege insidias sibi strui animadverteret. De hoc responso dubitatur, an à Jove Ammonio, an verò à Serapide illud datum fuerit? Supra enim *cap. 3. n. 13. p. 305. & 306.* de hac historia egi, & retuli, ac si Hannibal Jovis Ammonij Oraculum consuluisset, sed adjeci quoque è *Plutarcho in vita Flaminii. fol. 380.* quòd is veteris cujusdam Oraculi quidem de Hannibalis exitu mentionem fecerit; attamen non addiderit, à quonam Deo illud sit prolatum: inde *Josephus Veccius* ibi cit. loco, conjectat: Plutarchum respicere ad Oraculum Serapidis, à quo responsum istud Hannibali sit redditum. Verùm fieri facilè potuit, ut historici diversas, vel incertas narrationes de hoc Oraculo perceperint, & ita non eandem sententiam publicis monumentis inseruerint. Alexandro quoque Serapis respondit de curatione morbi, quo tum ipse correptus lethaliter decumbebat. Etenim, sunt verba *Arriani l. 7. pag. 499. & 500. de Exped. Alex.* in diarijs continetur in Serapidis æde pernoctasse Pythonem, Attalum, Demophontem & Peucestam. Et *percontantibus Deum, an melius satiusq́; esset, Alexandrum in templum, ut à se curaretur, deferri, Oraculum redditum: Non oportere eò deferri; sed melius ei fore, si ibi maneat.* Quod amici Alexandro renunciarunt, neque multò post is decessit, quasi id magis in rem ipsius esset. *Boissardus in lib. de Divinat. p. 133.* dicit, ad Serapidis prædictiones responsum, quod *Thulidi Ægyptiorum Regi* reddidit, cùm scilicet is sciscitaretur de vero Deo, quis nam ille esset, & quomodo postularet se coli; Oraculum ita se habet:

> *Πρῶτα Θεὸς, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτῷ*
> *Σύμφυτα δ' εἰν ἐσὶ πάντα τάδ' ἐςί, καὶ εἰς ἓν ἰόντα,*
> *οὗ κράτος αἰώνιον: Σὺ δὲ ὠκέσι πόσι βάδιζε*
> *θνητὲ, ἄϊδηλον διάγων βιότοιο τελευτήν.*
> *Principio Deus est, hinc Verbum, & Flaminis aura,*
> *Unum Numen idem tribus est, naturaq́; consors*
> *Cujus vis æterna: Sed hinc pede Te ocyus aufer,*
> *Mortalis peragens incerti limitis ævum.*

Quo

Quo responso Dæmon fatetur unum quidem Deum, sed tribus personis distinctum. Licêt impuri Spiritus quandoque & vera sint locuti; tamen non existimo hoc Oraculum esse genuinum, cumprimis, quia adhuc dubium est, an Dæmon eo tempore veram & explicitiam notitiā de venerando ac tremendo sanctissimæ Trinitatis mysterio habuerit.

X. Quamvis etiam in templo Serapidis fatidica somnia dormientibus fuisse immissa à nonnullis credi cœperit, uti *Veccius l.* sæpius citato, hæc verba controverso Hannibalis Oraculo adijcit: *Nescio an in memoriam Josephi somniorum interpretis in Serapidis templo consulentibus per somnia futurorum notitia fuerit manifestata, quod tanquam incertum negligo;* tamen non recordor me legisse, quod Oraculū hoc per insomnia responderit consulentibus, nisi apud *Peucerum & Simon. Maiol. f. 360. Dier. Canicul.* Credo interim illis non defuisse autoritatem & testimonium firmum, quo assertio istæc probari queat; Nihilominus tamen, quod istæc divinandi aut futura manifestandi ratio à Josepho traxerit originem dubito exinde. 1. Quod nullum extet vestigium, quo tempore post Josephi obitum Serapidis Oraculum cœperit; etiamsi is statim divinis honoribus cultus fuisset per totam Ægyptum, ob insigne beneficium conservationis isti regioni præstitum. 2. Adhuc incertum est, an in somnijs futurorum notitia consulentibus ibidem fuerit manifestata. Alexandri quidem Legati in templo Serapidis dormiverunt; sed *Arrianus* non refert, dormientibus per insomnia ab Oraculo responsum de curatione Regis fuisse redditum. Et si. 3. istæc narratio seu assertio de Oraculis per insomnium redditis esset vera, unde poterit hoc probare in memoriam Josephi bi tale conditum fuisse Oraculum, quòd consulentibus responsum dederit per somnia. Neque 4. juvat, ea quæ de Apide hactenus dicta sunt, Josepho posse accommodari; nam hoc quidem concedo de cultu divino: An verò inde statim liceat ad Oraculum ipsum argumentari, quasi Dæmon in Josephi honorem voluerit consulentibus beneficio insomnij futura aperire illud est de quo dubitatur. Equidem 5. probabile videtur, voluisse Dæmonem populum Ægyptiacum in Idololatria ista de colendo Apide beneficium Josephi Ægyptijs præstitum repræsentante continere, & eum in finem Oraculum instituere, quod hominibus responsum redderet per insomnia, ut ita Josephi, qui somnia feliciter interpretatus esset, memoria conservaretur; attamen, quia jam tum populus Ægypti fuit infidelis, & infinitis ferè superstitionibus deditus, in sacra au-

tem ſcriptura non legitur, Joſephum de doctrina veri Dei populum iſtum informaſſe, neque eum ob finem potiſſimùm inde fuiſſe miſſum; hinc deficiet ratio, quare voluerit Dæmon in memoriam Joſephi, quæ videtur ſucceſſu temporis exoleviſſe, Oraculum quærentibus per inſomnia reſpondendi inſtituere. Interim cuilibet in incertis ſuam ſententiam relinquo integram.

CAPUT XII.

DE ORACULO AMPHIARAI.

I.

AMphiaräus apud Græcos celebris extitit ob divinationis peritiam, ita, ut apud multos ipſius nuda verba aut conſilia vim præcepti obtinuerit, veluti ab Amphiarai ſententia non licuerit recedere aut diſſentire. Certè nemo ob famam certitudinis in futuris prædicendis ab ipſius elogio voluit facere divortium; ſed ipſius judicium ſecutus eſt in omnibus non aliter atque Oraculi effatum, idque ideo, quod crederetur, ipſum nihil abſque divina inſpiratione eloqui. Cum verò inter Eteoclem Thebanorum Regem, & ejus fratrem Polynicen exortum eſſet bellum, Amphiaraus autem iſti intereſſe rogaretur, utpote è cujus præſentia & conſilio proſper aut in felix Martis eventus ſperaretur, ipſe prius Oraculum conſuluit, à quo tamen reſponſum accepit, quòd iſto in bello eſſet moriturus. Quod fatum ut evitaret, occultavit ſe in loco abſtruſo, eumque nemini præter uxorem Eriphylen aperuit. Quæ tamen tanquam avara mulier, ſepoſitâ fide conjugali, acceptisque ab Adraſto fratre muneribus maritum latentem detexit, eumque prodidit. Quo factò è loco, in quo deliteſcebat extractus arma ſumere, & unà Thebas proficiſci coactus fuit. Quam perfidiam ſuæ conjugis filio Alcmæoni aperuit, eumque juſſit, ut acceptò nuntiò de ſua morte, Eriphylen ob iſtud crimen interficeret. Poſtea cum cœteris Thebas quidem profectus eſt; verùm eodem die, quo caſtra erant poſita, horrendo terræ motu abſorptus perijt. Quo de mortis genere habemus veſtigia apud *Pauſaniam l. 9. p. 507.* qui ita loquitur: *Qua eſt à Potniis Thebas iter, ad viæ dexteram circumſepta eſt columnis non magna uſique area.*

area. Ibi terram discessisse credunt, cùm Amphiaraus subitò soli hiatu est absorptus. Et pag. 521. ait : *Cernuntur inde urbium Harmatas & Mycalessi ruinæ; illi tamen, quod eo in loco Amphiaraum cum curru in terræ voraginem descendisse, Tanagræi memorant.* Verùm *Strabo lib. 9. pag 404. Geogr.* refert : Amphiaraum è curru prolapsum obiisse, & currum ejus vacuum delapsum esse in locum, ubi nunc ejus est Sacellum. Verba Strabonis ita se habent : *Quod ad Harma Boeotium spectat, sunt qui dicunt, Amphiarao in pugna è curru prolapso ibi, ubi nunc est ejus sacellum, currum vacuum delatum esse ad locum, qui ab eo Harma vocatur.* Filius Alcmæon, postquam parentis interitum rescivit, matrem occidit, unde furijs agitatus patriam deseruit, donec ad Phlegæum fluvium lustratus, & à parricidio tandem expiatus est.

II. Verùm relictâ hac sive historiâ sive fabulâ : *Oropii* in Attica primùm Amphiarao divinos decreverunt honores, eumque in Deorum numerum receperunt, recepto autem aras pariter & Sacerdotes solenniter dedicarunt. De eo scribit *Pausanias l. 1. p. 62.* ita : *Primi omnium Oropii Amphiaraum in Deorum numerum retulerunt, quos reliqui Græci secuti sunt.* Cicero quoque refert: ejusmodi honorem à Græcia collatum fuisse Amphiarao, quando *in lib. 1. de Divinat. c. 40. fol. 188.* scribit : *Amphiaraum autem sic honoravit fama Græciæ, Deus ut haberetur.* Causa hujus alia haut fuit, quàm peritia divinandi, quâ ipse cùm adhuc viveret, excellebat. Etenim ob istam scientiam jam tum vivus in magna constitutus erat gloria, ita ut plurimi eum venerarentur, & ab ipsius dictis non aliter quàm ab Oraculi elogio suspensi hærerent. Mortuus itaque in ordinem Deorum adscriptus & velut Deus cultus fuit.

III. Templum insigne in ejus honorem conditum fuit. Quod iterum indicat *Pausanias d. l. pag. 61.* Apud Oropios, ait, *est templum Amphiarao extructum.* Et scribit *Strabo l. 9. pag. 404.* Quod fanum Amphiarai imitatione ejus, quod est ad Cnopiam Thebaicam dedicatum fuerit. Duo cumprimis memorant nonnulli de fano Amphiarai (1.) Illud fuisse conditum è marmore, qui lapis olim magno in pretio habitus est, ut exinde ejusmodi ædes inter pretiosa monumenta non immeritò relata fuisse dicatur. (2) conditum istud fuisse magna adhibita arte. Nam cum novo isti Deo debuerit templum erigi, dubio procul, ex arte illud cœpit ædificari, quoniam isto quidem ævo architecti visi sint quodammodo ad artis suæ majorem perfectionem

 conten-

contendere. Fuit tamen ex arte extructum templum, prout eâ quidem ætate condi potuit secundum rationem perfectionis ad quam tum temporis ædificandi scientia pervenerat. Citra controversiam tamen templum istud creditur fuisse insigne, cujus famâ etiam Apollonius Thyanæus commotus illud videre voluit, quod narrat *Philostratus l. 4. c. 8. fol. 180. de Vita Apollon. Thyanæi.*

IV. Statua Amphiarai è marmore fuit pulchè erecta; *Pausanias l. 1. p. 61* vocat: *candidum lapidem*, è quo formata fuit: & quidem habitu militari, idque ideo, quia præter animi intentionem raptus fuit in bellum Thebanum. Refert *Philostratus lib. 1. fol. 771.* de Amphiarao, quod reliquis armis munitus quidem fuerit; sed galeam non gestaverit, utpote qui Apollini caput dicaret illudque tanquam sacrum & vaticinijs aptum intueretur. Statuam istius venerati suntutpote Deificati imaginem: cùm primis tamen Thebani, qui Amphiaraum quoque veluti Patronum & Defensorem in rebus adversis sibi eligere voluerunt, licèt ejus Oraculum nonconsuluerint. Uti infra dicam. Alij tamen præcipuè rerũ bellicarum periti, & dignitatem militarem adepti eum non tàm magni æstimarunt ob timiditatem animi, quâ imbutus refugerat arma, & bello interesse detrectaverat; ea propter etiam ejus Oraculum de rebus militaribus, & hostilibus, federibus, exitu prælij non dicitur fuisse consultum, quamquam hoc posterius maximum mihi dubium moveat ob Mardonium Xerxis consobrinum, de quo statim aliquid dicam.

V. Oracula dabantur in in illo templo, & quidem reddita ibidem illa sunt in memoriam & honorem Amphiarai, qui arte divinandi cùm adhuc in vivis esset, valdè excelleret. *Valerius Maximus lib. 8. cap. 15. n. 3. in Extern. pag. 365. & 366.* hujus Oraculi facit mentionem, quando de Græcis ita scribit: *Eadem gens* scilicet Græcorum *summo consensu ad Amphiaraum condecorandum incubuit, locum, in quo humatus est, in formam conditionemq́; templi redigendo, atque inde Oracula capi instituendo.* Cumprimis autem in memoriam peritiæ in vaticinando, aut etiam in interpretandis insomnijs, qua præ reliquis eminebat hoc Oraculum fuisse institutum, dubitare me vetat *Alaus Manutius l. 2. cap. 15. pag. 46. Var. lect.* Qui ex antiquis scholijs & fragmentis ostendit in Amphiarao Oïclis filio duo fuisse rara. 1. artem prædicendi futura, & detegendi occulta. 2. peritiam interpretandi somnia. Quoniam verò antiqui in simplicitate potissimum adhuc subsistentes, ubi viderunt quosdam mortales præ cœteris virtute quadam excellere,

& ita reliquorum conditionem superare, aut à Dijs illos traxisse ortum crediderunt, aut etiam post obitum illos in ordinem Deorum retulerunt. Quod & Amphiarao obtigit, qui post mortem propter peritiam divinatoriam, quâ vivus inclaruerat, & virtutem explicandi somnia Deorum ordini adscriptus, & templo dedicationeque Sacerdotum honoratus legitur; ipsiusque in memoriam Oraculum florere cœpit. Quod video ex parte desumtum esse è *Pausania lib. 1. pag. 65. & 62.* qui ita eam rem refert: *Prater eos*, inquiens, *quos Apollinis afflatu futura prædixisse antiquitas testatum est, nemo omninò fatidicus fuit: nam reliqui aut somniorum interpretes fuerunt, aut avium volatus & exta inspiciendi peritiam profitebantur. Quo fit, ut Amphiaraum conjectandis somniis imprimis solertem fuisse suspicer. Constat enim illum, somniorum divinatione tradita, tum demum in Deorum numerum relatum.* Si ob traditam somniorum divinationem tantam apud homines famam impetravit Amphiaraus, ut post mortem ordini Deorum sit adscriptus, validè hinc infertur, eum quoque hoc honore affectum fuisse, ut in ejus memoriam celebre hoc Oraculum fuerit institutum. Quod Strabonis tempore vim suam perdidit: sicut ipse *lib. 9. fol. 399.* Geograph. indicat: *Circa Psaphim Oropiorum Oraculum fuit Amphiarai olim cultum.*

VI. Oraculum hoc reddebatur dormientibus per insomnia. *Philostratus lib. 1. Iconum pag. 771.* In Amphiarai Oraculo sacro & divino antro est veritas niveis induta vestibus: ibi & somniorum porta. *Somno namq; his opus est, qui illic responsa petunt.* Inde refert *Pausanias lib. 1 pag. 62.* dormientes in templo scilicet Amphiarai nocturna visa expectare. Talem modum in templo Amphiarai per insomnia respondendi indicat quoque *Plutarchus in lib. de Oraculor. defectu. fol. 417.* Insigne itaque & vetustate & religione fuit Amphiarai vatis in Attica Oraculum, cultus eo in loco, quo humatus is fuit. Ibi dormientibus somnij specie rarò expressa plerumque figurata vel ambigua eventuum significata exhibebantur. *Philostratus l. 2. c. 14. pag. 101. de Vita Apollonij* indicat, petentibus futurorum notitiam somnia fuisse inducta, & hoc quidem è relatione Apollonij: *Ipse*, inquit, *Apollonius etiam nunc in Attica terra vaticinans somnia petentibus inducit.* Certè si antiquorum monumenta perscrutamur, varijs in locis ejusmodi Oracula, quæ in somnijs futurorum notitiam consulentibus manifestaverint, extitisse apparebit. Collegit ea quodammodo *Tertullianus in lib. de*

lib. de Anima. cap. 46. pag. 908. Locum hic adscribam. *Nam & Oraculis hoc genus stipatus est orbis; ut Amphiarai apud Oropum, Amphilochi apud Mollum, Sarpedonis in Troade, Trophonii in Bœotia, Mopsi in Siciliâ, Hermione in Macedoniâ, Pasiphae in Laconicâ. Cætera cum suis & originibus, & ritibus, & relatoribus cum omni deinceps historiâ somniorum, Hermippus Berytensis quinione voluminum satiatissimè exhibebit. Sed & Stoici Deum malunt providentissimum humanæ institutioni inter cætera præsidia divinatricum artium & disciplinarum somnia quoque nobis indidisse, peculiare solatium naturalis Oraculi, & hæc quantum ad fidem somniorum à nobis quoque consignandam & taliter interpretandam. Nam de Oraculis etiam cæteris apud quæ nemo dormitat, quid aliud pronuntiabimus, quàm dæmoniacam esse rationem eorum spirituum, qui jam tunc in ipsis hominibus habitaverint, vel memorias eorum affectaverint ad omnem malitiæ suæ scenam, in istâ æquè specie divinitatem mentientes, eademque industriâ etiam per beneficia fallentes medicinarum, & admonitionum & prænuntiationum quæ magis lædant juvando, dum per ea quæ juvant ab inquisitione veræ divinitatis abducunt ex insinuatione falsæ. Et utique non clausa vis est nec sacrariorum circumscribitur terminis vaga & pervolatica, & interim libera est. Quo nemo dubitaverit, domus quoq; dæmoniis patere, nec tantum in adytis; sed & in cubiculis homines imaginibus circumvenire.* Hæc Tertullianus.

VII. Non temerè ad consulendum hoc Oraculum accedebant, sed varijs adhibitis præparationibus. Et quidem (1) *ipsi Consulentes* corpore lustrabantur, quod quomodo intelligendum sit, ex antedictis patebit. Uti enim in alijs quibusdam Oraculorum templis & adytis requirebatur, ut purgati ad consulendum Deum petentes accederent; ita quoque in Amphiarai templo idem fuit observatum. (2) *Diis, quorum nomina incisa erant aræ, arietem sacrificabant ex more seu consvetudine.* Quod intelligere facilè non possumus, nisi prius audiamus *Pausaniam lib. 1. pag. 61.* qui ita de Amphiarai ara scribit. Ara Amphiarai in quinque partes est distributa, quarum *Una* Herculi, Jovi Apollini Pœonio: *Altera* Heroibus eorumque uxoribus: Vestæ *tertia*, Mercurio, Amphiarao & Amphilochi filijs (nam Alcmæon propter Eriphyles cædem in nullam aut Amphiarai aut Amphilochi honorum partem receptus est:) At *Quarta pars aræ* Veneri, Panaceæ, Jasoni, Hygiæ, Minervæ Pœoniæ: *Quinta* Nymphis, Pani, Acheloo, & Cephiso omnibus sacra est. *Amphilocho* in ipsa urbe apud Athenienses

ara

ata sua est: in Ciliciæ verò urbe *Mallo* ejusdem Oraculum, quod omnium, quæ mea ætate extant, minimè fallax est. Moris itaque fuit ut consulentes Oraculum Amphiarai prius sacrificarent arietem, & quidem istis Dijs, quorum nomina insculpta erant isti aræ (3) *pellem arieti immolato subtractam humi expandebant*, ut esset velut sanctum aliquod stratum, cui incumbentes divina Oracula in somnis tandem consequi possent. Unde (4) *pelli isti indormiebant*, & ita nocturna visa expectabant. Vide *Pausan. l. 1. p. 62.* Quæcunque autem somniabant, illa habebantur loco Oraculi.

IIX. Interpretes somniorum erant Sacerdotes ibidem constituti, qui quoque certis prius adhibitis ceremonijs ad interpretationem istam accedebant Debuerunt siquidem illi abstinere à cibo & potu vini per certum aliquod tempus, antequam veri interpretis munere potuerint defungi. Qua de re testem produco *Philostratum*, *qui lib. 2 c. 4. pag. 101.* sequentia refert: *Eos*, inquit, *qui responsa accipere volunt, Sacerdotes, integrum diem à cibo, à vino autem triduo jubent abstinere, ut pura expurgataq; anima ostentorum rationes melius colligere possint.*

IX. Hoc Oraculum habitum fuit pro certo, vero, & non fallaci. Quod apud *Herodotum lib. 1. cap. 49. fol. 19.* deprehendi videtur. Crœsus filio suo orbatus ingenti in luctu duos annos exegit. Quem luctum postea finivit Astyagis Cyaxaris filij dominatio è Cyro Cambysis filio sublata, ut & res Persarum supra modum crescentes. Et ita eidem incidit, numquid ne posset occupare Persarum potentiam priusquam illa efficeretur magna. Sub hanc ergo cogitationem tentare statuit vaticinia, quæque apud Græcos, quæque in Africa essent. Quosdam itaque dimisit Delphos: quosdam ablegavit Dodonam: nonnullos ad *Amphiaraum* & Trophonium misit: alios tamen ire jussit ad Branchidas oræ Milesiæ. Ibi nonnullis interjectis dicit Historicus: *Ex Amphiarai vaticinio quodnam responsum sit Lydis, cùm in sacro illo rite sacrificassent, non queo dicere. Nam de eo nihil fertur aliud, quàm hoc, quod & hoc Crœsus* verax vaticinium *se nactum esse existimavit.* An reapse verum acceperit responsum, an verò se ita simulaverit, id quidem affirmari non poterit. Interea ex hoc loco *Manutius d. l.* colligere vult; Oraculum Amphiarai in suis responsis fuisse verum, quippe è cujus inspiratione talia somnia dormientibus fuerint immissa, in quibus facti, de quo instituta erat quæstio, vera solutio per interpretationem Sacerdotum haberi potuerit. Verùm istud dubium mihi hactenus plenè adimere

nequivi: Numquid & ipsi Sacerdotes dormiverint, & unà cum consulentibus somniaverint? Aut nunquid Dæmon eadem somnia immiserit Sacerdotibus, quæ consulentibus, ut ita ipsi statim potuerint vel è suis proprijs somniis mentem Oraculi exponere? Vel necessum fuerit, ut consulentes prius ipsis Sacerdotibus somnium recitarent, & deinde ipsi illud declararent? Qui volunt postremam partem eligere, quasi consulentes enarraverint prius Sacerdotibus somnium, illi quidem nihil absurdi admittent, cùm constet & Josepho in sacris literis somnia fuisse prius exposita, antequam is eadem interpretaretur. Sed tale quid ab Historicis non proditur. Unà dormientibus Sacerdotibus eadem somnia, quæ consulentibus fuerint immissa, itidem fuisse inspirata, ut ipsi absque ulteriore opera statim mentem Oraculi interpretari potuerint, nemo Historicorum refert. Philostrati locus est aliquantum dubius; an nimirum Sacerdotes ostentorum rationes ab ipso Dæmone manifestatas, an verò è somniorum recitatione à consulentibus facta intelligere debuerint. Nullum interim peccatum fuerit, si in re dubia dicatur: Sacerdotes debito modo prius præparatos mentem Oraculi ab ipso Dæmone accepisse, quam ipsi postmodum consulentibus sint interpretati, atque ita futuros rerum eventus ipsis significaverint, ut ita consulentes scire potuerint, numquid interpretatio Sacerdotum suis somnijs conveniret?

X. Hoc Oraculum consuluit *Mardonius* Exercitus Persici Dux insignis, & *Darii* Regis Persarum consobrinus. Hic cùm ad Plateas urbem Bœotiæ cum clarissimis Græciæ ducibus Aristide & Pausania esset pugnaturus, misit servum suum ad Oraculum Amphiarai, ut ibidem prælij futuri & successum pariter atque exitum exploraret. Cum autem noctu procumbens dormiret, per quietem visus est sibi adstare sacrorum antistes, qui nunciaret, Oraculi præsidem abesse. Hinc jussus est statim templo excedere, quòd frustra responsum expectaret: Intereà crederet illud se non impetraturum. Quin minitari visus est Antistes, ut si servus Mardonij confestim non secederet, se illum vi quadam ejecturum esse, addito hoc: *Nefas esse homini barbaro in loco sacro cubare.* Sed cùm Persa iste ad monitum Antistitis non statim abiret, verum adhuc quodammodo cunctaretur, sacerdos visus est ipsum velle per vim extrudere, & conjectô in ipsius caput prægrandi saxô humi ipsum prostravisse. Quod somnium fuit loco vocis futurum rei exitum denunciantis haut fallaciter: quandoquidem Mardonius habito ad

Plateas

Plateas conflictu ab Arimnesto Spartano ictu saxi tactus perijt. Uti historiam hanc describit *Plutarchus in lib. de Oracul. defectu fol. 412.* Et in vita *Aristidis* idem *Plutarchus* ait *fol. 330.* Mardonium Spartiates quidam nomine *Arimnestus* capite ejus lapide jcto peremit. *ut prænunciaverat ei in fano Amphiarai Oraculum.* Mardonij funestum interitum descripsit quoque *Herodot. l. 9. c. 62. 63. 64. fol. 537.* Ejus præstantiam, autoritatem & officium depingit eleganter *Cornelius Nepos in vita Pausaniæ p. 30.* nisi quod dicat: Eum fuisse *Regis Darii generum*, de quo consule *Lambini notas ad d. l. p. 32.* ut & *Hieronym. Magium in Annotat. ad vitam Pausan. p. 407 lit. G* nec non *Johann. Savaron. ad eund. loc. f. 455.* Confer quoque quæ de Oraculo isto Mardonio in delubro Amphiarai dato notavit *Cælius Rhodigin. l. 19. c. 15. p. 1071. Antiquar. Lection.* Quod Oraculum non fuit elusorium: sicuti namque insomnijs visum est Mardonij servo quem exitum ex hac vita habiturus esset ipsius herus; ita quoque iste eidem contigit. Alia quoque à Scriptoribus passim annotata possem adducere; sed missis illis,

XI. Quæritur, quare Thebani hoc Oraculum non consulant, & quidem in illo delubro, quod *Thebis* itidem in ejus honorem erat extructum? Resp. Id ipsis velut interdictum est ab isto Deo. Etenim cùm adhuc Amphiaraus in vivis esset, Thebanis optionem dedit, ut ex hisce duobus unum eligerent: An se mallent habere *Vatem* & divinatorem, qui ipsis futura prædiceret: vel *Defensorem* in rebus adversis. Verùm illi eum assumere voluerunt patronum & auxiliatorem in negotijs periculosis, quàm Prophetam, quòd Vaticinia ab Apolline Delphico possent facilè impetrare. Exinde nulli Thebanorum licuit in fano Amphiarai dormire, & per somnia exposcere Oraculum. Historiam descripsit *Herodotus lib. 8. cap. 134. fol. 507.* & qvidem paucis hisce verbis: *Ideo autem nemini Thebanorum licet eo in loco vaticinium capere, quòd cùm Amphiaraus optionem eis dedisset, utrum mallent se vate uti, an auxiliatore: Thebani sibi auxiliatorem eum maluerunt; eapropter nefas est ulli Thebanorum illic obdormiscere.*

Tandem XII. Vel verbo addendum est, quod de fonte prope templum Amphiarai narratur: ejus namque aquæ usus non est ad rem divinam faciendam, neque ad lavandum, neque ad bibendum, neque ad lustrandum, sicuti aliàs fontium & aquarum usus esse solet. Sed qui in templo Amphiarai dormiverant, & Oraculum, quo pacto à morbo possent convalescere, in insomnijs acceperant, illi ad ostendendum

animum

animum gratum soliti fuerunt aurum vel argentum signatum in istum fontem abjicere. Qua de re *Pausaniam* narrantem audire expedit *l. 1. p. 61.* *Est*, inquit, *apud Oropios fons templo proximus, quem Amphiarai nuncupant; ad quem neque divinam rem faciunt, neque ad lustrandum, aut ad manus lavandas aqua ea uti fas putant, sed solùm, qui monitu Oraculi morbo levati fuerint, signatum aurum argentumq́; more majorum in fontem abjiciunt, huc enim jam Deum Amphiaraum ascendisse tradunt.* Et tantum de Amphiarai Oraculo.

CAPUT XIII.

DE ORACULIS MOPSI ET CALCHANTIS.

I.

MOpsus, de quo mihi nunc sermo erit, Apollinis filius fuisse dicitur, quem ipse genuit ex Mantone femina fatidica, Tiresiæ celeberrimi quondam auguris filia. Cùm adhuc viveret, incredibili peritia divinandi excelluit: & cùm ipsius prædictiones non destituerentur eventu, fama ipsius & autoritas tantopere crevit, ut exinde natum sit hoc proverbium: *Mopso certior.* Hinc evenit, ut multi partim ipsi eum convenirent; partim alios ad eum mitterent, qui sciscitarentur, quid in hac vel illa re adhuc dubia, & in diversam partem abitura tandem fieri posset, & nunquid boni, & proficui, vel mali & periculosi quicquam prædicturus esset. Quoniam verò plurimis consultoribus, uti prædictum erat ipsis à Mopso, ita eveniebat, sive quod ipse casu & fortuitò à veritate non aberrasset; sive quod futuræ rei eventus quodammodo vel sagacitate ingenij, aut ope prudentiæ, vel ex inspectione astrorum, vel è præsenti statu de sequentibus aptè ratiocinando & judicando prævidisset, sanè adhuc in vivis tanquam Deus est cultus, non ideo saltem, quòd fingebatur originem traxisse ab Apolline; sed etiam quod credebatur, ipsi a patre artem vaticinandi fuisse communicatam. Neque illud ipse videtur dissimulasse, quandoquidem divinandi scientia fretus, se ipsum cœteris auguribus & vatibus existimavit & peritiorem & digniorem.

II. Excel-

II. Excellentiam suam in conjectandis absconditis ostendit in certamine cum Calchante itidem clarissimo vate olim suscepto, quem, hinc inde ab utraque parte propositis quæstionibus ad artem divinandi pertinentibus, tandem superavit. Vnde is velut pudore confusus, quòd à Mopso esset victus, animi mœrore contabuit, & tandem mortuus est. Qua de re *in lib. 1. c. 15. pag. 123.* dixi, quæ nunc quidem non repeto.

III. Quomodo autem Mopsus perierit, enarrat *Strabo l. 14. fol. 675. Geograph.* qui putat: Mopsum & Calchantem non tantùm de divinatione, hoc est, uter eorum in arte divinandi esset peritior, sed etiam de imperio inter se contendisse. Quod tamen non immeritò relinquitur fabulæ. Interim ferunt *Mopsum & Amphilochum è Troia profectos condidisse Mallum: deinde Amphilochum profectum Argos, & cùm ibidem res è sententia non succederet, Mallum rediisse.* Vbi quidem socius esse voluit in imperio; *verum cùm societate excluderetur, singulari certamine* seu duello *cum Mopso est congressus, quo in prælio uterque cecidit, & sepultus est*, ita, *ut alterius tumba absque alterius sepulchro non potuerit conspici.* Hæc de Mopsi exitu ita refert Strabo. Memini tamen me legisse: Mopsum illo in certamine non succubuisse; sed ipsum, postquam Amphilochum interfecisset. simili mortis genere, quô Calchas interiit, scilicet mœrore amici tàm chari à se occisi, contabuisse, & ita mortuum fuisse. Licèt autem quibusdam grave videri queat, quòd Mopsus non tantum nullam exinde senserit pœnam: sed etiam post ipsius fata tàm celebre extiterit Oraculum; attamen cùm Amphilochus se ipsum à Mopso separasset, & ita juri suo, quod cum isto habere potuisset commune, penitus renunciasset; inde cùm res ex voto non succederet Argis, & deinde jura abdicata repetere vellet, jure potuit excludi à Mopso etiam cum ipsius interitu, Huc usque igitur nihil peccatum videtur à Mopso, ipseque nihil promeruit, ut privari potuerit divinandi peritia.

IV. Sive igitur isto in certamine occubuerit, sive post interfectum Amphilochum mortuus fuerit Mopsus, quod nunc quidem in medio relinquendum erit; tamen post mortem is in numerum Deorum relatus est, juxta morem antiquum, quô Deorum cœtui adscribebantur illi, qui bene de hominibus essent meriti, vel eximia præ cœteris hominibus virtute excellerent. Quo de ritu dixi supra. Mopsus itaque, quòd vivus tantâ peritiâ vaticinandi præ cœteris emineret, ut

aliorum scientiam hac in arte supergressus vel hac in terra famam divinitatis consequeretur, & post mortem divinos ex asse honores à populo obtineret. Vbi in ejus memoriam insigne Oraculum tandem extitit.

V. Qui volebant hoc Oraculum consulere, sequentia observabant. (1) *Lotionem corporis*, ut mundi comparerent. Voluit namque Dæmon, licèt immundus is sit spiritus, neminem ad Oraculum à se petendum admittere, nisi bene lotus & purgatus esset, tanquam ipse esset sanctus, à quo peteretur Oraculum: & locus subinde esset sacer, in quo Dæmonis responsum impetrari deberet. Deprehendo apud *Augustinum Niphum* in libro exiguo *de Responsis Deorum cap. 12. pag. 78*, quòd consultatores istius Oraculi coacti fuerint aures purgare, antequam sacellum sacrum ingressi à Deo isto responsum impetrarent. Causam hujus ritus non addit; Si divinationi locus foret, dicerem: illud factum fuisse ob somnium, in quo consulentibus respondebat ex hominum decreto factus iste Deus. (2) *Preces singulares*: nempe consulturi hoc Oraculum cogebantur prius Apollinem invocare, & certis precibus eum permovere ad impetrandum ex voto responsum. Non intelligo autem, quare preces istæ directæ fuerint ad Apollinem, cum non ab ipso, sed ab ipsius filio Mopso petendum esset Oraculum; nisi fortean, Gentilium absurda fides hoc voluerit, ut Patris imperio vel admonitione filius ad dandum verum responsum adigeretur, uti Leontius rogat Apollinem, ut Brancho filio commendet veri Oraculi suppeditationem, qua de re legi meretur *Lucius Savaron. ad l. 1. Apollodori, pag. 129.* qui multa de Mopso ejusque Oraculo tradit, certè paucis obvia. (3) *Genuflexionem* in adyto sacelli, ita, ut ingressis non liceret sua sponte surgere, nisi prius à Sacerdote essent admoniti. Quod si diu cogerentur sedere flexis genibus, signum erat Dei non adeò propitij: quod si verò surgere jussi essent, citò indicium erat Dei propitii & clementis, & ad benignum responsum proni. (4) *Deductionem in locum sacrum.* Tenebantur enim consulentes tamdiu expectare, donec à Sacerdotibus in templum deducerentur. Inde sponte sua ingressi magno quodam horrore perfusi reipsa intellexerunt, multum sibi obfuisse, si invitô Deô templum intrarent. Quod si itaque benignum ab isto Deo voluerunt impetrare responsum, non sponte, sed ope Sacerdotum ad Deum istum deduci debuerunt. (5) *Dormitionem in templo*, ubi cubabant humi absque storea, vel etiâm culcitrali, aut tegumento

Quod

Quod homines isti fecerunt lubentes hac spe freti, ut certius inde obtinere possent responsum. Hinc antedictus Leontius precatus est: *Exaudi me Apollo, recubo humi in templo filij, à quo certissimam veritatem impetrare exopto. Audies filius, qua in terra requiescam, expectaturus ejus præmonitionem.* Equibus hoc colligo, quòd ideo consulentes humi dormire voluerint, ut hac ratione, Deus iste ad optatum aliquod responsum suppeditandum commoveretur. (6) *Sacerdotum interpretationem*: Quandoquidem quod dormientibus in Mopsi sacello ista quidem nocte somniando inspirabatur, illud è Sacerdotum interpretatione demum consequebatur vim suam. Et prout illi interpretabantur somnia tanquam Oraçula & responsa Dei, ita accipiebantur: quamvis interdum fallaci ista explicatione decepti spe sua pessimè exciderint. VI. An autem ibidem consulentes priùs fecerint sacra, non observavi: sicuti nec invenire potui, quibus ceremonijs ipsi iterum ab Oraculo fuerint dimissi: an ipsi sponte statim discesserint? an verò Sacerdotum concitatu stipati abierint. Illud tamen VII. refert *Lucius Savaron. d. l. pag. 130.* discedentes ad ostendendum animum gratum Sacerdoti exhibuisse panem & salem, dubio procul eum in finem, ut exinde Antistites Oraculi istius vitæ subsidia consequerentur. Verba ejus adscribam: *An consulentes Mopsi Oraculum antea pecus sacrificaverint, uti quidem alibi fuit moris, dicere nequeo, postea tamen eidem fuisse sacrificatum constat è Plutarchi libro de Silentio Oraculorum. Post impetratum tamen responsum discedentes exhibebant panem & salem in alimoniam, ut credo, Sacerdotum, nisi velimus dicere: salem fuisse exhibitum in signum credulitatis de veritate accepti responsi.* Quo tendit quoque opinio, *Beroaldi* docentis: *Sal Mopso exhibebatur in signum, quod consulens sincerum accepisset responsum.*

IIX. Mopsi Oracula habebantur pro veris, certis & minimè fallacibus; credebant siquidem cœci gentiles, quòd, uti eum adhuc viveret Mopsus, is vera prædixisset: multò magis eum, postquam in numerum Deorum esset cooptatus, in suis fatidicis responsis veracem esse. Non tamen deprehendi frequenter ad istius Oraculum accessisse homines, sive, quod illud non ita celebre fuerit post Mopsi mortem, uti alia Oracula: sive quòd illud non fuerit à Scriptoribus annotatum: sive etiam, quòd multa de antiquis monumentis perierint, unde plenius & certius quiddam potuerit depromi.

IX. Insigne exemplum extat apud *Plutarchum in lib. de Oracu-*

 lor.

lor. Defectu. fol. 434. de Præfecto Ciliciæ, qui ad Mopsi Oraculum misit libertum cum tabella, in qua inclusum erat, quod ipse cupiebat ab Oraculo perquirere. Sed malo ipsius Autoris verbis rem integram proponere. *Cum essem in patria*, inquit, *florebant adhuc Mopsi & Amphilochi Oracula.* Habeo autem rem apprimè admirabilem, quæ me præsente apud *Oraculum Mopsi* evenit, quam vobis referam. *Præfectus Ciliciæ homo dubiæ de Diis sententiæ* (quod ei accidisse puto propter imbecillitatem incredulitatis de ijs conceptæ) *cæteroquin contumeliosus & pravus, cum circa se haberet Epicureos, qui freti pulchra* (si Dijs placet) *ista sua Physiologia religioni illudunt, motus eorum vocibus, libertum ad Oraculum Mopsi misit tanquam exploratorem in castra hostium cum tabella obsignata, in qua, nemine conscio, quæstionem scripserat. Libertus cùm pro more noctem in delubro exegisset, atque obdormivisset, facta die, tale narravit somnium: Visum fuisse sibi adstare pulchrum virum, qui edita hac unica voce NIGRUM statim discesserit. Absurdum hoc nobis videbatur, multumq́; hæsitationis injiciebat. At præfectus consternatus, flexisq́; genibus veneratus* MOPSUM, *aperuitq́; tabulam, ostendit nobis hanc inscriptam quæstionem: Album ne tibi an vero Nigrum immolabo taurum? itaque & Epicureis timor est iniectus & præfectus sacrificio isto peracto, deinceps Mopsum coluit. Ita Plutarchus. Quæ è loco duo cumprimis* observationem merentur. 1. Quod expergefactus consultor somnium narraverit. Et hoc coincidit cum ijs, quæ in superiore capite sunt adducta, nimirum: non improbabile videri, si dicatur: *Dormientes sua somnia exposuisse Sacerdotibus, ut ab iis in re dubia consequerentur interpretationem, & ita ipsi certiores redderentur de veritate responsi divini.* 2. Quod Ciliciæ præfectus non ante consultum Oraculum sacra fecerit, sed postea demum mactationibus animalium Deum hunc (*Mopsum scilicet*) veneratus fuerit. Neque dixeris: Hunc Ciliciæ præfectum fuisse Deorum contemtorem, post acceptum responsum verò ad eorum cognitionem pervenisse: exinde autem non posse argumentum peti ad negandum hoc, nimirum ante consultum Oraculum sacrificia fuisse Mopso exhibita. Sed nullibi ferè extat: quô genere sacrificij ante editum responsum Mopsus fuerit cultus, ut ita adhuc subsistam in ea opinione: in antiquorum monumentis temerè non reperiri ullum exemplum quo probari possit, ante expositam Oraculo quæstionem sacrificia fuisse Deo isti exhibita. Sed missis istis pergendum est.

X. Ad *Calchantem Thestoris filium, & Apollinis nepotem*, qui olim

in arte divinandi clarus extitit. ipſeque Trojanum excidium prædixit, ſumtô auguriô ex ſerpente, qui per arborem ſinuoſo volumine irrepſit in nidum paſſerum, & novem ex iſtis unà cum matre devoravit. Unde is *Homero teſte lib.1.* prædixit Græcis: Trojam tandem poſt decennale obſidium iri captum. Quod quoque ita contigit. Magnam autem ſibi gloriam peperit ex arte divinandi, quâ ſuo tempore excelluit: quantumvis à Mopſo in iſto genere ſuperatus præ mœrore vitam depoſuiſſe dicatur. Quam hiſtoriam ſive fabulam ſupra expoſui è *Peucerdi libro de Divinat. fol.177.* Illud interim negari non poteſt, quin Calchas ſibi immortalitatem ferè nominis pepererit ob artis divinatoriæ celebritatem, ita ut & ipſe in ordinem Deorum cooptatus poſt mortem coli cœperit divinis honoribus, ipſeque conſulentibus de rebus futuris certa reddiderit reſponſa.

XI. Ceremonijs tamen certis præmiſſis reſponſum ab ipſo fuit impetratum. Soliti autem conſulentes prius Calchanti *immolare nigrum arietem*; ſive illud ipſe ita conſtituerit, ſive conſvetudine & ſuperſtitione quadam ab hominibus ſub ſpecie quadam pietatis & cultus religioſi fuerit introductum, non equidem dixerim. Illud tamen non caret probabilitate, quòd cum Jehova in ſanctiſſima ſua lege ordinaverit, ut inter alia ſacrificia & aries immolaretur, Dæmon & hanc ordinationem imitari, & apud infideles ſuos ſibi in ſacrificium exhiberi voluerit arietem ſed *colore nigro*. Procul dubio, cum raræ ſint oves & arietes pulli, ut conſulentes ſummo ſtudio operam darent, ut integrum arietem abſque variegatis notis, vel albis etiam maculis perquirerent. Puto quoque ejuſmodi colorem in iſto animali requiri ob metum religionis, ut cum timore quodam conſulentes ad Oraculum accederent (ſolet enim color iſte indicium luctus & triſtitiæ eſſe) ne ſi temerè in ſacellum irruerent, & ſuo arbitrio ſacra facerent, ſpe ſua excidentes triſtes dimitterentur ab Oraculo. Deinde pelli detractæ indormiverunt, ideo, ut per ſomnia reſponſum ab iſto Deo conſequerentur. *Strabo l. 6. p. 284. Geogr.* Perinde uti in antro Amphiarai Oraculum conſulturi arietem illi (nimirum *Amphiarao*) ſacrificabant, & pellem arietis ſubſternebant, ac dormiebant, ſignificatione ſomni expectantes, prout illud ſupra *pag. 417. è Pauſania lib. 1. p. 61.* oſtendi. Et qui ita pellibus ſtratis indormiebant ad accipienda Oracula, illi dicebantur propriè *Incubare* quod *lib. 1. cap. 10. p. 66. & 67.* ſupra eſt declaratum. Qua ratione verò in Calchantis ſacello ſomnia fatidica ſe ha-

 buerint

buerint, an à Sacerdotibus fuerint declarata, vel non? hactenus nihil de eo habeo compertum. Pellibus autem sacrificiorum incubabant, quoniam iis tum delectabatur Deus, utpote per ritum divinum ipsi jam tum consecratis, quòd crederent homines, ipsum suam præsentiam ibi exhibiturum, & dormientibus vera responsa de futuris interventu somniorum suggesturum. Verùm de his satis.

CAPUT XIV.

DE BACIDIS, GERYONIS, PHRYXI ET TIRESIÆ ORACVLIS.

I.

BAcis fuit vates Bœotius, quem Nympharum afflatu divinasse tradunt. *Pausan. l. 4. p. 247.* Et *lib. 10. p. 577.* Inter viros vates numeratur & *ex Bœotia Bacis, quem Nympharum instinctu divinasse credunt.* Vaticinia sua videtur scriptis in gratiam posteriorum comprehendisse: nam fatetur Pausanias, se inter alia & Bacidis vaticinia legisse. Dubium itaque nullum est, quin suo tempore ob divinandi scientiam extiterit clarus, & hominibus prædixerit futura: nec non post obitum uti quidam censent, retinuerit illam peritiam, & consulentibus manifestaverit, quæ sequentibus temporibus essent eventura. Quomodo autem Oraculum Bacidis extiterit, & quas ceremonias adhibuerint consulentes, hactenus invenire non potui. Variis tamen populis reddidisse eum vaticinia passim legere licebit: quamvis non addatur, ejusmodi prædictiones post ipsius mortem contigisse, ut ita alii dubitent, num ipse post obitum reddiderit Oracula. Videamus unum vel alterum exemplum. *Pausan. l. 4. p. 247. 248.* adducit Bacidis vaticinium de Messeniorum reditu, & uti Bacis prædixit, ita quoque rem evenisse scribit. Videtur autem istud vaticinium à vivente Bacide profectum. Idem *l. 9. p. 518 519.* quòd Bacis Tithorensibus dederit quidem Oraculum, verum illud in fatidicis ejus carminibus reperiri asserit, quæ sanè composuit, cum adhuc viveret. Vide & *l. 10. p. 614* ubi addit: Ostendimus eodem loco *Antiopen Phoco Ornytionis filio* nupsisse, & unà cum eo sepultam fuisse: & simul indicavimus, quæ cecinerit

fatidi-

fatidicus Bacis eodem carmine tàm de hoc, quàm de *Zethi & Amphionis* apud Thebanos ſepulchro. Similiter apud *Herodot. l. 8. f. 493.* Impletum eſt omne Oraculum, tum de cœteris, quæ ad pugnam navalem pertinent, tum verò de naufragiis illuc evectis à *Bacide & Muſæo* multis annis prædictum antea & redditum Lyſiſtrato Athenienſi viro ſortilego. Illud fortean, quod idem *Herod. l. 8. fol. 469.* narrat de Eubœenſibus, qui Bacidis Oraculum contemſerunt videtur referri poſſe ad Oraculum poſt mortem datum. Verùm ſi omnia accuratè perpendantur, potius dicendum eſt, & illud vaticinium à vivo adhuc Bacide fuiſſe emiſſum. Unde etiam illi, qui hunc locum *Herodoti* adducunt, vix obtinebunt quod volunt. Quamvis ego nolim refragari, ſi quis inſiſtere cupiat quorundam ſententiæ, qui exiſtimant: Bacidis Oraculum etiam poſt ipſius mortem extitiſſe.

II. Sed de GERYONIS Oraculo aliquid dicendum erit. Fateor tamen hoc de Oraculo me apud alios ſcriptores præterquam *Suetonium in vita Tiberii c. 14. p. 103.* nihil legiſſe. Ille autem refert: Oraculum iſtud non procul à Patavio fuiſſe. *Et mox,* inquit, *cum Illyricum petens juxta Patavium adiiſſet Geryonis Oraculum.* Hoc Oraculum fiebat *Sorte*, ita enim dicit *Suetonius d. l.* Sorte tractâ &c. Sortes autem erant minimæ taleæ, vel ſurculi è ligno aptati, quibus literæ vel notæ quædam ad divinandum erant inſculptæ vel inciſæ: Illæ ſortes tæniis ſeu vittis quibusdam involutæ ſervabantur in arca, quæ creditur fuiſſe ex olea. Inde patet ſenſus verborum: Sortes eſſe tractas, id eſt, extractas, vel etiam evolutas. Vide *Lipſium l. 2. Elect. c. 12. fol. 315.* Quid verò ſortibus iſtis apud Geryonis Oraculum aſſervari ſolitis inſcriptum fuerit, non indicat Suetonius exactè. Tantum (1) dicit Tiberium monitum fuiſſe, ut de conſultatione in Aponi fontem tales aureos injiceret: quod procul dubio inciſum fuit ſortibus iſtis ab ipſo extractis, vel ſaltem ex illis colligi potuerit. Cæterùm Aponus fons, uti dicitur à *Caſſiodoro l. 2. Epiſt. 39. p. 77.* aliàs *fons Beneficialis* audit, ob maximum beneficium, quod ægroti inde pro recuperanda valetudine conſequebantur. *Plinius l. 2. c. 103. fol. 33.* vocat iſtum fontem *Patavinas aquas*, quod prope *Patavium* ſcaturit, & quidem ſpatio quinque miliarium Italicorum. (3) Tiberium accepiſſe lætum reſponſum, arguunt verba ſequentia, quòd nimirum tali jacti ſummum numerum oſtenderent, quod utique fuit optati inſtar reſponſi. Addit (4) Levinus *Torrentius ad d. loc. Suetonii p. 158.* è Lucano quaſi iſti

Oracu-

IV. Tiresiæ Oraculum quod attinet, illud ortum traxit à Tiresia vate Thebano, qui ob magnam prudentiam summo loco est habitus. Sed cum fortè in Citherone Bœotiæ monte, qui est libero Patri seu Baccho sacer, ubi Orgia celebrabantur, meditabundus vagaretur, incidit in duos serpentes inter se eo tempore coëuntes. Quo spectaculo ipse offensus baculô, quem gerebat manu, feminam percussit, eamque interemit. Sed à Diis, in quorum cura isti erant serpentes Tiresias in feminam commutatus est. Sexum tamen novum perpetuò non retinuit, sed, uti in fabulis est, Thebas reversus per aliquod temporis spatium inter mulieres versatus est, donec septenniô elapsô iterum Citheronem montem conscendit. Ibi è serpentibus antea visis marem offendit, quem baculo tandem interfecit. Quo factô sensit se masculum recuperasse sexum, & se iterum evasisse virum. Et ut in fabula progrediamur, cùm Jupiter aliquando cum conjuge sua Junone concertaret, numquidne mas, vel femina in actu Venereo plus voluptatis perciperet, & illi inter se convenire neutiquam possent, Tiresias utrumque expertus sexum tanquam Judex accersitus rem decidit, quòd feminæ in re Venerea majorem delectationem, quàm mares sentirent. Quò Judiciô offensa Juno Tiresiam oculis privatum perpetua cœcitate damnavit. Quoniam verò, uti in commentis porro refertur, Jupiter conjugis suæ judicium non potuit irritum reddere, ideo Tiresiæ pro ademto visu perpetuam divinationis peritiam & auguriorum scientiam concessit. Inde Tiresias appellatus est: *Cæcus Augur*: Et ejus divinatio vocari cœpit: *Cœci auguris responsum*, cui sanè magna fides adhiberi solebat. Verùm an post mortem ipsius solenne & publicum aliquod extiterit Oraculum, & ab eodem responsa fuerint impetrata, fateor illud pro certo me affirmare non posse. Equidem *Cœlius Rhodiginus l.8. c.16. fol. 431. Lection. Antiquar.* dicit: Oraculum Tiresiæ defecisse, illudque tanquam feriatum & nunc conticescere; attamen nullo probati scriptoris antiqui testimonio firmat, an illud Tiresiæ Oraculum post ipsius obitum unquam fuerit? nisi fortean communi quadam opinione ductus vates omnes etiam post mortem divinasse, & hominibus futura manifestasse statuat. Ipse verò de Tiresiæ vaticiniis quæ observavi, potissimum sunt intelligenda de responsis ab ipso vivo ad aliorum consultationem redditis, quod uno vel altero testimonio stabiliri poterit. *Philostratus lib.1. Icon. in Menœceo fol. 736.* λόγιον γὰρ τὸ Τειρεσίας λέγει τοῦτον ἐς Μενοικέα τὸν Κρέοντος. Oraculum

dicit Tireſias ad Creontis Menœceum pertinens. Ubi addit doctiſſimus *Morellus*: Tireſias in vaticiniis proferendis fuit felix, licèt fuerit cœcus: cœcitas ſiquidem ipſi compenſata eſt eximia divinandi & augurandi peritia. Cum Narciſſus formoſus ac venuſtus juvenis natus eſſet, parentes iſtius conſuluerunt Tireſiam de ejus fato, & vitæ diuturnitate, qui reſpondit: puerum tamdiu ſuperſtitem futurum, quamdiu is à conſpectu ſui abſtineret. Quod cœci vatis reſponſum tamquam riſu dignum à Narciſſi parentibus rejectum eſt. Eventus tamen dicti veritatem comprobavit. Etenim cum aliquando æſtu deſatigatus ad limpidum fontem ſitis reſtinguendæ cauſa acceſſiſſet, imagine ſuâ in fonte velut in ſpeculo conſpectâ in ſui amorem veſano velut impetu abreptus, contemptis virginibus pariter atque aliis feminis, ſeipſum deperire cœpit, & tandem ardente deſiderio erga ſeipſum contabuit. Quod hæc narratio ſpeciem fabulæ habeat, non nego: cum & *Ovidius* in ſuis Metamorphoſeon libris eam perſequatur: aliquid tamen veri ſub ea latere, nolim itidem negare. Supra adduxi è Philoſtrato, quòd Tireſias quoq; à Creonte fuerit conſultus, quem exitum habitura eſſet Thebarum obſidio, quarum gubernationem jam tum ſuſceperat Creon, cui Vates reſpondit: Thebanos ab iſta obſidiono liberari haut poſſe, niſi Creon proprium filium Menœceum pro patriæ incolumitate ſacrificaturus eſſet Diis. Sed Vatis iſtius reſponſum Creon contemſit, eique repoſuit hæc verba: χαίρων ἴθ᾽· οὐ γὰρ σῶν με δεῖ θεσπισμάτων: *Valeas! tuis mihi vaticiniis non eſt opus.* Item: οὐκ ἔκλυον, οὐκ ᾔκουσα, χαιρέτω πόλις: *non comprehendo, non audivi, valeat civitas.* Vide Euripidem in Phœniſſis. *Pauſanias* tamen *lib. 9. p. 528.* ſcribit: Menœceum Creontis filium ſeipſum occidiſſe, & quidem juxta Oraculum Apollinis Delphici. Verba ipſe adſcribam: *Sed ut ad Thebas revertamur,* inquit, *ad Neitim portam eſt Menœcei Creontis filii monumentum, qui ſeipſum occidit ultrò ex Oraculo Delphici Apollinis, quo tempore Polynices cum Argivorum exercitu Thebas oppugnatum venit.* Fieri poteſt, ut irriſò Tireſiæ vaticiniò Oraculum Delphicum fuerit conſultum, quod forteanejusdem fuit tenoris; nam Menœceus ſeipſum interfecit, & quidem clam patre, uti teſtatur *Philoſtratus l. 1. Imagin. fol. 736.* Quo facit *Cicero lib. 1. Tuſcul. Quæſt. cap. 48. fol. 94.* quando ait; *Menœceus Oraculô editô, largitus eſt patriæ ſuum ſanguinem.* Marti autem ſeſe tanquam victimam devovit. Vide *Eduard. Simſon. par. 2. Chron. Catholici. pag. 50.* Sed tantum de Tireſia.

CAPUT

CAPUT XV.

DE ORACULO CERERIS, PAPHIÆ VENERIS HYBLÆ, ET NYMPHÆO.

I.

CEres ob multa beneficia hominibus collata diversis in locis fuit culta, & divinis honoribus affecta, in tantum, ut etiam alicubi ut Deam se ostenderit, & Oraculis inclaruerit. Apud Patras, quæ civitas in Achaia est, Cereris fuit templum, & prope illud fons multis ceremoniis sacer, & virtute divinatoria præditus, quamvis alii velint fontem in ipso templo fuisse, quod tamen ad rem parum facit. Qui gravi eoque ancipiti morbo erant correpti, solebant, sacris Cereri prius debito modo peractis, in fontem istum introspicere, deinde speculum filo tenui appensum in eum ita demittere, ita tamen, ne mergeretur: & ita valetudinis eventum poterant cognoscere. *Pausan. l. 7. p. 403. Simon Maiolus in Dieb. Canicularib. f. 361.* Quomodo autem restitutionem valetudinis, vel etiam morbum desperatum, & mortem certò subsecuturam in illo speculo animadvertere potuerint, scriptor iste non addit. Et vix, ut equidem spero, hoc potissimum tempore vera dignoscendi ratio explicari poterit. Nonnemo, quem honoris gratia nominare supersedebo, in *prælectionibus variarum Antiquitatum cap. de Cerere* ita scribit: In fontem Cereris Patrensis divinatorium demittebatur speculum explorandæ mortis & vitæ causa. Guttulæ speculo adhærentes interitum: siccitas speculi verò restitutionem pristinæ valetudinis significabat. Verùm unde explicatio hæc fuerit desumta, non additur. Credo tamen firmiter virum istum, qui nihil absque autoritate solebat proferre in medium, etiam testimonio hujus assertionis non fuisse destitutum. Nisi fortean velis dicere, imaginem in speculo isto apparuisse vel demortui, vel viventis, unde potuerit consulens quodammodo conjicere suæ intentionis eventum. Præterea fuit in Sicilia quoque Oraculum Cereris, quod dictum est Catanense, à Catana Siciliæ oppido; Ibi fuit insigne templum, & splendidum Deæ istius simulacrum, tanta certè religione, ut non saltem à Viris non tangi; sed ne quidem ab iisdem aspici potuerit, teste *Cicerone Orat. 4. in Verrem fol. 132.*

Qui hoc Oraculum volebant consulere, illi (1) offerebant libam vel panem ex hordeo cum thure: quod donum ministræ feminæ vel virgines accipiebant, & in ara Cereris exponebant, tanquam sacrum panem, qui cedebat fœminis Sacerdotibus in subsidium vitæ. (2) Sacerdotes istæ desiderium consulentis exponebant Cereri, quæ postmodum illis aperuit responsum. Quomodo verò Oraculum fuerit manifestatum, numquid per Sacerdotes feminas explicatum? aut alia ratione detectum fuerit? pro certo affirmare non potero.

II. Non incelebre quoque fuit Paphiæ Veneris Oraculum, quod Titus Vespasianus consuluit apud *Sueton. in vita Titi c. 5. p. 268.* verba historici ita se habent: *Ubi turbari rursus cuncta sensit, rediit ex itinere: aditoq; Paphiæ Veneris Oraculô dum de navigatione consulit, etiam de imperii spe confirmatus est.* Oraculum istud fuit in Cypro & quidem in urbe Papho Veneri quondam sacra, ut scribit *Ammianus Marcellin. lib. 14 p. 23. Cyprum urbes duæ faciunt claram, Salamis & Paphus; altera Jovis delubris, altera Veneris templo insignis:* De templo Veneris Paphiæ, & modo ibidem sacrificandi adducam insignem locum è *lib. 2. Tacit. Histor. c. 2. & 3.* Titum cupido incessit adeundi visendique templum Paphiæ Veneris inclytum per indignas advenasque. Haut fuerit longum initia religionis, templi situm, formam Deæ, neque enim alibi sic habetur, paucis disserere. *Conditorem templi Regem Aëriam vetus memoria quidem ipsius Deæ nomen id perhibent. Fama recentior tradit: à Cinyra sacratum templum, Deamq; ipsam conceptam mari huc appulsam. Sed scientiam artemq; haruspicum accitam, & Cilicem Tamyram intulisse. Atq; ita pactum, ut familiæ utriusq; posteri ceremoniis præsiderent. Hostiæ, ut quisq; vovit, scilicet offeruntur, sed mares deliguntur, nimirum in sacrificiis animalium. Sanguinem aræ offundere vetitum: precibus & igne puro adolentur altaria, nec ullis imbribus quanquam in aperto madescunt. Simulacrum Deæ non effigie humana continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metæ modo exsurgens, & ratio in obscuro.* Ubi sequentia sunt observanda, & quidem (1) quod in istius Veneris ara sanguis non fuerit effusus. Ita enim expressè verba *Taciti* sonant: *sanguinem aræ effundere vetitum.* Cui assentitur Autor hymni in Venerem, quando ait: *sed cum venisset Cyprum, Odoriferum templum ingressa est in Paphum ubi illi* (scilicet Veneri) *templum est, & ara Odorifera.* Plura testimonia possent coacervari, quibus ostenderetur, aram istam Veneris fuisse puram à sanguine. (2) Non negatur in templo mactata fuisse

animalia

animalia in sacrificium, quando quidem illa verba (*mares deligi, & haberi fidem fibris*) procul dubio sanguinis effusionem important, etiamsi hoc nondum exinde inferatur, sanguinem in ara effusum, eamque sanguine respersam fuisse. Ut proinde etiam hæc ara meritò dici possit incruenta, sicut ara Delii Apollinis. Bestiæ itaq; mactatæ, sive hædi, oves, vel alterius generis animalia mascula fuerint, in Veneris ara non sunt repositæ ad eam cruentandam: quin potius suffitibus & unguentis odoriferis eam fuisse cultam testis est *Empedocles* apud *Athenæum lib.12. f.510.* qui ita ait: *Nullum ex Diis prorsus illi* (scilicet Paphii) *venerabantur: Non Jovem Regem, non Saturnum, non Neptunum, sed Reginam Venerem. Quam sacris statuis placabant, animalium picturis, unguentis varia spirantibus, sincera myrrhæ suffitu, ac thuris suaviter olentis effusò in pavimentum melle flavo libantes.* (3) Mirum est quòd narratur de ara hujus Veneris Paphiæ, quippe quæ, uti intelligo, non in ipso templo cooperto, sed sub dio posita nullis imbribus humectatur. *Plinius l. 2. c. 96. f. 30.* Histor. natural. hujus rei facit mentionem, nam ait: *Celebre fanum habet Veneris Paphos in cujus quandam aream non impluit.* Adde *Alex. ab Alexandro l. 6. c. 2. fol 614. Genial. dier.* Inter miracula non immeritò hæc refertur ara, si fides historiis est habenda, quod illa sub dio seu aperto cœlo posita nullis imbribus irrigetur, sed sicca etiam in ipsa pluviali tempestate appareat. Illud tandem (4) non prætereundum, quomodo hoc Oraculum consultum sit, & qua ratione responsa exinde impetrata sint. Tria saltem circa ceremonias consulentium observavi. (1) Usum sacrificiorum, quæ mactata sunt in templo vel ejus vestibulo. An autem ea concremata sint aut in subsidium vitæ sacerdotibus cesserint, nondum habeo compertum. A vero tamen posterius istud non recedit longius, cùm aliàs è sacris pariter & profanis constet historiis, quoddam genus sacrificii cessisse sacerdotibus in sustentationem. (2) *Thura in ara fuisse accensa*, quoniam, uti antea plenius declaratum est, Veneris Paphiæ ara sanguine haut fuit conspurcata, sed ibi saltem thus adolebatur, aut alii suffitus exhibebantur, ita ut suavi odore totum repleretur templum. Inde fanum istud Veneris Paphiæ dicitur *odoriferum*: & ara istius ibidem *odorifera*, propter odorem, quem reddebat ara ex thure, casia, aut aliis rebus ibidem accensis. (3) *Ignis perpetuus in ara ista fovebatur*, ut semper in promptu esset, quando consulturi Oraculum res odoriferas accendere cuperent. Interim precibus adhitis invocarunt Venerem Paphiam,

quibus eam ad benignum responsum suppeditandum invitare voluerunt. Deinde precibus finitis, una ex virginibus ministrantibus Oraculum consulenti manifestabat, vel ex inspectione fibrarum in mactatis animalibus (sic *Tacitus* loco antea adducto: *Certissima fides hœdorum fibris:*) vel etiam ex suggestione Veneris se responsum afferre fingebant: vel ipsæ, quod opinabantur, dicebant: an illud in se verum, vel aliquando eventurum esset, nec ne, parum erant sollicitæ: Inde ait *Tertullianus* satis nervosè: *Paphiæ Veneris ancillæ fingunt cum Deastra sua se loqui, & interrogantibus Oracula pandere: cùm tamen sint mendacia vel stantes ad aram suffimenti, dum funduntur vanissimæ preces, excogitant speciosa responsa, quæ instar Oraculi blandiloquio suo proferunt, & superstitiosos decipiunt.* Illud tamen non crediderim, quasi Oraculum Veneris Paphiæ non fuerit consultum nisi in casibus matrimonii, ubi quidam satis scrupulosè de felicitate vel infelicitate conjugii voluerunt è divino quodam effato certi esse: id enim nunquã me legisse lubens profiteor. Equidem naturæ & moribus istius Deæ ejusmodi responsa quàm maximè quidem convenirent, utpote quæ Dea præses, & conciliatrix amoris olim audiit, uti veterum fabulæ hoc produnt; attamen illam solam de ejusmodi rebus interrogatam fuisse, & istam de iis tantum respondisse, non memini me unquam observasse. Et sane *Titi* exemplum supra allatum monstrat contrarium, quippe qui non de negotiis amatoriis, sed de navigatione Oraculum Veneris consuluit, ubi simul de spe imperii confirmatus est. Verùm omitto hoc Veneris Oraculum, & paucis aliquid dicam

III. De Oraculo HYBLÆ cujus mentionem feci supra *lib. I. c. 23. p. 184.* & de quo agit *Athenæus l. 15. c. 4. f. 672. Deiphnos.* qui refert: Caras profectos fuisse Hyblam, & ibi Apollinem consuluisse. *Casaubonus ad Athen. lib. 15. c. 4. fol. 951.* observat; quòd Cares Sami incolæ, qui Junonis delubrum vinculis alligaverant, religione & metu perculsi, quatenus sibi ab ira Junonis metuerunt, Apollinem consuluerint, missis legatis Hyblam, ubi erat Oraculorum sedes. Pergit Casaubonus: Nos *Hyblæum Apollinem* nunquam legimus, minus, fuisse unquam *in oppido Hybla* sedem Oraculorum. Inde putat, quòd *Athenæus* fortean intellexerit urbem *Abas*, ubi fuit Apollinis Oraculum, de quo *Pausanias lib. 10. p. 620.* agit: & quidem hisce verbis: Qui urbem Abas incolunt, dicunt: se venisse Argis in Phocidem terram. *Abis illic Oraculum Apollinis fuit.* Hæc ita Pausanias. Non quidem magni Casauboni senten-

ſententiam vocabo ſub cenſuram; non tamen video, quomodo tàm magnum errorem erraſſet Athenæus ita, ut pro urbe *Phocidis* Abas poſuiſſet *Hyblum*, cùm Hybla ſit Urbs Italiæ. Sanè & in Sicilia fuit civitas, quæ initio Hybla dicta eſt non procul ſita à monte Hybla thymi copia, ſalicibus & apibus abundante, quam appellationem ab Hyblone Siciliæ Rege traxiſſe perhibetur. Verùm ubi Apollinis Hyblæi Oraculum fuiſſe dicitur, creditur civitas Italiæ antiqua fuiſſe. An Oraculum illud celebre, & frequentatum; & quibus ceremoniis illud conſultum, nec non quomodo ibidem reſponſa data fuerint illud in hunc usque diem non potui ex actè perveſtigare

IV. Breviter aliquid etiam annectendum de Oraculo Nymphæo, quod Oraculum eſt prope Apolloniam, quæ, uti *Dio Caſſius lib.41.fol.574.* refert, Corinthiorum colonia eſt. *Abraham Ortelius in Theſauro Geograph.* verbo *Appollonia* dicit: *Hanc Apolloniam Plinius* (ſcilicet *l.3. c. 23. fol. 55. Natur. Hiſtor.*) vocat *Corinthiorum coloniam: ex quo eandem eſſe ſuſpicor cum ea, quam Stephanus Gylax & Gylacia dictam ſcribit, (etſi eam in Illyrico ponat) nam & Coloniam Corinthiorum eſſe ait non longe ab Epidamno ſitam, quod in Macedoniæ confinibus eſt.* Hæc Ortelius. Deinde quare iſti loco nomen Nymphæum inditum fuerit, verbis *Dionis Caßii fol. 174.* explicabo. *Apollonia Corinthiorum colonia loco peropportuno ſita eſt, ſive terram, ſive mare, ſive flumina reſpicias. Idq; pra reliquis maximam mihi admirationem movit, quòd ad fluvium Anam ignis multus editur, qui tamen neq; in adjacentem tellurem ſeſe exſerit, neq; eam, in qua exiſtit, inflammat aut areſacit: ſed ea herbas arboresq; etiam pone ignem germinantes edit, quæ imbribus ſuperfuſis adoleſcunt, & in altum excreſcunt, unde ei loco* Nymphæum *inditum* eſt. Ubi ante omnia videndum, quid Nymphæum ſignificet: *Cælius Rhodiginus l.28.c.27.fol.1588.* non videtur diſſentire ab illis, qui putant *Nymphæa eſſe loca lavandis mulieribus deſtinata.* Et addit: *Nymphis antea dicantur, ob affatim deſtillantes aquas, effluentesq;.* Inde exiſtimat: Nymphæa eſſe Nympharum templa. Atque eum in finem adducit *Marcellinum lib. 15.f. 50.* qui ait: *Diebusq; paucis ſecutis, cum itidem plebs excita calore, quo conſuevit, vini cauſando inopiam, ad ſeptizonium convenisſet celebrem locum, ubi operis ambitioſi* Nymphæum *Marcus condidit Imperator.* Cæterum *Johannes Baptiſta Pius in Annotat. poſterior. c.126.p.250.* Nymphæa exiſtimat eſſe lacus ſcaturientes aquis delicatiſſimis, habitô reſpectu etymologiæ dictionis: νύμφαι enim Græci vocant

aquam

aquam. *Marcellus Donatus in Dilucidat. ad Julium Capitolinum f. 922. & seqq. in Tom. 6. Criticor. Grüteri.* non admittit illorum sententiam, qui statuunt: *Nymphea* dicta fuisse balnea, in quibus lavabantur mulieres appellatæ aliàs *Nymphe*: sed docet autoritate Vitruvii in thermis seu balneis publicis duos ordines balneares extitisse separatos unum viris, alterum mulieribus se balneantibus destinatum. Vide *Gellium l. 10. c. 3. p. 505. Noct. Attic.* ut & quæ scripsit *Fulvius Ursinus in Appendice de Triclinio.* Alii Nymphæum interpretantur lacum seu aquas stagnantes, in quibus publicè natarent, & lavarentur Romani, ita appellatum ab herba Nymphæa dicta, quæ copiosissima in hujusmodi lucis nascatur & concrescat. Dubio procul isti loco, de quo *Dio Cassius* loquitur, nomen *Nymphæi* inditum est, quòd ibi essent thermæ in amœnis campis; cùm ignis non obstet floribus, arboribus, & herbis ibidem copiosè germinantibus. Plura suppeditabit *Marcellus Donatus* d. l. *p. 924. 925.* Jam ad Oraculum, quod eo in loco reddi solebat, accedendum est. Et quidem considerare oportet. (1) *Objectum*, seu de quibus rebus respondebat istud Oraculum: scilicet de omnibus, duabus saltem exceptis, nuptiis nimirum & morte. Quas igitur nuptias contracturus, vel quo mortis genere periturus quispiam esset, illud ad hoc Oraculum non deferebatur, aut si delatum esset, nihil ad id, ab Oraculo respondebatur. (2) *Modum consulendi*. Is absolvebatur narratione facti, seu præmissa & proposita quæstione, de qua consulens reddi voluit certior. An verò quæstionem ore recitaverit, vel scriptò exhibuerit, affirmare nequeo. (3) *Ceremonias*: quæ non adeò singulares fuerunt: nam consulentes oblatô thure precati sunt. Sacrificia animalium ibi fuisse usitata non deprehendo: sed, postquam quæstio fuit proposita, preces institutæ fuerunt, & thus in ignem altari impositum fuit conjectum. Preces autem directæ sunt ad impetrandum benignum responsum, & thus oblatum ad flectendum Oraculum in partes æquiores. (4) *Rationem respondendi isti Oraculo usitatam*. Respondet autem istud Oraculum non voce, nec nutu, nec somniis, nec aliis modis, sed solùm Igni. Nam si Oraculum vult consulentis voto assentiri, tum ignis consumit injectum thus, & si quædam granula extra ignem deciderint statim flamma egreditur, & thuris granula abripit & absumit: Quod si verò consulentis proposito succurrere nequit, vel etiam non vult Oraculum, tum injectum thus non recipitur ab igni, & si in ipsam flammam conjiciatur, thus tamen ab ea recedit, & fugit. Et ita

ex hisce

ex hisce ignis actibus intelligere possunt consulentes, quonam responso dimittantur. Quæ omnia depromsi è *Dione Cassio lib. 41. fol. 174.* qui verbis sequentibus totam rem breviter comprehendit: *Ibi Oraculum editur, idq́ hoc modo: Thure acceptô, precibusq́ ejus rei ergo, quam volunt, factis, ipsum thus, ut secum eas preces deferat ad ignem, projiciunt: tum si ratum sit futurum votum, ab igni thus è vestigio corripitur: ac si thus extra ignem fortè deciderit, accurrens ignis id abripit & consumit. Sin irritum erit votum, neque accipitur ab igni thus, & si in ipsam flammam conjiciatur, recedit ab ea, atque effugit. Ita in utramque partem ignis futura prædicit, morte nuptiisq́ exceptis. De his enim non licet cuiquam Oraculum illud consulere. Atque ea est istius Oraculi ratio.* Hucusque Dio Cassius, & tantum etiam de hoc Oraculo Nymphæo!

CAPUT XVI.
DE
ORACULO ANTIOCHENO, PHARENSI, ET THRACIO.

I.

ORaculum Antiochenum ita quidem à loco denominatur, sed fuit Jovis omnium maximi apud Gentiles Dei: is enim, uti diversis in regionibus distinctas habuit Oraculorum sedes, ad quas diversis è provincijs & civitatibus accurrerunt homines catervatim, ut ibi futurorum notitiam consequerentur: ita quoque Antiochiæ celebre fuit Oraculum, è cujus responsis multi illustres pariter & vilioris sortis homines detinebantur suspensi. Erat autem ibidem simulacrum Jovis, quod per totam Syriam ex antiqua quadam religione colebatur. Constat autem quatuor modis hoc Oraculum respondere solitum fuisse. 1. *Gestu corporis*, qua ratione verò id acciderit, adeò certè exprimere nequeo: interim ex gestibus colligi potuit mens Oraculi, quidnam in proposito casu illud consulentibus denunciare voluerit. 2. *Motu Capitis*, quando capite ad pectus inclinato benignum: vel etiam commoto ab una parte in aliam infaustum responsum dabat. 3. *Motu oculorum*, è quo itidem divinari potuit, quid voluerit Oraculum significare: numquid quæstio proposita sibi displiceret, vel læto quodam responso il-

iam probaret. Illud tamen certum est, ex istis gestibus ac motibus tum integri capitis, tum oculorum, non nisi probabili quadam conjectura sensum aut potius mentem hujus Oraculi indagari potuisse. An autem statua istæc citra fraudem ita se moverit ad interrogata consulentium? an arte quadam callidâ adhibitâ, caput, oculi & alia membra tectè alijs non animadvertentibus flecti potuerint fortean à Sacerdote, vel alio quodam clàm circa simulacrum latente, illud affirmare vel negare non audeo. Dæmonem enim suam statuum inhabitare,& superstitiosis hominibus hoc pacto tanquam omniscium Deum se exhibere potuisse, dubio caret: ejusmodi quoque miracula non carere fraudibus & deceptionibus, ex historiis, si res esset tanti, multis exemplis ostendi posset. 4. *Verbis*, quæ potuerunt à consulentibus intelligi. Non tamen additur numquid statua locuta fuerit, vel Sacerdos quispiam mentem Dei illis declaraverit. *Peucerus*, *qui in lib. de Divinat. pag 235.* eandem historiam describit, addit etiam hoc Oraculum *motu ac varietate totius vultus*, quid senserit, indicasse. Verba ejus ita se habent: *Antiochenum Idolum motu gestuq; capitis & oculorum ac totius vultus, vel arridente hilaritate, vel corrugata ac refugiente torvitate, tum annuere requisitis, tum petita abnuere solitum scribunt.* Qua in sententia quoque est *Simon Maiolus in Diebus Canicularibus. fol. 360.* Uterque autem totam historiam dubio procul descripsit ex *Eusebio.* Ob hujus Idoli & Oraculi autoritatem Imperatorum mandato, sollicitantibus id ita gentilium Sacerdotibus, Christiani tota viciniâ exacti & in exilium missi diu oberrarunt in Asia, priusquam recuperatis sedibus sesè rursus confirmarent. Vide *Euseb. l. 9. c. 3. fol. 102. Histor. Eccles.* ubi agit de *Theotecno* Quæstore urbis Antiochenæ, cujus instigatione etiã Christiani sedibus suis pulsi sunt. Ubi duo cumprimis merentur observari (1.) *Quibus de causis Oraculum istud de ejiciendis Christianis datum fuerit?* Certè nullæ aliæ fuerunt, quàm quod istius Autoritas peritura esset, cum ipsius potentia in dandis responsis sensim impediretur, & tandem extingueretur, & hoc ob Christianorum doctrinam, quæ istis Idolis planè adversabatur. Quandoquidem illi profitebantur unum & verum Deum, conditorem cœli & terræ, & imperium in omnes res creatas atque ita in ipsos Dæmonas obtinentem. Deinde docebant, unum esse Mediatorem, Deum pariter & hominem in unitate personæ subsistentem, qui opera Dæmonum destrueret. Quæ doctrina tollebat multitudinem Deorum, & ita homines reddebat certos; istæc Oracula

non

non esse divina eloquia, sed Diabolorum hominibus eorumque saluti insidiantium responsa: imò sæpe meras illusiones, quibus miseri mortales decepti, tandem reapse experti sunt, quid ipsis fallacia istæc Dæmonum effata nocuerint. Hæc omnia deprehendit malus Genius, nimirum suis actionibus & proposito religionem Christianorum obesse; ideo tam horrendas persecutiones contra eos excitavit apud crudeles istos Cæsares; & ita Dæmon Antiochenus suo Oraculo tanquam divino eloquio Imperatorem commovit, ut in tàm durum exilium innocentes eijceret Christianos. (2.) *Quòd non statim tempore nati Servatoris Oracula gentilium defecerint.* Clarum siquidem exemplum hic extat etiam temporibus Christianorum quædam Oracula fuisse in usu. Christus quidem venit in hunc mundum, ut opera Dæmonum dissolveret: at exinde non sequitur : statim ad ejus adventum omnia Oracula conticuisse. Quod sanè copiosè explicavi *cap. ult. lib. 1.* Sanè *Septimius Severus* cùm privatam adhuc ageret vitam, imperium tamen ob animi elationem affectaret, consuluit Oraculum Jovis Beli, quòd tum ob prædictiones & responsa fatidica plurimùm in Assyria colebatur, nec non in magna erat veneratione. Cui quoque Deus iste summum Principatum, & ingentes de populis exteris victorias promisit his verbis:

Ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διῒ τερπικεραύνῳ.
Ἄρει δὲ ζώνην, στέρνα ποσειδάωνι.
Sic oculos, sic altitonans Rex ora gerebat.
Hanc Mars Zonam illi pectora falsipotens.

Imperator postea factus idem Oraculum interrogavit, quid futurum esset de suis filiis Caracalla & Geta, eorumque successoribus; ubi Oraculum ita respondit:

Σὸς δ' οἶκος πᾶς βήσεται δι' αἵματος.
Tua verò domus tota peribit sanguine.

Quod etiam postea ita evenit. Vide *Dionem Cassium lib. 78. fol. 884.* Ubi *Xylander* ita interpretatur istæc vaticinia, & quidem prius : *Os oculosq, Iovis similis, qui fulmina torquet, & Marti latus & Neptuno pectora.* Posterius verò ita : *At tibi tota domus madefiet sanguine.* Nam Bassianus Caracalla, natu major filius & patri cædem intentavit, etsi repulsus eam in actum non deduxerit. Eô tamen in Britannia extincto, postea fratrem Getam, gliscentibus inter ipsos odijs in complexu

matris confodit, & urbem Romam civibus exhaustam sanguine eorundem si non inundavit, tamen respersit. Nihil itaque verius est, quàm etiam post Christi nativitatem, & regressum ejus ex his terris ad coelos quibusdam in locis Oracula extitisse: pedetentim tamen disseminatâ Christianorum fide, istæc corruisse. Quamvis quædam ante Servatoris adventum, quædam quoque statim post eum loqui desierint. Quæ omnia dicto cap. ult. fusius sum persecutus.

II. Pharense Oraculum nomen accepit ab oppido Achæorum, cui nomen est Pharis, inde & Pharenses Achæorum partibus adscribuntur *ab Herodoto: lib. 1. cap. 145 pag. 62.* Quorum agrum præterfluit fluvius Pierus, idem, qui Oleni ruinas præterlabitur, quem maris accolæ appellant Pirum. In cujus ripis est platanorum lucus tanta arborum magnitudine ex ipsa vetustate, ut intra cavernas (multæ enim concavæ sunt) qui velint & epulari, & ibidem recumbere possint Sed hoc obiter. In medio foro est Mercurij signum marmoreum cum barba quadrata, basi eminens, verùm modica magnitudine. Cognomen isti est *Agoraus*, quasi dicas *forensem.* Proximo loco est Oraculum: ante Mercurij signum verò posita est Vesta & ipsa ex marmore, cui appositæ sunt multæ æneæ lucernulæ, sed plumbo ferruminatæ. E quibus, quæ è *Pausania l. 7. p. 403.* adducta sunt; oppidò patet: Pharense hoc Oraculum fuisse Mercurij, qui apud Ethnicos magnam quoque sui venerationem effecerat. Deum istum qui consulere volebant. 1. *Thus incendebant* in honorem Vestæ, quam hoc modo placari credebant. 2. *Lucernas accendebant* : Nam, quando existimabant facto suffimentô Vestam esse reconciliatam, tum oleum in istas Vestæ appositas lucernulas infundebant, easque accendebant. Thus autem. 3. *accendebatur vespere*, & quidem in lapidea ara, quæ ante simulacrum exquisitè erat fabrefacta. Procul dubio & hoc in ara ignis perpetuò fuit servatus, uti in ara Veneris Paphiæ, ne scilicet consulentibus Oraculum deesset occasio thyamata accendendi. 4. *In istius aræ parte dextera dedicabant nummum* patriâ signatum notâ seu charactere, quem χαλκοῦν, id est, æreum appellabant. Quare autem nummum istum dicaverint, non addit *Pausanias l. 7. p. 404.* vero tamen videtur consentaneum, nummum istum exhibitum fuisse vel ad conservandam templi structuram: vel etiam subinde ad sustendandos Sacerdotes, quippe qui ex ejusmodi donarijs, quod etiam supra expositum est, vitæ subsidia consequebantur. Aliam exhibiti hujus nummi causam

ſam allaturo nemo facilè refragabitur. 5. Præterea *precibus recitatis in aurem ſtatuæ inſuſurrabant quæſtionem, ſeu deſiderium ſuum*, ad quod reſponſum Oraculi deſiderabant: putabant namque, quàm optimè ſibi eſſe conſultum, ſi Dei vel potius ſtatuæ iſtius auribus inſpirarent deſiderium ſuum, hac ſiquidem ratione confidebant, Deum iſtum optimè intellexiſſe, quod ipſi peterent. 6. Expoſitô ſuô deſideriô *conſulentes* ſtatim è foro excedebant, ita tamen, ut aures ſuas obturarent, vel comprimerent, & quidem hac ratione ne in foro, ubi magna hominum multitudo ſolet eſſe congregata, ob turbam murmurantium incertas vel confuſas voces exciperent, & ita vim Oraculi non aſſequerentur. 7. Egreſſi autem fori limites, ſubitò aures recludebant, & quamcunque vocem primo audirent, velut à ſimulacro emiſſam, Oraculi vice habebant. *Peucer. de Divinat. p. 242.* Hæc, quæ de iſto Oraculo attuli, ſunt deſumta uti dixi è *Pauſania l. 7. p. 403. 404.* cujus verba ex interpretatione *Romuli Amuſæi* ita ſe habent: *Qui Deum conſulunt, Veſtam primùm thure incenſo placant, deinde oleô infuſô lucernas accendunt: tum verò in aræ dextera parte nummum patria nota ſignatum, (appellant Æreum) dedicant. Vbi quod ex uſu fuerit, interrogarit, aurem ſimulacro admovet, inde è foro abiens manibus aures premit: ubi è foro exceſſit, amota manu, quam primum excepit vocem eam ſibi Oraculi loco ducit.* Non poſſum illud præterire, quod *Fridericus Sylburgius in Not. ad Pauſan. pag. 71.* locum Scriptoris de *Veſta* explicet *de foco*, quando ita ſcribit: *Ante Mercurij ſimulacrum* ſitus eſt focus, *& ipſe lapideus, ad eum focum agglutinatæ ſunt æneæ lucernæ. Accedit ſub veſperam, qui Deum conſulere cupit, & thus ſuper* foco *adolet.* Non quidem eſt novum & inſolens, ut Veſta ſumatur pro foco, & ipſo igni, uti illud egregiè oſtendit *Lipſius in Syntagmat. de Veſta & Veſtalib. cap. 2. fol. 603. in Tom. 3. Oper.* adde *& Cœlium Rhodigin. l. 18. cap. 24. fol. 1012. Lection. antiquar.* an verò contextus talem Sylburgi interpretationem admittat, lectoris judicio committam. Addit deinde *Pauſanias* d. l. talem quoque apud Ægyptios in Serapidis fano celebrari religionem: quamvis tamen alij Scriptores, quorum teſtimoniis in deſcribendo Oraculo Serapidis uſus fui ſupra *cap. 11.* hujus libri, de iſtis ceremonijs, quæ adhibitæ ſunt in conſulendo hoc Oraculo, & modo reſpondendi, nihil dixerint: Quod ſaltem obiter annotandum eſſe duxi.

III. Thracicum Oraculum, quod fuit Libero Patri Lyſio ſacrum. Dictus autem eſt Bacchus, ſeu Liber Pater Lyſius à ſolvendo, non tantùm ideo, quòd vino onuſti liberentur aut ſolvantur à curis & moleſtijs; Sed quòd Thebanos, quos Thraces abduxiſſent vinctos ſolverit. Hiſtoriam deſcribit *Pauſanias l. 9. pag. 517* in ſequentibus. *Theatro*, inquit, *proxima eſt Liberi Patris ædes, cognomento Lyſii*; Cognominis *hæc eſt cauſa, quòd cum Thraces olim complures è Thebanis abducerent vinctôs, eos, cum ad Haliartiarum fines deventum eſſet*, vinculis ſolutos Deus dimiſerit, *illis tamen poſtea* Thracas ſomno oppreſſos occidendos *præbuerit*. Dubito tamen, an Thraces propterea iſtud Oraculum venerati fuerint, niſi quis malit dicere: Deum illum poſtea genti iſti ſe præbuiſſe propitium, & ita Oraculum ibidem inſtituiſſe. Sed hoc tanquam incertum relinquam in medio. Templum iſtud collocatum fuit in arduis montibus, quòd eminus conſpici potuit, niſi quod alicubi dumeta adventantium conſpectui illud ſubtraxerint. In eo poſitum erat ejus ſimulacrum, cum hac inſcriptione: *Inſucata veritas*. Quod nonnulli ita interpretantur, quaſi ill s qui vino ſe replerunt, nihil celare, ſed cuncta candidè proferre, & fateri ſoleant, ut proinde ſit locus proverbio: *In vino veritas*, quò denotatur, quòd ebrietas animi fucum tollat, & quicquid in pectore conditum eſt, lingua garrula in medium producat. Vide *Eraſm. in Adagiis fol. 450*. Verùm alij de ſinceris hujus Oraculis reſponſis inſcriptionem iſtam intelligendam eſſe cenſent. Modus conſulendi hoc Oraculum erat, ut, prævijs ceremoniis mulier, auditâ prius conſulentis quæſtione ac deſiderio Oraculum Bacchi interrogaret: cui tamen Deus iſte non reſpondit, neque etiam femina iſtæc ad interrogationem reſpondit, ſed Sacerdotes, qui (1) perceptis conſulentium quæſtionibus, vino ſe ingurgitabant: quòd crederent, ſe ſimul cum vino haurire & imbibere vim fatidicam, ut rectè poſſent ad quæſita reſpondere: (2.) Quo facto aliquid murmurabant, vel loquebantur, quod habebatur pro Oraculi reſponſo. Magna ſimplicitas, & ſtulta ſuperſtitio ebriorum dicta pro divinis agnoſcere reſponſis. Vide *Majol. in Dieb. Canicular. pag. 361.*

CAPUT

CAPUT XVII.

DE BOEOTIÆ, DIANÆ, JAMIDARUM, ET THYRXEI APOLLINIS ORACULIS.

I.

DE Regione Bœotiæ nihil dicam, cùm de ea, ut & incolarum moribus Geographi consulendi sint, Illa tamen, quod hac saltem vice explicare constitui, multitudine Oraculum abundabat, ita ut propterea dicta fuerit πολύφωνος, id est, *Voçalis*, qua de re produco testem *Plutarchum, qui in lib. de Defectu Oraculor. fol. 411.* refert, quod quidem magna fuerit copia Oraculorum in Bœotia, ut ipsa exinde Vocalis audierit; illa tamen responsa desierint velut amnes siccati, nisi quod prope Lebadiam haustus vaticinationis consulentibus præbeatur. Ita ait Scriptor: *τὰ γὰρ ἄλλα τί δεῖ λέγειν; ὅπου τὴν Βοιωτίαν ἕνεκα χρηστηρίων πολύφωνον οὖσαν ἐν τοῖς πρότερον χρόνοις, νῦν ἐπιλέλοιπε κομιδῆ, καθάπερ νάματα, καὶ πολὺς ἐπέσχηκε μαντικῆς αὐχμὸς τὴν χώραν; οὐδαμοῦ γὰρ ἀλλαχόθι νῦν ἢ περὶ τὴν Λεβαδίαν ἡ Βοιωτία παρέχει τοῖς χρήζουσιν ἀρύσασθαι μαντικῆς· τῶν δ' ἄλλων τὰ μὲν σιγὴ, τὰ δὲ παντελὴς ἐρημία κατέσχηκε.* Id est, interprete Xylandro: *Nam ut alia taceam, Bœotiam, quæ superioribus temporibus ob Oraculorum multitudinem* Vocalis *admodum fuit, nunc prorsus destituerunt Oracula, tanquam amnes siccati, ingensq; divinationis quodam æstu quodam abolitæ penuria regionem occupavit. Neque enim alibi hodie, quàm apud Lebadiam Bœotia haustum vaticinationis responsa desiderantibus præbet. Reliqua partim silent Oracula, partim vasta prorsus desertaq; jacent.* Dubio procul ibi omnia genera responsorum ab Oraculis fuerunt consulentibus data; tantùm quòd hodiè non adeò exactè sciri possit, quomodo illa fuerint comparata. Apud *Pausaniam l. 9. p. 498.* legitur de puteo quodam Bœotiæ, è quo bibentes vaticinati sunt. Verba ejus sunt: *Nunc etiam inter Hysiarum ruinas Apollinis templum est, dimidiata sui parte perfectum: sacer præterea puteus, de quo (uti Bœotii ipsi sermone suo vulgarunt) bibentes olim vaticinabantur.* Putant nonnulli, quosdam dari fontes quorum aqua, si bibatur, bibentium cerebrum occupet, non aliter ac si es-

sens.

ſent viro inebriati, idque è naturalibus cauſis oriri exiſtiment: quo etiam ab illis refertur puteus iſte, qui Potnijs monſtratur, è quo potantes equæ in furorem aguntur præcipites. *Pauſan. l. 9. pag. 507.* An autem Dæmon vim divinandi cum epota aqua fontana bibentibus inſpiraverit, an verò ex intrinſeca virtute ipſius aquæ bibentes more ebriorum, quid loquerentur ipſi, non intellexerint, conſulentes verò verba iſtæc tanquam divina reſponſa admiſerint, & venerati fuerint, alibi eſt expoſitum.

II. Diana multis in locis culta fuit divinis honoribus, & ab iisdem locis diverſa quoque accepit cognomina: ubique tamen non fuerunt Oracula quibus ipſa præeſſet, & quærentes de futurarum rerum eventu edoceret. In Cilicia tamen fuit ejus Oraculum ad quod acceſſerunt homines deſideratum reſponſum ab eo impetraturi. Deprehendo tamen ipſam non immediatè reſpondiſſe, ſed adhibitô aliorum miniſteriô, qui furore velut agitati vaticinabantur, & ita velut Interpretes Oraculi erant. *Strabo lib. 14. fol. 676.* Ἐν δὲ τῇ Κιλικίᾳ ἐςὶ τὸ τῆς Σαρπηδονίας Ἀρτέμιδος ἱερὸν καὶ μαντεῖον. Τὰς δὲ χρησμοὺς ἔνθεοι προθεσπίζουσι. In Cilicia erat Sarpedoniæ Dianæ templum & Oraculum: divina verò reſponſa eloquebantur vates divino afflatu repleti. Sarpedonia dicitur Diana à loco, ſcilicet Ciliciæ promontorio Sarpedone, ubi finis aliquando erat Regni Sarpedonis, quod Ciliciam à Pamphilia diſtinguebat, & ibi erat templum Dianæ Sarpedoniæ. Vide *Pomponium lib. 1. in deſcriptione Ciliciæ.* Oraculum, uti ex textu apparet, redditum fuit citra dubium à Sacerdotibus, quorum miniſterio Dea iſtæc uſa fuit in edendis ſacris effatis. Prius autem illi ſacti dicuntur ἔνθεοι, vel quod Deum iſtum in ſe haberent, ſicuti Pythia in Delphico Oraculo: vel quod divino afflatu imbuti verba furoris locuti ſint, ſive, velut homines non ſanæ mentis ſenſum Deæ conſulentibus explicaverint. De ceremoniis ad conſulendum hoc Oraculum adhiberi ſolitis, & modo reſpondendi, an carminicè, an verò in proſa oratione interrogantibus datum fuerint reſponſum, nihil tradit Strabo. De Dianæ Perſicæ Oraculo dixi ſupra *c. 10. hujus libri, n. 4. p. 390.* quæ nunc non repeto, addi ſaltem poterit *Lilius Gyraldus Syntagm. 12. pag. 517. de Deis Gentium.*

III. De Jamidarum Oraculo ut aliquid dicatur, oportet (1.) indicare, à quonam hoc Oraculum trahat ortum? nimirum, à Jamo Apolli-

Apollinis filio, qui à patre suo vim vaticinandi, seu sciscitantibus futura prædicendi accepit. Nomen dicitur accepisse ἀπὸ τῶν ἴων, à violis, sub quibus fuit inventus; vel quod ἰῷ μελισσῶν fuerit nutritus. *Schmid. ad Pindari Olymp. pag. 172.* Deinde & (2) Origo istius Oraculi ita extitit: Institutis Olympijs Hercules Jovi extruxit aram, ex qua reddenda in posterum essent Oracula. Jovi itaque & Pelopi arâ ab Hercule dedicatâ, Jamus ei præses constitutus ex eadem cœpit proferre divina & fatidica responsa. Inde *Scholiastes Pindari ad Olymp. d. v. 8.* ait: *Jamus Apollinis filius à Patre facultate vaticinandi instructus ex ara, quæ Iovi & Apollini sacra fuit, responsa dedit, qui quoque ob frequentiam interrogatorum sic appellari creditur.* Quod (3) modum vaticinandi attinet, utique ille fiebat per Ignem accensum in ara Jovis & Pelopis: Etenim mactatis animalibus in sacrificium destinatis detractas pelles conijciebant in ignem, & è flammæ colore, luciditate, vel obscuritate: absumtione pellium vel etiam earum scissione recta vel obliqua, felicia vel infelicia prædicebantur. (4.) Illa ratione vaticinandi diu usi sunt Jami posteri, aliàs dicti Jamidæ. De quibus scribit *Pausanias lib. 6. pag. 318.* Vates, inquiens qui *Jamidæ* appellantur, à Jamo oriundi sunt, quem ab Apolline genitum, & à patre divinandi peritiam accepisse, carmine prodidit Pindarus. Locus *Pindari* habetur in *Olympicis. Oda. 6. Strophe.* ἦλθε δὲ ὑπὸ σπλάγχνων ὑπ' ὠδῖνός τ' ἐρατᾶς Ἴαμος: Prodijt autem statim in lucem Jamus sub labore partus, Et v. 10. Φοίβου γὰρ αὐτὸν φᾶ γεγάκειν πατρός: περὶ θνατῶν δ' ἔσεσθαι μάντιν ἐπιχθονίοις ἔξοχον, οὐδὲ ποτ' ἐκλείψειν γενεάν: Phœbo patre, id est, Apolline ipsum dicebat genitum esse: inter homines autem præ omnibus in terra agentibus eximium vatem futurum: neque unquam defecturam ejus progeniem, &c. Idem *Pausanias l. 3. p. 171.* scribit: A Dianæ delubro *paulò longius progressus videas monumentum, quod iis erectum est vatibus, qui ex Elide venerunt,* Jamidæ *sunt appellati.* Hi peritiam divinandi quasi hæreditariam accepisse credebantur, eamque ita feliciter in edendis vaticinis ostendere; atque eam olim ostendit Jamus ipse. Adde etiam quæ observavit *Cælius Rhodiginus l. 13. cap. 17. fol. 686. Lection. Antiquar.*

IV. Verùm relictis Jamidarum vaticinijs de Apollinis Thyrxei Oraculo nonnulla sunt addenda. Et quidem (1) *nomen* quod attinet, dicunt alij: Apollinem Thyreum dici Græcè, & ita ἀπὸ τῆς θύρας

à Janua äppellatum, utpote cujus aras ante fores collocabant, atque ita significabant, quòd ipse esset Deus potens, tàm ingressus, quàm egressus. Quod deprehendo apud Macrobium *l. 1. c. 9. p. 193. Saturnal.* quando ita ait: *Etenim, uti Nigidius quoque refert, apud Græcos Apollo colitur, qui θυραῖος vocatur: ejusq; aras ante fores suas celebrant, ipsum exitus & introitus demonstrantes potentem.* Ejusmodi & Anthelij Dij habebantur, qui pro foribus ædium statuebantur, sic enim antiqui subdiales statuas, quæ Soli essent expositæ, vocabant, ut scribit Hesychius ab ἀντὶ καὶ ἥλιος. *Lilius Giraldus Synt. 7. fol. 327. de Diis Gent.* Pulchrum locum habet *Tertullianus in libro de Coronis*, quem adscribere non pigebit: *At enim*, inquit, *Christianus nec januam suam laureis infamabit, si norit, quantos Deos etiam hostis Diabolus finxerit: Ianum à janua Limentinum à limine; Forculam & Carnam à foribus & Cardinibus: & apud Græcos Thyreum Apollinem, & Anthelias Dæmonas.* Hæc Tertullianus! Verùm *Pausanias l. 7. pag. 403.* qui hujus Apollinis Oraculum describit, expressè eum vocat *Thyrxeum*, cujus autoritate quoque motus istam appellationem retinui, nisi quis velit dicere: distinctas hasce denominationes esse, & quidem dici Apollinem θυραῖον seu *Thyreum*, quatenus ejus statua aut ara pro foribus ponitur sub dio ad demonstrandum: Eum esse Deum introitus & exitus: *Thyrxeum* verò à loco Oraculi, cui tamen distictioni an fides habenda sit, dubito. Videndum itaque (2) Oraculum ipsum, quod describitur. (1) *à Loco generali*, ubi nimirum illud fuerit situm, nimirum ad fines Lyciæ, quæ est regio minoris Asiæ inter Pamphiliam & Cariam, dicta à Syro Pandionis filio. In qua olim reperta fuit urbs Patara Oraculo Apollinis inclyta, ubi ipse sex mensibus hybernis responsa dare solebat. Inde apud *Virgilium l. 4. v. 346. Æneid. Lyciæ Sortes* communiter explicantur de responsis Apollinis, quæ ipse in Patara Lyciæ urbe antiquitus dare consvevit. Ad fines igitur Lyciæ proximum Cyaneis petris fuit hoc Oraculum. (2) *A loco speciali*, in Fonte scilicet: *Pausanias* dicit *l. 7. p. 403.* in eum patuisse descensum. Existimo aliquot gradibus consultorem descendisse, antequam ad fontem istum fatidicum pervenire potuerit. An verò scalis adhibitis in eum descenderint pro certo statuere nequeo: interim putarem, *Pausaniam* rem tanti momenti non omisisse. Equidem amarunt Dæmones præcipuè in Oraculis reddendis loca profunda, obscura & tenebricosa, ut majorem venera-

rationem istis locis, & sublimiorem autoritatem Oraculorum infigerent religiosorum animis, uti id supra declaravi multis: an verò ratio è fonte fatidico futura & dubia cognoscendi hoc permittere potuerit, est de quo valdè dubito. Aliquot tamen gradibus ad eum descensum fuisse, vero videtur similius. (3) *Ab objecto*, potuit aliquis ex isto fonte cognoscere omnia quæ scire desideravit: ut proinde meritò dici potuerit Oraculum Universale, quippe quod cujuscunque rei futuræ ac dubiæ notitiam suppeditaret consulentibus, (4) *à differentia inter fontem Cereris & hunc fontem.* Etenim fons, qui pro Cereris æde erat positus, suppeditabat notitiam de eventu non rerum omnium, sed solius morbi ac vitæ: an nimirum ægrotus esset periturus, an pristinam valetudinem recuperaturus? Verùm fons Apollinis Thyrxei omnium, quæ quis præscire expetiit, notitiam consulentibus communicabat. Deinde in fonte Cereris Oraculum dicebatur respondere mediatè & interveniente speculo, in quod consulentes inspicientes ex imaginibus, quæ in eo se exhibebant, periturus ne an victurus esset æger, divinabant: Verùm tale quid de fonte Thyrxei Apollinis non memoratur, ut proinde hic fons posterior longè præstantior fuerit fonte Cereris. Nullus tamen dubito, quia saltem ex inspectione aquæ fontanæ cognitionem rei desideratæ consulentes perceperint. Si enim isti prædictam aquam è fonte haustam bibissent, & eâ epotâ, uti alibi accidit, velut furore agitati divinassent, utique Pausanias, qui sæpe fabulosa suis historiis immiscet, & cuncta omnibus ferè rimatis circumstantijs persequitur, talia, inquam, quæ veritati interdum parum inserviunt, hunc modum vaticinandi indicare non intermisisset. Cæterùm sunt, qui existimant ejusmodi Oracula è fontibus petita longè certiora esse, quàm ea, quæ petita fuerint è verbis: quandoquidem verba sæpe fuerunt obliqua, ambigua, & obscura, ita, ut consulentes nequiverint eorum sensum verè interpretari, &, si ea in sui commodum explicaverint, in interpretatione tamen aberraverint, nec non postmodum se deceptos esse reipsa experti fuerint: Verùm divinatio, quæ in fontibus fit, nulla ambiguitate distorquetur, nam, ut in præsenti saltem argumento subsistamus, futurorum manifestatio mediante aqua extra omnem fallaciam est posita, quippe quòd omnem fraudem, calliditatem & deceptionem excludit. Sed ea sententia dubio non destituitur. Nam (1) si fontana aqua epota bibentium cerebum ita occupat, ut ipsi, quid loquantur, nesciant, quomodo poterit affirmari,

 illos

illos certa responsa consequi omni ambiguitate penitus destituta? nisi velis dicere: Deos istos Oraculorum responsa ita moderatos fuisse, ut procul remota fuerint ab omni deceptione & dolo. Quod tamen æquè incertum est, atque prius illud. (2) Si imagines tantùm conspectæ fuerunt in fonte de istis rebus, quarum cognitionem desiderarunt, dubium certè non exiguum manet, unde intuentibus aquam certa facta fuerit persvasio de veritate eorum, quæ ipsi in fonte conspexerunt: Quid si (3) dubiæ imagines rerum fuerint exhibitæ? num quid ne tum aberratio à veritate Oraculi in vitio oculorum ponenda erit, sicut illi, qui verba Oraculorum flexiloqua audiverunt, culpam malæ interpretationis Intellectus & Iudicij erroribus adscripserunt? (4) Quinimò sicuti Dæmon verborum ambiguitate, ita & imaginum in aquis exhibitarum externis speciebus illudere potuit hominibus, ut illi vana rerum species fallacesque pro veris acceperint, nec non crediderint, se in sua opinione de certa rerum futurarum percepta notitia esse confirmatos. Verùm cùm occasione Oraculorum de fontibus fatidicis differendi nobis ansa suppeditata fuit, non possum, quin adhuc aliquid addam de fonte, qui fuit in *Miris Lyciæ urbe*, ubi pisces divinabant, & per quos voluntas Apollinis innotescebat. *Plinius l. 32. cap. 2. fol. 634.* ea de re scribit sequentia: *In Lyciæ Myris in fonte Apollinis, quem Curium appellant, ter fistula evocati pisces veniunt ad augurium. Diripere eas carnes obiectas lætum est, consultantibus: caudis abigere*, scilicet escam, *dirum.* Quod quoque *Ælianus* tradit *lib. 12. cap. 1. pag. 688. 689. Histor. animal.* ubi ita scribit: *In Myrensi Lyciæ sinu Apollinis templum est, ad cujus sacerdotem vitalinas caruncula dispergentem Orphi gregatim adnatant, & tanquam convivæ ad epulas invitati carnes comedunt: & verò immolantes ex eo magna voluptate afficiuntur, quòd pisces sua sacrificatione pascantur. Quod quidem ipsum res suas bene & feliciter casuras esse significare sibi persvadent, idcircoq; propitium esse sibi Deum, dicitur, quòd suis cibis pisces expleantur. Quod si caudis carnes in terras ejiciant, inde sibi iram Dei portendi arbitrantur.* Idem *Ælianus l. 8. cap. 5. pag. 477.* de hoc divinandi genere per pisces sequentia commemorat. Audio, inquit, Lyciæ vicum nomine Syrrham esse inter Myra & Phellum, ubi sunt, qui ad pisces sessitando, sciant, quid sibi velit appellatorum piscium accessus & recessus: quid item ostendant, cùm non parent: quid cum frequentes veniunt portendant, facilè intelligunt. Atque ejus divinationis periti sciunt, quid cùm salit

piscis,

piſcis, demonſtrat, quid cum mortuus fluitat, quid cibum ſumens, quid etiam recuſans ſignificet. Hæç ita Ælianus. Produco hac de re & alium teſtem antiquum *Athenæum qui l.8. cap. 2. fol.333. Deinoſoph.* de modo vaticinandi ex piſcibus in Lycia, quanquam alijs adhuc ſubinde enarratis circumſtantijs, itidem diſſerit ſatis egregiè. Verba adſcribere non pigebit, cùm Scriptor iſte in omnium manibus non verſetur. Ego, inquit, de ijs mihi tacendum non duco, qui in Lycia ex piſcium obſervatione vaticinantur, de quibus hæc Polycharmus lib. ſecundo Lyciacorum ſcripſit: Cum ad mare tranſierint, ubi juxta littus Apollini ſacrum nemus eſt, & in arena verticoſus aquarum gurges. Illi, qui Oraculum conſulunt, cum duobus ligneis verubus, & in utroque decem aſſatæ carnis fruſtis accedunt, ubi Sacerdos tacitus prope nemus aſſidet, is verò qui vaticinium expectat, jactis in verticem verubus, id, quòd futurum eſt, contemplatur. Verubus projectis gurges ſtatim repletur aqua marina, & tanta piſcium multitudo advenit, ut, qui ibi intuentur, attoniti obſtupeſcant. Tantæ quoque magnitudinis ibidem reperiuntur piſces, ut interdum proſpicere oporteat, ne illi damnum dent, vel lædant. Quando autem is, qui Oraculum petit, vati renunciavit, quænam ibidem adſint piſcium ſpecies, tum ei reſponſum datur à Sacerdote de ijs, quæ ante rogaverat. Hucuſque *Athenæus.* Quæ deſcriptio Oraculi per piſces diverſa eſt ab ea, quam exhibent *Ælianus* & *Plinius*: nam hi non faciunt mentionem Sacerdotis declarantis Oraculum conſulentibus; ſed illi referunt: Exhibentes ſcil. piſcibus cibum exinde vice læti reſponſi accipere, ſi piſces objectum cibum avidè arriperent; ſed ſiniſtrum eſſe omen, ſi cibum ipſi caudis abigerent, ſibi perſvaſum habuerunt. Ea propter exiſtimo diverſis in locis Lyciæ ejusmodi Oracula per piſces extitiſſe, ita, ut alicubi ex ratione arripiendi, vel reijciendi cibum, alicubi ex natatu: alicubi ex frequenti acceſſu, & ita ex facto piſcium externo immediatè vaticinium de rebus futuris ſumtum fuerit: alicubi tamen Sacerdos è piſcibus eorumque moribus, geſtibus, eſu, natationibus, & ſimilibus præbuerit reſponſum. Sicuti autem de piſcibus divinationes & vaticinia habebantur; ita etiam ex avium cantu, eſu, volatu, extorumque inſpectione olim deſumebantur prædictiones. De quibus hac quidem vice dicere nihil attinet: Legi interim poſſunt, quæ habet Johannes Roſinus *l.3. c.9.10. & 11. par. 448. & ſeqq. Antiquit. Romanar.*

CAPUT XIIX.

DE ORACULIS PUERORUM.

I.

MIhi ſermo non erit de pueris, qui aliquando Oraculis inſerviiſſe & voluntatem iſtius conſulentibus annunciaſſe dicuntur. Quò à nonnullis trahitur exemplum Samuelis, qui à matre ſua Deo totus devotus in pueritia quoque Deo ad ſerviendum oblatus, fidus miniſter in æde ſacra coram Jehova repertus fuit, cui quoque is ſe manifeſtavit, & ex ejus mente Sacerdoti grandævo Eli futurarum rerum eventum aperuit. Non pauci ſunt in ea opinione, ac ſi Samuel multa ex inſpiratione divina Iſraëlitis prædixerit, quæ, licèt non ſint in ſacris annotata, ſucceſſu tamen non fuerint deſtituta. Quod autem Samuel Iſraëlitis in pueritia ſua ad ſe venientibus voluntatem Dei tanquam Oraculum aliquod ſolenne expoſuerit, aut ipſe ex Urim & Thummin, quod non nemo urget in *Libro de Vita Samuelis c. 4. p. 12.* conſulentibus futurorum panderit notitiam, ſequentia me vetant credere. Etenim (1) non dicitur in S. Scriptura, quòd Samuel in pueritia ſua Iſraëlitis Oracula, eo ſenſu, uti hactenus de illis egi, unquam interpretatus fuerit. Quod verò Eli Sacerdoti exitium cum tota ſua familia indicaverit, hoc factum eſt per ſpecialem aliquam revelationem. Et credò ipſum hoc non renunciaſſe Seni, niſi verbis adjurationis ad hoc fuiſſet inductus. Inde ſcribit *Caſpar Sanctius ad cap. 3. v. 17. lib. 1. Samuel. p. 98. Non audebat Samuel aperire Sacerdoti & ſeni & optimè de ſe merito, quod à Deo in ipſius caput, atque familiam vaticinium acceperat: atque ita continebat ſe timore pariter ac pudore deterritus, donec tamen ſenex, id quod erat prudenter ſuſpicatus illum advocat, obteſtaturq́, dirum aliquid & horrendum imprecatus, ſi quippiam illorum, quæ audiiſſet, taciturno pudore celaverit.* Quamvis Samuel illud ei primùm non indicarit, ſed jam tùm vir Dei, cujus tamen nomen non exprimitur, ei & patientiam in ferendis filiorum peccatis exprobraverit, & ſubinde eidem, recenſitis prius variis beneficijs in ipſum collatis, iram divinam & conſilium de eligendo alio Sacerdote, explicaverit. Deinde (2) miniſtravit quidem Samuel in æde Dei, verùm illud miniſterium in

in primis ætatis annis, non de prophetia & vaticiniis; sed de studio legis divinæ, cognitione veri Domini, cantationibus, & alijs sacris servitijs est intelligendum. Et licèt (3) velim concedere, quod *Iosephus l.5. c.11. Antiqu. Iudaic. pag. 70.* scribit: Samuelem anno ætatis duodecimo afflatum fuisse Spiritu prophetico, adeoque ipsum accepisse virtutem vaticinandi: tamen ne sic quidem affirmari potest, ipsum futura prædixisse hominibus tanquam interpretem Oraculi: vel ex eo tanquam puero, sepositâ speciali revelatione, Oracula fuisse capta. Interea non diffiteor ipsum fuisse magnum & in tota gente Hebræa clarissimum vatem à Deo ad munus istud propheticum singulari gratia receptum, ut & is Legem Dei hominibus sincera fide interpretaretur, ijsque summis pariter atque infimis vitia & peccata ob oculos absque omni timore cujusdam invidiæ & inimicitiæ aut odij poneret: verum quòd puer extiterit Oraculi divini interpres, aut ex eo tanquam puero Oraculum fuerit captum, nuspiam extat. Sed in eo me diutius non detinebo.

II. *Strabo l.9. fol. 413.* meminit cujusdam Oraculi quod fuit in Ptoo monte, ubi Apollo certissima reddidisse Oracula perhibetur. Huic dicitur præfuisse Apollinis è Melia filius. Ita *Epicharmus*: τῶ Ἀπόλλωνος ἐκ Μελίας υἱὸς παῖς ὀλίγος ἐςὶ προφήτης τῶ μαντείου κατὰ τὸ πτῷον ὄρος: Id est, *Apollinis è Melia filius* parvus puer *Oraculi, quod in monte Ptoo est, propheta seu interpres existit.* Quæ verba Epicharmi ita explico: Quasi puer fuerit Sacerdos istius Oraculi, ipseque mentem istius consulentibus interpretatus sit. Et licèt ipse nihil istorum, quæ explicaverit, vel perfectè intellexerit, vel etiam ob ætatis teneritudinem, vel judicij infirmitatem, defectumque experientiæ assequi potuerit; tamen Dæmon totam rem ita potuit moderari, ut puer esset instrumentum, quô mediante divina quasi responsio suppeditaretur consulentibus. Quare verò puerilis ætas ad officium interpretandi Oracula fuerit electa, addit *Epicharmus* his verbis: διὰ τὴν ὁσιότητα τῆς ἡλικίας, id est, *ob ætatis sinceritatem*, quod nimirum puerilis ætas tam fœdis delictis nondum sit contaminata, puerorumque animus adhuc sit purior, simplicior, & tenacior in retinendis divinis vaticinijs, licèt ea accuratè non percipiat. A vero itaque non aberrabit, si quis dicat: Apollinem ad exponenda responsa divina in Oraculo montis Ptoi adhibuisse puerum: eoque adultiore factô, nec non ad aliud sacrum officium

ficium admotô, novum in prioris locum fuisse electum. Et ita Oraculum puerorum illud dici potest, in quo puer ascitus Sacerdos vim Oraculi consulentibus interpretatur. Sed in eo sensu nolim inscriptionem hujus capitis accipi: Verùm ita Oraculum puerorum est intelligendum, quando ex illorum dictis & vocibus aliquid tanquam divinum omen arripitur. Constat namque è puerorum dictis non ita consideratis omen haut falsum ab alijs fuisse captum. Videamus unum & alterum exemplum.

III. De Æneæ filio Julo apud *Virgil l. 7. Æneid. v. 116. & seqq.* refertur, quod clamaverit: *En quid facimus? mensas devoramus.* Placentis enim seu panibus usi fuerant pro mensis, quibus cibi alij super impositi erant: ubi deinceps tanquam famelici ad panes loco mensæ positos se conferunt, & fatalia illa frusta ad saturandam famem diripiunt & comedunt. Historiam supra *l. 1. c. 10. p. 134.* è Dionysio Halicarnassensi retuli integram. Ubi igitur Ascanius seu Julus talia verba emisit, illa pater ipsius Æneas tanquam omen arripuit, & velut attonitus stans voces istas secum ponderat, & nihil quicquam ab alijs ulterius audire voluit, quin potius Oraculum Anchisæ antea datum nunc quidem esse expletum statuit. Sermo itaque Juli fuit patri instar Oraculi, & certissimi cujusdam responsi, unde indubitatò colligere voluit: hoc demum esse illud, quod olim suppeditatum Oraculum indigitaverit.

IV. Ludovicus de La Cerda in doctissimis suis observationibus ad *l. 7. Ænei Æneid. fol. 24.* putat: Poëtam tanquam multiscium allusisse ad doctrinam Ægyptiorum, utpote, qui existimabant: pueris vim divinandi inesse, & ex eorum vocibus peti Oracula. Habetur hoc apud *Plutarchum in lib. de Iside & Osiride fol. 356.* Locus cùm sit præclarus, integrum exhibeo Typhon ait, clàm metitus erat corpus Osiridis, & ad ejus magnitudinem elegantem quandam apparaverat arcam, quam postea in convivium intulit. Eam ubi convivæ non sine admiratione spectassent, Typho per jocum promisit, se eam dono daturum illi, qui ibi se includi pateretur, ita tamen, ut ejus magnitudinem adæquaret. Omnes quidem periculum fecerunt, sed nemini potuit aptari. Tandem Osiris in ea decumbere conatus est: quæ cum ipsius corpori deprehenderetur accommodata, statim reliqui, qui aderant, accurrerunt, & operculum ei injecerunt, eamque partim clavis externè, partim immisso intus plumbo obfirmarunt, & ad Nilum detulerunt, & per Taniticum ostium in mare demiserunt, quod ostium Ægyptijs vel hodie saltem

tem nominatu abominabile est. Hoc ubi primitus Panes ac Satyri loca circa Chennin sita incolentes primi animadverterunt, & hoc de facto mentionem fecerunt, quo sermone homines subita consternatione perculsi sunt. Inde subitæ hominum perturbationes ac timores nomen *Panicorum terrorum* obtinuerunt. (Quamvis *Erasmus in Adagiis fol. 319.* hanc rationem non attingat; sed aliunde proverbium: *Panicus casu*, vel *Panicus terror* de subito sed inani metu non indoctè tamen explicet:) Postquam *Isis* ea de re facta est certior, sumtâ veste lugubri eo in loco, ubi urbs Koptus est sita, passim animò anxiô vagata omnes obviam sibi factos compellavit. Incidit tandem in pueros, quos itidem de arca interrogavit. Illi, ut fortè fortuna viderant arcam, Isidi ostium indicarunt, per quod Typhonis amici arcam in mare abiecissent. Hinc Ægyptij crediderunt, pueros facultate divinandi præditos: & maximè illi tum loco omninis accipiunt, si fortean isti potissimùm in templis seu delubris ludentes aliquid pronunciaverint. Quo cum facit *Iamblich. de Myster. Ægyptior. pag. 39. Vox pueri in templo audita infausti ominis signum fuit.* Nec à vero recedit, si dicatur: ideo præcipuè Ægyptios puerorum voces in templo emissas tanquam ominosas, & futurarum rerum interpretes observasse, quòd ibidem Dij credantur habitare, & cùm hominibus præcipuè pueris versari, illisque inter ludendum aliquid inspirare, quod illi non intelligentes tamen proferant, reliquis autem ex improviso cedat in bonum vel infaustum omen.

V. Egregium quoque exemplum habemus in Pauli Æmilij Consulis Romani filia nomine Tertia. Is enim cùm Dux esset designatus adversus Regem Persen, ut cum eo denuo bellum gereret, adeoque à toto populo honorificè deduceretur domum, filiolam suam TERTIAM, quæ tum admodum parva erat, cùm illam oscularetur offendit plorantem & tristem. Quæsivit itaque ex ea, quare tàm tristis esset, quæ iterum patrem complexa & deosculata dixit: *Mi Pater, Persa noster periit.* Decesserat autem catellus nomine Persa, quem puella in deliciis habuerat. Tum ille arctius puellam complexus: *Accipio*, inquit, *mea filia omen*; & ex hoc fortuito dicto quasi spem certam clarissimi triumphi animo præsumere voluit. Historiam describunt *Cicero l. 1. cap. 46 fol. 180. & l. 2. cap. 40. fol. 204. de Divinat. Plutarch. in vita Pauli Æmilii fol. 26. Valer. Maxim. l. 1. cap. 5. n. 3. p 17.* Qui dicto simile ferè exemplum adducit de Cæcilia, quæ dum sororis

filiæ more prisco nocte concubia nuptialia petiit, omen ipsa fecit. Nam cùm in sacello quodam ejus rei gratia aliquando persedisset, nec ulla Vox proposito congruens esset audita; fessa longa standi mora puella rogavit materteram, ut sibi paulisper locum residendi accommodaret: tum illa, *Ego verò*, inquit, *libenter tibi meâ sede cedo.* Quod dictum ab indulgentia profectum ad certi ominis processit eventum, quoniam Metellus non ita multò pòst, mortuâ Cæciliâ, virginem, de qua loquor, in matrimonium duxit. Hæc Valerius.

Tandem verbo monendum est de modo divinandi è pueris expositis: *Mamertus Patissonius l. 2. Selector. c. 13. pag. 65.* scribit: *Observavi, olim fuisse usitatum morem exponendi puerum in olla cum perforato operculo: post breve tempus, peractis sacris, Sacerdos accurrit, & remoto tegumento è pueri voce, vel gestibus divinat, aperiendo vaticinium expectantibus.* Fateor equidem nihil de isto ritu hactenus apud Scriptores Veteres me legisse; nisi quod apud *Hesychium* mentio fiat τοῦ χυτρισμοῦ quo nomine expositio infantis in olla exprimitur. χυτρισμός ἐστιν ἡ τῶν βρεφῶν ἐν ταῖς χύτραις ἔκθεσις, id est, χυτρισμὸς est expositio infantum in ollis. De quo more scribit *Turnebus l. 30. cap. 38. p. 677. Adversar. sæpenumero legimus*, inquit, *Expositos fuisse pueros in fabulis latinis è palliatis sumtis. Id facere solebant plerumque pueris in olla collocatis. Unde & expositio χυτρισμὸς vocatur.* Verùm de modo divinandi ex istis expositis infantibus nihil dicitur ab Hesychio. Quantum verò Patissonii observationem attinet, apparet ex ea (1) *infantem*, qui exponebatur, fuisse puerum, non puellam; ubi tamen ignoratur ratio, nisi fortean aliquid divinius in pueris, quàm puellis esse crediderint: aut Deos Genios majorem puerorum, quàm puellarum gessisse curam ex superstitione quadam existimaverint. Quod tamen difficulter è paganorum fide adstruetur. (2) Infantem istum adhuc fuisse *tenellum*, qui nec sensibus nec ratione uti, nec loqui, nec intelligere aliorum dicta potuit: quæ teneritudo ætatis vel exinde dicitur, quod ejusmodi infans potuerit ollæ inseri, & ita exponi. (3) Finem expositionis istius non fuisse alienationem, aut propositum denegandi alimenta infanti, uti quædam scorta, vel etiam interdum honesti parentes exponere solent infantes: Scorta quidem, vel ut infans moriatur, vel si ad istam impietatem non prolabuntur, ut ab alio ex misericordia tollatur & nutriatur, eum exponunt: Sed honesti parentes

hoc nonnunquam faciunt, ut ob paupertatem onere alimentandi sublevent ur: Sed finis illorum fuit, ut ex infante exposito futurarum notitiam possent consequi. Hinc dicta est antiquis ἔκθεσις πρὸς τὸ μαντεῖον, expositio ad vaticinium, id est, ex infante exposito ratio divinandi. (4) *Impositio perforati operculi* certum fuit indicium, quòd exponentes infantem non intenderint ejus mortem, sed ut aëre per illud haustô vivere, alij verò exinde vaticinium elicere & quæ scire desiderarent, sacra quadam conjecturâ, accedente tamen Sacerdotis divinatione assequi potuerint. (5) Illam autem expositionem factam fuisse in templo vel exinde colligo, quia hic mentio fit sacrorum, quæ in templo potissimùm peragebantur: ut & Sacerdotis, cujus officium erat, in fanis & delubris ministrare. Inter alia autem, quæ antistibus istis apud Ethnicos expediunda incumbebant, non minimum erat & Idolis sacrificare, & Oracula explicare consulentibus, utrunque autem, uti constat, in templis præcipuè fiebat. Accedit, quod ideo expositionem illam in templo factam esse existimem, quoniam Dij credebantur in fanis esse præsentes; ut proinde citra dubium hac fiducia freti fuerint, illos infantis gestus, aut alios motus, è quibus capiendum erat vaticinium, sic moderaturos esse, ut quærentibus certa de casibus futuris suppeditari potuerit notitia, cumprimis si sacra rite peracta essent. (6) Cujus Dei templum verò ad ejusmodi expositionem electum fuerit hactenus, quàm studiosè licèt in illud inquisiverim, indagare non potui. Si tamen conjecturis dandus erit locus, dicerem in templis istius Deæ, quæ partubus præest, expositum fuisse infantem. Verùm apud Græcos illa partus Dea fuit Venus, uti *Pausanias l.9.p.531.* vel etiam *Lucina*, quam alij eandem atque Junonem, Dianam, imò ipsam Venerem putant. Vide *Cerdam ad Ecl.4.n.1.v.16. fol.73. Virgilij*, ut & *Rosin. l.2.c.6.* & ibi *Demsterum. pag.250. & seqq.* Vt ita conjectem, si expositio in templo facta fuerit, illam in æde Veneris, Junonis, aut Lucinæ factam esse. Sed uti dico, est mera saltem conjectura, quam pro certa doctrina venditare nequeo. Neque repugno, siquis contendat: expositionem illam vel in alterius Dei Deævé, cumprimis si istis in locis Veneris aut Lucinæ fana non fuerint, vel etiam prope templum, aut alibi locorum factam fuisse. (7) Postquam ad tempus aliquot infans expositus, & sacra consvetis modis erant peracta, tum Sacerdos ad ollam, in qua continebatur infans, accessit, & operculum

 super-

ſuperimpoſitum removit ipſe, ut eô ſublatô, ipſe infantem inſpicere, & facta debita contemplatione conſulentibus reſponſum dare potuerit. Tandem (8) Oraculum deſumtum vel ex infantis ploratu, aliam enim vocem edere nondum poteſt: vel ex hilaritate aut triſtitia vultus: Oculorum, manuum, pedumque motione, vel alijs quibusdam ſignis, quæ illi obſervare, & ex illis notitiam de futuris ſumere erant edocti.

CAPUT XIX.

DE ORACULIS MORTUORUM.

I.

DE hiſce ut aliquid certi ſtatuatur, neceſſum eſt hoc ſupponere, quòd illi, qui vaticinia ex mortuis quæſiverunt, crediderint: animam hominis cum corpore non interire, ſed eam poſt mortem manere ſuperſtitem. Quod quoque barbaris pariter ac cultioribus gentibus olim fuit perſvaſum. Nam Indorum Magos animarum immmortalitatem ſtatuiſſe, teſtatur *Pauſan. l. 4. f. 257.* Thraces crediderunt animæ perennitatem. *Herod. l. 4. fol. 275. Pompon. Mela l. 3. c. 2. p. 63. de Situ Orbis.* Druides Gallorum animam interitus expertem ſtatuerunt. *Strabo l. 4. fol. 197.* Pythagoras, cujus doctrina hinc inde diſſeminata à multis recepta fuit: Socrates, Plato, Ariſtoteles, & alij Sapientes Græci animam non perire, ſed illam immortalem eſſe & crediderunt, & publicè docuerunt. Cuidam adoleſcenti animæ immortalitatem neganti Apollonius Thyaneus dudum defunctus apparuit, & cœteris non animadvertentibus ſequentia ad eum locutus eſt: *Eſt anima immortalis & incorrupta manebit*, uti illam hiſtoriam narrat *Philoſtratus l. 8. c. 13. fol. 431. de Vita Apollonij Thyan.* De fide barbarorum circa doctrinam de mortalitate animæ vide *Mornæum cap. 15. pag. 220. de Verit. relig.* ut & ſingulari in ſtudiis ſacris eruditione excellentis Theologi *Dn. D. Georgij Calixti* cujus pij manes proh dolor! ſæpe non ſine injuria laceſſuntur, eximium Tractatum de Immortalitate animi, *c. 1. p. 5.* nec non noſtri ævi *Varronem Johan. Gerard. Voſſ. l. 1. c. 10. p. 70. de Orig. & progr. Idolol.*

II. De ſtatu animæ poſt mortem diſſidentium ſapientum variæ olim

olim circumferebantur opiniones. Etenim Pythagoras transmigrationem animarum de uno corpore in aliud statuebat, *Malchus de Vita Pythagoræ pag. 13.* ita scribit: Apud Græcos Pythagoras primus invenit immortales esse animas, & de alijs corporibus transire in alia. Alij tamen putabant longè ante Græcos hanc doctrinam excogitatam fuisse ab Ægyptijs, & ab istis eam hausisse demum Græcos quod testatur *Herod. l. 2. c. 123. fol. 137.* Et quoniam Pythagoras in Ægypto ad tempus vixit, & ibidem penitiorem Sapientiam Ægyptiorum perdidicit, quòd alibi in hoc Opere monstravi, nec non legi id potest apud *Isocratem in Orat. de Laudat. Basiridis pag. 443.* inde Ægyptiorum Philosophiam & unà hoc dogma de animarum transmigratione in Græciam transtulit. Sed in eo me non detinebo. *Alii docuerunt*: animas post separationem suam à corporibus ad inferos descendere, quod tamen alij tanquam fabulosum irriserunt. De quo produco testimonium *Senecæ in lib. de Consolat. ad Marciam. cap. 19. pag. 176.* Ubi sequentia à multis ita nominatis Christianis approbata scribit: *Illa quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabulam esse. Nullas imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne, nec oblivionis amnem, nec tribunalia, & reos & in illa libertate tàm laxa ullos iterum tyrannos.* Luserunt ista Poëtæ, & vanis nos agitavere terroribus. Quo spectant *versus final. in Satyra. 2. Iuvenalis v. gr.*

Esse aliquot manes & subterranea Regna
Et Cocytum & Stygio ranas in gurgite nigras
Atque una tranare vadum tot millia cymbâ
Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur.

Sed si Poëtæ fidem denegare velimus, *Macrobius l. 1. c. 10. p. 43. Comm. in Somn. Scipion.* vocat fabulosam persvasionem, quicquid apud inferos crediderit antiquitas. *Alii statuerunt*: animas errare circa sepulchra, & varijs sese ostendere figuris, ibidemque tamdiu subsistere, donec corpore penitus putrefactô ad superorum regionem evecta in omne ævum vivat. Et ex hac doctrina profluxit illa opinio de mortuorum Oraculis, quòd nimirum miseri isti mortales superstitione dementati crediderint se ab animabus istis circa tumulos oberrantibus Oracula percipere, aut à mortuis se futurorum notitiam indubitatò consequi. Inde multis modis conati fuerunt à mortuis Oracula petere, partim per insomnia, partim per evocationem, partim alia ratione, uti passim ea de re apud Scriptores quàm plurima extant testimonia.

Ego tamen brevitati studebo, & unum vel alterum saltem, quod huic argumento inservire poterit, paucis delibabo.

III. Principio tamen non possum, quin vel verbo attingam Plutonis Dei infernalis Oraculum, à quo responsa petiisse & accepisse homines testatur *Isacius*, Consulebatur autem Oraculum istud noctu unâ accensâ face, ubi per fulmina illud respondebat, Sacerdote ea vel bene vel malè interpretante. Præcipuè tamen hoc Oraculum consulebatur de vitæ periculis, & futura morte, quòd crederetur catalogum viventium habere, quinam hoc vel illo tempore expletis vitæ annis mori deberent. Quamvis tamen & hoc Oraculum sæpe fefellerit, & cum bona consulentibus promitteret, mala ipsis evenerint, quod tamen postea culpæ interpretantium tribui cœpit, qui Dei istius mentem ac sensum non rectè fuerint assecuti. *Plutarchus in lib. de Iside & Osiride pag. 361.* Canopium Oraculum vult Plutonis esse. Verùm de hoc Oraculo plura non dicam.

IV. Mortuorum Oracula sunt responsa, quæ vel per insomnia, vel per verba, vel etiam per apparitionem à mortuis petuntur. Inde illorum species evocatæ sunt: aut consulentes circa illorum sepulchra somnum ceperunt & ita de rebus futuris reddi voluerunt certiores, sed fallaci sæpe eventu. De hisce scribit *Tertullianus*: *Creditum est*, inquit, *animas* scilicet solutas à corpore post mortem non statim migrare, aut alibi properare, *sed ad sepulchra paulisper subsistere. Idcirco ad virorum fortium busta pernoctabant, & ibidem captabant mortuorum Oracula. Errorem fovebant Dæmones, idemque variis illudebant simulacris sive enim indormirent, sive vigilarent variæ per noctem quietemve volitabant umbræ, quibus miseri deciperentur potius, quàm desiperentur. Si & de nocturnis imaginibus opponuntur verba Septimii: Sæpe non frustra mortuos visos, nam & Nasamones propria Oracula apud parentum sepulchra mansitando captare; & Celtas apud fortium virorum busta eadem de causa abnoctare; tamen non magis mortuos verè patimur insomniis, quàm vivos. Sed eadem ratione mortuos, qua & vivos, & omnia, quæ videntur. Non enim quia videntur, vera sunt; sed quia adimplentur. Fides somniorum de effectu, non de conspectu renunciatur. Præstigiæ sunt, quæ adspectu mira pollicentur, & effectu mentiuntur.* Duobus itaque modis Oracula mortuorum ferè petita fuerunt. (1) *Dormiendo ad eorum sepulchra*, quando nimirum prope eorum busta somnum capiebant, ut noctu per insomnia ab ijs futurorum notitiam consequi possent. (2) *Manes*

eorum

eorum evocando, quòd interdum vel ipsi consulentes certis adhibitis ceremoniis, vel Pythonissæ, quarum opem implorabant, intervenientibus certis ritibus faciebant. Quem morem attingit *Selden. Syntagm. 1. c. 2. p. 122. de DIS Syris.* A mortuis, inquit, *expectabant Oracula, ut per insomnia de rebus, quas sciscitabantur, juxta sepulchra pernoctantes fierent certiores, & Pythonissarum ope etiam evocatas eorum species consulebant.*

V. Non nemo ad Oracula mortuorum refert & illud, quod fuit apud Cimmerios in Averno, cujus mentionem facit *Strabo l. 5. fol. 244. Geogr.* Dicitur Avernus quasi ἄορνος, id est, avibus carens: sive quòd aves supervolantes gravi ejus odore enecentur; sive quòd sulphureæ exhalationes aërem usque adeo extenuarent, ut is aves sustinere non posset. De quo *Virgilius lib. 6. Æneid. v. 247. & seqq.* ita canit:

Spelunca alta fuit, vastoq́ue immanis hiatu
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumq́ue tenebris:
Quam super haut ullæ poterant impunè volantes
Tendere iter pennis, talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad connexa ferebat.
Inde locum Graij dixerunt nomine Avernum.

Et Claudianus *l. 2.* de raptu Proserpinæ non procul à fine *p. 67.* ait:

Tunc & pestiferi pacatum limen averni
Innocuæ transistis aves, flatumq́ue repressit
Amsanctus. Vibius Sequester vult, Amsanctum esse locum Lucaniæ, cujus halitus aves enecet. *Barthius ad Claudiam pag. 920.* Aristoteles quoque in *lib. de Mirabil. Auscultat. fol. 708. in Tom. 1. Oper.* mentionem facit averni, & nihil singulare de eo memorat, nisi quòd nullum folium in lacu ibidem natet, licèt undique circumcirca plantatæ sint arbores. *Circa Cumam*, ait, *Italiæ locum ferunt, quem Aornon vocant, forma circulari, profunditateq́ue immensa, tumulis undequaq́ue septum trium ad minus stadiorum altitudine. Cumq́ue cæterà nihil habeat admiratione dignum, mirandum tamen hoc fortasse, quòd circumpositis undequaq́ue & super incumbentibus densissimis arboribus non cernas ullum in lacu natans folium, quæ puritate sui meritò admirationem ciet. Cæterùm avem nullam istâc transvolare vanè asseritur, cùm Cygnos eo loci haut paucos agere compertum sit.* Ubi sapiens Philosophus impugnat communem fidem, dicam, an errorem, quod ob teterrimam exhalationem transvolare ibi non possit avis. Verùm missis hisce, quid *Strabo* narret, paucis videndum (1.) dicit: includi aver-

avernum superciliis rectà sursum enatis & undique præterquam in aditu imminentibus ac nunc quidem cultura elaboratis. Cùm olim sylva ob magnitudinem arborum inaccessa ipsum sinum propter superstitionem obumbraret. (2) Ab accolis hanc fabulam esse additam (uti etiam Aristoteles in loco supra adducto hoc pro fabula habet) quasi aves supervolantes in aquam deciderent, aëris vehementi exhalatione enectæ, uti fieri solet in locis Plutoniis. (3) Avernum tanquam locum Plutoni dicatum fuisse habitum, ibidemque Cimmerios ex aliorum relatione habitare. (4) Eos qui intro navigarent prius sacrificiis placasse Genios manes: nec non ibidem adfuisse Pontifices, qui ex conducto ibi habitarent, & ejusmodi sacra hominibus præmonstrarent. Nescio annon huc pertineat locus *Virgil. l. 6. Æneid. vers. 249.* ubi inducit Æneam sacra facientem. Ille Avernum intrat, & quidem hisce verbis,

—— —— Ipse atri velleris agnam
Æneas matri Eumenidum, magnæq; sorori
Ense ferit, sterilemq; Tibi Proserpina vaccam.
Tum Stygio Regi nocturnas inchoat aras,
Et solida imponit taurorum viscera flammis,
Pingue superq; oleum fundens ardentibus extis.

(5.) Ibidem prope mare fuisse fontem, cujus aqua sit potabilis quidem, eâ tamen homines abstinere, quòd credant, esse illam aquam de Stygia palude infernali. (6) Ibidem Oraculum esse conditum, & quidem νεκυομαντεῖον, id est, Oraculum mortuorum, ubi illi, qui vita essent defuncti, Oracula sciscitantibus panderent. (7) Cimmerios ibidem habitare in subterraneis ædificiis, quas argillas vocant, ac per fossas quasdam inter se commeare, hospitesque eadem via in Oraculum adducere altè infra terram conditum, victum eos metallis effodiendis quærere, & ab iis qui Oraculum consulunt accipere, nec non Regem illis eo nomine constituisse stipendium. (8) Eos qui apud Oraculum istud degunt, more à majoribus accepto nunquam videre Solem, sed noctu ex hiatibus terræ prodire. Inde appellati sunt σκοτεινοὶ tenebricosi, quod in tenebris remoti à luce Solis commorarentur. Et inde natum est proverbium: *Cimmeriæ tenebræ*, de quo *Erasmus in Adag. pag. 111. 112.* quanquam ex alio fonte originem istius adagij trahat. (9) Cimmerios fuisse deletos à Rege quodam, cujus nomen non additur,

additur, & quidem eam ob causam, quòd Oraculũ ipsi responsum præbuisset haut benignum, atque ita in ejus sententiam descendere noluisset: quibus eversis subinde & Oraculum in aliam sedem fuisse translatum, ubi etiam nunc durare dicatur. Hæc sunt quæ Strabo refert de Oraculo mortuorum prope Avernum, qui tamen *fol. 245.* ea pro fabulis agnoscit, & veriora, uti putatur, de loco Averni attulit.

V. Memoratu digna sunt, quæ Antigonus narrat de Oraculis mortuorum in Bœotia: Nam ibi fuit tumba vel crypta in qua animæ seu Manes defunctorum certis temporibus convenire credebantur: Qui verò ab ijs aliquid præscire desideravit, peractis prius sacris, & quidem noctu, remotô igni, nisi quô sacrificium accenderetur, schedulam in foveam immittebat: Si faustum foret responsum, flamma, quæ circumdabat sacrificium, ingentem crepitum faciebat, vel imago quædam in grata quadam specie subitò iterum disparens comparebat: Quod si verò responsum non esset faustum, flamma velut in nigricantem colorem contracta & in semetipsam velut coarctata sacrificium non absumebat. Multa quoque alia ibidem contigisse, quæ à vatibus circa istum locum considentibus ob suppeditatam ipsis stipem fuerunt explicata, lubens prætereo. Ex hisce patet, qua ratione Dæmon omnibus modis invigilaverit, ut hominum cœca superstitione velut effascinatorum ejusmodi ludicris & vanis responsis ad sui obsequium retineret devotas. Sed de hisce Oraculis mortuorum plura non addam; sed saltem de ijs aliquid dicam, quæ cumprimis per insomnia dormientibus apud sepulchra inspirabantur, & quæ ab evocatis manibus petebantur.

VI. Quod ad Oracula mortuorum ad sepulchra insomniis petita attinet, illa fiebant certis ceremoniis; quas exponit *Patisfonius L. 2. selett. c. 16. p. 109.* cujus ductum ego hic sequar, qui tamen non addit, ubique locorum ad impetranda à mortuis Oracula, aut semper eas fuisse usurpatas. (1) Soliti fuerunt non tantùm recens defunctorum, sed & ante aliquot annos mortuorum sepulchra adire, quòd crederent ante plenariam cadaverum putrefactionem seu absumtionem animas circum busta oberrantes non recedere ad loca superiora. (2) Consederunt ad tumulum mœsti, & lugubri habitu induti tanquam supplices ab obtinendum à mortuis vaticinium. Vti Andromache Hectoris Trojani vidua, quæ de futuro suo statu à Manibus mariti certior fieri desideravit. Igitur ad istius bustum, seu locum ubi ejus cadaver à Priamo honorificep-

 rificep-

tificentissimè crematum est, passis crinibus gemebunda consedit, & postea somno oppressa jacuit diu. Expergefacta dixit sibi visum esse virum à quo abduceretur. Quò Oraculò quoque decepta non fuit, nam Pyrrhus eam postea abduxit in Græciam, eamq; sibi junxit uxorem, quæ ipsi peperit Molossum. (3) Consulentes, si Manes iratos esse crederent, eos varijs medijs placare studuerunt, ut eos sibi haberent propitios, & faventes rerum dubiarum ac futurarum divinatores. Quod diversum fuisse puto à ritu adorandi Manes: utpote qui tum dicebantur adorari, cùm quis illos alloqueretur, illisque bene precaretur *Jacob. Gutherius l. 1. c. 18. de Iure Manium p. 107.* Vbi adducit locum *Senecæ* ex *Epistola 86. pag. 292* qui ita scribit: *In ipsa Scipionis Africani villa jacens hæc tibi scribo adoratis manibus ejus & ara.* Neque hactenus compertum habeo: Manes adoratos fuisse eo sensu, ut ipsi in aperiendis Oraculis se præberent benignos. (4) Denuo tempore impetrandi Oraculi sepulchrum quoque varijs floribus ornarunt, interdum etiam thymiamata & suffitus accenderunt, saltem ne ipsis deessent Manes in promendo desiderijs accommodato quodam responso. Scriptor dicit *Denuo* ad indicandum, quòd & antea soliti fuerint antiqui rosis, alijsq; floribus sepulchra in solatium viventium ornare, quo de ritu legi meretur *Kirchman. l. 4. c. 3. p. 560. & seqq. de funerib. Roman.* Sed de posteriore ceremonia nihil hucusque observavi: non tamen à ratione & veritate recedere videmur, si totum illud statuamus & probemus. Non tàm ideo, quòd ex superstitione crediderint homines Manes vel delectari floribus, vel sub ijs se abscondere & delitescere: quàm quod circa sepulchra dormientes illis usi fuerint contra ingratum odorem, qui circa defunctorum busta sese exserere solet. Quo etiam thymiamatum ac suffituum accensio referri potest. (5) Ingeminatio vocum, seu assiduitas nimis sollicita ad movendos Manes, ut ipsi ab illis salutare obtineant responsum. Vti Achilles ad Patrocli amicissimi sui sed ab Hercule interfecti tumulum sedit, necem sui amici vindicaturum promittens. Vbi geminatis seu repetitis precibus id præscire voluit, num ipsius conatus felicem habiturus esset successum? (6) Dormitio apud mortuorum sepulchra. Antequam verò somnum capiebant, prius ad animas dirigebant preces ad fausta ipsis immittenda insomnia & quidem peculiaribus verbis eum in finem præcipuè conceptis. Vbi dormientes putabant, insomnia istæc ipsis immitti ab istis animabus, quæ circa corporum sepulchra oberrarent. Sunt quoque vel hodie non-

nulli

nulli in illa sententia, qui putant defunctorum animas errare; & vivis apparere illisque communicare inter alia etiam ea, quæ aliquando sunt futura. *Paradin. l. 2. mirabil. c. 16. p. 105.* refert: aliquando circa sepulchrum in cœmiterio auditam fuisse vocem ingeminatam: *Utinam! Utinam!* accurrentibus multis, ibique fraudem latere suspicantibus, è pulvere terræ aliquoties prædicta vox audita & repetita timorem adstantibus injecit. Cùm autem non longè post defuncti ibidem sepulti pater voluntario suspendio vitam finiret, existimatum fuit: animam filij circa sepulchrum adhuc subsistentem parentis fatum ita prædixisse. Mirabile est, quòd *Phlegon Trallianus c. 1. de Mirabilibus* refert de Polycrito Ætolarcha. Cùm enim is, relictâ prægnante uxore Locride, mortuus esset, uxor autem postmodum peperisset posthumum hermaphroditum, qui utrumque sexum satis monstrosè præ se ferret, Ætoli ad expiandum istud monstrum, matrem unà cum infante comburere voluerunt. Vbi statim apparuit Polycritus jam tum defunctus, & ut sibi filius traderetur, postulavit. Quód cùm non impetraret, arripuit ipse infantem, & adstantes ferocius abegit, postea verò dictum infantem discerpsit ac devoravit integrum præter caput, & tum subitò disparuit. Relictum verò caput, & in solo jacens Oraculo edito futura indicavit, pestemque & bellum, quibus mox propè delebi sunt, Ætolis prædixit. vide *Bonifacii histor. Ludicr. lib. 1. c. 5. p. 5.* Quod factum quidem excusari dixerim exinde, quòd spectrum seu Dæmon apparuerit in forma defuncti Polycriti. Et fortean illud quoque eodem modo poterit intelligi, quod *Francisc. Iohann. Nider in Formicar. p. 309.* de milite quodam nobili refert, qui cum spectro profectus est Hierosolymam; ubi nobilis de equo suo descendens defuncti equo insessitans disparuit. Sequente verò die redierunt uterque tàm miles, quàm defunctus: Vbi hic ad militem hæc verba protulit: *Me phantasmate omninò fictum fuisse non credatis, dum quæ vobis dono, reservate in mei memoriam. Et statim protulit parvulam mappam de Salamandra, & cultellum in vagina. Primum, inquit, cùm immundum fuerit, igni purgate, nec ei nocebit: Alterum cautè tractetis, quia ab eo vulneratus intoxicatus erit. Socrates l. 1. c. 8. fol. 217. & Ruffinus l. 1. c. 5. fol. 185.* referunt de Spiridione, qui habuit filiam nomine Irenem, quæ virgo mortua est. Post illius obitum venit quidam, dicens: Se ei aliquod depositum commendasse Rem gestam pater ignoravit ideo perquisivit in tota domo, nuspiam tamen, quod poscebatur, ab eo inventum est. Persistebat tamen ille, qui com-

mendaverat, & fletu ac lacrymis perurgebat: vitæ quoque suæ se illaturum exilium, nisi commendata reciperet, testabatur. Permotus lacrymis ejus senex ad sepulchrum filiæ properat, atque eam ex nomimine clamitat. Tum illa de sepulchro: Quid vis, ait, pater? Commendatum, inquit, illius ubi posuisti? At illa locum designans, illic ait, defossum invenies. Regressus domum rem, sicut filia de sepulchro responderat, repertam tradidit reposcenti. Quem locum nonnulli acriter urgent, qui vel animarum commorationem circa sepulchra, vel eorum reditum ad corpora statuunt. Addunt quoque locum ex *Ambrosii sermone, 90. de B. Agnesa*, quæ parentibus ad sepulchrum ejus assiduè vigilantibus nocte quadam choro virginum comitata apparuit, & ita eos allocuta esse dicitur: Ne me parentes mortuam lugeatis nam unà cum hisce virginibus vivo apud illum in cœlis, quem in terris tota mente dilexi. Verùm de hisce posterioribus, & aliquot similibus multis exemplis nihil dicam.

VII. Saltem paucis producam rationes eorum, qui putant vel hodie animas non subitò deserere loca, ubi earum corpora, vel occisa sunt, vel etiam sepulta. Et quidem (1) *provocant ad S. Scripturam*, quòd quidem anima post secessum à corpore, vel ad cœlestium vitam, vel ad cœtum damnatorum migret; nuspiam tamen in ea legatur: animas istas statim & à momento mortis ad istum locum transire. Neque etiam firmatam esse sequelam docent: Anima recedit à corpore vel ad Deum, vel ad locum damnatorum, Ergo illa migratio in momento fit ad ejusmodi loca, ita quidem, ut ne ad momentum quidem hic habeat amplius commorandi spatium. (2) Dicunt: *animas invitas separari à suis corporibus*, cum quibus tamen ipsæ hactenus fuerunt unitæ: quin potius illis inesse affirmant insitum quendam amorem erga sua corpora, ut si reapse cum illis in hac quidem conditione ac statu reuniri nequeant, loca tamen, ubi deseruerunt domicilium suum, aut ubi corpora sunt condita, ament, ibique libenter sint ac commorentur. Inde sæpe apparent in ædibus, in quibus mors contigit, utpote in quibus olim suas operas tractarunt: & adhuc amorem erga res derelictas ostendunt. Quinimò sæpe etiam cum indignatione apparent, cumprimis, si animadvertant, voluntatem suam à successore non fuisse impletam. Nec potest indignatio illa tolli, nisi in effectum deducatur illud, quod ipsæ ante decessum à corpore fieri demandarunt. Hinc quoque *Jacobus de Cusa in Opere suo de apparitionibus spirituum* negat, semper spectra, &

Dæmo-

Dæmonum illusiones esse, quando animæ defunctorum comparent. (3) *Animæ retinent amorem erga corpora sua*, quæ interveniente morte dereliquerunt: præprimis, si mors illa fuerit violenta, & corpus abjectum in locum minimè decentem. Tum enim curam habent ossium projectorum, nec deserunt domum, vel locum, ubi tale homicidium commissum est, donec vel effossum honestè sepeliatur, & delictum justo supplicio fuerit expiatum: vel ossibus putrefactis spes amplius non sit ea transferendi in honestorum dormitorium. Memorabile exemplum est, quod narrat *Plinius l. 7. Epist. 27. p. 246. 247.* de Spectro, quod ædes ab Athenodoro postmodum Athenis conductas reddebat infestas, ita ut nemo eas voluerit inhabitare. Philosophus autem iste ausus est illas conducere: expertus quoque est Spectrum ibi adesse, vidit illud, & deprehendit in area domus istud disparuisse. De quo alii judicant: Spectrum istud fuisse humanum spiritum seu animam defuncti vel potius occisi, & ibidem sepulti. *Sed Petrus Thyræus. par. 3. c. 86. n. 25. pag. 311. Dæmoniaci* putat: Spiritum istum non humanum, sed Diabolicum fuisse, qui quamvis post sepulturam honestiorem molestus esse desiit; *non tamen sepulturæ officium à viventibus, sed aliud quippiam quæsivisse credendus est.* Verùm quonam extendet se illa fides, cùm, sive humanus sive Diabolicus spiritus fuerit, qui Athenodoro apparuit, postea tamen non amplius se exhibuerit conspiciendum? certè si adhuc aliud quippiam præter honestam sepulturam desiderasset, dubio procul etiam post sepulturam comparuisset. Quod tamen factum non fuisse ipse fatetur Plinius. (4) Interdum fit, ut doleant ob impœnitentiam, in qua ipsæ à corpore suo solutæ anxiæ præ futuris cruciatibus hinc inde obvolitent, aut in loco, ubi solutio à corpore contigit, libenter commorentur. Miram historiam refert *Bonfinius Decad. 3. lib. 3. rer. Hungaricar* quæ contigit in campo quodam Walachiæ post cruentam admodum pugnam inter Dæan & Merchen Principes eodem genere natos & de Walachiæ dominatu inter se contendentes. Sed verba Bonfinij adducam: *Secundo*, inquit, *tertiòve anno, cùm plerique in eum campum descendissent, ubi patratam stragem fuisse memorant, editissimumq́; acervum cadaverum spectarent; emissam inter ossa vocem subinde exaudivere tristissimam JESU CHRISTI SALVATORIS ET DIVÆ MARIÆ VIRGINIS resonantem. Admiratio simul & pavor hos incessit. Cùm ad verba subticuissent, eadem paulò pòst quasi difficulter expressa accepêre. Duas voces inter ossa*

disquirerent, portenti desiderio succensi, loquax inter cadavera caput inveniunt. Quod ubi homines sibi adesse agnovit: quid tàm, inquit, stupidi hic statis viri? Christianus Ego sum & Magna Martri Diva Maria semper addictus, inexpiatus, inconfessusq; in hoc bello occubui. Magna Dea, in cujus tutela vitam degi, me aeterni supplicii, reum esse non patitur. Hac me adhuc lingua compotem servavit, ut & delicta fateri, ut & animum sacris rite Apostolicis lustrare queam, proinde Sacerdotem, qui confessionem peccatorum exaudiat, & me expiatum reddat, accersite quaeso. Accersitô è pago proximô Sacerdote, confessionem rite transegit, & impetratâ omnium peccatorum remissione id defuncti caput repente conticuit, perpetuoq; conquievit. Quantùm isti narrationi sit credendum, prudens lector facilè judicabit, caput autem illud loquax in isto cadaverum acervo repertum fuisse, id quidem non omni destituitur fide. Numquid verò anima in istud regressa sit, & talia verba protulerit, illud est, de quo alij dubitare poterunt. Addunt ulterius (5) nihil obstare, quare animae defunctorum non apparere possint. Nam nec obesse divinam potentiam, quasi illa earum apparitionem impediat, nec obstare earum naturam: nam quantumvis spiritus sint certis locorum spatijs non definiti; tamen posse eas comparere in assumta quadam figura, vel corpore, & istius interventu conspici, necnon suum propositum expedire putant. Plures rationes non addam, cùm pleraeq; ita sint comparatae, ut nihil minùs probent, quàm quod probare debebant. Qui autem istis fortean delectetur, is poterit consulere *Martin. Delrio l. 2. v. 26. sect. 4. pag. 237. & sequ. Disquisit. Magicar.* Et *Johan. Nider. cap. 1. Formicar. p. 365. & seqq.* Coeterùm apud Gentiles communis fuit doctrina animas post excessum è corpore suo vagari, quod patet è *Callimacho*, qui *Cynthiam* post mortem talia memorantem introducit,

Sunt aliquid Manes. Lethum non omnia finit
Luridaq; evictos effugit umbra rogos.
Nocte vagae ferimur, nox clausas liberat umbras
Errat & abiectâ Cerberus ipse serâ.
Luce jubent leges lethaea ad stagna reverti
Nos vehimur, vectum nauta recenset onus.

IIX. Verùm missis istis, ubi illud *libro 1. c. 10. p. 71.* promisi, de Evocatione mortuorum aliquid afferam, modò prius ex antiquis constiterit Scriptoribus quid Manes, quidve Umbrae sint & Lemures? *Manes* sunt morruorum animae, &, si sententiam *Augustini* sequi liceat, defuncto-

functorum Heroum. Putabantur namque animæ suæ cadavera comitari in sepulchris, unde extractô & laceratô cadavere Manes quoque inde revelli credebantur. Quod ostendi poterit loco *Virgilii lib. 4. v. 427. Æneid. Nec patris Anchisæ cineres, manesve revelli.* Ubi conferre licet, quæ ibidem annotavit Servius. *Umbras* intellexerunt animas eorum, qui justa sepultura carerent, hominibus autem in somnis apparerent. Uti de *Domitiano* constat è *Xiphilino*, quod antequam occideretur, *Junium Rusticum*; quem innocentem interfecerat, gladio ad ad se venientem in somnis viderit. *Jacob. Guther. l. 2. c. 16. p. 272. de Jure Man.* Ita Dido minatur Æneæ, quod sua umbra ipsi passim adfutura sit cum terrore, quando apud *Virgil. l. 4. v. 86.* ait: *Omnibus umbra locis adero: dabis improbe pœnas.* E quibus constat: Umbras mortuorum etiam post mortem vexasse vivos. Simile ferè exemplum occurrit apud *Quintilianum Declamat. 314. pag. 379.* qui ita loquitur: *Tu forsitan cum miserum patrem trucidares, tollentem ad sidera manus risisti. Inane hoc supra nos, vacuumq; cura cœlestium putabas. Sunt illa vero, quæ extremo miseri spiritu dicebantur: Dabis mihi scelerate pœnas, persequar & occurram.* Accommodatius fortean ad nostrum propositum erit, quod apud *Horatium in lib. Epod. Oda. 5. v. 91. & seqq.* legitur:

Quin ubi perire jussus expiravero
Nocturnus occurram furor:
Petamq; vultus umbra curvis unguibus
Quæ vis Deorum est Manium.
Et inquietis assidens præcordiis
Pavore somnos auferam.

Quem locum exposuit doctè *Bondius p. 325.* & *Levinus Torrentius p. 157.* eum aliquot exemplis confirmavit. Sunt tamen non pauci, quòd in *libro de Conscientia* ostendi, qui istæc de Nerone, Tiberio, Othone, Philippo & aliis adduci solita exempla interpretantur de mala Conscientia furiarum infernalium instar, liceat mihi more Poëtarum loqui, animos hominum excruciante. Cœterum, quod *Jacobus Gutherius l. 2. c. 16. p. 273. de Iure Manium* observavit: Tanta vis credita est Manium, ut tristes dirasque noctes redderent, quarum vigilias morbus, & crescente formidine mors sequeretur. *Lemures* sunt spiritus impuri, & animæ, quæ in malitia sua recesserunt à corporibus. Inde etiam inter bonos spiritus non referebantur, quod exinde probat *Varro de Vit. pop. Rom.* quia cùm in sacris noctu fabam jactarent, dicebant: *Si Lemures*

extra januam eiicere. Distinguere autem solebant Lemures à Larvis, quòd Lemures domi vagarentur, quod colligitur è *lib. 5. Fastorum* hoc versu: *Et rogat ut tectis exeat umbra suis.* Larvæ verò in bustis & sepulchris considerent, quod *Gutherius l. 2. c. 6. p. 279. de Iure Manium* ex *Apuleii lib.* qui in scribitur *Apologia pag. 297.* se invenisse putat. Verba ita sonant. *At tibi pro isto mendacio* (invehitur namque Apuleius hisce verbis Æmilianum, utpote à quo erat Magiæ illicitæ insimulatus.) *Duat Deus iste Superûm & Inferum commeator, utrorumque Deorum malam gratiam, semperq́ obvias species mortuorum: quicquid Vmbrarum est unquam, quicquid Lemurum, quicquid Manium: quicquid Larvarum oculis tuis oggerat, omnium noctium occursacula, omnia bustorum formidamina, omnia sepulchrorum terriculamenta à quibus tamen ævo emeritis haut longè abes.* Quo facit Ovidius, cum ita canit.

Terra tegit carnem, tumulum circum volat Vmbra,
Orcus habet Manes, Spiritus astra petit.

Interim tamen idem *Apuleius in lib. de Deo Socratis p. 434.* Larvas dicit illas animas, quæ corporibus egressæ domos incursionibus infestarent. Verba adscribam: Manes *animæ dicuntur melioris meriti, quæ in corpore nostro* Genij *dicuntur: corpori renunciantes* Lemures: *cum domos incursionibus infestarent* Larvæ *appellabantur*: Et *pag. 433* ejusdem libri ita scribit: Ut secundo signatu species Dæmonum sit, animus humanus exutus & liberi stipendijs vitæ corpore suo abjurans. Hunc vetere latina lingua reperio *Lemurem* dictitatum. Ex hisce ergo *Lemuribus*, qui posterorum suorum curam sortitus pacato & quieto Numine domum possidet, *Lar* dicitur *familiaris.* Qui verò propter adversa vitæ merita nullis bonis sedibus in terra vagatione, seu quodam exilio punitur, *inane terriculamentum* bonis hominibus, cœterùm noxium malis, id genus plerique *Larvas* perhibent. Cum verò incertum est, quæ cuique eorum sortitio evenerit, utrum *Lar* sit an *Larva*: nomine *Manem Deum* nuncupant, scilicet, honoris gratiâ Dei vocabulum additum est. *Augustin. in lib. 9. c. 11. de Civit. Dei fol. 534.* è Plotino dicit: Animas hominum Dæmones esse, & ex hominibus fieri Lares, si meriti boni sunt, Lemures sive Larvas, cum mali. *Manes* autem Deos dici, cum incertum est, bonorum eos seu malorum esse meritorum. Sed ne sim in hisce diversis opinionibus sectandis prolixior, legi possunt, quæ ad adductum locum commentati sunt tum *Leonhardus Coquæus fol. 535. & Ludovicus Vives fol. 1679. & seqq.* Adde & *Arnobium l. 2. adversus*

Gentes.

Sentá. pag. 124. Cæterùm, quia animus impurus & pollutus cædibus injustis, vel similibus delictis inquinatus post recessum à corpore ab omnibus è sententia *Platonis in Phædone fol. 80.* declinatur, nec reperitur ullus, qui vel socius vel Dux ejus fieri velit; inde omni auxilio destitutus eo usque pererrat, quoad certa temporum curricula impleantur. Hinc quidam istius Philosophi autoritate freti putant: Animas eorum, qui mortem sibi consciverunt, vel alias cædes patrârunt, aut alijs sceleribus se contaminârunt, post fatum cadaveribus suis magis adhærescere, ijsque velut devinciri, & exinde nata esse Lemurum & umbrarum terriculamenta.

IV. Explicatis illis Dæmonibus, seu spectris, aut quomodocunque tandem appellari merentur, ad ipsam Evocationem Manium explicandam accedam, & imprimis tria proferam. (1) *In quonam consistat illa Evocatio*; nempe in provocatione animarum ad exquirenda ab ipsis futura. Et describi potest, quod sit animarum à corporibus defunctis vel concrematis solutarum magno apparatu certisque ceremonijs ab inferis facta provocatio ad futurorum notitiam ab ijs exquirendam. Quæ descriptio è sequentibus suam consequetur interpretationem. (2) *An revera evocati fuerint Manes?* certè animas ipsas, utut circa tumulum seu bustum demortuorum hærere creditæ sunt, non fuisse evocatas, sed Dæmonium tradit *Æneas Gazæus* apud *Jacob. Guther. l. 2. c. 16 pag. 279. de Iure Manium.* Verba per modum Dialogi ita sonant: *An non audis etiam circa sepulchra videri umbras, & spectra, quæ profectò sunt illa aëria animarum corpora, quæ simulacra vocant? Numquid hoc ignoras, qui cognita habes omnia, has spectra esse mala Dæmonia humanas animas repræsentantia? Quodq; hic qui incantationibus operam navant, seq; posse profitentur jam olim defunctum* evocare, *non hominem carminibus suis attrahunt*, sed Dæmonium aliquod malum, *quod simulacrum hominis effingat.* Hæc Gazæus. *Lactantius l. 7. c. 13. Divin. Instit. p. 390. Falsa est Democriti, & Epicuri, & Dicæarchi de animæ dissolutione sententia, qui profectò non auderent de interitu animarum Magô aliquô præsente disserere, qui sciret* certis carminibus ciere ab inferis animas, *& adesse & præbere se humanis oculis videndas.* Et quod de facta evocatione certa apud antiquos fuerit fides, illud testimonio *Tibulli* firmari potest, qui *l. 1. Eleg. 2.* ita canit.

Hæc cantu finditq; solum, Manesq; sepulchris
Elicit, & tepido devocat ossa rogo.

Pari modò & *Prudentius lib. 1. contra Symmach. de Mercurio. vers. 95. p. 263.* ait;

Murmure nam Magico tenues excire figuras,
Atque sepulchrales scitè incantare favillas,
Vita itidem spoliare alios, ars noxia novit.

Et satis perspicuè *Tertullianus in lib. de Anima* idem argumentum adstruit his verbis: *Publica,* inquit, *jam literatura est, quæ animas etiam justa ætate sopitas, etiam proba morte disiunctas, & prompta humatione dispunctas evocaturam se ab inferorum incolatu pollicetur.* Locum, quia Autor ad manus non fuit, exscripsi è *Kirchmanno l. 3. c. 13. pag. 500. de Funerib. Roman.* Imperator quoque hujus evocationis meminit in *l. 6. C. de Malef. & Mathemat.* Ubi illud nefarium facinus interpretatur *Manes accire*, in quod pœnam nempe *feralis pestis absumtionem* statuit; quæ verba *Jacobus Revardus l. 5. c. 3. pag. 709. Variar.* interpretatur de concrematione, nimirum: ejusmodi deliquentes igni puniendos esse. Quasi dicat Imperator: Maleficos istos Dijs Manibus consecrandos esse, sic nimirum ut ejusmodi pestis sive interitus eos absumat, cujusmodi *FERALIORUM* (quæ erant festa Dijs Manibus consecrata, à feriendis pecudibus ita dicta) tempore pecudes, & in officijs feralibus cadavera mortuorum, cùm in ignem posita sunt, absumuntur. Voluit autem istis vocibus uti, ut malefici iisdem Diis consecrari intelligerentur, quos artibus suis evocantes sæpius, ut erat opinio, inquietaverant. *Jacobus Gothofredus ad l. 5. C. Th. de Malef. & Mathem. fol. 122.* sequitur Græcos Basilicorum Interpretes, & *Photium tit. 9. cap. 25. Nomocan.*

Illud cum lege Imperatoris quodammodo convenit, quod refert *Ammian. Marcellin. l. 19. p. 165.* hisce verbis: *Si qui per monumentum transisse vespere malevolorum argueretur, indiciis, ut veneficus sepulchrorumq; horrores & errantium ibidem animarum ludibria colligens vana pronunciatis reus capitis interibat:* quamvis tamen non addat, quâ specie pœnæ ejusmodi delinquens fuerit punitus. Non minimùm tamen apud Magos quondam fuit animas & spiritus evocare, quas *Justinus Apol. 2.* ψυχῶν ἀνθρωπίνων κλήσεις, id est, animarum humanarum motiones vocat. Aliud quoque testimoninm suppeditat *Tertullianus Apolog. c. 23.* ubi, quod alii dicunt: *Animas ciere*, ipse vocat: *Animas inclamare.* Porro, inquit, *si & Magi phantasmata edunt*, & jam defunctorum inclamant animas, *si pueros in eloquium Oraculi eliciunt, si multa miracula circulatoriis præstigiis ludunt.* Quo in loco *Phantasmata* dixit

Tertul-

Tertullianus, quoniam Magi sensibus illudunt, ac visus præstigijs occœcantibus fallunt, dum videre nos putamus, quæ non sunt, nisi *μίχες φαντασίας*. Vicissim *Tertullianus in lib. de Anima c. 57.* ait: *Sic & in illa alia specie Magiæ, quæ jam QVIESCENTES ANIMAS evellere ab inferis creditur, & conspectui exhibere, non alia fallacia vis est, operatior sanè, quia & phantasma præstatur, quia & corpus affingitur &c.* Plura non addam, sed quæ adhuc videntur scitu nec ssatia requiri, peti poterunt è *Comment. Jacobi Gothofredi ad l. 6. C. Th. de Malef. & Mathem. f.122.123.* ubi etiam operosus est in explicando verbo *ventilandi*, cujus mentio fit in adducta Lege. *Martin. Delrio l.3 qu 26. sect. 4. p. 237. Disquisit. Magic* per evocatos Manes & animas intelligit Dæmones, qui ut plurimum animas fuerunt mentiti. Et hucusque de facta Manium Evocatione non est dubium: addi possunt *Alberic. Gentilis c 16. Lection. Virgilianar. pag. 152. Guilielm. Forner. in Not. ad Cassiodor pag. 272. Johan. Meurs. in Spicileg. Theocriti ad Idyllia pag. 8.* Sequitur

X. *Finis istius Evocationis*, seu quare Magi, vel alij quidem Manes defunctorum evocaverint, scilicet, ut ab ijs futurorum eventuum notitiam consequerentur: putabant namque illas animas habere rerum post venturarum scientiam, adeoque illam & viventibus communicare posse credebant. *Lactant. l. 7. v. 13. pag. 691.* de Magis refert, quòd certis carminibus ciere ab inferis possint animas, quæ quoque ad illorum evocationem adsint, & præbeant se oculis humanis videndas: loquantur; & *futura prædicant.* Prædictio autem futurorum supponit eorum notitiam, quod enim quis ignorat, illud prædicere nequit Unde autem animæ istam scientiam consequantur, non omnium eadem est opinio. Quidam arbitrantur, id exinde fieri, quòd animæ demortuorum circa tumulos & corporum suorum reliquias oberrent. *Lactant. l. 2. cap. 2. pag. 145. Divin Instit.* Sed non constat, si animæ istæ circa tumulos consistant, quomodo ibi cognitionem de negotijs humanis eorumque successu nec non eventu felici aut infelici sibi parare queant, quòd viventes cum demortuis non conversari possint. Alij dicunt: illam ipsis communicari à superiore quadam virtute Numinis, cùm constet: sæpe ita rem evenisse, uti prædicta fuerit à Manibus, quod ex Historia Saulis patet, cui id accidit, quod personatus iste Samuel ipsi prædixerat. Sed hic dubium est: A quonam Numine hæc scientia derivetur? & numquid istud Numen seu Dæmon rerum futurarum

certam habeat cognitionem? nam exinde, quòd interdum rei eventus responderit prædictionibus, certum argumentum trahi non potest, ac si animæ aut Manes defunctorum polleant à Numine superiore sibi communicata virtute prædicendi futura, ita ut vaticinium consulentes non fallat. Quandoquidem interdum per accidens aliquid, quod prædictum est, contingit; quod tamen nemo prudens temerè dixerit illud ideo ita evenisse, quia prædictum sit. Illum Genium, qui cum Saule locutus est, quod attinet, is ex multis circumstantijs prælij instantis eventum, & desperati Regis obitum quodammodo potuit colligere, eumque ipsi prædicere. Et ejusmodi Dæmonia circa tumulos defunctorum hominibus Oraculum ab evocatis Manibus, ut ipsi arbitrabantur petentibus illusisse, à vero non videtur alienum. Illud tamen est satis frigidum & ineptum, quasdam animas post ultimum fatum ad diuturnum velut exilium damnatas inter viventes hinc inde volitare, atque ita ex eorum colloquiis, dictis & actionibus futurorum sibi notitiam parare. Sed, uti aliàs comparatum est: Impiæ sententiæ requirunt deliras rationes.

XI. Verùm de ritibus & ceremonijs evocandi Manes aliquid addendum est. Alicubi sacrificia exhibuerunt illi, qui consulturi erant mortuos. *Scholiastes Euripidis*, ait: accende thymiata, ut accedant Manes. Non dixerim, eos nidore accitos esse, quòd mortuorum animæ odorari amplius non videantur. Deinde lacrymabantur, & suum statum ac conditionem interdum satis miseram deplorabant, fèlicem interim Manium sortem longa oratione deprædicantes. Existimabant siquidem istâ commendatione obtentæ felicitatis eas citius ad misericordiam commoveri, ut futurarum rerum significationem neutiquam ipsos essent celaturi. Præterea preces instituebant ad Manes ipsos directas, quibus partim suum desiderium exponebant: partim eos invocabant, ut, quid insequente tempore esset eventurum, ipsis indicarent. Hinc illos de morte sua, & suorum: de sublevanda calamitate: de bello & pace: de placandis Dijs: de cura domestica, & alijs negotijs civilibus, quæ ob magnitudinem & copiam suam describi vix poterunt, solebant consulere. Alicubi porro circa sepulchra se abjecerunt, ut ibi dormirent, & noctu in somniis vaticinium à Manibus istis impetrarent. Quod somnium tanquam divinum Oraculum acceptum fuit, juxta quod omnia postmodum consilia sunt suscepta, & ad istum finem directa. Quandoque etiam citra somnium Manes isti sub certa figura

appa-

apparuerunt, & voce clara vaticinium exhibuerunt, uti passim in veterum scriptis ejusmodi vestigia reperire licet. Sæpe etiam, imò quod credo, ut plurimum Magi soliti fuerunt Manes è tumulis evocare, & quidem certo quodam carminis genere, cujus testimonium supra adduxi è Prudentio. Hodie tamen dantur nonnulli, qui existimant, spiritus, quicunque demum illi fuerint, ad obsequium ab hominibus evocari posse. Ut nihil mirum sit, si id olim factum sit ad defunctorum sepulchra. Quod spiritus redeant ad suum principium, unde traxerint originem: alij enim è terra, alij ex igni, alij ex aëre, vel aqua oriuntur: qua de causa nonnulli homines ignei sint animi: alij plumbeum & terrestre: alij demum intermedium aliquod ingenium fovent. Quando itaque spiritus, qui dicuntur animæ, revertuntur ad suum principium, retinent quidem naturam suam; sed cum sint intelligentes, utique etiam ad evocationem ab hominibus certa ratione factam recedunt è locis suis, & evocantibus obsequuntur. Possuntque ab ijs experiri, quod volunt, illorumque opera pro lubitu uti: Pari modo & olim prudentes intellexerunt, quo pacto Spiritus & Manes essent evocandi, ut ab illis & futura cognoscerent, eorumque subsidium in depellendis calamitatibus implorarent. Quod fanaticum, certè impium dogma operosè confutare nihil attinet: cùm probi & frugi homines rectius edocti ejusmodi impietatem damnent; improbi verò & qui nullâ religione vera imbuti in diem pecudum instar vivunt talia contemnant & irrideant. Quamvis interea existimem, magnam intercedere differentiam inter Manium quondam apud gentiles: & hodie apud quosdam impios usitatam Spirituum evocationem.

XII. Hac occasione non possum, quin sequentes è *Statij Papinij l. 4. Thebaid. v. 470. & seqq. pag. 198. & 199.* depromtos versiculos hic adscribam.

Tartarea sedes & formidabile Regnum,
Mortis inexpletæ, tuq; ô sævissime fratrum
Cui servire dati Manes; æternaq; pontum
Supplicia, atque imi famulatur Regia mundi.
Solvite pulsanti loca muta & inane severæ
Persephones, vulguq; cavâ sub nocte repostum.
Elicite, & plexa redeat styga portitor alno.

In quibus verbis continentur preces, quæ à gentilibus in adventu Proserpinæ, & ad evocationem Manium observari solebant. Quod autem

gentiles ante Manium evocationem soliti sint precari, illud quoque indicat *Lucanus lib. 6. pag. 202.*

—— —— Tuq; ô flagrantis portitor unde,
Iam lassate senex ad me redeuntibus umbris
Exaudite preces.

Nec immeritò, quoniam precibus movendi sunt spiritus, si ab illis aliquid exposcendum sit, ait *Artemidorus l. 2. Oneirocritic.* Inde etiam passim in gentilium scriptis reperire licet, illos preces fudisse ad Manes, ut ab ijs evocatis, quid scire desiderarent, cognoscere possent. Sed, quod mireris, quando non statim fusis precibus aderant Manes, solebant evocantes ob moram excandescere. Quod iterum patet è *Statio Papinio lib 4 v. 500. pag. 199.* dum ita canit:

Atque hic Tiresias non adventantibus umbris
Testor, ait, Divos, quibus hunc sacravimus ignem,
Lauaq; convulsæ dedimus Carchesia terræ,
Iam nequeo tolerare moram: Cassusne Sacerdos
Audior?

Quæ verba videntur velut aliquod imperium in Manes & infernales Deos importare, sicuti & hoc seculo nonnulli in spiritus sub certa tamen ratione ac modo, peculiaribusque adhibitis characteribus imperium quoddam sibi arrogare conantur. Vbi tamen obiter unum aut alterum in dictis orationibus est notandum. Et quidem, observante illud *Barthio* ad illum textum *pag. 1102. Manes* (1) *opponuntur Sontibus.* Isti enim dicti sunt velut mites & placidi contra impios illos, quos omnes *Sontium* nomine complectitur Papinius. Additque locum è Festo. *Manes in carminibus Saliaribus Aelius Stelto significare ait bonos: Et inferi Dy Manes pro bonis dicuntur à suppliciter eos venerantibus propter metum mortis.* Idem quoque autumat illos cultos fuisse ob favorem, quem erga homines ostendunt (2) Preces eò diriguntur, ut Manes isti velut ad supplices istas preces, veniâ à Dea infernali impetratâ, compareant: & quidem ad obtinendum ab ipsis benignum & proficuum responsum. (3) *Luctatius Placidius* observat: Læva vel sinistra manu immolationem *factam* fuisse Manibus. Vnde *Serenus* Poëta ait: Inferis sinistra manu immolamus pocula. Antiqvus Commentator ad hunc Papinij locum ait: *Inferis Dris læva manu immolatum esse*, indicat Poëta noster. Quod ad poculenta attinet, solum id intelligimus, uti scriptum est apud *Serenum*:

Inferis manu sinistra immolamus pocula
Leva, quæ vides Laverna, Palladi sunt dextera.

Putat *Barthius d. l. pag. 1123.* Lavernam pro Proserpina positam fuisse à *Sereno*, & quidem ob rationem Silentij, quòd teste antiquo Scholiaste *Horatij lib. 1. Epist. 16.* Sacra & preces Lavernæ fierent silentiô. (4) Exinde tamen vanitas religionis seu potius superstitionis elucet, quòd, cùm preces institutæ non statim exaudirentur, supplicantes stomachati, & velut indignantes moræ impatientiam subinde fuerint contestati. Quasi (loquar ex insulsis Paganorum principiis) precantibus competat, velut Dijs suis infernalibus exprobare, quando non statim ad orationem suam dimiserint Manes, ut ipsi ad edendum vaticinium comparerent. Vnde (5.) *Sacerdos* conqueritur hisce verbis: *Cassume Sacerdos audior?* súmne dicis gratia Sacerdos; qui saltem nomen istius officij geram, & præterea nihil? qui cogor consulentium preces commendare Dijs, & tamen non exaudior? Numquid ne hoc à recta ratione aberrat, indignari Superiori, vel etiam amico, qui non statim paratus esse vult & precantium desiderijs ad nutum gratificari? Et tamen isti miseri homines tantâ dementiâ occœcati expostulare cœperunt cum Dijs infernalibus, si ipsi non statim ad precantium evocationem Manes emitterent. Quinimò indignatione declaratâ non contenti minas quoque evomuerunt in suos Deos, quasi Dij sint hominum imperio subjecti, ipsique teneantur vel parere, vel consulentium minas expectare, sed vana sine viribus ira! Vnde etiam illud lubens prætercam. Vnicum saltem locum attingam è Senecæ Oedipo, qui ait:

Carmenq; Magicum voluit, & rapidò minax
Decantatore, quicquid aut placat leves,
Aut cogit umbras. Et paulo post.
Canitq; rursus & terram intuens
Graviore Manes voce & attonita cit.

Ubi precibus ita institutis, declarata indignatione ob moram, & significatis minis, tandem, subsecutô terræ mugitu, apparuit agmen Manium. Et hoc colligo ex *allegato Senecæ Oedipo dict. Act. 3. v. 561.* qui ait:

Carmenq; Magicum voluit, & rapido minax
Decantat ore, quicquid aut placat leves
Aut cogit umbras.

Et paucis interjectis *v. 569. & seqq.* pergit.

Latravit Hecates turba, ter valles cava

Sonuere

Sonuere mœstum, tota succussa solo
Pulsata tellus audior, vates ait,
Rata verba fudi, rumpitur cœcum chaos
Iterq; populis Ditis ad superos datur.

Itaq; post comminationes tandem Manes isti agmine velut coacervatò comparuerunt, & quidem secundũ fatuam Gentilium superstitionem, ac si ad preces coacti fuerint Dij infernales juxta desiderium evocantium dimittere animas ab ipsis in inferno detentas. Signum autem certum fuit, Manes advenire, *Mugitus terrarum*, quod etiam observavit *Virgilius l. 6. Æneid. v. 156.*

Sub pedibus (ait) *mugire solum & juga cœpta moveri Sylvarum.*

Post illum terræ mugitum comparebant manes defunctorum, uti desiderabant evocantes, de quo *Statius Papinius l. 4. Thebaid. v. 519. & seqq. pag. 200.* seqvenda canit:

Audisti Genitor, vulgusq; exangue propinquat
Panditur Elysium Chaos, & telluris aperta
Dissilit umbra capax.

Egregium quoque locum huic argumento valde convenientem habet Homerus *lib. 2. Odyss. pag. 312.* ubi etiam post sacra nigromantica Manes defunctorum ad evocantium preces comparuerunt, dum adhuc sacrificiorum sanguis flueret.

—— —— αἱ δ' ἀγέρεντο
Ψυχαὶ ὑπ' ἐξ ἐρέβευς νεκύων κατατεθνειώτων
Νύμφαι τ' ἠΐθεοί τε πολύτλητοί τε γέροντες
Παρθενικαί τ' ἀταλαὶ νεοπενθέα θυμὸν ἔχουσαι.
—— —— *Ipsæ autem congregabantur*
Animæ ex Erebo manium defunctorum,
Sponsæq; juvenesq; & multa passi senes
Virgunculæq; tenellæ novo luctu affectum animum habentes.

Ipsa quoque Proserpina se sistebat interdum comitata canibus, & quidem sub forma non eadem, sed modò equi, modò feræ agrestis, de quibus legi meretur *Ludovic. de la Cerda ad l. 6. Virgil. Æneid v. 255. n. 3. fol. 641.* Qui & multa alia copiosè ibidem pertractat. Postquam verò Manes ad evocationem prævijs precibus & sacrificijs debito modo peractis comparuerunt, tum demum interrogati respondebant de futuris; quorum tamen eventum nec ipsi sciebant certò, nec ex se certò scire

pote-

poterant. Nihilominus tamen illli, qui responsum acceperant, certò erant persvasi, se responsô haut fallaci instructos recedere, unde etiam eô freti suam sæpe fortunam exposuerunt periculo, licèt nonnunquam illæc Manium Oracula ita, ut prædicebantur, fuerint impleta.

XIII. Verùm, ut finem hujus rei aliquando faciam, exempla eorum, qui mortuorum Manes consuluerunt, in medium afferam, & quidem 1. *Ulyssis*, qui animam Tiresiæ evocatam de futurarum rerum successu consuluit: incerti namque de cursu maris & itineris lacrymati sunt istius socij, ut proinde tanti vatis consilium etiam post mortem explorare non dubitaverit. Ipse quoque de multis est edoctus, quæ ipsi postmodum contigerunt. Vaticinium istud legere licet *lib. 11. Odyss. pag. 317. Homeri*, quo inter alia illud ipsi fuit prædictum, quod quidem in patriam Ithacam perventurus: sed antequam ibidem perveniat multa mala perpessurus sit. Postea collocatus est cum Anticlea matre sua, & ex ea quæsivit conditionem uxoris, filij, & patris. Præterea evocavit *Agamemnonis* umbram seu animam, quæ exitium suum & miserabile fatum, quô miserè periit, prius ipsi exposuit: deinde ipsi nonnulla aperuit de relicta uxore Penelope, quam commendavit à prudentia & pudicitia. Agamemnone verò ad bellum abeunte habuit ipsa filium infantem tum temporis adhuc mammis adhærentem, qui nunc vir evaserit, & beatus in virorum consessu compareat. Quibus auditis averiter quidem Ulysses urget Agamemnonis animam, ut sibi veritatem dicat de filij sui Telemachi vita. Quæ de ignorantia se excusat, & dicit rotundè: Nescio an ille adhuc vivat, vel mortuus sit? Interim bonum non est, nec expetit interroganti, ea, quæ incerta sunt, proferre. Hæc quantumvis fabulosa sint; apparet tamen exinde fides vel superstitio gentilium de statu & conditione animarum post mortem, quod scilicet illæ à viventibus ad perquirenda ab ipsis futura possint evocari, quodque ipsæ tandem peractis precibus compareant, & ad interrogantium quæstiones respondeant. Deinde in hac enarratione observare licet, quòd istæ animæ non sciant futura omnia, imò ne quidem præsentia: quandoquidem Agamemnonis umbra ignorabat, numquid adhuc Ulysses filius Telemachus viveret, an itidem fatis concessisset? Vicissim introducitur *ab Homero Iliad. XI. pag. 339.* Ulysses Achillis animæ exponere, quam prudenter ipsius filius Neoptolemus, seu Pyrrhus in bello Trojano se gessisset, quàmque masculè & fortiter pugnasset, & quot ille insignes Duces & milites strenuâ manu oc-

cidiſſet. Riſu autem videtur dignum, velle futurorum cognitionem petere ab illis, qui ipſimet ne præſentium quidem rerum habent notitiam. II. Cùm ea quæ de Ulyſſe ſunt allata, fabulam potiùs, quàm veram quandam hiſtoriam redoleant; ſunt tamen alia exempla in promtu, quorum fidem vix in dubium vocare licebit. Sanè in Græcia crediderunt homines, Manes defunctorum poſſe evocari, ſicuti etiam eos reapſe evocarunt. Et Delphis certa quædam fuit imago publicè poſita, ad quam evocati ſunt Manes. Quod indicat *Plutarchus in lib. de Quæſt. Roman. fol. 259.* his verbis. Ἐν Δελφοῖς Ἀφροδίτης ἐπιτυμβίας ἀγαλμάτιόν ἐστι, πρὸς ὃ τοὺς κατοιχομένους ἐπὶ τὰς χοὰς ἀνακαλοῦνται, id eſt, *Delphis eſt imaguncula Veneris ſepulchralis, quæ Epitymbia ipſis dicitur ad quam evocant eorum Manes, quibus libant.* Puto autem omninò illam Manium evocationem verè factam fuiſſe, ex quibus evocantes potuerint futura cognoſcere. Unde *Iſacius* ait: τοῦτο ὄντως ἀληθές ἐστιν, ὡς μαντεῖον ἐκ τῶν ἀνακεκλημένων ψυχῶν: *Hoc tam verùm eſt velut vaticinium ex evocatis animabus.* In Theſſalia extiterunt Magi, qui noctu mortuorum corpora perquirebant: Et niſi à vigilibus ad cuſtodienda ſepulchra conſtitutis impedirentur, nares erodebant, ora, genas & alia membra præcidebant: & quidem quod crederent hac mutilatione membrorum animas defunctorum attrahi. Horrendum exemplum recitat *Bodinus l. 2. cap. 3. pag. 189. Dæmonom.* de Monacho quodam, qui ſacratæ hoſtiæ pueri detruncati caput impoſuit, quod poſtea vocem edidit, quod, cùm à noſtro argumento non videatur abhorrere, hîc apponam. *Audivi*, inquit, *ex Inſulano Abbate Novalliorum Domino, qui jam legatione Conſtantinopoli à Rege fungitur, & ex nobili Polono, cui nomen eſt Pruinski Legato in Galliam unus ex maximis Chriſtiani Orbis Regibus avidum ſui exitus cognoſcendi Iacobitam Necromantem ad ſe acceſſiviſſe, qui confecta miſſa & ſacratâ hoſtiâ primogenitum quendam decennem puerum ad hoc comparatum truncari juſſit capite: eô hoſtiæ impoſitô certas voces pronunciaſſe, characteres, quos ſcire non attinet, adhibuiſſe, ac tum roganti quid vellet, caput duobus verbis reſpondiſſe VIM PATIOR: Illicò furibundum Regem indeſinenter clamaviſſe,* tollite caput iſtud, *& in eo furore expiraſſe. Hæc hiſtoria in toto Regno ubi geſta eſt, pro certa & indubitata habetur, etſi quinque homines ſolum negotio interfuerunt.* Præterea. III. de Naſamonibus & Celtis refert *Tertullianus cap. 57. de Anima,* quòd & ipſi multum detulerint Oraculis

mortuo-

mortuorum: ea propter apud sepulchra dormiverint, & per insomnia futurorum notitiam captaverint. Illud tamen inter populos istos intercedit discrimen, quòd *Nasamones* apud *Herod. l.4. c.172. f.280.* juxta parentũ sepulchra perstiterint, & ibidem Oracula captaverint quippe quòd crederent, ejusmodi Oracula omnium fore certissima. Nam ipsis persvasum fuit, se à parentibus verissimum responsum impetraturos: quippe quòd vero sit simile, illos, uti in vita pro liberis curam susceperunt optimam, etiam post mortem curâ suorum tangi, adeoque nihil eos celare velle, quod ad prosperum eorum successum promovendum, & malum avertendum facere possit. Qui ex parte non videntur impingere, quòd animæ amorem erga suos non deponant: quamvis in eo aberrent, dum credunt: animas defunctorum posse futurorum successum tàm in promovendo bono, quàm in declinando malo posteris Oraculi instar certissimè & quidem semper prædicere. Celtæ verò, qui sunt populi Galliæ Comatæ multum quidem mortuorum Oraculis tribuerunt, non tamen nisi apud *fortium virorum sepulchra* pernoctarunt. Qua causa verò illud ita fecerint, vix alia esse poterit, quàm quòd ipsi gloriam bellicæ fortitudinis affectare, & ita è manibus occisorum in bello, vel cum laude ejusmodi inclytæ virtutis defunctorum certiores fieri velle visi sint, quomodo & ipsi ad tantam famæ immortalitatem adspirare, nec non tanta cum laude & hinc decedere tandem possent. IV. *Kirchmannus l.3. c.13. pag.500. & p.501. de Funerib. Roman:* meminit cujusdam veneficæ *Erichthonis*, quæ relictô domiciliô urbanô hospitium in monumentis sepulchralibus quæsivit. De qua *Lucanus lib.6. pag.195.* scribit:

Hos scelerum ritus, hæc diræ carmina gentis
Effera damnârat nimiæ pietatis Erichtho,
Inq; raros ritus pollutam duxerat artem.
Illi namq; nefas urbis submittere tecto
Aut Laribus ferale caput: desertaq; busta
Incolit, & tumulos expulsis obtinet umbris.

Ita Lucanus. Ubi notandum. I. Quod *Iacobus Mycillus* ad istum locum *pag.458.* existimet, præsens istud veneficæ nomen esse fictitium, & à vetere illa Deâ infernali transsumtum, quod firmat testimonio Ovidij, qui in Epistola Sapphus ita canit:

Illac mentis inops ut quam furialis Erichtho
Impulit, in collo crine jacente feror.

 2. Dicit

2 Dicitquidem *Lucanus*: veneficam istam dereliquisse domicilium oppidanum, & quia sepulchra antiquitus ut plurimùm extra urbes erant, ad tumulos defunctorum sedem suam delegisse, ibique Umbras, id est, Manes seu animas ibidem adhuc oberrantes expulisse: non tamen vel verbo attingit, *illam* è mortuis petiisse responsa de futurorum successibus, eaque iterum hominibus communicasse. Quin potius asseritur, quòd illa Umbras & animas virtute suâ magicâ expulerit, ut ibidem quietam sedem habere posset. *Bodinus tamen l.2.c.3.p.188. Dæmonoman.* refert, quòd Pompeius ex Erechthone Maga exitum prælij Pharsalici cognoverit. Quæ licèt ipsum de victoria certum reddere voluerit, exitus tamen infelicitatem pugnæ ostendit. *Joachimus Camerarius* refert: se vidisse quosdam, qui habuerint caput hominis demortui, quod loqui potuerit. Existimo autem non nisi Dæmonem per istud locutum fuisse. Vide *Johan. Georg. Godelman. l.1. cap. 4. n. 4. pag. 31. de Mag. Venefic. & Lamiis.*

Porrò v. Apollonius Thyanæus Achillis animam evocavit, quæ quoque teste *Eusebio in Hieroclem* in Opere *Philostrati f. 458.* apparuit, quæ quinque saltem quæstionum facultatem præbuit evocanti Apollonio. Verba scriptoris ita se habent: *Achillis umbra cubitorum primò quinque, mox & duodecim suo de busto chlamydata assurrexit. Quæ quinque tantummodò quæstionum, Apollonio facultatem præbuit, ex sua videlicet Parcarumq; sententia. Et pag. 459.* scribit: Animam seu Umbram Achillis ad gallorum cantus evanuisse. Hoc autem dixerat *Hierocles*: ἀπῆλθεν ὁ Ἀχιλλεὺς ξὺν ἀστραπῇ μετρίᾳ· καὶ γὰρ δὴ ἀλεκτρυόνες ἤδη ᾠδῆς ἥπτοντο. Id est, *abiit Achilles cum modico fulgure, tum enim galli primos dederant cantus.*

vi. Egregium quoque exemplum habemus in Pausania Spartiata, qui Manes *Cleonicæ virginis Byzantinæ* evocare, & placare studuit, istam enim virginem antea occiderat. Causam homicidij, ut & factum ipsum describit *Pausanias Historicus. l.3 pag. 181.* in sequentibus: Audivi, inquit, de Byzantio homine, cum diceret Pausaniam proditionis reum factum solùm ex omnibus, qui supplices ad Chalcioeci locum confugissent, impunitatem non meruisse: neque verò aliam ob causam, quàm quod cædis piaculum eluere non potuisset. Is enim cum ad Hellespontum Spartanæ pariter ut & Sociorum classis Imperator castra haberet, virginis Byzantinæ cupiditate incensus est. Cùm verò prima

nocte illi, quibus negotiũ datum erat, Cleonicen ad eum perduxissent (id enim erat puellæ nomen) somnum jam capiens repente strepitu est excitatus. Fortè enim illa accedens accensam lucernam dejecerat invita. Ibi Pausanias, qui suorum de prodenda Græcia consiliorum conscius perpetua animi perturbatione & pavore agitari solitus erat, subitò perterrefactus virginem acinace transverberat. Hoc illud fuit facinus, cujus fraudem nunquam effugere, nullis expiationibus, nullis Absolutori Jovi deprecationibus susceptis, cùm in Arcadiam etiam ad Lustratores eos, qui ψυχαγωγοὶ, id est, *animarum ductores vel evocatores* appellantur, Phigaleam venisset, luere potuit. Hæc tamen virgo ex vulnere mortua, uti *Plutarchus* illam historiam persequitur in vita *Cimonis, fol. 482.* Pausaniæ quietem non permisit, sed spectrum noctu se offerens in somno cum indignatione hunc versum ad illum protulit:

Στεῖχε δίκης ἆσσον μάλα τοι κακὸν ἀνδράσιν ὕβρις

Tu cole seu sequere justitiam, injuria viris res est perniciosa.

Quod factum Socij cum Cimone iniquo animo ferentes arctè eum obsederunt Byzantij. Ipse tamen elapsus, & spectrô istô exterritus Heracleam confugit ad *Manium Oraculum*, evocataque Cleonices animâ offensam deprecatus est. Vbi virginis umbra ei comparuit, quæ eidem prædixit: *Fore, ut brevi Spartam reversus à malis omnibus liberaretur.* Quibus verbis ei obscurè imminentia fata explicavit: cui prædictioni respondit quoq; eventus. Nam reversus in patriam cùm cives eum de conspirationibus in patriæ perniciem initis cum barbaris planè convictum comprehendere & multare statuissent, atque ipse vitaturus periculum in templum Palladis Chalcedoniæ sese proripuisset, conclusus in eo & circumsessus fame contabuit. Vide *Dionys. Lambin. ad Cornel. Nepot. in vita Pausan. fol. 36.* Et *Hieronym. Magium ad d. l. fol. 208. 209. 210.* Non possum, quin hîc interspergam, quæ de ritibus in evocandis Manibus observari solitis tradit *Peucer. in libr. de Divinat. pag. 295.* Vbi ita disserit: Ritibus his utebantur. *Aras, quæ plerumq; geminæ erant & pares, nigris ornabant villis aut cæruleis & cupresso: cumq; pecudes confudissent, spirantem adhuc amorem in effusam spargebant terram, vinumq; lac & mel miscebant, postea cæsæ victimæ viscera ter circum aras gestabant igne accensô. Hoc ritu commoveri ex imo animas produciq; arbitrabantur: cumq; manes placarent, pocula libabant, rogumq; &*

& sepulchrum vino, sed inversa manu conspergebant, & nigras immolabant victimas, quarum viscera oleo rigata conjiciebant in ignem, incensis lignis sterilibus, quae è sepulchris eruta esse oportebat. Sacra verò noctu peragebant: vel in meridie vel die decrescente. Fugere enim mane advenantem Solem credebantur Manes. Invaluerat autem hac consuetudo apud Ethnicos adeò, ut Romani annuatim ter postridie Vulcanalia, & ante Sexto Idus Novembr. & ante tertiò Nonas Octobr. Diti & Proserpinae in Campo Martio, ubi aram Diis Manibus in loco abdito subter terram effosso statuerent, victimis, epulis, thure, & mero sacrificarent, & decreta facerent de rituum illorum conservatione, & atro die Manibus parentare, ne infesti redderentur, prohiberent: denique si non rite administrata vel ex levibus causis intermissa essent, secundo, tertio instaurari ea ac refici vellent. Hæc Peucerus.

VII. Sed de Samuele pauca afferam, numquid ille ad Saulis mandatum à Pythonissa in *Endor* revera fuerit evocatus, an aliud quoddam spectrum sub figura *Samuelis Regi Israëlitarum* fuerit productum? Hujus memorabilis historiæ supra *c. 2. hujus libri pag. 264.* feci mentionem, commodè autem ibidem de ea agere non potui; nunc verò unum aut alterum de ea attingam. Quidam acriter defendunt *verum Samuelem fuisse evocatum*, quod 1. ex verbis contextus *1. Samuel. 28. v. 15. 16. 17.* volunt ostendere: Nam inquiunt, Samuel evocatus Sauli exprobat, quod ab ipso inquietetur, his verbis: *Quare inquiet asti me, ut suscitarer?* Quo cum convenit, quod *Iosephus l. 6 c. 15. p. 86. Antiqu. Iudaic.* scribit: animam Samuelis verè apparuisse Sauli. Nam, ait, *animâ Samuelis interrogavit Saulem, quam ob causam se elici, & suis sedibus moveri jusserit.* Deinde & 2. Saul à Samuele futuros rerum eventus absque ullo errore & illusione didicit. Et quemadmodum illud ei fuit prædictum, ita illud eidem quoque contigit. sic enim vaticinabatur Samuel: dabit Deus Israëliticum populum tecum in manus Philistæorum, cras autem tu & filij tui mecum eritis, id est, moriemini, sicut ego mortuus sum. Quod etiam ita contigit, Saul namque proprio incumbens gladio se ipsum transfixit. Filij ejus verò sunt interfecti ab hoste. Vide *Ioseph. d. c. pag. 87. & seq.* Præterea 3. proferunt locum è *cap. 46. v. 23. Syracidis* qui ita se habet. *Postquam Samuel dormivit*, seu mortuus quievit, *notum fecit Regi* scilicet Sauli, (cùm post mortem suam alij, quàm Sauli non apparuit) *& ostendit illi vitæ suæ finem, & exaltavit vocem suam de terra in prophetia.* Quibus verbis nihil

hil aliud intelligi poterit, quàm Samuelem derelictô locô quietis apparuisse Regi, & propria voce prophetasse, seu ei futuræ cladis & interitus eventum prædixisse. Et licèt illa verba, *Cras eris mecum*, non conveniant animæ Samuelis, quippe quæ non fuit in statu damnationis: De Saule autem, qui sibi manus intulit violentas ne ab *incircumcisis*, id est, *Philistæis* occideretur, non immeritò dubitatur: tum respondet *Martinus Delrio* l. 2. *Qu.* 6. *pag.* 113 *Disquis. Magic.* quod illa verba juxta interpretationem Augustini ad similem mortis conditionem possint referri, quasi dicat: *Cras mecum eris, non unus viventium, sed unus mortuorum: Crastinus tibi dies ultimus illucescet.* Idem quoque *l.* 2. *Qu.* 26 *sect.* 4. *Disquis. Magic.* p. 239. docet: *Animam Samuelis apparuisse Sauli, non carminis magici vi excitatam, sed à Deo missam, ut impium Regem corriperet, eidemq; instantia supplicia aenunciaret, eumq; ita ad pœnitentiam hortaretur.* Et *pag.* 239. addit: quòd apposita *Patrum* testimonia cum sua, quam ipse defendit, sententia non pugnent; cùm illud saltem à Patribus negetur: vi carminis magici excitari potuisse Samuelem. *Quoniam verò ipsi hanc apparitionem tribuebant magiæ mulieris Pythonissæ in Endor (quod nec necessarium erat nec verum est) ideo ex tali suppositione eò delapsi fuerunt, ut negarent, aliud quàm Dæmonem apparuisse.* Attamen *Origenes ad l.* 1. *c.* 28. *Samuel* putavit: Samuelem ope incantationis à ventriloqua fuisse evocatum, non autem phantasma aliquod vel Dæmonium; sed veram illius animam fuisse productam. Quam quoque sententiam suam acriter defendit. Ante eum idem sensit *Iustinus* in Dialogo cum *Tryphone Iudæo*, cujus verba exhibet *Leo Allatius in Syntagm. de Engastrimytho c.* 7. *fol* 342. *in Tom. VIII. Critic. Sacror.* Multi quoque è recentioribus, cum primis verò illi, qui Synodum Tridentinam in omnibus κατὰ πόδα sequuntur, sententiæ isti ex animo sunt addicti, quorum catalogum hic satis prolixum liceret recensere, nisi scripta eorum essent in conspectu: ut ita opere sive labore in allegandis Scriptorum testimonijs facilè supersedere possem. Vnicum tamen adhuc proferam dictum *Bodini, qui lib.* 2. *c.* 3. *pag.* 183. *Dæmonom.* de apparitione Samuelis sequentia superioribus satis accommodata in medium adducit: *Non sum nescius*, inquit, *placere quibusdam Theologis Diabolum fuisse istum ac non Samuelem; sed bona pars refragatur freta loco Ecclesiastici cap.* 46. *qui narrat in Samuelis laudibus ipsum post mortem prophetasse, pranunciatâ morte Regis & Philistæorum victoriâ. In eadem sententia est Iustinus Martyr, Rabbi Sadias,*

Haias,

Haius, & Hebræorum plerique. *Et iis observandum est, illud suffragari, quod responsio per Samuelis imaginem, quem Diabolum putant, Sauli facta, magnum Jehova nomen habet quinquies repetitum, quod etiam Dæmones audire perhorescunt.* Hujus opinionis defensores multis & ex parte non contemnendis argumentis suam sententiam statuminant, quas tamen, quoniam mihi propositum non est in ejusmodi divinarum controversiarum veritatem inquirere, hoc loco examinare mihi non sumo. Saltem, quid alij de illa apparitione statuunt, paucis itidem attingam, prudentis lectoris judicio unicè commissurus, quamnam ipse sententiam tanquam veriorem amplecti & probare malit. Nam & alteri opinioni non recentiores tantùm; sed & antiqui fuerunt addicti, præcipuè autem *Eustathius*, cujus insignem *de Engastrimytho* dissertationem exhibet raræ eruditionis scriptor *Leo Allatius*, quæ reperitur *in Tomo. 8. Criticor. Sacror. fol. 420.* Is autem docuit: *Totam illam Samuelis apparitionem meras fuisse præstigias à Dæmone ipso confictas.* Cujus doctrinam multi secuti sunt passim. *Simon Metaphrastes* de Apparitione Samuelis contra Judæos multa disputat, & concludit: *Non igitur Samuelem in hanc lucem reduxit mulier illa ventriloqua, sed tartarei Dæmones Samuelis personam atque similitudinem induentes sese mulieri ventriloquæ & Sauli, quià Deo defecerat, conspicua præbuerunt.* Præterea *Basilius M. in Esaiam.* 8. illam apparitionem Samuelis vocat *phasma.* Ita & *Gregorius Nyssenus Epist. ad Theodosium*, in qua agit de Engastrimytho, de Samuelis apparitione profert sequentia: Hinc liquet, Samuelis loco Dæmonium illud improbum visum, & cum dixit secum futurum Saulem, mentitum non esse. *Nicolaus Remigius l. 2. c. 1. pag. 184. Dæmonolatr.* valde defendit istam sententiam, verum Samuelem non apparuisse Sauli: à qua opinione non videtur abludere *Ius canonicum in cap. 14. Nec mirum. 27. qu. 5.* Prolixè quidem, sed pulchrè de hac Samuelis apparitione disserit *Iohan. Sarisberiensis l. 2. c. 27.* potissimùm *p. 133. & seqq.* qui & in eam descendit sententiam, non verum Samuelem, sed spectrum, phantasma, & Dæmonium apparuisse. Insignis est locus, quem habet *Sebastian. Munsterus ad l. 1. c. 28. Samuel. fol. 2368 in Tom. 1. Critic. Sacror.* qui sanè meretur, ut in gratiam eorum, qui Commentatore isto destituti sunt, hic adscribatur integer. Ita autem loquitur. Scribunt hîc Judæi, inquit, multa de Samuelis apparitione, sed non satis inter eos convenit. *Nam qui habet Spiritum Pythonicum,*

dicunt, is Spiritus loquitur submissâ voce, vel ex membris obscœnis, vel ex concavitate axillarum. Et hæc una est species spiritus Pythonici. Est deinde alia species, *quâ responsa dantur vel ex craniis defunctorum, aut sepulturis mortuorum, & huic annumerantur ea, quæ etiam mortuos suscitare videtur, de qua hic agitur.* Alij verò ajunt, *quòd Pythonicus in craniis mortuorum offerat Dæmonibus thura, & audit in memoratis fœtidis corporis locis optata responsa.* Porro quando mortuus suscitari videtur, ajunt duplici eum apparere specie: *Suscitanti apparet in forma ipsa absque verborum perceptione: illi autem, propter quem suscitatur, apparet non in sui specie, sed in allocutione, & sic Samuel hic apparuisse describitur. Mulier enim Pythonissa solùm vidit illum, & loquentem non audivit: Saul autem loquentem audivit, sed non vidit.* Et quidem omnes Hæbræorum Rabbini hîc consentiunt: *Opus Pythonum præter præstigium, vanitatem, mendacium & deceptionem aliud nihil esse.* In hoc tamen loco inter se dissentiunt. Nam sunt *qui hæc omnia mulieris arte putant esse conficta,* quæ ex certis conjecturis sic deluserit Saulem. Alij autem, *ut Saadias & Aias* putant: *hic veram fuisse visionem non quidem mulieris arte, sed Dei virtute apparentem, Vnde* & mulier ipsa, cùm præter solitum morem miranda videret, stupefacta cœpit magna clamare voce. Sed *Kimhi* contra horum opinionem ludens, ut mihi videtur, sic arguit: *Si Deus suscitavit Samuelem ut futurum eventum indicaret Sauli, cur eventum illum non magis revelavit per somnia aut per Prophetas, aut per sacerdotum Oracula, quàm per maleficam mulierem?* Hæc ita aliquantò prolixius habet Munsterus. *Vatablus* ad *l. cap. 1. 28. v. 15. Samuel. p. 371.* itidem in ea est opinione, non verum Samuelem; sed malum Genium sub specie Samuelis apparuisse, quod hisce verbis exprimit: *Spiritus Pythonicus, qui induerat speciem Samuelis, visus est dicere Sauli. Mulier videbat Samuelem, neque tamen audiebat eum alloquentem Saulem: Sicut nec Saul videbat Samuelem, hoc est, illusionem illam diabolicam, quæ videbatur illis Samuel.* Magnus iste *Hugo Grotius* Vir inexhaustæ eruditionis, & exasciati judicij, pro sua, quâ eminuit, prudentia, in notis ad d. loc. *Samuelis. fol. 2371. in Tom. 2. Criticor. sacror.* hanc sententiam sequitur, nimirum: fallacem spiritum, neutiquam verò Samuelem apparuisse Sauli. Verba divini scriptoris apponere non piget. Νεκυΐα, inquit, omnium divinationum antiquissima, & signum creditæ τῆς τῶν ψυχῶν διαμονῆς. *Frequenter id factitatum in Oriente discimus*

ex AEschylo, Persis, & Herodoto. Quamquam autem ubique id, quod hic apparet, vocatur Samuel, etiam apud Josephum tum Samuel ἐξ ᾅδου vocatus; tum Samuelis ψυχή; credibilius tamen est: fallacem spiritum fuisse, ejus generis de quo Porphyrius lib. 2. de Abstinent. Animantium. γένος ἀπατηλῆς φύσεως παντόμορφόν τε καὶ πολύτροπον, ὑποκρινόμενον καὶ θεοὺς καὶ δαίμονας καὶ ψυχὰς τεθνηκότων. *Videtur mulier idipsum satis significare cum dicit: Deos ascendisse de terra, ita appellans spiritus illos, quorum unus Samuelis figuram induerat, cæteri ei velut comites erant.* Ita Grotius. Verùm circa explicationem istius loci Hebræi mirè se gerunt. Dicunt enim, referente id *Theodoreto Qu. 62.* Quòd quæ per ventriloquas reduci videntur animæ, reducerentur pedes sursum habentes, alij autem supino jacentes, veluti qui sepeliuntur. Et ideo ventriloqua, cùm vidisset Samuelem rectum ascendentem, obstupuit & dixit: *Ego video Deos.* Quasi dicat: Majus aliquid video, & divino similius in eo, quem ascendentem de terra video, quàm in alijs, qui magicis eliciuntur carminibus. Quare opus Dei hoc esse puto: neque enim in hoc hominum genus ulla esse potuit magica potestas, imò talis est splendor, ut non aliquem è mortalium numero, sed Deum ipsum immortalem esse putem. Unde addit *Caspar Sanctius ad l. 1. Samuel. c. 28. n. 12. fol. 493.* sequentia. *Non mirum, si ita senserit muliercula rudis, & falsis sæpe imaginibus delusa, cùm rebus sordidis, & speciebus assueta deformibus nihil unquam vidisset aut augustum aut venerabile. Est enim usitatum, ut quicquid eximium est, & naturam aut statum hominum videtur excellere, Deum esse dicant aut divino simile.* Videtur quoque *Sanctius d. l. p. 495. & 496.* quodammodo probare illorum sententiam, qui existimant: Samuelem solùm à muliere visum, & solùm à Saule auditum fuisse. Quamvis ille hoc in alium deotrqueat sensum ad stabiliendam suam hypothesin: Samuelis animam virtute divinâ vere apparuisse Pythonissæ in corpore quodam assumto. Et hanc suppeditat rationem, quare Samuelis anima tantùm mulieri isti apparuerit, scilicet: ut illius testimonio & ipsa nosset, & alij ab ipsa discerent, quanta & quàm illustris esset anima Samuelis comparatione aliarum, quas ipsa in cantationibus magicis hactenus in lucem revocasset. Nunc primum videre se dixit Deos ascendentes è terra, hoc est, uti antea id explicatum dedit, *aliquid humano majus*: Nam hucusque tale quid nec viderat, nec experta erat,

erat, licèt illam artem nigromanticam exercuisset diu, quippe quòd reliquæ animæ, quæ carminibus magicis evoçantur, sint obscuræ, quarum species terreant potius, quàm delectent, potius contemtum, quàm ullam dignitatem & venerationem præ se ferant. Unde etiam ab antiquis vocantur *Vmbræ obscuræ, tristes.* Cum igitur ad illud usque tempus factis evocationibus nihil nisi luridum, informe, & obscurum vidisset Pythonissa, & nunc aliquid videret majus & illustrius, quod velut admirabunda non obscurè significavit: planè ostendit, *magnum illud fuisse, quod apparuerat*, quod aliorum nemo discernere ac judicare poterat. Quod si verò quis contendat, & à Saule visum fuisse Samuelem, ipsum tamen, cùm severus & torvus Samuelis vultus conspiceretur, singula ob animi consternationem non potuisse observare, & ea propter Pythonissam rogasse, *quisnam & in quali forma ascenderet is, quem videret ipsa*, tum eo sensu id velit concedere, & Saulem vidisse Samuelem. Deinde, quod ad colloquium attinet; Putat *Sanctius*, Saulem id datâ opera fecisse, (utpote qui occluserit fores, & reliquos abesse voluerit,) ut solus futuros rerum eventus perciperet, cœteri autem, scilicet Pythonissa, & duo socij Oraculum Samuelis, quod satis durum erat, non audirent. Tandem, tanquam animo titubante, parumque sibi constante scribit: *Non nego & aliòs interesse potuisse, sed nihil quicquam audivisse vel etiam vidisse.* Et concludit: Samuelis verba *præter Saulem audisse neminem, magis probabile est.* Porro quemadmodum illi, qui oppositam sententiam defendunt, se fundare volunt in contextu & literali sensu Sacræ Scripturæ, ita & alij, qui posteriorem opinionem amplectuntur, idem faciunt. Ideo ordine verba sacri textus, in quo tragicus hic Saulis casus describitur, videbimus. (1) *Vidit Saul castra Philistæorum & timuit:* quibus verbis narrat scriptura: hostium incursione, & spectatis tot virorum Philistæorum castris Saulem magno timore correptum fuisse, ut de ope humana desperaret, & nunc quidem ad divinum auxilium impetrandum, Deumque invocandum tempus esse putaret. (2) *Consuluit Dominum, qui non respondit ei.* Non malè, sed rectè & piè egit Saul, quòd in tantis constitutus calamitatibus ad Deum se contulerit, ejusque opem imploraverit. Sed cùm Deus ipsi nec ordinariè nec extra ordinem, id est, neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per Prophetas responderet, Saul interea cognosceret, se à Deo rejectum frustra divinum responsum exspectare, tædij & moræ impa-

 tiens

tiens alia ratione futuri prælij exitum se experturum ratus ad potestates adversas & vetitas consilium direxit. (3) *Dixitque Saul servis suis: Quærite mihi mulierem, quæ habeat Pythonem.* Postquam Saul à Deo responsum non impetravit, tum è Pythonissa seu fœmina spiritum fatidicum habente sciscitari, & certior fieri voluit de successu & eventu imminentis prœlij. Notat *Iohan. Sarisberiens. lib. 2 c. 27. p. 131. de Nug. Curial. Philos.* Quid aliud dixisset itemque perfidus? Nonne idem ac si dicat: *Flectere si nequeam superos Acheronta movebo.* Aut fidelioribus verbis & insaniore perfidia: *Si mihi Deus subtrahit notitiam veritatis, eam tamen per patrem mendacii, eô invitô, agnoscam, & velit nolit arcanum consilii eius per potestates adversarias explorabo.* Hæc Sarisberiensis. Fecit, uti id notat *Leo Allatius c. 23. de Engastrimytho. p. 391. Tom. VIII. Critic. Sacror.* quod postea videtur apud Senecam imitatus Oedipus, ut oraculis aliis frustra tentatis, Necromantiam tandem captaret. (4) Mutavit habitum suum. Ubi ex servis suis audivit Saul in Endor adesse mulierem Pythone præditam, tum iter aggreditur, & depositô habitu Regiô, alias vulgares vestes induit, ne ipse ab ista muliere agnosceretur. Duobus igitur stipatus ministris abijt, & ad feminam istam venit nocte. *Jacobus Salianus Tom. 3. Annal.* anno mundi *2979. Sicut in Endor furtim ventum fuisse ex eo colligitur, quod planè jejuni venerant, nullo in loco cibi causa subsistentes, ne agniti periclitarentur; ita ex nocturno reditu satis intelligitur, tenebrarum securitatem fuisse captatam.* (5) *Dixit Saul mulieri: Divina mihi per Pythonem.* quasi dicat, si quam habes divinationem in Pythone mihi manifesta: scio quidem, divinationes à Deo esse prohibitas, cùm etiam & ipse Edicto ariolatores & divinatores è regione sancta exterminaverim; attamen, quoniam à Deo sum derelictus, & futuri eventus notitiá mihi parare non possum aliter, quàm per spiritum Pythonicum, ideo cogor ex *necessitate, quæ facit licitum quod illicitum est in lege c. 4. Ext. de R. J.* per artem divinatoriam experiri, quocunque demum modo res calamitosa succedere queat. (6) *Ecce tu nosti, inquit mulier, quanta fecerit Saul.* &c. Mulier istæc se excusat, ex Edicto Saulis, quô ejecti sint è regione sancta ariolatores & Pythonici. Noxias itaque artes istas, & jure prohibitas agnoscit; quin timore propriæ necis fatetur, ea, quæ ipsi ignotus Saul efflagitabat, mortem promereri. Et sanè non paruisset Sauli petenti, nisi ipse jurejurandô interpositô fidem mulieri dedisset, quod nihil periculi ex hoc actu ipsi pertimescendum foret. Mirum est, quòd Saul Dominum,

num, quem ipse dereliquerat, & à quo vicissim ob improbitatem derelictus erat, in testimonium tàm nefandi flagitij vocet. (7) *Quem suscitabo Tibi?* Mulier ex Jurejurando Saulis contra periculum secura tandem scire vult, quemnam ipsa evocare debeat? Magnum autem hîc versabatur in animo Saulis dilemma: nam si Pythonissæ parco? Domini imperium & legem violo, utpote qui præcepit, ut ejusmodi mali homines de terra tollantur. Si non parco? tum juris jurandi religionem violo, juravi namque, & in securitatem, ne ei quicquam mali eo nomine accidere posset, Dei nomen in testimonium adhibui. (8) *Qui ait: Samuelem mihi suscita.* Saul statim respondet mulieri, quemnam scilicet ipsa evocare debeat, Samuelem namque vult produci, à quo erat inauguratus Rex, & è cujus informatione in regenda Republica sacra ipse quondam dependebat. Certò siquidem persvasum sibi habebat, fore, ut si cum illo posset colloqui, certum imminentis periculi exitum ab ipso perdiscere satis posset. (9) *Quare imposuisti mihi? tu es Saul.* Leo Allatius *d. l. p. 391.* ita ad hæc verba commentatur: Cùm mulier magicis artibus utens vidisset formam Samuelis, quem ipsa è præcepto Saulis elicere tentabat, quemque, uti antea, sicuti verisimile est, dum viveret cognitum ex ipso adspectu cognovit: *consulentem esse Saulem cognovisse ex ipso habitu formaq; suscitationis, & illa traditione Hebraeorum probabile est:* Cum scilicet vidisset Samuelem à capite surgere, ratiocinata est, eum, qui in Pythone divinationem exposcebat, Saulem esse. Quoniam verò Saul juxta formam Pythonicarum observationum ascendit: ideo Saul venit in cognitionem mulieris. Non ergo isthæc figura apparens jussu Dei ascendit, aliàs regulas Magorum non observasset, ut proinde is, qui ascendit, Dæmon fuerit sub specie Samuelis. Hinc ubi illud mulier vidit, velut periculo imminenti attonita, quasi quæ decepta esset, magna voce exclamavit: Quare mihi imposuisti? Tu enim es Saul. Decepta siquidem sum, utpote, quæ Te non Regem, sed immutato habitu, qui satis vulgaris videbatur, privatum hominem arbitrata sum. (10) *Dixit ei Rex? noli timere, quid vidisti?* Quasi dicat Saul Etiamsi autoritate Regiâ interdixerim, ne ejusmodi homines tolerentur; sed è meo territorio & terra sancta penitus exterminentur, noli tamen propterea timere. Rex ego sum, qui licet Edictum promulgaverim, possum de eo dispensare, & ex singulari causâ, uti hæc præsens est, à vi istius obligationis Te eximere. Timor itaque nullus est, quem ob hanc meam legem prohibitoriam concepisti. Ego jubeo, ut arte

tua in hoc casu & quidem ad meam informationem utaris. Saltem dic mihi, *quid vidisti?* ut scire possim, an incantationibus tuis eum mihi evocaveris, quem ego desideravi. Sollicitus tantùm fuit Saul de eo ex cujus prædictione saltem de futuræ rei successu volebat fieri certior. (11) *Deos vidi ascendentes de terra: dixitq; ei, qualis est forma ejus? quæ ait: Vir senex ascendit.* Addit *Leo Allatius fol. 392. d. libr.* viderat mulier, dum artem Pythonicam exercebat, multas ejusque varias formas ac Dæmonis fallacias; attamen tàm certa non erat, ut Samuelem Sauli approbaret. Ideo rursus Saul petit ab ipsa, ut magis distinctè aspectum & formam Samuelis deprehendere, & eò securius à Samuele, quod desiderabat, cognoscere posset. Descripsit tamen Samuelem ex habitu, quô antea fuit usus, & qui ipsi adhuc erat cognitus. Saul verò, ubi audivit, qualis esset, qui ascenderet, statim ex ipsa descriptione potuit percipere, illum esse Samuelem, quem alloqui desideraret. Non quidem scriptura asseverat, verum Samuelem fuisse, qui comparuerit; sed illa loquitur ex opinione Saulis verum Samuelem beneficio artis magicæ evocatum fuisse existimantis, quippe qui in eo fuit errore: ac si virtute incantationis potuerit Samuelis anima provocari, & ad oraculum interroganti reddendum sisti. (12) *Saul inclinavit se in faciem suam & adoravit.* Nam falsa ista opinione deceptus inclinatus Saul Dæmonem, quem Samuelem Prophetam esse existimabat adoravit scilicet civiliter, more apud populos Orientales usitato. (13) *Dixit autem Samuel ad Saulem*; ille nimirum personatus Samuel, quem Saul verum, eumque à Pythonissa evocatum esse credebat. Verba autem quæ ad Saulem locutus est, hæc sunt: *Quare inquietâsti me ut suscitarer?* quæ nunquam protulisset verus Samuel, si ipse fuisset evocatus. Talis enim turbatio aut inquietatio animarum beatarum & in sinu Abrahæ degentium non dependet à potestate & arbitrio Dæmonis, quasi ipse eas è loco quietis & pacis educere, easque molestis hominum negotijs implicare possit. Deinde si verus Samuel locutus fuisset, numquam ille voluntatem & jussum Dei, vel etiam divinæ Majestatis obedientiam vocasset *inquietationem*. Si enim ipsi Angeli Deo, ut ita loquar, ad nutum obsequuntur, quare non & animæ beatorum ad obsequium Deo sint devinctæ, ut si velit ipse, etiam & illæ apparere cogantur & quidem absque omni inquietatione. Manifestum itaque videtur testimonium, quòd verus Samuel à muliere fatidica non sit productus. (14) *Respondet Saul: coarctor nimis, quoniam Philistæi pugnant adversum me, & Deus recessit à me, & exaudire me noluit. Vocavi ergo Te, ut osten-*

ostenderes mihi, quid faciam. Causam istius evocationis exhibet triplicem (1) *Angustias & calamitates*, in quas ob bellum Philistæorum inciderat. Magno siquidem exercitu illi contra Saulem & populum Israeliticum advenerant ad pugnandum, (2) *Derelictionem Dei*: Deus inquit, recessit à me. Quod inde voluit ostendere, quoniam preces meas non exaudivit, neque respondit mihi vel per Prophetam, vel per Sacerdotem, vel etiam per somnia. Unde nihil certius inde colligere possum, quàm Deum à me recessisse. (3) *Propositum cognoscendi instantis prælii eventum* Ideo, ait, vocavi te, quia omni ope & auxilio destitutus mihimet ipsi consulere nequeo, ut tu mihi suppeditares consilium, quomodo me in tantis angustijs & difficultatibus gerere debeam. *Iohann. Sarisberiens. l. 2. c. 27. p. 157. de Nug. Curial. Philos.* ait, perinde esse, ac si Saul dixisset: *In desperationis abyssum sum præcipitatus. Impugnant homines: deserit Deus: ideo ad Te confugio, ut quasi doctor discipulum doceas, quid me in tanta angustia oporteat facere.* Ego existimo tormentum maximum, quô cruciabatur Saul, illud fuisse, quòd doleret se à Deo esse derelictum, & subinde sibi persuasum haberet, nullum locum pœnitentiæ fore reliquum, sed omnem divinam gratiam sibi penitus esse denegatam & præcisam. (15) Sauli respondet præsumtus Samuel: *Quid interrogas me cum Dominus à te recesserit?* si Dominus à Te recessit, frustra me interrogas. Nihilominus Dæmon fingit se Samuelem esse & repetit, quæ antea à vero Samuele jussu Dei ob improbitatem Saulis irati ipsi erant denunciata; deinde prædixit infelicem pugnæ exitum & mortem Regis Saulis valde miserabilem. Vide, quæ habet *Leo Allatius c. 18. de Engastrimytho. p. 373. 374. in Tom. VIII. Critic. Sacror.* In quo ibidem, *fol. 303. & seqq.* continetur *Michaelis Rothardi* Dissertatio de Samuelis Apparitione, & Saulis violento obitu. In quo prolixè defendit sententiam posteriorem, qua statuitur: Samuelem verum, aut ejus animam non apparuisse: sed Dæmonium aliquod sub specie seu figura Saulis à Pythonissa in Endor fuisse evocatum. E verbis S. Scripturæ nunc quidem oppidò patet: quòd Samuel esse non potuerit, qui ope incantationis evocatus cum Saule locutus est. Superest ut paucis unum vel alterum videamus argumentum 1. Si verus Samuel fuit, qui apparuit, tum vel ope incantatricis in Endor evocatus est: vel jussu Dei se stitit Sauli ad denunciandum ei illud, quod brevi esset subsecuturum? *Primum dici non potest*: quandoquidem Dæmon nullam habet potestatem beatas animas pro arbitrio è sedibus suis evocandi. Unde etiam illa Incantatrix,

tatrix ope suæ artis animam Samuelis in sinu Abrahæ quiescentem producere, eamque Sauli sistere nequivit: quod urget *Iohan. VVierus l. 2. c. 9. p. 185 de Præstig. Dæmon.* Neque *posterius* affirmari potest: si enim Deus noluit Sauli precanti vel per Prophetas aut Sacerdotes adhuc viventes, vel per insomnia respondere, quomodo tum commotus fuisset, ut animam Samuelis pijssimi olim vatis ad incantationem istius mulieris Pythonem habentis, & in vetitæ artis exercitio occupatæ jussisset redire in terram, ad denunciandum rejecto Sauli successum & eventum instantis pugnæ, & infelicem ipsius mortem? 2. Notanda sunt verba, quæ fictus Samuel loquitur; *Cras Tu & filij Tui mecum eritis.* Si fuit verus Samuel, tum prædixit Sauli æternam beatitudinem, in cujus statu jam tum erat: verbum namque *Mecum* nihil aliud importat. Aut si hic sensus in illis lateat; *cras morieris, & similis eris mihi, utpote qui sum mortuus*: tum ambiguè locutus est Samuel apparens, cujusmodi verborum ambiguitatem Prophetarum vaticiniis non deprehendi firmissimè statuo. Et quare non dixisset Samuel iste potius: *Cras morieris*, quàm *Cras mecum eris cum tuis filiis.* Quod si verò verba istæc significare debent Saulis præter vitæ hujus interitum æternam ipsi imminentem damnationem, tum verus Samuel falsum dixisset, quippe qui non fuit damnatus: neque etiam potuisset salvo Dei honore illud dicere. Deus namque nemini indicat, aut denunciari jubet damnationem, ita, ut ei omnis gratia, misericordia, & clementia etiamsi spes pœnitentiæ subesse possit, denegata esse debeat. Ego sanè nullus dubito, Salvis aliorum judiciis, etiamsi Saul à Deo istis modis, prout quidem desideravit, non fuisset auditus, ipsum tamen non statim excidisse gratia divina, ita, ut finaliter debuerit desperare, & omnibus mediis, etiam vera pœnitentia, adhibitis, nihilominus damnari. Equidem dicit Iehova more hominum: *Pœnitet me, quòd Saulem fecerim Regem*: nullibi tamen dicit quòd illum ita rejecerit, ut in æternum damnari debuerit. Quapropter vel exinde elucet, verum Samuelem non apparuisse Sauli. 3. Samuel iste passus est se adorari à Saule: verùm Si Samuel Propheta apparuisset, nunquam passus fuisset, ut adoraretur à Saule. Angeli enim, qui se conservos vocant, cjusmodi adorationem, quæ soli Deo debetur, non admittunt, quo pacto itaq; anima Saulis utut in beatorũ statum recepta, cũm minoris tertean sit dignitatis, istam adorationem admittere potuerit? Et quod hæc adoratio non fuerit merè re civilis, inde patet, nonnulli volunt, quia directa fuit ad Deos istos ascendentes, quos Pythonissa Sauli indicabat. Vide *Leon. Allatium c. 23. fol. 398. de Engastrimytho in Tom. 8. Critic. Sacror.* Nam non possumus facere cum *Galatino*, qui *Lib. 6. c. 8.* scribit. *Non dici in S. textu, quòd Saul Samuelem adoravit, sed solùm* quod adoravit, *nempe Deum tunc & non Samuelem.* Enimverò si Saul adoravit, necesse est, ut habuerit objectum ad quod se adoratio extenderet. Illud objectum vel est Deus, vel aliud quoddam? Non *Deus*, quippe à quo se rejectum querebatur, & ideo quod ab ipso derelictus esset, non Deum, sed Samuelem alloqui voluit. Ergo est *Samuel*, cui Saul istum adorationis honorem exhibet: illum namque evocari petierat. Verùm Samuel nunquam ita se adorari fuisset passus, si ipse revera fuisset evocatus, & Sauli Regi se stitisset. 4. Addunt nonnulli *prædictionis falsitatem*, cum Saul non statim insequente die sed triduo post istud vaticinium fuerit mortuus. Plura qui velit scire, poterit consulere *Leon: Allatium c. 18 & 23. de Engastrim fol. 374. & 402 in Tom. VIII. Critic. Sacror.*

FINIS.



LIBRI TERTII, QVI AGIT DE SIBYLLIS, EARUMQVE VATICINIIS,

CAPUT I. DE NOMINE SIBYLLÆ

I.

POstquam in libris duobus, quantum equidem ob concatenatos labores, quibus ferè absque intermissione distringor, hactenus licuit, argumentum de Gentilium Oraculis paulò fusius pertractavi, cùm eo autem doctrina de Sibyllis à tot annorum decursu celeberrimis & in arte vaticinandi clarissimis feminabus quandam habet affinitatem; ideo operæ pretium esse duxi, & illam insignem materiam, in qua eximia multa, multa quoque rara & curiosa occurrunt, simul explicare. Certè si vera sunt, quæ de illis circumferuntur carmina, nefas esse censui in illarum vaticinia non inquirere, utpote, quibus longè clarius quàm ullius Prophetæ prædictione nativitas & officium Messiæ, ut & alia multa describuntur. Quod quoque non paucis suspicionem injecit, ita, ut ipsi diffidere cœperint: Numquid Deus gentibus, quàm electo suo populo maluerit ejusmodi vaticinium de Adventu Messiæ manifestare? Alij tamen etiam magnæ autoritatis viri isti sententiæ ab antiquis quibusdam pariter & recentioribus probatæ firmiter insistunt, genuina illa esse carmina, quæ Sibyllarum esse perhibentur, docentes. Argumenta, quibus ipsi utuntur, non sunt contemnenda. Sed magnam verita-

tis speciem præ se ferunt, ita ut multi ea suo calculo probaverint, & pro genuinis agnoverint, agnoscant hodieque: Quorum rationes infra patebunt.

II. Sibyllæ vocabulum origine sua, ut volunt, est Græcum, quasi Σιοβȣλὴ Æolica Dialecto ita dictum. Æoles namque Deum vocant Σιὸν: ut ita vox istæc composita sit ex Σιὸς & βȣλὴ, & perinde sit ac Σιοβȣ́λη, Dei consilium aut mens. *Marcus Varro* ait: Σιȣ̀ς Deos, non Θεȣ̀ς, & consilium non βȣλὴν, sed βυλὴν appellabant Æolico genere sermonis. Itaque Σίβυλλαν dictam esse quasi Σιοβύλην. Locus extat apud *Lactantium l. 1 c. 6. p. 31. Divin. Institut.* Cujus derivationem probant *Ludovicus Vives ad Lib. 18. cap. 23. fol. 1801. Augustini de Civit. Dei. Rosinus l. 3. cap. 24. p. 495. Antiqu. Roman.* & nonnulli alij. A quibus tamen dissentit *Claudius Salmasius*, qui docet: vocabulum Sibyllæ esse simplex non verò compositum nomen: & vocem Σιὸς pro Θεὸς non esse Æolicum, sed Laconicum. Quod probare vult autoritate Hesychii: Σιὸς Θεὸς Λάκωνες. Sicuti & Laconicè Ἀσάνα dicitur pro Ἀθάνα: at Æoles θ mutabant in φ, uti θερμὸς. φερμὸς; unde Latinum *fermus*, *calidus*. Θύπης, Φύπης, inde Latinum *Popa*, *Victimarius*. Deinde nulla Sibylla fuit Æolica, ut ita non necessum fuerit nomen istud ex Æolicis vocibus componere. Nam Cumæa Sibylla non ex Cyme Æolide; sed ex Italicis Cumis ortum duxit. Quam sententiam apud alios vix invenire licebit, nisi quod *Ionas Velisius in l. 3. c. 14. p. 218. Criticar. Lection.* veterem istam vocis originationem improbet, & perinde, uti Salmasius, eam ab Æolicis vocibus non esse arcessendam statuat. Putat itaque simplex esse vocabulum, sed Græcum: atque denotare aliquid singulare, nempe *manifestationem divini consilii*: cùm & alia nomina propria quantumvis simplicia, certum tamen quid significent, quorum ingentem catalogum ibidem recenset. In libro isto multa observavi non omnibus obvia: illud unicum desidero, quod dissentientes, aut non omnia acutè penetrantes dictionis acerbitate lacessat, quasi tantum piaculum sit, in lectione unius aut alterius loci apud hunc vel istum autorem reperti aberrare, vel diversum exinde elicere sensum atque faciunt alij. Error sanè in ambiguis & obscuris publicis in scriptis cum jactura existimationis & honoris ita exagitari non meretur, cùm careat malitia, nec in dissentientis injuriam

vel-

vergat opinio diversa. Hæc ubi scripseram incidi in locum *Virgilii lib. 3. Æneid. v. 452.* ad quem *Cerda* commentatus est, quæ à Salmasij opinione non multum abeunt, *fol. 333* Nam, ait, Quos Latini dicunt Deos, & Græci Θεὺς Dores & Lacedæmonij vocabant Σιὺς. Sed imprimis ita nominabant Castorem & Pollucem. Aristophanes in *Irene* : Καὶ τὼ Σιώ: Ubi scholiastes τὺς Διοσκέρυς οἱ Λακεδαιμόνιοι ἔλεγον Σιὺς. Id est, Dioscuros, seu Castorem & Pollucem vocabant Lacedæmonij Deos. Putant itaque aliqui *Sibyllas ita dictas Idiomate Lacedæmonio, quasi Thybyllas, ut per Sibyllas significentur parvæ quædam Deæ forma diminuente.*

III. Vocabulum Sibyllæ, uti apparet, est nomen officij, & denotat eam mulierem, quæ spiritu fatidico prædita futura prædicit. Qua de re egregiè scribit *Isidor. l. 8. c. 8. p. 1019. Origin.* & quidem verbis sequentibus: *Sibyllæ generaliter dicuntur omnes feminæ vates lingua Græca. Nam* Σιὸς *Æolico sermone Deum;* βυλὴν *Græci mentem nuncupant, quasi Dei mentem. Proinde igitur, quia divinam voluntatem hominibus interpretari solebant, Sibyllæ nominatæ sunt. Sicut enim omnis vir prophetans vel vates dicitur, vel propheta: ita omnis femina prophetans Sibylla vocatur. Quod nomen ex officio, non ex proprietate vocabuli est.* Hæc ita Isidorus. Suidas dicit: vocem Sibyllæ esse Romanam, quæ significat prophetam. *Autor Notar. ad l. 1. c. 6. Lactantii pag. 31.* adducit locum ex Antimach. de Oracul. Sibyllinis, quem adscribere non pigebit: Σίβυλλα δὲ ῥωμαϊκὴ λέξις ἑρμηνευομένη προφῆτις, ἡ γύνη μάντις. ὅθεν ἑνὶ ὀνόματι αἱ θήλειαι μάντιδες ὠνομάσθησαν. Sibylla est dictio Romana, quæ per interpretationem denotat Prophetissam, seu mulierem vatem: aut virtute divinandi præditam. Unde uno nomine mulieres vates appellatæ sunt Sibyllæ. Quo cum facit *Servius ad l. 3. Æneid.* Sibylla dicitur omnis puella, cujus pectus Numen recepit. Quod quidam trahunt ad Sacerdotes Oraculorum, quæ, receptô in corpus suum spiritu fatidicô, divinare solebant. Sed, quantumvis vocabulum eousque extendi possit; attamen Sibyllæ & illæ quoque mulieres vocantur, quæ vaticinando prædicunt futura, etiamsi non simul sint Oraculorum Interpretes. Hinc *Servius ad lib. 6. Æneid. Virgil.* describit, quid propriè Sibylla sit? Scilicet, *cui Deus magnam mentem & animum inspirat.* Jam potuit Deus mulieribus istis magnum animum inspirare, licèt ipsæ munere Sacerdotali in exponendis Oraculis non defungerentur. Ut ita officium istud interpretandi Oracula potuerit

esse separatum à munere prophetandi. Quod patet è præclaro testimonio *Platonis in Phædro fol. 1220.* quod dignum est, ut hîc inseratur. Εἰ μὲν γὰρ ἦν ἁπλοῦν τὸ μανίαν κακὸν εἶναι, καλῶς ἂν ἐλέγετο. Νῦν δὲ τὰ μέγιστα τῶν ἀγαθῶν ἡμῖν γίγνεται διὰ μανίας, θείᾳ μέντοι δόσει διδομένης. ἥτε γὰρ δὴ ἐν Δελφοῖς προφῆτις, αἵ τ' ἐν Δωδώνῃ ἱέρειαι μανεῖσαι μὲν πολλὰ δὴ καὶ καλὰ ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ τὴν Ἑλλάδα εἰργάσαντο, σωφρονοῦσαι δὲ βραχέα ἢ οὐδέν. καὶ ἐὰν δὴ λέγωμεν Σίβυλλάν τε, καὶ ἄλλους ὅσοι μαντικῇ χρώμενοι ἐνθέῳ, πολλὰ δὲ πολλοῖς προὔλεγον εἰς τὸ μέλλον ὀρθῶς, μηκύνοιμεν ἄν, δῆλα παντὶ λέγοντες. Interpretatio *Marsilii Ficini* ita se habet: *Si simpliciter verum esset, furorem esse malum, rectè à nobis dictum fuisset. Nunc autem maxima bona nobis fiunt per furorem divino quodam munere concessum. Nam & quæ in Delphis futura prædixit vates, & quæ in Dodona Sacerdotes, furentes quidem multa ac magna commoda privatim & publicè Græcis hominibus attulerunt: sanæ verò dum sunt, exigua aut nulla. Quod si referamus Sibyllam, & alios, quicunque divino sunt vaticinio, quàm multa prædicentes in futurum profuerint, prolixum nimis extenderemus sermonem, & rem manifestam omnibus proferremus.* Huc usque Plato! Certè res ipsa testatur, aliud esse divino furore corripi & ita Oracula proferre, sicuti Delphis potissimùm erat usitatum: aliud verò vaticinari, & vaticinando prædicere futura, quod etiam absq; obsessione corporali Dæmonis, & immisso furore omninò fieri poterit. Quò etiam tendit *Ionas Velsius in d. cap. p. 219.* Ubi ita concludit: *Officium propheticum sustinuisse Sibyllas dixerim, non tamen more Sacerdotum, quæ interpretabantur Oracula: sed quæ ex inspiratione divina futurarum rerum eventus carminicè exponebant. Quâ tamen in re magnum sese exserit discrimen. Nam Sacerdotes vaticinantes recepto in corpus spiritu fatidico velut in furorem actæ mentem Oraculi exponebant; At Sibyllæ furoris expertes futura, annunciabant, quæ ipsis erant inspirata vel communicata.* Vult itaque in eo simpliciter discrimen ponere. 1. Quod Sacerdotes mulieres, uti Pythia & aliæ ad requisitionem mentem & sensum Oraculi interpretarentur consulentibus: Sibyllæ verò etiam absq; interrogatione prævia futurorum eventum prædicerent. 2. Sacerdos Pythia à Dæmone obsessa munere interpretis fungeretur: Sibyllæ verò à Dæmone non obsiderentur corporaliter, sed extra talem affectum vaticinarentur. De quo in fine hujus capitis aliquid attingam. 3. Sacerdotes istæ sæpe non intelligerent, quæ proferrent, unde non rarò

Verba

Verba furoris loqui perhibentur: Sibyllæ tamen procul ab insania remotæ, quid loquererentur, probe intellexerint. Et licèt Poëtis furor, insania, aut simile quid tribuatur; illud tamen eo sensu non potest accipi, ac si reapse in rabiem ipsi agitati insaniverint, & ita carmina fecerint: sed quòd divino velut afflatu perculsi aliquid divinius suis carminibus proferre crederentur. Numquid autem Sibyllæ extra se raptæ velut in Ecstasi jacuerint, quod nonnulli volunt non dixerim. Nam nec aut vates, semper ad accipiendum vaticinium ecstasin passi sunt: Sed apud se constituti divinæ ipsis factæ sunt revelationes, etiam apud Ethnicos, etiamsi in explicandis Oraculis aliquid ipsis contigerit, quod humanis viribus fuerit aliàs convenire non posset.

Sed. IV. missis istis, Sibyllæ fuerunt feminæ spiritu fatidico præditæ, quæ futurorum eventum partim viva voce prædixerunt: partim quoque in literas retulerunt, & quidem ex inspiratione divina. Nam (1.) Quod ex inspiratione divina locutæ sint, volunt aliqui ex nominis ratione probare. Dicuntur enim ipsæ velut *consilium Dei*, non quod à Deo ad hibeantur in consilium, sed quod consilium divinum ipsis à Deo communicatum & patefactum hominibus manifestent. Inde etiam dicuntur mentem & voluntatem Dei hominibus aperire: & ideo, teste *Isidoro* dicto loco, appellatæ sunt Sibyllæ, *quod divinam voluntatem hominibus interpretentur*. Et Scholiastes *Aristophanis*, quem locum affert *Ionas Velisius* in adducto capite *pag. 220. & 221.* scribit: αἱ Σίβυλλαι θήλειαί εἰσιν ἑρμηνευόμεναι τὸ θέλημα τῶν θεῶν. Sibyllæ mulieres sunt interpretes voluntatis divinæ. (2) Cum itaque ex inspiratione divina locutæ sint, utique habuerunt subinde & spiritum fatidicum à quô ipsis manifestaretur, quid ipsæ prophetare deberent; cùm absque communicatione secretiore futurarum rerum notitiam nec facilè habere, nec aliis prædicere potuerint. (3.) Futura partim prædixerunt, vel alia quædam oculta interrogantibus manifestarunt: partim quoque in literas retulerunt. Sicuti infra, ubi de libris Sibyllinis acturi sumus, id abundè monstrabitur.

Non tamen, V. hæ Sibyllæ certum quoddam habuerunt collegium, sed in distinctis locis, & diversis temporibus vixerunt; tantum omnes istæ, quotquot tandem fuerunt, Sibyllæ dictæ sunt ob munus vaticinandi, quod ipsæ utpote spiritu fatidico instructæ exercuerunt, hominibusque ad se venientibus futura, vel alia quædam occulta, quæ consulentes scire desiderarunt, aperuerunt, vel etiam futurarum re-

sunt, sed apud diversas gentes & populos ob artem istam fatidicam nomen Sibyllæ sunt indeptæ. Nam, uti *Peucer. de Divinat. scribit p. 264.* Singulas pene gentes singulas habuisse Sibyllas. Id saltem discriminis licet inter divinatrices nostras & Sibyllas antiquas constituere, quòd Sibyllæ habitæ fuerint tanquam vates & Prophetissæ singulari Numinis afflatu præditæ, quibus divinitus illud munus futura & occulta manifestandi velut singulari quodam dono præ cœteris fuerit concessum: at nostræ divinatrices judicantur artem vetitam exercere, & quidem ex pacto cum Dæmone inito. Deinde Sibyllæ istam vaticinandi artem publicè tractabant, & homines undiquaque ad EAS confluebant, ut futurorum aut abditorum notitiam ab ijs consequerentur: Verùm ad nostras divinatrices clàm accedunt superstitiosi. Homines namque prudentes, & qui intelligunt, Diabolum nec consulendum, nec ab eo veritatem expectandam esse, talia divinationum genera aversantur. Præterea olim Sibyllæ tantum abest, ut propter istam divinandi peritiam periculo essent expositæ, ut potius in magna apud omnes veneratione vixerint: at nostræ divinatrices, si palam fiat, quòd vetita istac arte utantur, solent ad carcerem, & in eo ad quæstionem vocari. Propterea, quòd cessante vanâ & insipidâ istac superstitione, quâ olim dementati erant homines, constet omnibus probis, ejusmodi prædictiones, aut manifestationes non nisi à Dæmone ortum trahere, adeóque ex pacto illicito & nefario provenire: qualia pacta in republica eorum, qui ex recta ratione saltem vivere volunt, imò debent, neutiquam toleranda sunt. Quod saltem afferre libuit, ut melius comprehendi posset, quomodo Sibyllarum conditio esset comparata, quòd licèt unum nomen commune habuerint, citra collegium tamen publicum non in eodem, sed in distinctis locis habitaverint. Nunquid interea nostræ divinatrices clandestinam Societatem habeant, illud quidem hic dicere nihil attinet.

VI. Quod *Ionas Velisius l.3. c. 14. p. 219. Critic. Lection.* existimat, Sibyllas à spiritu fatidico nec correptas, nec eodem repletas fuisse eo tempore, quo ipsæ interrogantibus darent responsa, sed in hoc esse discrimen inter ipsas & Pythias seu Sacerdotes Oraculorum Interpretes, in eo quidem per omnia ipsi non assentientur alij: nam quin & Sibyllæ quódammodo occupatæ fuerint à spiritu cùm debuerint vaticinium edere, alii fatentur. Etsi hoc subinde concedendum sit, aliquam differentiam in modo occupandi aut obsidendi feminas

istas

istas sese exseruisse. Sibyllas tamen à Dæmone fuisse correptas, & occupatas videtur deprehendi apud *Diodor. Sicul lib. 4 p. 269.* Ubi loquitur de Daphne Tiresiæ filia. Αὕτη δὲ τὴν μαντικὴν τοῦ πατρὸς οὐδὲν ἧττον εἰδυῖα πολὺ μᾶλλον ἐν τοῖς Δελφοῖς διατρίψασα τὴν τέχνην ἐπηύξησε. Φύσει δὲ θαυμαστῇ κεχορηγημένη χρησμοὺς ἔγραψε παντοδαποὺς διαφέρους ταῖς κατασκευαῖς. Παρ' ἧς φασὶ καὶ τὴν ποιητὴν Ὅμηρον πολλὰ τῶν ἐπῶν σφετερισάμενον κοσμῆσαι τὴν ἰδίαν ποίησιν. Ἐνθεαζούσης δ' αὐτῆς πολλάκις καὶ χρησμοὺς ἀποφαινομένης φασὶν ἐπικληθῆναι σίβυλλαν. Τὸ γὰρ ἐνθεάζειν κατὰ γλῶσσαν ὑπάρχειν σιβυλλαίνειν. Id est: *Hæc divinandi scientia patri non cedens magna eius, dum inter Delphos agit, incrementa fecit. Mira quadam puellæ indoles fuit, variisq; Oraculis singulari artificio conscribendis operam dedit. A qua non pauca mutuatus carmina Homerus Poëta ad poëseos suæ ornatum transtulit. Hæc quod sæpius divino correpta afflatu sortes funderet, Sibyllæ cognomentum accepit. Numine enim afflari quadam Græcorum Dialecto σιβυλλαίνειν, id est, Sibyllam agere dicitur.* Quo è loco apparet, quòd & Sibyllæ interdum divino afflatu correptæ fuerint: Illudque etiam vix negare audeam. Verùm cùm istæ mulieres divino spiritu impletæ juxta fidem gentilium fuerint repletæ; interim non constet an fanatico furore semper agitatæ prædixerint futura, quin potius sana mente & ipsas vaticinatas fuisse more Prophetarum lubens concesserim. Non refragabor itaque, si quis dicat: Sibyllas duplici modo & occulta manifestasse, & futura aperuisse interrogantibus. (1.) *Quatenus furore divino correptæ futura prædixerint, aut abdita manifestaverint, & velut extra se positæ non intellexerint, quæ ipsæ aliis exponerent.* Verùm istum modum non ita frequentem esse dicunt alii, quòd rara in historiis istius extent exempla; interim quæ ab ipsis scripta adhuc supersunt carmina, statum hominis apud se non rectè constituti neutiquam sapiant. (2) *Quatenus divina quadam & superna virtute illuminatæ futura consulentibus manifestaverint.* Sicuti vates divini & à vero Deo electi non furibundi, sed sana mente præditi ea, quæ postmodum essent eventura, prædixerunt. Nec ego video causam, quare ad futurorum prædictionem in vate, aut Sibylla mens non integra desideretur. Quod verò *Diodori* appellationem vocis *Sibyllæ* attinet, ea relinquitur in medio. Et licet ab una fœmina, quæ furore agitata vaticinata fuerit, denominatio Sibyllæ ortum traxisse dicatur; tamen non sequitur omnes illas, quæ ob artem

vatici-

vaticinandi nomen Sibyllæ impetrarunt, in tali conditione furoris fuisse constituta. Denominatio siquidem non statim importat in rebus denominatis modum, qui fuit in re illa, unde primitus denominatio cœpit. Hinc Sibyllæ dictæ sunt vates seu feminæ divinatrices, quæ ab officio divinandi ita appellatæ fuerunt. Sive igitur furore correptæ: sive libero animo è singulari quadam manifestatione: à quocunque demum Numine illa provenerit: vel futura prædixerint, vel occulta & abdita manifestaverint, hoc suo tandem loco relinquetur. Illud saltem vel verbo tangam, ab illis, qui carmina Sibyllina de Christo pro spuriis agnoscunt, hoc pro argumento adduci, quòd feminæ istæ dum vaticinia protulerunt, furore correptæ insanientium instar loquantur, quid dicant, ignaræ Sic ipsa Sibylla fatetur apud *Hoornbeck. l. 2. c. 3. pag. 108. de Convers. Indor.*

Corpore tota stupens trahor huc. ignora quid ipsa
Eloquar: ipse sed hac mandat Deus omnia fari.

Quin alij latius progrediuntur, & putant tum demum Sibyllas munere suo defungi, quando implentur divino spiritu: quod quoque Aristotelis autoritate confirmare volunt, cujus verba sequentia adducuntur. *Cum mulieres implentur spiritu lymphatico, & eo inservescunt, Sibyllæ fiunt, & Bacchæ.* Addunt quoque locum è *Plutarchi libro de Pythiæ Oraculis*, ubi Sibylla dicitur *Ore furente* loqui.

VII. Quæ hactenus copiosè de nomine Sibyllæ, & Sibyllarum munere in medium sunt adducta, non minimam lucem accipient ex ijs, quæ *Georgius Ambianates ad cap. 2. Tertulliani de Monogamia fol. 390.* annotavit, quæ, cùm commentator iste non omnibus sit obvius, hic adscribere non dubito. Ad illa namque verba: *An capiat Paracletum* &c. ita scribit. De homine loquitur cujus auctoritatem respuebant psychici, defendebant paracletici. Observandum est: Nullam religionem sive veram sive falsam fuisse, quæ vaticinio usa non fuerit, seu signó quodam extraordinario *suas habuere Sibyllas* ipsi Gentiles. *Quia omnes fœminæ vates*, ait *Lactantius cap. 6. de fal. Relig. Sibyllæ* sunt à veteribus nuncupatæ à consiliis deorum denunciandis, vult enim Sibyllam dictam esse quasi θεοβούλην, divinæ voluntatis prænunciam. Quanquam alii putent dici Sibyllas idiomate Lacedæmonio quasi θιβύλλας, Deunculas, seu parvas quasdam Deas: quid est enim vaticinatio seu divinatio quàm quædam divinitatis æmulatio? Accedit Hieronymus, quanquam in Lactantij etymon inflectit: Quid

ait *lib. 1. advers. Iovinianum*: referam Sibyllas Erithræam atque Cumanam, & octo reliquas; quarum *insigne est virginitas & virginitatis præmium divinatio.* Quod si Æolico genere sermonis Sibylla appellatur: θεοβούλη, rectè *Consilium Dei sola scribitur nosse virginitas.* Facilius afflantur virgines, & ob puritatem, naturamque spiritui proximam propius inspirantur. Idcirco *Theophilus Antiochensis l. 2.* vocat Sibyllas Gentilium prophetissas & apud *Clementem Alexandrinum orat. exhort. ad Gent. dicitur*: Sibylla prophetica & Poëtica. Quod non solum futura prædiceret; sed & prædictiones versibus digereret.

Quæcunque in foliis descripsit carmina virgo,
Digerit in numerum, atque antro seclusa relinquit.

De Judaicâ religione tàm id notum, quàm quod notissimum. Illud tantùm moneo, dictos in judæis prophetas, non solùm illos, qui futura præfarentur; sed & eos, qui abstrusa & aliis ignota profarentur. Habemus Prophetas, verba sunt Athenagoræ, qui divino spiritu locuti sunt de Deo & Dei rebus: nempe qui abstrusa nudarent, qui arcana revelarent, qui secreta reserarent, mysteria panderent & quod mirum, in rebus anxiis, ne ipsi quidem Pontifices sententiam ferebant, sed Prophetis deferebant. Ita Judas, quanquam summus sacerdos *1. Machab. 4.* Cogitavit de altari holocaustorum, quod profanatum erat quid de eo faceret. Et incidit illis consilium bonum, ut destruerent illud, ne fortè esset illis in opprobrium quia contaminaverunt illud gentes & demoliti sunt illud. Et reposuerunt lapides in monte domus in loco apto, quoadusque veniret propheta & responderet de eis ubi consulendum prophetam judicant. Et si nondum adsit, expectandum. Quod maximè in extraordinariis æquum censetur & insolitis:

Ubi res animos incognita turbat,

Tunc enim ubi media ordinaria desunt ad extraordinaria recurrendum est remedia.

CAPUT II.

DE NUMERO SIBYLLARUM,

I.

QUod Sibyllæ extiterint, id est, mulieres spiritu prophetico, seu, ut accommodatius loquar, fatidico præditæ vixerint, & consulentibus

bus partim occulta detexerint, partim etiam futurorum eventus aperuerint, non tantam in privatorum hominum, verùm etiam in rerumpublicarum negotiis, earumque felici vel infelici administratione, & inde resultante fato quoad earum perennitatem vel mutationem, partim quoque alia prædixerint, hucusque, qui illud temerè negaret, inventus est nemo: verùm de numero Sibyllarum ingens apud antiquos est dissensio. Alij namque unam, sed diversis saltem nominibus appellatam: alij tres: alij sex: alij decem: alij plures statuunt.

II. Quidam dicunt unam fuisse Sibyllam, quam Apollinis & Lamiæ vel Aristocratis & Hydoles: vel Crinagoræ, vel Theodori filiam fuisse eamque Delphis Oracula explicasse tradunt. De cujus patria disputatur inter veteres, quòd alij eam natione Erythræam: alij Rhodiam: alij Samiam vel Sardicam: alij Lybicam, vel Phrygiam, Cumanam, vel Cumæam fuisse strenuè affirment. Inde dicunt tot provinciis inter se de Sibyllæ hujus nativitate certantibus, locum datum fuisse Sibyllarum multitudini, ut, cum una esset, à diversis tamen locis diversam reciperet denominationem, in quibus postmodum (quod juxta hanc hypothesin vero videtur similius) ad tempus vixerint Unde, uti non malè scribit *Ianus Boissardus in lib. de Divinat. fol. 197.* In tanta scriptorum varietate *liberum relinquitur lectori credere, an una & eadem diversis in regionibus peregrinata cognomen sortita sit ab iis locis, ubi Oracula redaidisse comperitur.* Nam cùm Sibylla per varia loca sit peregrinata, & apud quosdam populos substiterit, ibique vaticinata, sua quoque vaticinia carminibus complexa sit; ideo ab istis locis, in quibus commorata, & oracula edidisse fertur, peculiarem quoque appellationem sortita esse creditur. Causam isti opinioni præbuisse videtur Plinius *l. 7 cap 33. Histor. Natur. fol 124. Divinitas*, inquit, *& quædam cœlitum societas nobilissima ex feminis in Sibylla fuit.* Verum si verba istæc rectè examinantur, ex isto sanè testimonio non potest validè inferri, quòd una saltem Sibylla fuerit. Nam (1) non dicit unam Sibyllam, sed saltem divinitatem, & cœlitum quandam nobilissimam societatem in Sibylla fuisse. Unde ad unius Sibyllæ existentiam concludere non licet. (2) Deinde, quod infra ostendetur, Plinius tres Sibyllas fuisse, statuit, ejusque statuas Romæ pro rostris positas refert *l. 34. cap. 6. fo. 667.*

III. Martianus Capella, quem adducit *Onuphrius Panvinius in libello de Sibyllis*, duas saltem Sibyllas non autem plures fuisse

 existi-

existimat, scilicet: *Eraphilen Troianam Marmesi filiam*, quam eandem esse putat cum Phrygia & Cumæa: alteram *Symachiam* Hipocrensis filiam, quæ in Erythræa nata est, Cumis autem vaticinia reddidisse perhibetur. Procul dubio & ipse arbitratus est, hasce duas reliquarum Sibyllarum denominationem à distinctis locis desumtam sustinuisse, utpote in quibus hæ duæ vixerint, & ibidem consulentibus responsa dederint.

IV. *Plinius l. 34. cap. 6. fol. 657. Natural. Histor.* refert suo tempore tres Sibyllarum statuas Romæ positas fuisse pro rostris, quas tamen ipse non nominat. *Iulius Solinus cap. 8. pag. 204 Polyhist.* etiam trium meminit, & refert: Vnam dictam fuisse *Delphicam*: alteram *Herophilem Erythraam*: tertiam verò *Cumanam*. Quantumvis tamen *Solinus* expressè non agat de Statuis Sibyllarum, quæ pro rostris erant positæ in foro Romano. Et licèt Plinius non nisi trium istarum Sibyllarum meminerit, utpote qui earum celebritatem & insignem memoriam ex istis statuis voluit elicere; is tamen non negat subinde plures istius ordinis fuisse feminas, ut proinde existimē ista quidem; Auctoritate Plinij pro ternario Sibyllarum numero firmum argumentum inferri haut posse. Nec sequitur: Plinius refert tres fuisse Sibyllarum statuas Romæ pro rostris erectas, Ergo tantùm sunt tres Sibyllæ, aut Plinius statuit, non plures fuisse, quàm tres. Etenim qui non plures exprimit, is non statim negat plures esse.

V. *Ælianus l. 12. cap. 35. Variar. Hist. pag. 324.* quatuor posuit Sibyllas, nempe Erythræam, Samiam, Ægyptiam, & Sardianam: alij duas adijciunt, ut numero sex sint ejusmodi feminæ fatidicæ. *Panvinius* in dicto libello de Sibyllis. Duæ istæ adjectæ dicnutur *Iudaa* & *Cumaa*, uti censet *Boissardus in lib. de Divinat. fol. 197.*

VI. Alij decem constituunt, quod etiam fecit Varro, cujus sententiam probavit & secutus est pereruditus *Onuphrius Panvinius* in laudato libro *de Sibyllis*. Prima fuit de Persis, quæ aliàs *Persica* vocatur. Altera dicitur *Lybissa*, vel ut alij legant, *Libyca*. Tertia est *Delphica*: Quarta est *Cumaa* à Cumis oppido Campaniæ in Italia sic appellata, utpote cui loco suos natales ipsam debere existimant. Quinta vocatur *Erythraa*, antiquissima femina. Sexta dicitur *Samia*. Septima est *Cumana*, quæ ab alijs *Amalthea*, ab alijs *Demophile* vel *Herophile* nominatur. Octava est *Hellespontica* in agro Trojano nata vico Marpesso. Nona est *Phrygia*, quæ vaticinata est Ancyræ. Decima est *Tiburtes* seu

Tibur-

Tiburtina. Ita ferè è sententia *Varronis Lactantius lib. 1. c. 6. pag. 33. 34. & 35 Divinar. Instit.* eas numerat, de quibus singulis ordine aliquid in sequentibus capitibus dicendum erit.

VII. Verùm alij adhuc plures quàm decem Sibyllas nominant, quarum tamen mentionem non fecit Varro d. loco. Sunt autem istæ, & quidem *Colophonia*, quam nonnulli vocant *Lampusam*, Calchantis peritissimi quondam in libro secundo hujus operis descripti auguris filia. *Elisa* suo tempore in edendis vaticinijs non minus, quàm reliquæ insignis. *Cassandra* Priami filia, quæ patriæ excidium prædixisse fertur. *Epirotica*, quam nonnulli Phrygiam vocant: alij vero eam ab illa diversam fuisse contendunt, illique nomen *Phaennis* fuisse statuunt, uti ex infra dicendis patebit. *Thessalica Manto* Tiresiæ cœci sed in arte sua excellentis olim Thebani vatis filia. *Carmenta* Evandri Arcadis mater. *Fauna* seu *Fatua* Fauni Italiæ Regis soror pariter & uxor. *Sapho* de qua tamen dubitat *Didymus Grammaticus*, an illa dici Sibylla, & in Sibyllarum numero haberi debeat. *Delbora* mulier Hebræa. *Mariamne* soror Mosis. Et *Olda* conjux Sellemi. Hasce feminas ordini Sibyllarum adscribit *Onuphrius Panvinius*, de quibus postea itidem agemus, ostensuri, an illarum nonnullæ ab alijs planè fuerint distinctæ? an verò cum istis quodammodo conveniant in re ipsa, seu identitate personarum & in nomine saltem sit diversitas?

IIX. Quantumvis igitur sint, qui unam duntaxat Sibyllam fuisse rigidè contendant, & illam, cùm diu vixerit, variisque in locis ac diversis temporibus ediderit Oracula, varijs appellatam esse nominibus; rectius tamen sentiunt, qui tàm egregijs diversorum scriptorum extantibus testimonijs, unâ plures fuisse fatentur. M. Varro antiquus Autor agnovit decem: quam sententiam ipsum absque fundamento, & fide publica temerè arripuisse & propalasse, credibile non est. Leguntur etiam diversarum Sibyllarum carmina diverso planè stylo concepta, (non loquar de carminibus, quibus ipsæ ortum & statum Messiæ cecinisse perhibentur, quippe de quorum veris autoribus magna in hodiernum usque diem inter eruditos controvertitur) quæ arguunt, non ab una sed à distinctis ea fuisse composita. Accedit quoque temporum discrimen, quod quædam inter Sibyllas longe vetustiores sint cœteris, & multa annorum serie eas antecedant: ut ita non possit uni adscribi, quæ tum vivere desiit, ubi reliquæ cœperunt fieri celebres. Neque sententia de Unitate Sibyllæ vel exinde poterit admitti, quod

reliquarum quoque parentes nominentur, item quibus in locis ipsæ vitam degerint: quid peregerint: quænam vaticinia & carmina ediderint: & quod una vel altera in hac vel ista regione vaticinata sit, ad quam altera non pervenerit, ab Historicis enarretur. Proinde non possum assentiri illis, qui unam saltem Sibyllam, sed à diversis locis etiam distinctis nominibus appellatam fuisse existiment, verum plures easque diversas feminas fuisse certissimè statuere audeo.

IX. Quænam verò earum sit prima vel ratione antiquitatis, vel etiam ratione dignitatis & quinam inter eas servandus sit ordo, id equidem dicere, aut ibidem pro certo aliquid statuere nihil attinet. Nonnulli putant: attendendam esse illarum ætatem, & quæ reliquas annorum serie superat, eam primo quoque loco ponendam esse. Verùm cum inter Chronologos nondum certò constet, quænam illarum ratione ætatis primum locum mereatur, sed de ea adhuc illæ controversiæ durent, vel nondum finitæ sint, exinde lubricum argumentum erit, quod ab ætate pro asserenda Sibyllarum unius præ alterà dignitate desumitur. Quod ubi intelligunt alij, illi existimant: *isti Sibyllarum primas partes esse deferendas, qua olim præ cæteris fuerit clarissima.* Non quidem negaverim, eam alteri esse anteferendam, quæ artis excellentia præ altera eminuerit? Sed quænam est illa, quæ excelluit præ reliquis? cum omnes ex eodem spiritu procul dubio futurorum manifestationes acceperint: nec dici possit (utpote hac de re historijs planè silentibus) quænam inter eas & frequentiores & certiores habuerit revelationes, aut ad quam majore copia homines confluxerit ad impetrandam futurarum vel abditarum rerum notitiam consequendam, cùm, uti in superiore capite est ostensum, illæ diversis temporibus, & diversis in locis vixerint, & ita illud certò sciri nequeat. Accedit & illud, quod una Sibylla à quibusdam Scriptoribus distinctis saltem efferatur nominibus, quæ ab alijs tamen tanquam distinctæ censentur personæ. Quò positò Una Sibylla seipsâ erit præstantior & inferior; quod tamen nemo facilè admittet. Neque possumus dicere: Eam Sibyllam esse præstantissimam, quæ sæpius *afflatu divino* correpta est præ altera. Nam si per *afflatum divinum* talis commotio intelligitur, qua Dæmon ipsam Sibyllam occupaverit, uti Pythiam Delphicorum Oraculorum interpretem, tum hic nihil certi poterit statui, quippe quòd nonnulli talem afflatum divinum in Sibyllis vel planè negent, vel eum quodammodo restringant. Verùm si nomine *afflatus divini* intelliga-

telligatur specialis manifestatio, quomodo exinde poterit præstantia unius Sibyllæ præ altera colligi, aut inferri, cùm tale quid commodè non observari, multò minus in literas referri potuerit. Tandem videtur excellentia unius Sibyllæ præ cœteris sumi posse è *Scriptorum ab ipsa editorum multitudine.* Non nego quidem,& olim & hodie viro cuidam erudito præ alijs conciliari posse dignitatem,qui librorum copia sibi famæ immortalitatem parare, eorum subsidio & studijs adolescentum promovendis inservire, vel etiam in usum reipublicæ ejusmodi scripta sistere & exhibere voluerit publicè, quod itidem de Sibyllarum vaticinijs quodammodò affirmarem & ipse, si de eorum certitudine non liceret dubitare: Verumtamen, quia tantopere de illarum scriptis, potissimùm carminibus, quæ à quibusdam collecta hodie extant, inter doctos disceptatur, an eas à Sibyllis fuerint profecta: & libri, quos Romani tanquam divinum thesaurum custodiverunt, eo tempore, quo Capitolium incensum est, unà perierunt, ideo neque hoc modo de Sibyllarum præeminentia poterimus esse certi.

X. Et sanè si verum fateri licet, nihil quicquam huic de Sibyllis doctrinæ decedet, quemcunque demum ordinem inter illas observare quispiam voluerit. Eapropter & ipse, ubi in posterum de Sibyllis sum acturus, de certo quodam ordine sollicitus non ero quin potius operam dabo, ut quæ de ijs dici debeant, & à me pro hoc rerum statu, in medium afferri queant, debita industria explicentur. Interim quia parum ea in re situm est, sequar ordinem Varronis, quem exhibet Lactantius loco ante memorato.

CAPUT III.

DE SIBYLLA PERSICA.

I.

Hæc è Persis dubio procul fuit oriūda, quod vel nominis ratio indicat. Cujus mentionem fecit *Nicanor* qui procul dubio est Alexandrinus iste Grammaticus, qui de rebus gestis Alexandri M. scripsit commentarium, uti illud colligere licet è *Lactantio l. 1. cap. 6. p. 33. Divin. Institut.* Nunquid autem ipsa in Perside vaticinata fuerit, an, quod alij veritati magis

magis consentaneum esse credunt, ibidem ortum traxerit id certis equidem testimoniis affirmare non possum: cùm *Suidas* scribat, eam natam esse ad mare rubrum, in ea urbe, quæ *Noë* appellatur. Alij tamen volunt, quòd illa sit progenita à patre *Beroso* & quidem in urbe Babylone. *Berosus* enim iste perhibetur Erymanthem nobilem matronam habuisse uxorem & ex ea progenuisse hanc Sibyllam. Vixit autem *Berosus* iste tempore Alexandri M. & cum esset Chaldæus, officium Sacerdotale sustinuit Babylone in honorem *Beli* magni quondam Idoli. Et scribit *Tatianus Aßyrius, in Oratione contra Græcos*, teste *Bousardo de Divinat. pag. 238* quod hic Berosus *Antiocho*, qui tertius ab Alexandro regnavit, librum suum de Chaldaica historia confectum obtulerit.

II. Verùm, quicquid sit de hac opinione; quidam reperiuntur, qui negant *Sibyllam Persicam* à dicto *Beroso* tanquam suo Genitore originem suam trahere: quin potius dicunt, ejus natales esse longe vetustiores, eamque esse prognatam à patre clarissimo quondam vate, qui ante tempora belli Trojani vixerit, atque ita, quoad ætatem reliquas antecedere. Cujus parens quidem dictus fuit *Berosus*, sed longè antiquior propheta aut vates, utpote qui ante excidium Trojæ vixerit. Nam alter iste *junior Berosus* apud Græcos extitit clarus, cui etiam ob excellentiam in arte Astronomica, & futurarum rerum prædictiones, ab Atheniensibus erecta est statua linguam inauratam habens, uti id videre licet apud *Plinium l. 7. c. 37. fol. 124. Natural. Histor.* E quo certò inferre volunt: eam è Beroso hoc Astronomo non natam, sed ab antiquiore quodam progenitam fuisse. *Schmidius in Orat. 1 de Sibyllis fol. 1492.* scribit: Tempus quo floruit, etsi vulgò diluvio definiatur: Si tamen verum est, quòd Beroso & Erymante parentibus prognata fuit, longè posteriorem eam esse putabimus.

III. Quidam affirmant hanc Persicam Sibyllam esse Noæ Patriarchæ, qui diluvij tempore undarum impetu in arca hinc inde dejectus est, filiam, vel ut alii volunt, illius *nurum*. Quod è descriptione montis *Ararat* patere dicunt, quippe super quem Arca Noæ subsedisse creditur. In Sibyllinis Oraculis ita res definitur: uti illud tradit *Samuel Bochartus lib. 1. c. 3. fol. 15. Phaleg.*

Ἔστι δέ τις Φρυγίης ἐπὶ ἠπείροιο μελαίνης
Ἠλίβατον τανύμηκες ὄρος, Ἀραρὰτ δὲ καλεῖται
Assurgit Phrygiæ mons quidam in finibus atræ
Arduus, alta petens, Ararat quem nomine dicunt.

Itaque si fides habenda sit Sibyllæ, *in Phrygia* fuit mons Ararat. Quia ut sciatur, in quanam Phrygiæ parte mons iste fuerit situs, tum illud ita exprimitur.

Μαρσύυ ἔνθα φλέβες μεγάλυ ποτάμοιο πέφυκεν

Marsya magnus ubi se prodit origine prima.

Quod verò hæc sit Noæ nurus, illud ipsa fatetur in sequentibus versiculis.

—— Ἔκφυγον αἰπὺν ὄλεθρον

Πολλὰ κλυδωνισθεῖσ' ἅμ' ἐμῷ πόσει, ἠ δαέροσιν

Ἠδ' ἑκυρῷ θ' ἑκυρῇ ὁμονύμφοισίν τε παθῦσα.

—— Fugi discrimina mortis

Cum leviris actata diu, & cum coniuge fido,

Et socero socruq́, & ianitricibus almis.

IV. Hac ratione feminam istam vocant *Sambethen*, quasi *Sem & Japhetis* sororem: qui hac sua appellatione respiciunt ad *Noæ filiam* quasi ipsa ab eo sit procreata. Sed *Ludovicus Vives ad lib. 18. c. 23. p. 861. de Civit. Dei.* hac de Sibylla scribit sequentia: Hanc eandem scilicet feminam Sibyllam dicunt esse Chaldæam, quæ ab alijs nominatur Hebræa, cui proprium nomen *Sambetha*, Noæ, quæ urbs est prope mare rubrum, nata, patre *Beroso*, & matre *Erymanthe*, cujus libri fuerunt quatuor & viginti, quæ de Christo Domino deque *eius adventu*, innumera cecinit, cui quoq; cœteræ Sibyllæ concinunt. Verũ quæ traduntur sunt incerta. Nam (1) vocis originatio nullô vero subnititur fundamento. Enimverò istæc denominatio non succedit, nisi prius constiterit de veritate facti. Jam incertum est, hanc Sibyllam à Noe fuisse prognatam, eamque fuisse *Semi & Saphet* sororem, ut ita de nominis appellatione multum liceat dubitare. Nullum namque istius historiæ de origine *Sambethes* à patre Noa in S Scriptura extat vestigium certè Moses in tàm exiguo hominum ab inundatione in arca servatorum numero vel verbo monuisset, si tàm illustrem filiam habuisset Noa, quæ tot vaticinijs extitisset clara. (2) Quæ incertitudo vel exinde magis elucet, quòd plures putent eam fuisse *Noba nurum*, & ab eo non minus in sapientia eruditam fuisse atque reliquos filios. Illi itaque eam faciunt Noæ nurum & Japheti uxorem. (3) Quæ à Græcis dictæ sunt Sibyllæ, illæ alio nomine ab antiquis Chaldæis appellatæ sunt *Sambethæ*. Qua in opinione fuisse & *Georgium Hornium e l. 2. c. 1. pag. 69. Histor. Philosoph.*

ſvadere nobis volunt : poſt univerſalem inundationem homines tamdiu, uti quondam ante eam, non vixiſſe, ſed tum vires naturæ etiá in hominibus valdè decreviſſe, & annos multum fuiſſe imminutos, ita, ut poſtmodum vix hominis vita ad ſeculum uſque duraverit. Verùm cùm hæc ratio tanquam nondum certa facilè me poſſit ad aliam diſputationem deducere, interim in incertis ſcrupuloſum ſe præbere ſit potius otiô abuti, quàm utile quoddam invenire aut tradere, ideò hîc, quod illam attinet ſententiam, acquieſco; plura tamen attingam infra, ubi de Sibylla Erythræa agetur.

IV. Hæc Sibylla, quæ ſe Noæ nurum appellat, dixit : ſe juſſu divino prophetâſſe, quod ipſa hiſce verſibus exprimit :

—— πάντα γὰρ οἶδεν
ἀθάνατος σωτὴρ πανεπίσκοπος, ὅς μ' ἐκέλευσεν
ἀγγέλλειν ὑμῖν, ἵνα μὴ φρεσὶν ἐφαπολῆσθαι.

—— Omnia namque ſcit
Immortalis Salvator, qui omnia obſervat, quiq; mihi præcepit
Annunciare vobis, ne mentibus pereatis.

Quo de mandato vaticinandi dubium quidem non eſſet, ſi conſtaret de ejus origine, quòd nimirum illam ipſa deduceret à Noa, vel ipſa iſtius filio Japheto nupta fuiſſet. Conſtat namq; virum iſtum fuiſſe pium, & religionis ſinceræ maximè ſtudioſum, qui Deum ex animo coluerit, & ita ob vitæ probitatem, & ſtudium infucatum venerandi ſupremum Numẽ cum ſuis liberis tempore diluvij ſervatus fuerit in peculiari arca. Cùm verò ipſe tàm pius fuerit, utique non ceſſavit domeſticam ſuam familiam itidem in morum probitate, & doctrina de colendo vero Deo erudire: ut ita, ſive filia ſive nurus ejus *Sambethe* fuerit, ipſa tamen feminæ virtutibus omnibus exornata, & cultui divino valdè dedita fuerit : proinde à fide veri non recedit, quòd ipſa Deo grata ab eo juſſa fuerit & alios informare in doctrina de timendo colendoque Deo, nec non in actionibus ſuis juxta præcepta ſeptem à patre vel ſocero tradita inſtituendis, & de futuris vaticinari, cumprimis in tanta paucitate hominum à diluvio ſuperſtitum. Neque illud eſt infrequens, quòd Prophetæ à Jehovah ſint divino mandato inſtructi ad prædicendum impio & in crimen Idololatriæ toties prolapſo populo omne malum, vel etiam in caſu pœnitentiæ, omne bonum futurum, quod poſtmodum revera accidit juxta vatum eloquia. Qua ratione non incongruum dictu fuerit, ſi illa ſponte fateatur, à Deo ſe accepiſſe

mandatum vaticinandi. Nec huic ſententiæ obſtabit, quod quis objiceere videtur. *Sambeten* illam non eſſe de genere Hebræorum, atque ita ſpiritu prophetico à Deo non fuiſſe donatam: Nam licèt Noa nondum acceperit ſigillum gratiæ divinæ per circumciſionem; tamen propterea dici nequit, eum fuiſſe gentilem vel infidelem, ipſumque ut & ejus filiam vel nurum caruiſſe vel excidiſſe gratia divina, vel non dignum fuiſſe habitum dono prophetandi. Enimverò, non temerè dixerim, omnes illos, qui poſt iſtæc tempora non fuerunt Eccleſiæ Judaicæ membra, ſtatim in æternum periiſſe tanquam infideles; quin potius cum alijs crediderim, & pios homines hinc inde paſſim diſperſos etiam inter gentiles repertos fuiſſe, qui & Deum verum coluerint, & crimen Idololatriæ penitus damnaverint. Exemplum habemus in Naaman, qui erat Princeps militiæ *Regis Syriæ Abinadad*. Is certè non erat de electa gente Hebræorum, ſed hactenus infidelis & paganus: non conſtat tamen, eum, poſtquam à lepra erat liberatus, circumciſum, & ita Eccleſiæ Judaicæ per iſtud fedus divinum unitum, ſeu uti loquuntur, incorporatum fuiſſe. Nihilominus tamen, recuperatâ valetudine, fatetur coram *Eliſa l. 2. c. 5. v. 17. & 18. Regum. Servus tuus non faciet ultra holocauſtum aut victimam Diis alienis, niſi Domino. Hoc autem ſolum eſt, de quo depreceris Dominum pro ſervo tuo, quando ingredietur Dominus meus templum Remmon, ut adoret, & illo innitente ſuper manum meam, ſi adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco; ut ignoſcat mihi Dominus ſervo tuo hac re.* Cui propheta dixit: *Vade in pace.* Quæ verba ſunt ejus, qui poſtulata concedit, teſte *Caſparo Sanctio* ad d. c. *fol. 1468.* Et, uti incomparabilis *Grotius* ad idem caput *fol. 1585. Tom. 2. Critic. Sacror.* ait, quaſi Eliſa dixerit. *Securus hac parte eſto. Non delinques in legem, quæ tibi dicta non eſt.* Voluit enim, ut cùm Syrus iſte nunquam ingredi cuperet templum Idoli *Remmon*, niſi Regis cauſa, ipſe verò ſe profiteretur cultorem Dei ſummi, & in honorem ejus partem aliquam de terra Iſraëlitica ad altare, in quo ſacrificare poſſet, ſecum in diſceſſu ab Eliſa aſportaſſet, facilè intelligerent adſtantes, Syrum iſtum flexionem debitam corporis non Saturno, aut ſimulacro ejus, ſed Regi præſtare ſaltem voluiſſe. Quale Idolum *Rimmon* fuerit, hîc explicare neceſſum non eſt, legi interea poſſunt, quæ obſervarunt tum *Caſpar Sanctius l. 4. c. 5 n. 15 fol. 1409. Reg.* tum *Selden. de DIS Syris Syntagm. 2. c. 10. p. 229.* Vir iſte coluit Deum Iſraëlis, licèt in fedus iſtud circumciſionis non videatur receptus, nam ea de re nullum in Scriptura S. extat veſtigium.

fugium. Quod si igitur vigente Ecclesiâ Judaicâ vir iste placere potuerit Deo, etiamsi is, necessitate officij eum impellente, in templo Idoli sacra facere debuerit: quanto magis Noa haberi potuit vir Sanctus & probus, Deoque acceptus, qui, antequam fedus istud circumcisionis cum Abrahamo initum, & Ecclesia Judaica fundata fuerit, Deum verum timuerit, eumque devota mente coluerit. Vt proinde omnis difficultas cessare queat, quasi extra Ecclesiam Deus non habuerit quosdam probos, à quibus ipse vero cultu divino afficeretur. Quod si verò hoc exemplum Syri Ducis non arrideat, cùm illud videatur prorsus singulare, ob inevitabilem officii necessitatem, quamdiu alio munere is defungi non potuerit: ei exhiberi poterit exemplum Ninivitarum, quorum Deus misertus excidium ab ijs post peractam seriam pœnitentiam, quantumvis non sine indignatione Jonæ Prophetæ, clementer avertit. Et scribit *Isidorus Clarius ad c. 1. Ionæ. v. 2.* Licet ex isto loco animadvertere, *Deum non solùm Israëlitarum tum habuisse curam, sed etiam reliquarum gentium. Quo argumento Iudæorum pervicacitas arguitur, quòd circumcisio & Legis Mosaicæ observantia ad iustitiam consequendam non sint simpliciter necessariæ, cùm Ninivitæ absque Lege & Iudaismo sola fide & pœnitentia anteactæ impiæ vitæ Deo placuerint. Data tamen Lex est Iudæis ad tempus ut humiliarentur, & coercerentur, non ut laudem iustitiæ hinc consequerentur, sed ut Christum & Dei gratiam avidius sitirent.* Interim tamen Deus illorum misertus est, & malum, quod illis in *casu rerum ita manentium*, id est, durantis improbitatis & impœnitentiæ ministerio Jonæ Prophetæ minitatus erat, tandem avertit, quod & Prophetam malè habuit, cùm hac ratione, ut ipse putabat prophetia facilè posset evilescere, si eventus non responderet prædictioni: utpote quòd grave sit mendacem aut fallacem inveniri vatem, qui prædicat aliquid, quod destituatur successu. Quamvis *Munsterus ad c. 4 § 1 fol. 6654 Tom. 4. Criticor. Sacror.* ita de zelo & indignatione Prophetæ Jonæ disserat: *Displicuit*, ait, *Ionæ, quòd Ninivitæ tàm facilè pœnitentiam egissent in condemnationem Israëlitici, in quo tot Prophetæ frustra laboraverunt, qui non potuerunt ingratos homines ad emendatiorem provocare vitam.* Alij dicunt id momordisse animam Prophetæ, quòd Deus etiam Gentibus citra observantiam Judaismi tàm facilè veniam condonasset peccatorum. Quandoquidem firma & constans erat opinio apud Judæos: *solum Israëlem esse populum Dei & omnes Gentes iræ divinæ esse subiectas.* Laborabat igitur Propheta Zelo indiscreto. Idem si rè-

& *Drusius* tradit *ad d. c. 1. fol. 6656.* Verùm Deus fons clementiæ & misericordiæ respondit Jonæ: Tu ægrè fers corruptionem sive arefactionem cucurbitæ, quæ labore tuo non provenit, & quæ est res parvi momenti: & ego non misericordiâ tangar tot multorum parvulorum, qui nesciunt, quid sit inter dextram & sinistram, id est, qui sunt ejus ætatis, ut honesti ac turpis discrimen ignorent. Nam uti *Grotius* scribit ad Jonæ *cap. 4. n. 11. fol. 6662. in Tom. 4. Critic. Sacror. Dextera* significat ea, quæ recta sunt: *Sinistra* ea, quæ sunt contraria: præcipuè, quòd infantilis ætas describi soleat ignorantiâ recti ac turpis. Quin igitur extra Judaicam Ecclesiam vixerint homines, quos Deus sua misericordia dignatus sit, extra dubium est: ut ita illa quidem objectio exinde de sumta, quod Sambete vixerit extra Ecclesiam, nullius sit momenti. Vixit enim illa in Ecclesia Noæ, quæ licèt intra angustias familiæ suæ fuerit conclusa; tamen fuit in vera Ecclesia, utpote in qua doctrina de unico illo supremo Numine conditore omnium rerum rectè colendo fuit proposita, &, si dicere id liceat, quòd ibidẽ subinde inculcata fuerit justitia per Messiam obtinenda, à vero non aberravero, eum namq; per fidem in Messiam fuisse servatum non obscurè è S. Scriptura ostendit *Heidegger. Exercit. 3 n. 41. p 94. 95. in Histor. Sacr. Patriarch.* de quo etiam prophetavit. Idem *Exercit. 20. n 7. pag. 631. 632.* Quod si igitur verum fuerit: Sambethen esse Noæ filiam, vel nurum, tum illa de fide in Messiam, & de colendo vero Deo est informata; & ita haustis veræ religionis principiis, & Deo placere, & ab eodem revelationes accipere potuisse, non est absurdum. An verò tàm explicitè omnia eidem à Deo de futuro Messia sint manifestata, & ipsa eadem hominibus exponere jussa fuerit, illud demum est, quod ab omnibus non admittitur. Certè *Boxhornius in Histor Universali p. 12.* antiquæ isti traditioni parum fidei tribuit, dum ait: *Sibyllarum, quarum Oracula hodie extant, una de Mose vaticinatur, diluvium seu cataclysmum universalem prædicit. Addit interim, & cum Noacho in arca se fuisse, cum marito, & cum Socero & Socru, tempestatibus & undis sese iactatam. Ante diluvium igitur Sibyllam illam vixisse necessum est. Quod dixisse modò hic sufficit, adeo id pluribus refellere non est necesse.* Insignis quidam Theologus tale judicium affert de *Sambethe Sibylla*, quasi illud, quod de ea affertur. sit fabulosum. verba ejus sunt: *Si quis antiquos annales omnes evolvat, qui fidem historicam merentur, is in familia Noha non deprehendet Sambethen Sibyllam, multo minus certus reddetur, fœminam istam ex instinctu aut afflatu divino talia de Messia tum temporis expectando*

pellando prædixisse, quæ in nullo scripto prophetico tàm clarè habentur aut leguntur. Hoc igitur est, de quo plurimi dubitant, numquid ejusmodi femina spiritum propheticum acceperit, & à Deo jussa fuerit tàm admiranda, quæ postmodum in Evangelistarum scriptis leguntur, tot annorum seculis antè prædicere. Cœterùm quòd *Sambethe* in numero liberorum, qui ad Noam tanquam parentem communem provocant, non fuerit. videre licebit apud *Annium Viterbiensem ad Berosum l. 2. p. 14. & seqq. ut & Johann. Seldenum l. 5 c. 9. g. 607 & seqq. de I. N. & G.* Verùm istud missum faciam. Singulare tamen est, quòd Sibylla non pro persona, sed saltem pro doctrina de religione haberi debeat, ut ita peculiaris hujus vel istius gentis religio vel doctrina de sacris diversam Sibyllæ denominationem procreasse videatur. Ita enim statuit, quod miror, *Peucerus*, ac si *vox Sem-Japhet* nihil aliud denotet, quàm religionem *Semo & Japheto* à patre Noa commendatam, & ab ijs ad posteros propagatam & ita nomine *Sibylla Sambethes* istæc religio appelletur. Sed ipsum *Peucerum in lib. de Divinat. pag. 263. & p. 264.* videamus, qui ita hac de re disserit: Sambethen ex Noa esse ortam, eamque doctrinam de Messia probè intellexisse. Ita enim scribit: Uno consensu omnes antiquissimam & primam Sibyllarum omnium Sambethen vocatam, & ex Nohæ ortam tradunt. Vox Sambethe, *pergit iste scriptor*, nihil sonat aliud, quàm Sem Japhet. Quâ voce notata est doctrina de Deo, de lapsu, de restitutione, redemtione, & gratuita receptione generis humani, de Messia, & cœteris continua serie à mundi initio usque quasi per manus tradita Noæ, cujus deinde explicationem, curam, custodiam & conservationem ipse duobus præcipuè filijs Sem & Japhet commendavit. Eos enim gubernatores Ecclesiæ, & in sua posteritate & sacrorum Antistites constituerat. Quibus quoque curæ fuit, ut istæc doctrina pura atque integra ad posteros transmitteretur. Cui tamen doctrinæ miscuerunt vaticinia de futuris in genere humano mutationibus. Excrescentibus siquidem hominum delictis, subsecuturam pœnarum gravitatem facilè prævidere potuerunt unde etiam, quæ eventura essent posteris, prædixerunt. Inde factum esse putat, ut posteri, quo primorum autorum memoriam grati retinerent, ac celebrarent, istæc omnia conjungerent, & compositâ voce doctrinam à Noa ortam & à Sem & Japhet propagatam vocarent Sambethen. *Hinc factum scribit*, ut singulæ pene gentes singulas habuisse Sibyllas legamus, id est, suam sapientiam, suasque religiones, quas ex unica prima & vera religione post-

modum depravata, pro naturis suis & affectionibus Diaboli adiumento & consilio extruxisse, & eò insignivisse nomine, quod sacra antiquitas cœlesti doctrinæ accommodaverat. Celebrantur Chaldaica, Persica, Libyca, Italica, Græciæ plures: His singularum religiones notatæ sunt. *Et paucis interiectis* p. 265. *dicit* : Istâ occasione doctrinæ cœlestis vox & memoria paulatim labefactata atque attenuata initio mox prorsus conticuit, tributumque est Sibyllæ nomen illi sapientiæ humanæ. Tandem eò res devenit, ut animi destituti verbo monstrante verum Deum, & perfectionis corporum cœlestium viriumque, & effectionum capti admiratione ex his ipsis corporibus Numina arbitrio privato fingerent atque deligerent. Tandem tamen post quasdam verborum ambages pag. 269. velut veritate historicâ convictus ita concludit: *Non inficior, fuisse mulieres aliquas eiusmodi, ut proditum est, & qua vi pleraque fuderint Oracula, cùm ex furibundis gestibus plenis fœdissimarum deformitatum, quos usurpasse memorantur, tum ex ipsis miraculis, quibus annexuerunt semper aliqua pertinentia ad confirmationem Idololatriæ Ethnicæ, cuivis iudicare promtum est.* Item : *Suo sibi Dei exemplo Diabolus elegit Prophetas, & potissimùm ex muliebri genere, quod sexus iste imbecillior est naturâ, simpliciorq; & minus vel cavere insidias, vel intelligere astuta consilia, vel reniti impulsui, vel commissa celare potest, quodq; ad permovendos ac persuadendos alios accommodatiora pluraq; adiumenta habet. Crevit deinde autoritas talium hominũ apud imperitos, ut attentare aliquid vel auspicari, nisi illis salutatis ac consultis, nefas duceretur; & a Deo regi donariq; prænotione tali futurarum censebantur.* Hæc quidem pluscula sunt, attamen Lectori hoc fortean Autore carenti non ingrata erunt, ut exinde is videre possit, quomodo in antiquis etiam ipsi eruditi titubent, aut præ cœteris viris doctis in ijs aliquid singulare sapere videri velint, tandem verò ad communem sententiam descendant.

V. Hæc Sibylla Persica diversis exprimitur nominibus alijs: nam & Sabba, & Babylonia & Ægyptia Sibylla dicitur. Qua de re produco testimonium *Pausan. ad. 10. pag* 577. In fatidicarum feminarum numerum conscripserunt Hebræi, qui supra Palæstinam sunt, gentilem suam *Sabbam* nomine, quam Beroso Patre matre Erymanthe genitam tradunt. Hanc alij *Babyloniam*, alij *Ægyptiam* Sibyllam vocant: quæ temporibus Pharaonum, si *Suida* fides habenda erit, in Ægypto reddidit Oracula: qua in sententia & Clementem Alexandrinum fuisse testatur *Boissardus fol.* 256. *de Divination.* Hebræam procul dubio ideo vocatam

fuisse

fuisse arbitrantur multi, vel quòd ipsa cum Hebræis multum fuerit conversata: vel etiam è Prophetarum vaticiniis non pauca desumserit, utpote in quibus prædictiones de futuro Messiæ continerentur. *Dictus Boissardus fol. 238. de Divinat.* ita scribit: *Verosimile sanè est, hanc Sibyllam suorum Oraculorum partem desumsisse ex libris & doctrina Hebræorum, cum quibus propter vicinitatem sæpe frequentasse dicitur. Nam in iis multa sunt consentanea cum scriptis Prophetarum Dei: & quod de venturo Christo scribit, de ejus miraculis & æternitate, deq; futuro Iudicio, non potuit aliunde sumere, quàm ex traditionibus, quæ à summo Deo commissæ erant Mosi & sanctis prophetis.* Licèt à fide veri non abeat, Sibyllam ob frequentem conversationem cum Hebræis multa ex Oraculis Prophetarum de futuro Messia & aliis abstrusis negotiis percipere, eaque suis carminibus inserere potuisse; attamen illa traditio planè cessabit, si ipsa fuerit nurus Noæ: tum enim gens Iudaica præ cœteris nondum erat electa, nec ibidem certi constituti erant Prophetæ, è quorum vaticiniis Sambethes prædictiones potuerunt desumi. Quinimò ipsa dicit: se à Deo jussam esse ejusmodi vaticinia exhibere. Inde, ut antea supposui, si verum est, quòd Sibylla Persica sit *Sambethe*, & hæc vel filia, vel nurus Noæ, fieri potuit, ut partim à Socero instituta fuerit in doctrina de Messia, vel ipsi singulare quippiam à Deo fuerit manifestatum. Quare autem eadem Sibylla dicatur Babylonica & Ægyptiaca, vix alia ratio dari poterit, quàm quòd ipsa ibidem ad tempus conversata fuerit, & simul illis in locis Oracula ediderit, vel alia quæpiam istius denominationis causa adhuc subsit. Tanta interim est varietas autorum, ut ex eorum scriptis nihil certi de hac Sibylla comperire possimus tàm de nominibus ejus, quàm de patria, & tempore quo vaticinata sit.

VI. Constat hanc Sibyllam Persicam dictam fuisse à Pausania *l. 10. p. 177. Sabbam.* An exinde nata hæc sit opinio, quòd istæc Sibylla fuerit *Regina Sabæorum*, quæ venerit ad Regem Salomonem ut ejus sapientiam, divitias, & mores aulæ exploraret, non dixerim quidem; Sunt tamen nonnulli, qui illud & credunt, & defendunt. *Glycas part. 2. Annal.* ita scribit: *Saba*, inquit, *natio sunt Æthiophia. Eorum Regina fuit illa admiranda* Sibylla. *Quippe quæ cùm Legem ignoraret, nec vates audivisset, per Salomonem sapientiæ subministratorem Deum prædicavit.* In eadem quoque sententia fuit *Cedrenus*, cujus locum fide *Boissardi in lib. de divinat. fol. 239.* hìc adscribam: *Regina Saba*, ait, *quæ à Græcis* Sibylla *dicta fuit, auditâ Salomonis famâ, Hierosolymam venit, ut propositâ quæstione de sapientia ejus periculum*

 culum

culum faceret. *Nam & ipsa* Sibylla *Ob ingenii promtitudinem, sapientiamq; & rerum multarum peritiam magni erat nominis.* Ita Cedrenus. *Flavius Josephus l. 8. cap. 2. pag. 114. Antiqu. Judaicar.* vocat illam *Reginam Nicaulem*, & dicit: Eam simul Ægypti & Æthiopiæ Regnum obtinuisse. Cùm enim antea non nisi mares ibidem imperium obtinerent, istæc autem femina illud post obitum Pharaonum occupasset, tum etiam isti peculiare nomen debuerit imponi Judæus *Salmanticensis l. Iuchasim fol. 136.* uti allegatur *Samuele Bocharto parte I. l. 2. cap. 26. f. 152. Geogr. Sacra.* eam appellatam esse dicit *Nicolaam*: & eam esse sententiam judæorum; sed *Abyssini* eam vocasse *Maquedam* refert *Iohan. Barrius Decade 3. l. 4. c. 2.* Adde *Sebastian. Barradium Tom. 2. Comm. in Concord Evangelistar. l. 8. cap. 18 fol. 560.* Verùm qua de causa hæc Regina in numerum Sibyllarum relata sit, hæc vulgò putatur esse causa 1. *Quod multa abstrusa & reconditaperuerit Salomoni,* & inter alia lignum crucis, in quo suffigendus aliquando esset Messias, illi ostenderit, & de ejus officio & gloria multa cum eo communicaverit. *Iacobus Gretserus in lib. de cruce* refert è quodam Codice manuscripto sequentem historiam: Abraham tres surculos sumsit è diversarum naturarum arboribus, eosque plantavit, qui postea in unam coaluerunt arborem; ita tamen ut distinctum in ea conspiceretur lignum juxta cujuslibet surculi naturam. Quæ arbor dicitur succisa ad templi Salomonæi fabricam: sed cum ad ejus structuram censeretur inutilis, rejecta est in usum scabelli aut sedilis. Cùm verò Regina Saba advenisset, conspectô istius arboris lignô, cœpit cum Salomone de Messia disserere, & eidem aperire, quòd ex illo ligno suspendendus esset Messias & ob istam detectionem, vel prophetiam ipsa in dicto libro vocatur *Sibylla.* Salomon verò lignum istud occultavit, donec passionis tempore illud foràs emersit, & in usum crucis à furibunda plebe istud mysterium ignorante adhibitum fuit. 2. *Quod Salomonem ænigmatibus tentârit,* inque illis varia de futuris rebus celaverit, & postmodum resolverit, ut tàm Salamon Reginæ, quàm Regina Salomonis sapientiam admiraretur. 3. *Quod Pausanias l. 1. pag. 577. Sibyllam quandam appellet Sabbam*· quam Ægyptiam Sibyllam alij dixerunt Jam istæc Regina secundum testimonium Josephi antea adductum obtinuit imperium in Ægypto. Sabba autem vel Saba vocatur à loco, quippe quòd *Saba* fuerit Regia Æthiopum quæ posteam à Cambyse dicta est Meroe teste eodem Josepho, ut ita valdè probabile sit; Reginam istam esse illam *Sibyllam Sabam* vel *Sabbam.*

VII. Verùm ut ordine ſingula conſideremus, notandum (1) Reginam illam è Sabæis eſſe profectam, veroſimilius eſſe, quàm uti Joſephus exiſtimat, eam veniſſe è Meroe, quæ olim Saba dicta fuerit. Quoniam ultra Meroen ſunt ampliſſimæ regiones, Sabæi verò occupant Arabiæ atque ita terrarum extima ad Oceanum uſque. Hinc eſt, quòd Pompejus devictâ Syriâ optabat *διὰ τῆς Ἀραβίας ἐπὶ τὴν ἐρυθρὰν ἐλάσαι θάλασσαν, ὡς τῷ περιϊόντι τὴν οἰκουμένην πανταχόθεν ὠκεανῷ προσμίξειε νικῶν, per Arabiam ad mare Erythræum penitrare, ut victor perveniret ad Oceanum, quô undiquaque terra cingitur.* Putabat namque ita eventurum, ut Romanorum arma usque ad extremum orbem promoviſſe diceretur. Deinde Regina veniens habuit ſecùm Camelos auro, aromatibus, & gemmis onuſtos. 2. Samuelis. c. 11. v. 2. ſed talia in majore copia reperiuntur apud Sabæos, quàm in terra Æthiopum. Præterea refert *Ioſephus lib. 8. c. 2. pag. 114. Antiqu. Iudic.* quòd iſtæc Regina balſami plantam donaverit Salomoni. *Ajunt,* inquit, *quod balſami plantam, cujus quoque hodie ferax eſt noſtra regio, illius Reginæ munificentiæ ferri acceptam oporteat.* Ex illo teſtimonio ſic infert *Samuel Bochartus part. 1. lib. 2. cap. 26. f. 153. Geogr. Sacræ* Quis neſcit balſamum Arabicam eſſe plantam, non Æthiopicam: *Saltem nemo eſt,* pergit, *quod quidem ſciam, qui balſami meminerit in Æthiopia nati.* At de *Sabæis* ſcribit Agatarchides: *παρὰ μὲν γὰρ αὐτὴν πέφυκε τὴν θάλασσαν τό τε βάλσαμον πολὺ καὶ κασία. Etiam ad ipſum mare multum naſcitur balſamum & caſia.* Et *Strabo l. 16. fol 772. Geogr.* Συνάπτει δ᾽ ἡ τῶν Σαβαίων εὐδαιμονεστάτη μεγίστου ἔθνους, παρ᾽ οἷς καὶ σμύρνα, καὶ λίβανος, καὶ κιννάμωμον· ἐν δὲ τῇ παραλίᾳ καὶ βάλσαμον. His proxima eſt feliciſſima Sabæorum terra gentis maximæ. *Apud hos thus, myrrha, & cinnamomum naſcitur, & in ora maritima* balſamum. *Pauſanias lib. 9 p. 533.* refert in Arabia viperas inter balſami arbores verſari. *Sunt balſami arbores,* inquit, *eâ quâ myrti ſtirpes, magnitudine: folia illis qualia herbæ amaraco. Habent ſua circa eas plantas cubilia viperæ, plures uno, alio pauciores loco. Eſt enim illis balſami liquor cibus unicè ſuaviſſimus, ipsâ etiam fruticis umbrâ maximè delectantur.* Plura addit Bochartus, quæ lubens prætereo. Illud tamen adhuc explicandum eſt, quô ſenſu Chriſtus Matth. 12. v. 42. Et Luc. 11. v. 31. illam appellet *Reginam Auſtri,* id eſt, Reginam terræ *Ieman, vel Alieman.* Ut enim *Iamin* Hebræis: ita *Ieman* vel *Alieman* Arabibus ſignificat *Auſtrum.* Præterea *Ieman* vel cum articulo *Alieman* Arabibus idem ferè eſt, quod Hebræis

bræis Regnum *Saba*, & Romanis scriptoribus *Arabia aromatifera*. Quod *Bochartus d. lib. pag. 152* multis firmat testimonijs. *Nubiensis clim. 1. part. 6. Vrbis Saba*, ait, incolæ erant è gente *Ieman*. Sic *Beniamin in Itinerar. p. 73.* ait: Omnes cœtus terræ Babyloniæ, & Persidis, & Chorasan, & *Saba, qua est Alieman.* Item *pag. 82.* Itinere facto per desertum *regionis Saba* quæ vocatur *regio Alieman.* Jouchasin. fol 14.b. Rex *Ieman* est Rex *regni Australis.* Et *fol. 135*, Saba est ex Regno Jeman. Et *fol. 139. a.* Saracenorum regnum extenditur usque ad *Alieman*, quod vocatur Regnum Saba. Quibus positis, solvit nodum *Bochartus d. cap. 26 fol. 152. Geogr. Sacra* & ita scribit: Si Reginam Sabæorum Christus appellavit Reginam *Iamin* vel *Ieman*, id est, *Austri*, cum vulgo locutus est & ita, ut è quovis facilè posset intelligi. At *Austri nomine nemo est, qui intelligat Æthiopiam, ut ut ad Austrum Iudaa tàm sit Æthiopia, quàm terra Sabaorum, nusquam tamen ita vocatur. Non ignoro Ægypti Reges, à Daniele passim appellari Reges Austri, quod aque inusitatum. Sed aliter loquuntur Propheta, quibus solenne est pradictiones verbis anigmaticis involvere, aliter, qui res gestas referunt simplici stylo, quod hic faciebat Christus.* Et licèt *Caspar Sanctius ad l. 3. c. 10. Regum fol. 1116.* duas Æthiopias ponat, quarum altera trans Ægyptum collocetur, altera autem terræ promissionis sit vicinior; tamen meliora sunt, quæ ipse huic distinctioni præmisit. (2) Quod Josephus refert *Nicaulem*, quod nomen ipse Reginæ isti tribuit, in Ægypto tum temporis regnasse, non videtur vero consentaneum: nam *Herodotus lib. 1. & 2.* Reginam, quæ tum in Ægypto regnavit, vocat *Nitocrin*, non verò Nicaulen. *Eusebius l. 1. p. 21. Chron.* isti consentit, quando ita scribit: θηβαίων Αἰγυπτίων, ἐβασίλευσεν ἔτη κβ Νίτωκρις γυνὴ ἀντὶ τοῦ ἀνδρὸς. ὅ ἐστιν Ἀθηνᾶ νικηφόρος, *In Thebanos Ægyptios regnavit annis viginti quatuor Nitocris mulier pro viro, cujus nomen idem valet, quod Minerva victrix.* Neque porro statui potest, istam mulierem imperasse Æthiopibus: tale enim nihil refertur ab *Herodoto*, quem tamen *Iosephus* hic vult sequi. Verùm qui plura de hoc argumento desiderat, legere poterit *Samuelem Bochartum*, qui *d. lib. 2. c. 26. fol. 155. Geogr. Sacra* Josephi sententiam plenius impugnat, (3) Reginam istam Sibyllarum numero contineri autoritate vetustiorum scriptorum, qui mulierum fatidicarum faciunt mentionem, non potest probari. Neque in Sacra historia, in qua hujus Reginæ ad Salomonem profectio, & colloquium cum eo institutum plenius describitur, vel ullum saltem apparet vestigium, unde colligere liceat, Reginam istam fuisse prophetis-

phetissam, vel Sibyllam. Nullum vaticinium ab ea prolatum esse indicatur: neque scriptores contrarium defendentes quicquam, quod sit fide dignum tanquam Oraculum Salomoni expositum, proferre sciunt. Proinde vero non videtur consentaneum, Reginam istam in numero Sibyllarum haberi posse. Et (4) quod argumenta in contrarium allata attinet, illa non evincunt, quod debent. Etenim *Respondendo* ad 1. fabulam sapit, quod *Gretserus è libro quodam manuscripto* affert. Quis enim est ille, qui libellum istum conscripsit? unde illam historiam desumsit, aut qua fide eam hominibus exhibere voluit? Temerè siquidem tale quid credere, nemo, modò integri adhuc fuerit judicij, à quoquam exiget. Et certè, si verum fuerit, lignum istud destinatum fuisse in usum crucis, de qua postmodùm suspendi debuerit Servator, potius Deus ipse illud Salomoni revelasset, quàm ut è peregrinis locis accersivisset istam Reginam, quæ eidem illud manifestaret. Ratiò est, quia Deus tantâ sapientiâ Regem Salomonem imbuit, ut vix quispiam alius eum superaverit. Quomodo igitur Deus invidere voluerit Salomoni notitiam de usu istius ligni, & ordinare, ut illam ipsa à femina exotica consequeretur, non video. Porro in Historia Passionis de hac traditione nihil reperitur: Quin potius alij Scriptores certant de materia crucis, seu de genere ligni, è quo crux istæc sacra fuerit fabricata, uti illud ostendi in *lib. 2. cap 23. pag. 265. Exercit. Sacrar. ad Passion. Domini*. Ipse etiam *Casparus Sanctius ad lib 3. cap. 10. fol. 1122.* istam *Gretseri & Pinedi* narrationem pro fabula habet. Quod verò & ipse addit de lamina aurea ad se delata, in qua Christi crux è tribus lignorum generibus, cedro, pinu, & cupresso compacta fuerit exhibita, illud relinquendum est eorum fidei, qui non dubitant etiam suspecta admittere pro veris. Ad. 2. *Ænigmata non sunt vaticinia*, etiamsi aliquid eximij sub ijs occultetur. Ænigma enim est propositio jocosa & obscura, vel scripto vel voce alicui per occultam rerum similitudinem exhibita: vel est verisimilis imitatio cum singulari quadam occultatione, ut neque res, neque rei significatum intelligatur, priusquam nodus involucri fuerit relectus. *Athanasius Kircherus Tom. 2. cl. 1. c. 4. fol. 28. Oedipi Ægyptiaci.* Causam obscuritatis reddit *Aristoteles in lib. de Arte Poëtica*, nempe, quòd in ænigmate connectantur ea, quæ videntur impossibilia. Tales quoque obscurós sermones Regina Sabæ procul dubio Salomoni proposuit, ut ejus Sapientiam, de qua in Orientalem regionem usque non vulgaris fama excreverat, hoc modo exploraret.

Olim enim homines, ut & Magnates in convivijs, alijsque conventibus se recreare voluisse ænigmatibus, testatur quoque *Grotius ad l. 3. cap. 10. fol. 2518. Reg. in Tom. 2. Critic. Sacror.* ut & *Isaacus Casaubon. ad lib. 12. & 15. Athenæi Deipnosoph. fol. 746.* Adde & *Sanctium* in *Comm. ad l. 5. cap. 10. fol. 1117. Reg.* Ptolomæus Philadelphus, cùm septuaginta Interpretes accersivisset, ut S. Scripturam ex Hebraico idiomate in Græcum transferrent, dicitur illos prandij & cœnæ tempore ænigmatibus exercuisse, quæ collegit peculiari libello *Aristeas.* Præterea unde hoc ostenditur, quòd Regina Sabæ sub ænigmatibus multa futura occultaverit, & ea Salomoni ipsa exposuerit? Nihil horum in S. textu dicitur. Quinimò ne quidem vel verbo asseritur, ac si Salomon istæc ænigmata sibi proposita solvere non potuerit, vel Regina istæc eidem expediverit. Certè apud eam cessasset Sapientiæ admiratio, si Salomon ænigmata istæc non potuisset explicare. Positô autem, sed non concessô, Salomonem griphos istos expedire haut potuisse, ne tum quidem validè poterit concludi: Reginam fuisse Sibyllam aut vatem, quæ Regi isti sapienti exposuerit futura, cum primis de Messia, in cujus fide Salomō debebat salutem æternam quærere. Non enim aliter potuit servari, quàm fide etiam tum temporis in Messiam licèt futurū directa. Numquid verò quicquam absurdius dici poterit, quàm Salomonem, cui Deus se manifestaverat, & cui præ cæteris mortalibus tam excellentem impertiverat sapientiam, quique jam tum de Messia informatus erat, adhuc ab extranea femina discere debuisse ea, quæ ad ipsius salutem spectarent? Hinc licèt uterque alterutrius sapientiam fuerit admiratus, & Salomon quidem in propositis: Regina verò in resolutis ænigmatibus; tamen exinde nondum inferri poterit, Reginam istam fuisse Sibyllam, aut talia egisse, quæ de Sibyllarum actionibus hinc inde in scriptis antiquorum sunt observata, & notata. Ad 3. facilè poterit responderi, nam *Pausanias* se declarat, quamnam Sibyllam ipse per *Sabbam* intelligat, scilicet, quæ Beroso patre, & matre Erymanthe sit procreata. Quod tamen de Regina Sabæ dici nequit. Deinde istæc Sibylla, cujus Pausanias meminit, non unum, sed distincta habuit nomina, quod de Regina Sabæorum dici non potest, nisi quod Josephus dubio procul fictô nomine eam Nicaulem appellaverit. Quin ne quidem ulla consequentia fingi poterit in hisce: Quædam Sibylla dicta est *Saba* vel *Sabba* à Pausania, Ergò illa est istæc Regina, quæ è regione Saba venit ad Salomonem. Frustra itaque contendunt, qui

docent,

docent, Reginam Sabæorum esse unam è mulieribus fatidicis, quas Sibyllas vocant.

VIII. Illud quoque dici solet de hac Sabæorum Regina, ac si, auditô de tam grandi Regis Gynecejô, ipsa expetiverit Salomonis concubitum, ut à tàm Sapiente Rege gravida reddi, & illius familiam etiam apud dissitas gentes propagare posset. *Hugo Grotius* ad *l. 1. Reg. c. 10. n. 1. fol. 2518. in Tom. 2. Critic. Sacror.* ab ista opinione planè abhorret, dum scribit: *Hanc feminam Abyssini falsò sibi vendicant, in famam quoque ejus injuriosi, cùm eam venisse dicunt ad Salomonem eo animo, quo Thalestris ad Alexandrum.* Thalestris erat Regina quæ omnibus inter Caucasum montem & Phasim amnem imperitabat. Quæ cupidine visendi Regis Alexandri accensa finibus Regni sui excessit, & cum haud procul abesset, præmisit indicantes, *venisse Reginam adeundi ejus, cognoscendiq; avidam.* Et cùm interrogaretur, num aliquid petere vellet: haud dubitavit fateri *ad communicandos cum Rege liberos se venisse: dignam ex qua ipse regni generaret hæredes. Feminini sexus se retenturam: marem verò reddituram patri.* Vide prolixè historiam apud *Qu. Curtium l. 6. c. 5. num. 25. & seqq.* Quamvis tamen *Arrianus l. 7. p. 469. de Expedit. Alexandri.* narret: Alexandrum ad istam reginam ob procreandam sobolem voluisse accedere. *κελεῦσαι δ' ἀπαγγεῖλαι πρὸς τὴν βασίλισσαν σφῶν ὅτι αὐτὸς ἥξει πρὸς αὐτὴν παιδοποιησόμενος.* Id est, *jussit, ut Reginæ nunciarent, se ad eam generandæ prolis causa profecturum.* Grotio, uti dictum est, hoc displicet: Sunt tamen qui certò credunt, Salomonem eo tempore, quô hospitio Reginam istam exceperat, eam quoque thalami sui habuisse consortem, & ex ea generasse filium nomine *Melech*, à quo ex istorum sententia dicitur propagata illorum Principum successio, qui postea summum apud Abyssinos & Æthiopas tenuerunt imperium. Ipsi quoque Abyssini, qui gloriæ studio insatiabili ferè ducuntur, de se jactitant, quòd à Salomone Rege Israëlitarum originem trahant, ut ita suæ gentis aut familiæ initia ad tàm sanctum & potentem Regem à Deo electum referre queant. Historiæ partem hîc in gratiam curiosi Lectoris apponere visum fuit è *Damiani à Goes Scripto de Æthiopum moribus p. 465. 466. & 467.* *Habemus quoque à temporibus Reginæ Sabæ circumcisionem quam ad hunc usque diem servamus. Erat autem huic Reginæ Saba nomen proprium Maqueda, quæ more majorum colebat idola. Ad cujus aures fama sapientiæ Salomonis quum pervenisset, quendam virum prudentem Hierosolymam misit, ut re omni exploratâ certior de Regis prudentia reddi-*

redderetur. Quo reverso, & re explanata, subitò se ad iter Hierusalem versus componit. Atque quum eò pervenisset, præter multa alia, quibus à Salomone erudita est, legem ac prophetas didicit, eaq; in patriam (facultate impetrata abeundi) proficiscens, in itinere filium quem ex Salomone conceperat, peperit, qui vocatus est Meilech, quem ipsa Regina in Aetiopia usque ad vigesimum ætatis annum apud se educavit, ac posteà ad Salomonem ejus patrem remisit, ut ab eo scientiam & sapientiam disceret, quem per literas obsecravit, ut filium Meilech coram arca fœderis testamenti Domini Regem Aethiopiæ consecraret, ac crearet: néve ulteriùs fœminæ jus regnandi in Aethiopia haberent, ut tum in more erat; sed ut recto tramite masculi in regnum succederent. Qui quum Hierosolymam venit, à patre facilè matris postulata obtinuit, at pro Meilcich vocatus est David: quem iam abundè in lege, atque in aliis disciplinis edoctum, pater Salomon constituit ad matrem remittere, id quidem cum maiore ornatu, regioq; apparatu. Ad quod munificentiùs conficiendum, comites illi nobiles, ac primorum virorum filios tradidit, qui ei pro regio more inservirent. Præterea decrevit cum eo mittere Azariam principem sacerdotum filium Sadoch principis quoque sacerdotum. Quod quum Azarias intellexisset, Davidem hortatus est, ut ei à patre impetraret potestatem sacrificandi pro successu itineris ante arcam fœderis Domini Quare à Salomone impetratâ, Azarias subitò tabulas, quàm secretissimè potuit, ad imitationem tabularis fœderis domini dedolare curat. Quibus perfectis ad sacrificanda se componit in ipsoq; sacrificio clanculum, atque mira arte, veras fœderis Domini tabulas ex arca surripuit, pro eisq; adulterinas, quas secum portaverat, reposuit, se solo ac Deo conscio. Hæc narratio apud nos Aethiopes sanctissima & probatissima habetur, ut ex historia ipsius Regis Davidis (quæ iucundissima lectu est) apparet. Cuius historiæ liber tantæ crassitudinis est, quanta omnes Pauli epistolæ.

IX. Verùm illa sententia hucusque nondum est probata Nam 1. Nullum ea de re in S. Scriptura extat testimonium, quòd dubio procul non fuisset omissum, si Regina ex Salomone quæsiisset filium, qui postmodum tam illustris extitisset Princeps. Neque enim illud tanquam turpe factum dissimulasset Scriptura: quandoquidem non tàm restinguendæ libidinis, quàm procreandæ sobolis causa ad tantum Monarcham accessisset. Et sanè si ad venereas voluptates fuisset prona, potuisset illas vel mille modis in sua regione sedare, ut non necessum fuisset, tàm prolixum iter propterea in Judæam ad Regem Salomonem subire. 2. Neque vero est simile Sapientem Regem tam amplo Gynæceo

necdo instructum statim erga Reginam vehementi amore exarsisse, cumque ea concubuisse: quod vix ausus fuerit tàm illustrem feminam, tàmq; præstantem Reginam vel precibus saltem solicitare ad istum congressum venereum. Si enim repulsam passus fuisset, utique dignitas & existimatio ejus fuisset tàm apud ministros suos, & totam aulam, quàm apud exteros imminuta: cùm, si Regina istæc casta & pudica fuisset femina (uti hactenus pro ea præsumitur) utique Salomonis desiderio tantum abest ut satisfecisset, ut potius divulgasset: Se, quæ ad Regem Israëlitarum per tàm longam viam ad videndam ejus gloriam, & explorandam ejus Sapientiam venisset, satis improbè & turpiter velut ipsa esset vilis & abjecta mulier, fuisse tractatam non nisi cum summo Salomonis dedecore. Multò minus. 3. credendum est, ipsam Reginam abjectô pudore, conspectis tot conjugibus, & concubinis, ausam fuisse Salomonem rogare, ut secum rem haberet, quasi amoris vehementiâ erga ipsum exæstuaret, cùm natura isti sexui femineo pudoris ac verecundiæ vim inseverit, quæque eò magis firmari solet in illis, quæ in illustri dignitatis loco positæ tanquam in continuo subditorum conspectu versantur, & in Regiis virtutibus, quas inter non minima est castimonia summo studio educantur. 4. Non tamen curo illam rationem ex hypothesi *à Casparo Sanctio ad lib. 3 cap. 10. num. 26. fol. 1123. Regum*, allatam, quòd si hæc Regina fuerit Sibylla, seu vates, à qua requirebatur pudicitia & virginitas, nunquam vel ipsa Salomonem rogaverit ad concubitum, neque Salomoni tentanti ejus pudicitiam obsequi potuerit, quòd per istum congressum omnia privilegia & titulos Sibyllæ una vice si non perdidisset, tamen obscurasset. Nam Sibyllæ omnes, quæ eo nomine ab antiquitate decorantur, virgines fuerunt, quibus quoque in virginitatis præmium Spiritus fatidicus concessus esse creditur de quo tamen dubitabatur, cùm & Sibylla Delphica nupserit, uti *c. 5.* infra dicetur. Interim tamen, uti dixi, illi Æthiopum Reges credunt, se è *Macqueda* Reginæ cum Salomone carnali congressu habere ortum. Unde Rex se scribit: *Cognatum stirpis Iuda, filium Davidis, filium Salomonis, filium columnæ Sion, filium seminis Iacob* &c. Vide *Damianum à Goes de AEthiop moribus pag. 414. 432. 429. & 447.* Reliqua quæ in antea adducta historia tanquam suspecta præcipuè de informatione Azariæ, surreptione Tabularum Legis furtiva, & alijs narrantur, illa contra *Iohannis Barrii historiam AEthiopum ex Abyssinorum annalibus* compositam bene notavit & confutavit *Caspar Sanctius ad*

lib. 3. cap. 10. Reg. num. 26. 27. 28. fol. 1123. 1124. Et tantum de Regina quæ perhibetur Sibylla Saba.

X. Supereſt ut de carminibus, quæ huic Sibyllæ tribuuntur, aliquid dicamus. *Auguſtin. Steuchus lib. 1. de Perenni Philoſoph.* uti locum adducit *Hieronymus VVolfius Tom. 1. Cent. 3. fol. 65. Memorab.* de Sibylla Sambethe, ſeu Perſica hæc ſcribit. *Sibylla Sambethe in Perſide ſeu Chaldea nata fertur, & de genere Noa fuiſſe. Huius extabant 24. libri, ubi plurima* de Chriſto *plurima* de Origine ſuæ gentis, deq; creatione, de revolutionibus temporum mutationibus Regnorum & imperiorum ſcripſit. Multa quoque ibi continentur de fine ſeculi, futuro judicio, de uno, ſolo & vero Deo, vanitate gentium & Idolomania. Illi adſcribitur carmen de ingreſſu Chriſti in urbem Hieroſolymorum, quod ita ſonat.

Χαῖρ' ἁγνὴ θύγατερ Σιών, καὶ πολλὰ παθοῦσα
Αὐτὸς σοῦ βασιλεὺς ἐπιβὰς ἐπὶ πῶλον ἐλάγει,
Πρᾶος πᾶσι φανείς, ἵνα τὸν ζυγὸν ὅνπερ ὑπῆμεν
Δοῦλον, δυσβάστακτον ἐπ' αὐχένι κείμενον ἄρῃ
Καὶ θέσμους ἀθέους λύσῃ, δεσμούς τε βιαίους.
Salve caſta Sion permultaq; paſſa puella:
Ipſe tibi inſcenſo Rex en tuus intrat aſello.
Erga omnes mitis, iuga quò tibi, quò iuga demat
Intoleranda tibi, quæ fers cervice ſubacta,
Solvat & exleges Leges, violentaq; vincla.

Inſequente carmine, quod Græcè non vidi, ſed teſte *Boxhornio in Hiſtor. Univerſ. pag. 6.* ex antiquo codice MS. Bibliothecæ Regiæ in Gallia deſumtum eſt. Vide Tom. 8. Bibliothec. Patrum. fol. 82. Hæc Sibylla vaticinatur, Chriſtum naſciturum ex matre virginem, & aſino inſidentem vecturum. Verſus, prout Latinè ſonant, hîc adſcribam.

Virgine matre ſatus pando reſidebit aſello
Iucundus Princeps, unus qui ferre ſalutem
Rite queat lapſis. Tamen illis fortè diebus
Multi multa ferent immenſi fata laboris.
Solo ſed ſatis eſt Oracula prodere verbo:
Ille Deus caſta naſcetur virgine magnus.

Quod Meſſias quinque panibus & binis piſcibus quinque millia virorum in deſerto cibaturus eſſet, illud ipſa ſequentibus verſibus prædixiſſe perhibetur.

Ἐκ

ἄρτων ἅμα πέντε, καὶ ἰχθύεσιν δοιοῖσιν
ἀνδρῶν χιλιάδας ἐν ἐρήμῳ πέντε χορέσει:
καὶ τὰ περισσεύσαντα λαβὼν ἅμα κλάσματα πάντα
Δώδεκα πληρώσει κοφίνους εἰς ἐλπίδα λαῶν.

Panibus & quinque, & binis ex piscibus olim
Millia quinque virum in desertis exsaturabit.
Quin & fragmentis collectis relliquiarum
Bissenos cophinos, ut sit sperare replebit.

Plura non adscribam. Fertur enim & de extremo Judicio vaticinium edidisse, quô Deus impios æternis supplicijs affecturus: Pijs verò ac probis perpetuam & nunquam desituram felicitatem daturus sit: nec non de Johanne Baptista Messiæ præcussore vaticinata legitur, ac si ille futurus sit præco pœnitentiæ, qui agnum Dei hominibus monstraturus, eosque à vitijs repurgatos ad veram æternæ salutis semitam perducturus sit. Et si quæratur, unde isti Sibyllæ tanta notitia? respondebunt alij, quòd illam ipsa acceperit à Noa, vel è conversatione cum Hebræis, vel itidem è speciali quadam revelatione. Quod postremum quibusdam magis arridet, existimantibus: Ne ipsum quidem Noam omnia tàm explicitè de Messia præscivisse.

XI. Tandem memini dubitatum esse à quibusdam, quænam causa sit: quòd hujus Sibyllæ versus aliquot reperiantur imperfecti & parum cohærentes? *Ludovicus Vives ad lib. 18. fol. 1801. August. de C. D. Edit. Parisiensis* putat: factum illud esse vitio describentium istæc carmina, & hoc quidem è singulari Numinis directione, ne ab indignis illa legi aut intelligi possent. Sic autem Scriptor iste ait: *versus huius* (scilicet Sibyllæ Persiæ vel Sambethes) *passim legebantur imperfecti, & interdum parum coherentis vitio non vatis, sed exscribentium festinanter; ita, ut multa coniecturâ sit opus. Quod non sine Numine contigit, ne ab indignis illa vaticinia intelligerentur.* Qui videtur hac in re sequi autoritatem *Suidæ* idem ferè statuentis: *Quod eius versus,* inquit, *imperfecti & vitiosi reperiuntur, non Prophetidis culpa est, sed Notariorum, qui orationis impetum assequi non potuerunt, aut etiam indocti fuerunt, vel imperiti Grammatices. Vnà enim cum afflatu etiam eorum, quæ ab ea dicta essent, memoria defirebat. Eaq; de causa & versus imperfecti reperiuntur, & sententiæ claudicant. Aut etiam certo Dei consilio factum hoc est, ne à multis indignis Oracula eius cognoscerentur: aut longum tempus, aut aliorum multorum huius rei causa fuit.*

Aut etiam obscuritas eorum, quæ à Prophetide dicta sunt, & crebra librorum descriptio: nihil miri est, si sententiæ confusionem, & versuum perturbationem attulerunt. Verùm *Justinus Martyr in Cohortat. ad Græcos fol 27* longè aliam fovet opinionem. Nam cùm Sibyllæ spiritu divino correptæ, quid loquantur, non intelligant; nec, postquam verba fatidica & prolata, aut ab adstantibus in scripturam relata sunt, Sibyllis integrum fuerit sua carmina emendare, illud etiam facere nequiverint ob subsecutam oblivionem eorum, quæ ab ipsis erant dicta, inde factum esse scribit, ut versus isti nec semper cohærerent, nec perfecti essent. Verba, quoniam nec multa sunt, nec Scriptor iste in omnium manibus versatur, hic apponam: *αὐτὴ γὰρ (δῆπου ἡ Σίβυλλα) οὐχ ὥσπερ οἱ ποιηταὶ καὶ μετὰ τὸ γράψαι τὰ ποιήματα εἶχεν ἐξουσίαν διορθοῦσθαι, καὶ ἐπιξέειν μάλιστα διὰ τὴν τῶν μέτρων ἀκρίβειαν, ἀλλ' ἐν μὲν τῷ τῆς ἐπιπνοίας καιρῷ τὰ δὲ προφητείας ἐπλήρου παυσαμένης δὲ τῆς ἐπιπνοίας, ἐπέπαυτο δ' ἡ τῶν εἰρημένων μνήμη τοῦτ' οὖν αἴτιον τοῦ μὴ πάντα τὰ μέτρα τῶν ἐπῶν τῆς Σιβύλλης σώζεσθαι.* Id est: *Huic enim (scilicet Sibyllæ) nequaquam sicut Poetis, etiam postquam poëmata scripsere, facultas fuit corrigendi atque expoliendi responsa sua juxta exquisitionem numerorum, & dimensionum carminis rationem: sed in ipso afflatus tempore sortes illa suas explebat, & evanescente instinctu illo, simul quoque dictorum memoria evanuit. Atque hæc ipsa est causa, quare non omnes carminis numeros servent Sibyllæ Oracula.* E quibus patet, sicut longè plura, quæ de vaticiniis & carminibus Sibyllinis traduntur; ita & hæc incerta esse, quæ prudenti lectori exactius dijudicanda relinquuntur.

CAPUT IV.

DE

SIBYLLA LYBICA.

I.

IN ordine secundam Sibyllam Varro ponit Libycam vel Libyssam dictam ita, uti creditur, à loco seu Libycis gentibus apud quas illa substitisse, & Oracula seu vaticinia edidisse, perhibetur. Quod autem à loco natali hanc appellationem consecuta sit, pro certo affirmari non pot-

erit,

erit, cùm & inter antiquos diversæ extent opiniones de ejus origine, à quibusnam scilicet parentibus ipsa traxerit ortum, uti mox indicabitur. Quamtumvis in Icone ejus apud *Boisardum lib de Divinat. fol. 243.* reperatur distichon, è quo colligi queat : Eam genus & familiam suam ducere è *Libya*; proprium autem nomen ipsi fuisse *Elissæ*, versus isti ita sonant.

Vt genus, è Libya venit mihi nomen Elissæ
Mi cortina Clari servìit, atque Sami.

Verùm, quoniam adhuc ignoratur, à quonam distichon istud fuerit imagini isti appositum : & dubium est, an voce *Generis* intelligatur *familia*, ad quam ipsa pertineat: an verò nativitas ibidem ei contigerit, exinde illud in vim probationis validæ vix poterit adduci.

II. Hanc nonnulli credunt fuisse filiam Dardani, quam ipse è Nesone Teucr. filia genuit, cui impositum est nomen *Sibyllæ*. Illud tamen accuratè sciri non potest, nunquid nomen istud Sibyllæ ipsa acceperit velut proprium & discretivum, uti reliqui homines omnes sua peculiaria & distincta consequuntur nomina: an verò appellatio Sibyllæ ei tributa fuerit ratione muneris prophetici: & à qua reliquæ mulieres vaticinantes ob divinam quandam inspirationem, & officium fatidicum, quod sustinuerunt dictæ sunt *Sibyllæ*. Prius illud redditur incertum, quòd de eo taceant Historici, & nonnulli contendant, nomen *Elissæ* proprium ipsi fuisse, licèt de eo non sine ratione dubitatum sit. Posterius tamen videtur vero similius, modò prius constiterit: Hanc *Libycam Sibyllam* omnium esse primam, quæ spiritu prophetico instructa futurarum rerum eventus prædixerit, & ita vatis officium subierit. Tum enim concedi poterit : illam primitus promeruisse nomen *Sibyllæ* vatem seu prophetissam *significantis*, à qua & reliquæ feminæ itidem Spiritu fatidico imbutæ, & simile munus sustinentes denominatæ sint *Sibyllæ*, prout supra illud plenius est expositum. Sed quis dicet illam esse primam & antiquissimam *Sibyllam*? Certè alij eam faciunt Jovis sive Apollinis filiam è Lamia Neptuni gnata procreatam, quod tamen de *Persica Sibyllæ* persona narrari indicatum est *c. præced. p. 510.* Verùm itaq; est, quod supra dixi, tantam esse inter Autores diversitatem de nominibus, patria, & parentibus harum Sibyllarum, ut quod certum de ijs statui possit ac debeat, non habeamus. *Ianus Boissard. de Divinat. fol. 243.*

III. Hac occasione non possum præterire, quin & *Pausanias l. 10.*

p.575 ſcribat antiquiſſimam Sibyllam eſſe eam, quam *Iupiter è Lamia Neptuni filiam* genuit, illamque mulierum omnium primam vaticinatam & ab Afris *Sibyllam* nominatam eſſe. Quo cum facit *Eduardus Simſon par. 2 Chron. Catholici. pag. 38.* nihilominus tamen, autoritate Pauſaniæ ſuperſeſſâ, *Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromat. fol. 323.* Sibyllam pro antiquiſſima agnoſcit, quæ Orpheo vate eſt antiquior, ſed addit eam eſſe *Phrygiam*, & dictam fuiſſe *Dianam*, & nec non apud Delphos Oracula dixiſſe. Verba ita ſe habent: ἀλλὰ καὶ ἡ Σίβυλλα Ὀρφέως παλαιοτέρα. λέγεται γὰρ καὶ περὶ τῆς ἐπωνυμίας αὐτῆς. καὶ περὶ τῶν χρησμῶν τῶν καταπεφημισμένοι ἐκείνης εἶναι λόγοι πλείους. Φρυγίαν δ᾽ οὖσαν κεκλῆσθαι Ἄρτεμιν καὶ ταύτην παραγενομένην εἰς Δελφοὺς ᾆσαι.

Ὦ Δελφοὶ, θεράποντες ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος.
Ἦλθον ἐγὼ χρήσουσα Διὸς νόον αἰγιόχοιο
Αὐτοκασιγνήτῳ κεχολωμένη Ἀπόλλωνι.

Hoc eſt, *Sed & Sibylla dicitur Orpheo antiquior. De eius enim cognomine, & de iis, quæ ab ea prolata ſunt, reſponſis multa dicuntur, & cum eſſet* Phrygia, *appellatam eſſe* Dianam, *& cum ea ad Delphos acceßiſſet, ceciniſſe:*

O Delphi, Phœbi ferientis qui eminus eſtis
Servi, veni ad vos Iovis expoſitura potentis
Mentem, germano ſuccenſens plurima Phœbo

Agnoſcit & *Clemens* antiquiſſimam Sibyllam, ſed Libycam illam eſſe non addit. Id quidem in eodem primo Stromatum libro *fol. 304.* tradit: *Heraclitum* prodidiſſe, ac ſi Sibylla non humanitus, ſed divinitus apparuerit. Addit ab alijs narrari, quod Delphis in Curia quadam oſtendatur petra quædam, ſuperquam dicatur *ſediſſe prima Sibylla* dicitur, quæ ex Helicone venerat educata à Muſis, cùm eſſet filia *Lamiæ Sidoniæ:* Verùm, cum ſequentia, quæ annectit *Clemens Alexandrinus* iſti Sibyllæ non conveniant, quæ & pro antiqua venditatur, & Lamiæ filia dicitur, ideo iterum nihil certi hîc ſtatui poterit.

IV. *Iuſtinus Martyr in Cohortatione ad Græcos fol. 13.* meminit quoque cujusdam valdè antiquæ Sibyllæ, cujus mentio fit apud Platonem & Ariſtophanem, quæ Dei naturam hiſce verſibus deſcripſit.

Εἷς δὲ θεὸς μόνος ἐστὶν ὑπερμεγέθης, ἀγένητος
Παντοκράτωρ, ἀόρατος, ὁρώμενος αὐτὸς ἅπαντα
Αὐτὸς δ᾽ οὐ βλέπεται θνητῆς ὑπὸ σαρκὸς ἁπάσης

Eſt Deus ingenitus ter magnus ſolus & unus

Omni-

Omnipotens nunquam spectabilis, omnia cernens
Scilicet: ipse homini verò non cernitur ulli.

Attamen non addit, quænam sit istæc Sibylla, quomodo vocetur è quo loco sit oriunda, ubi vixerit. E quo iterum apparet, ne hujus quidem testimoniis nos posse reddi certos, an hoc Libyca Sibylla, an verò alia haberi queat antiquissima. Quapropter adhuc incertum manet, quænam Sibylla sit vetustissima, Persicane, vel Libyca, vel Erythræa? Cumprimis verò quàm maximè dubitatur, nunquid antiquitatis palmam cæteris præripere possit *Sibylla Lybica*, quippe quòd *Erasmus Schmidius Orat. 1. de Sibyllis* quæ addita est *Annotat N. Testamenti fol. 149.* expressè fateatur De tempore hujus Sibyllæ nihil certi inveniri. Jam si de tempore, quo vixit, de parentibus, à quibus procreata est, de locis, in quibus vaticinata est, loquimur omnia ferè sunt incerta, utique huic neque laus antiquitatis concedi, neque eminentia quædam dignitatis præ alijs, quæ eodem numere defunctæ creduntur tribui potest.

V. Sibylla hæc *Libica* in diversis locis oracula cecinisse perhibetur. Et quidem in præclara & insigni Colophoniorum urbe vaticinata est, ubi etiam primam laudem sui muneris assecuta est, multorumque hominum admirationem erga se concitavit. Deinde in Delo vaticinia edidit: quem in locum secessisse creditur in honorem Apollinis, à quo donum vaticinandi impetrasse dicitur. Quod autem ibidem Dei istius Sacerdos fuerit, ejusque Oracula certis temporibus exposuerit, hactenus, quantacunque licèt industria veterum monumenta pervestigaverim, invenire non potui. Postmodum ad Delphos accessisse putatur, apud quos vaticinata quidem est, sed Delphici Oraculi interpretem eam fuisse, nondum habeo compertum. Porro in *Lybiam* secessit, ubi præcipuam sui muneris famam indepta est, ita, ut multi crediderint, eam in Lybia natam, & exinde istam denominationem sortitam esse. Porro & alii hac conjectura ducuntur: illam & in Insula Samo non modicam vitæ partem transegisse. Quæ omnia à fide veritatis abire non videntur: potuit enim illa in diversis quidem ante memoratis, locis vixisse, vaticinia sua ibidem edidisse. Cum constet: non omnes Sibyllas in uno loco substitisse perpetuò; sed quasdam ex uno in alium locum commigrasse, & ibidem sua Oracula seu rerum futurarum aut etiam abditarum notitiam consulentibus exhibuisse.

VI. Lybicam Sibyllam de exitio gentium ob idololatriam, & alia scelera, quibus ipsæ Deum irritarent, nec non de Messiæ nativitate, multis

tis miraculis, quibus suam Divinitatem esset probaturus: & infelici ejus fato, quo tandem infami morte periturus esset: præterea quoque de mundi destructione & interitu, judicio extremo, eoque Universali, quô omnes homines, quotquot vixerunt unquam, judicabuntur: de mortuorum resurrectione, & vitâ postmodum nunquam desitura, sed æterna prædixisse multa tradit *Ianus Boissardus in lib. de Divinat. fol. 244. 145.* Unicum saltem hac vice *Sibyllæ Lybicæ* carmen attingam, quod habetur in *Tom. 8. Biblioth. Patrum. fol. 78.* & ita sonat.

Ecce dies venient, quô æternus tempore Princeps
Irradians sata, læta, viris sua crimina tollet,
Lumine clarescet cujus Synagoga recenti;
Sordida qui solus reserabit labra reorum,
Æquus erit cunctis, gremio Rex membra reclinet,
Reginæ mundi, sanctus, per secula vivus,

CAPUT V.

DE

SIBYLLA DELPHICA.

I.

De Sibyllæ Delphicæ natalibus scriptores valdè variant, ut vix sciri possit, â quibus demum parentibus illa suam deduxerit originem. Quidam credunt, eam esse Apollinis è Lamia filiam vel Aristocratis & Hydoles gnatam: quorum prius de Persica, & Lybica: posterius jam tum & de Persica Sibylla affirmarunt alij. Nonnulli putant, eam procreatam esse à patre Theodoro ex Idæa Nympha, quæ edidisse illam fertur in Coryco monte. Quæ sententia tribuitur *Pherecydi* dicenti: *Sibylla Delphica patrem habuit Theodorum: matrem vero Nympham Idæam, quæ filiam suam postea factam clarissimam Sibyllam enixa est in monte Caryco.* Cui opinioni etiam nonnulli recentiores adhærent. Sed *Diodor. Siculus l. 4. fol. 269. Biblioth.* Eam facit *Tiresiæ* cœci quidem, sed suo tempore peritissimi vatis filiam, quam *Epigoni* captâ & ex pugnatâ Thebarum urbe tanquam manubiorum primitias consecrarunt Deo Delphico. Sic ait Historicus: ἐπειδ' οἱ μὲν Ἐπίγονοι τὴν πόλιν ἑλόντες διήρπασαν καὶ τῆς

Τειρεσίου θυγατρὸς Δάφνης ἐγκρατεῖς γενόμενοι, ταύτην μὲν ἀνέθεσαν εἰς Δελφοὺς κατάπινα εὐχὴν, ἀκροθίνιον τῷ θεῷ. Id eſt, *tum captam Epigoni urbem diripiunt, & Daphnen Tireſia filiam armis aſſertam ex voto ut manubiarum primitias Delphis conſecrant.* Quæ nulla alia eſt quâm Manto, quæ per aliquot tempus Oracula Delphici Numinis interpretata, & ita Sacerdotali munere defuncta fuit. Vide ſupra *pag. 496.* Quò pertinet id, quod ſcribit *Pauſanias lib. 9. p. 541.* his verbis: Vatis, ſcribit, (Tireſiæ) filiam *Mantò* ab Argivis Apollini ajunt conſecratam. Quæ tamen jubente Deò cum claſſe Colophonem urbem in Jonia ſitam ſeceſſit, ibique nupſit Rhacio Cretenſi. Vnde patet, non usque adeò certam eſſe traditionem illam, quâ nonnulli freti firmius ſtatuunt: Sibyllas omnes fuiſſe virgines, easque ob puritatem, & ita ob majorem convenientiam cum divina natura facilius potuiſſe ſpiritu fatidico repleri. Nam Tireſiæ filia clariſſima fuit Sibylla, & de ea in hiſtorijs legitur, quòd multa ediderit Oracula, nihilominus tamen aſſociata viro vixit in matrimonio.

II. A patre ſuo ipſa quoque dicitur *Sibylla Tireſia*, potiſſimùm propter generationem, nam, quod *Suidas* firmiter ſtatuit, Tireſias vates eam genuit. Dicitur autem Sibylla Delphica, non quod Delphis fuerit nata, utpote, quæ Thebis in lucem fuit edita; ſed, quòd expugnata Thebanorum urbe diu Delphis commorata, ibidemque Oracula reddidiſſe legatur. Cùm enim ob munus Sacerdotale, quod apud Delphicum Oraculum ſuſtinuit, & ibidem ſæpius edita vaticinia magnam ſibi peperiſſet famam, inde à loco iſto denominationem Sibyllæ Delphicæ accepit. Et hùc pertinere dicunt verba *Clementis Alexandrini lib. 1. Stromat. fol. 304.* Delphis oſtendi petram, in qua Sibylla iſtæc ſederit. *Pauſanias l. 9. p. 575.* ſcribit: *Saxum ibi* eminet, de quo Sibyllam Oracula canere ſolitam Delphi tradiderunt Quamvis ipſe hoc intelligat de Herophile. Sed cùm magna ſcriptorum ſit varietas de hac Sibylla, è Diodoro Siculo tamen conſtet Tireſiæ filiam occupatis Thebis Delphos translatam, & velut primitias prædarum Deo Delphico conſecratam fuiſſe, ipſam quoque ab iſto loco cognomen Delphicæ Sibyllæ accepiſſe ideo, quæ hactenus dicta ſunt, melius convenire Delphicæ, quàm Herophilæ Sibyllæ exiſtimaverim, niſi fortean eadem Sibylla, quæ Delphica dicitur, ſit quoque Herophile Sibylla. Delii ſiquidem referunt, illam ſcripſiſſe hymnos in laudem Apollinis, in quibus ipſa ſe *Herophilem* nec non *Dianam* vocavit. Verùm de eo infra in vita Herophiles aliquid dicam.

recepit, unde post aliquot annorum spatium trajecit in Phrygiam, & secum asportavit Palladium cum Diis Penatibus, & duas Teucri filias *Batiam* & *Nesonem* duxit uxores. Quod ex *Eustathii Comm. ad Homeri l. 2. Iliad.* adducit *Boissardus in lib. de Divinat: fol. 202.* Quâ occasione non possum præterire, quæ de hoc Dardano adducit *Iohannes Mariana lib. 1 c. 11. p. 16. de Rebus Hispan.* totâ tamen historiâ in compendium contractâ, & quidem ex autoritate Philistrij Syracusani. Fuit Rex Hispaniæ inquit, *Siculus* Atlantis filius, qui, postquam defuncto patri successerat, in Italiam contendit: partim, ut cùm ibi pater obijsset, hæreditatem Regni Italici divideret, & suam sibi de ea competentem partem vindicaret: partim quoque, ut paterni exercitus reliquias conservaret: imò ut Jasii & Dardani de Hetruriæ possessione certantium controversias pacaret. Jasii siquidem literis ad componendum hoc dissidium erat invitatus, qui licèt in justitia causæ esset potior, tamen viribus & potentia fratre Dardano erat inferior. Siculus quoque rem eò redegerat, ut Dardanus, positis armis, amicitiam ac concordiam simularet. Qui tamen autoritate *Siculi* postpositâ, & spretâ transactionis fide, fratrem Jasium jam securum redditum, nihilque mali aut perfidiæ cogitantem interfecit. Quam injuriam *Siculus* ad se pertinere ratus, parricidam Dardanum, qui contra leges foederis & bona fide initæ compositionis perfidè egerat, insigni prælio victum expulit in Samothraciam. Qui superatô Hellespontô in Asia condidit Ilium: Sed Jasii filio Corybanto pro patre de manu Regnum Italiæ est traditum. Hæc ita ferè *Mariana.* Dardanus igitur ejectus Teucri filiam Nesonem duxit uxorem, & ex ea filiam nomine *Sibyllam* procreavit, quæ ob peritiam divinandi illud nomen consecuta est. Et hanc putant scriptores demum esse eam à qua reliquæ mulieres peritia divinandi excellentes nominatæ sint *Sybyllæ* idque propter divini afflatus similitudinem. Atque ita iterum luditur in incertis, &, quæ antea de Lybica Sibylla dicebantur, nunc in dubium vocantur.

VI. Illud interim majorem adhuc habet dubitationem: Unde Dardani filia dicatur Sibylla Delphica? certè ibi non est nata, modò historiæ antiquæ denegari non debeat fides. Neque legitur, quòd ibi diu versata, vel in templo Apollinis munere quodam Sacerdotali functa fuerit: illud siquidem affirmatur saltem de Tiresiæ filia. Nonnemo urget locum *Clementis Alexandrini lib. 1. Stromat fol. 304.* quod Delphica Sibylla apud Delphos in certa quadam, quæ ibi ostenditur, petra Ora-

cula suderit. φασὶ γοῦν ἐν Δελφοῖς παρὰ τὸ βουλευτήριον δείκνυσθαι πέτραν τινά, ἐφ' ἧς λέγεται καθίζεσθαι τὴν πρώτην Σίβυλλαν ἐκ τοῦ Ἑλικῶνος παραγενομένην ὑπὸ τῶν Μουσῶν τραφεῖσαν. Id est *Ajunt Delphis in Curia ostendi petram, super quam dicitur sedisse prima Sibylla, quæ ex Helicone venerat educata à Musis* Verùm nolo isti quidem viro tantopere istud Clementis testimonium urgenti acriter contradicere; Illud tamen certùm est (1) Quod S iste Pater provocet ad traditionem Delphorum, qui pro certò affirment, ibi adhuc servari petram, ubi Sibylla sederit, cùm Oracula redderet consulentibus. Non addit (2) quænam illa fuerit, an sacerdos Apollinis, quæ munere interpretandi Oracula fungebatur, an verò alia, quæ divinandi causa ad tempus saltem ibi fuerit commorata. (3) Communiter statuitur: hanc Sibyllam Delphicam fuisse Dardani ex Nesone: vel Tiresiæ Thebani vatis filiam: At *Clemens* noster refert, illam à Musis in Helicone fuisse nutritam, & exinde etiam venisse, nec non fuisse Lamiæ Sidoniæ filiam. Qua in sententia quoque est *Plutarchus in lib. de Pythia Oracul. fol. 398.* qui scribit sequentia: ἐπειδὰν γὰρ ἔστημεν κατὰ τὴν πέτραν γενόμενοι τὴν κατὰ τὸ βουλευτήριον, ἐφ' οἷς λέγεται καθέζεσθαι τὴν πρώτην Σίβυλλαν ἐκ τοῦ Ἑλικῶνος παραγενομένην ὑπὸ τῶν μουσῶν τραφεῖσαν (ἔνιοι δέ φασιν εἰς Μαλεῶνα ἀφικέσθαι Λαμίας οὖσαν θυγατέρα τῆς ποσειδῶνος) Id est, *Cum substitissemus ad saxum curiæ vicinum, cui insedisse dicitur prima Sibylla, cùm eò ex Helicone venisset à Musis enutrita. (Alii ad Maleonem eam advenisse dicunt, filiam Lamiæ, quæ Neptuno nata fuit)* Sed ex Neptuno & Lamia alij natam esse dicunt Sibyllam Lybicam, uti id cap. 4. adduxi Præterea (4) neque *Clemens* neque *Plutarchus* dicit: illam Sibyllam appellatam fuisse Delphicam, sed uterque saltem scribit: *sedisse* in illa petra *Primam Sibyllam*, neuter tamen addit, an illa voce intelligatur antiquissima omnium mulierum fatidicarum, quæ nomine Sibyllarum postmodum fuerunt insignitæ: an intelligatur *prima Sibylla*, quæ inclaruit Delphis ob peritiam divinandi. Ut ita locus Clementis non possit evincere, quod alij urgent. Præterea Delphica Sibylla à loco vocatur, hinc necesse est, subesse aliquam denominationis causam, quam nec Clemens nec Plutarchus exprimit. Si quis velit appellationem istam arcessere ab officio Sacerdotali, quòd ipsa olim Apollinis Oracula interpretata sit, is fortean aberrabit à vero, cùm non Sibylla sed Pythia fuerit prima Delphici Oraculi Sacerdos, de qua in libro secundo fusius actum est: nec

temerè

temerè quis probaverit, Sacerdotem Apollinis ob istud quidem munus interpretandi Oracula dictam fuisse Sibyllam. Et si quis objiciat: Tiresiæ filiam Apollini Delphico consecratam dici Sibyllam, ei facile occurri poterit, quippe quòd istæc femina cognomentum Sibyllæ jam ante habuerit, quàm Delphos unquam concesserit. Proinde videmus & hoc incertum esse. Exstimo tamen: Sibyllam Delphicam dictam fuisse exinde, quòd Delphis citra Oraculum istud publicum vaticinia ediderit, & in illa petra, cujus mentionem faciunt tum *Plutarchus* tum etiam *Clemens Alexandrinus*, consulentibus futurarum rerum notitiam aperuerit. Vel, quòd prima inter Sibyllas Delphis Sacerdotali officio functa istius Dei essata hominibus exposuerit. Vtroque modo nomen Delphicæ Sibyllæ nasci potuit. Et quidem. 1. Quia per aliquot tempus, & dubio procul satis longum apud Delphos commorata, & in edendis vaticinijs celebris facta fuit, quod quoque multis hanc fidem ingeneravit, ac si Delphis esset nata. *Erasmus Schmidius Orat. 1. de Sibyllis. fol. 1493.* quæ Annotationibus N. T. annexa est, ita scribit: *Cumq; diu Delphis commorata fuerit, factum est, ut à multis Delphis nata putaretur.* Quoniam verò ipsa potissimùm apud Delphos vaticinia reddidit, nihil absurdi fuerit, si dicamus: ei cognomentum *Delphicæ* accessisse à loco, ubi se celebrem & claram in explicandis rebus futuris fecerit. 2. Non legitur, quòd Sibylla alia, præter Tiresiæ filiam, Delphis sustinuerit officium interpretis apud Delphicum Deum in proferendis Oraculis. Cum itaque femina hæc jam tum, antequam Delphos concesserit, Sibylla fuerit, ibidem verò Sacerdotio Apollinis defuncta præter hoc subinde in proferendis vaticinijs se peritam præstiterit, imò & celebrem se effecerit, hinc probabile est, ei cognomentum Delphicæ Sibyllæ datum fuisse. Cujus vestigia deprehendi apud *Euripidis Scholiasten* antiquum notantem: Delphica dicta est Sibylla à loco, in quo prophetavit, & Oracula exposuit. Verùm in incertis istis tradendis plura exquirere fortè operæ pretium non erit, cùm & apud antiquos de hac Sibylla vix quicquam reperiatur, in quo tutò liceat consistere.

VII. De hac Sibylla referunt Historici, quòd vixerit ante Trojanum excidium, è cujus vaticinijs, ut & Sibyllæ Erythrææ carminibus multos versus suo operi Homerus inseruisse dicitur, teste *Solino c. 8. p. 204. Polyhistor.* ubi ita scribit: *Delphicam Sibyllam ante Troiana bella vaticinatam* Bocchus *autumat, cuius plurimos versus operi suo Homerum inseruisse manifestat.* Inde scribunt nonnulli, quòd Homerus è vaticinio

quodam Sibyllino videatur cognovisse, disturbatô Priamidarum Regnô Æneam ejusque posteros diutissimè imperaturos. Ita enim *lib. 20. Iliad. pag. 724.* canit.

Ἤδη γὰρ Πριάμου γενεὴν ἤχθηρε Κρονίων
Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη τρώεσσιν ἀνάξει
Καὶ παῖδες παίδων, τοί κεν μετόπισθε γένωνται.

Iam enim Priami genus odit Saturnius: Nunc verò Æneæ vis Troianis imperabit, & filii filiorum, qui quidem in posterum nati fuerint. Erat aut Priami genus Jovi exosum ob perfidiam & injustitiam: ideo Æneas dicitur ad Regnum reservari, ejusque posteris diuturnum promittitur imperium. Et Æneæ mater, quæ cum Achise Dardanio pastore congressa est, profert hoc Oraculum apud *Homerum in Venerem p. 788.*

Σοὶ δ' ἔσται φιλὸς υἱὸς, ὃς ἐν τρώεσσιν ἀνάξει
Καὶ παῖδες παίδεσσι διαμπερὲς ἐκγεγάονται.
Tibi autem erit charus filius, qui Troianis imperabit
Et filii filiis perpetuò nascentur.

Etenim cùm ipsa tanquam adhuc formosa existens puella ex edito Oraculo resciviſſet Anchisæ posteros imperium habituros, utique ipsa cum Anchise jam senescente concubuit, uti ex *Acusilao* notat *vetus Homeri Scholiastes ad lib. 20. Iliados.* Sibyllinum autem hoc fuisse Oraculum conjectare licebit ex eo, quòd Veteres quidam Homerum è Sibyllæ Delphicæ vaticiniis aliqua desumsisse tradunt. vide *Eduard. Simson. par. 2. Chron. Cathol. fol. 89.* Vbi plura non contemnenda de hoc vaticinio tradit. Quod multa ex hujus Sibyllæ carminibus desumserit Homerus, & suo operi inseruerit, probat itidem *Ludovicus Vives ad lib. 18 c. 23. fol. 1801. Edit. Paris. de Civ. Dei.* quamvis nonnulla admisceat, quæ antea jam tum in dubium vocata, & pro veris habita non sint. Sed adscribam locum, cùm prolixus non sit. Delphicam Sibyllam, ait, putans *Delphis natam: dictam Themin, & vixisse ante Troicum excidium, cujus plurimos versus operi suo Homerum inseruiße crediderunt. Hanc Diodorus Daphnen Tiresiæ filiam fuisse refert, quam Argivi cùm Thebas vicissent, Delphos miserunt, ibiq; Apollinis vaticiniis divinandi peritior facta, Dei Oracula consulentibus edidit, idcirco Sibylla est ab omnibus cognominata.* Vbi quidem 1. Illud admittitur, quòd ex ejus versibus Homerus suum opus ornaverit. 2. Verum tamen esse nequit, eam Delphis esse natam: nullus enim Historicorũ hoc dicit, sive Tiresiæ, sive Dardani, sive etiam Lamiæ

Sidoniæ filia fuisse perhibetur: interim affirmari non poterit, eam Delphis esse procreatam. Quamvis itidem Ludovici Vivis vera sententia haut fuerit, illam suos natales debere Delphis, quandoquidem ita nonnullos saltem *putare* scribit. Error autem exinde provenit, sicuti illud supra indicatum est, quòd Sibylla istæc diu Delphis commorata sit, ibidemque artem divinandi exercuerit. 3. Quod Diodorus scribit: *Daphnen* Tiresiæ filiam devictis Thebis missam fuisse Delphos, id *lib. 4. fol. 269. Biblioth.* apud ipsum reperitur. Alij tamen hæc de Tiresiæ filia altera, cujus nomen erat *Manto*, teste *Pausania l. 9. p. 541.* accipiunt, eam scilicet Delphico Deo fuisse consecratam. Adde *Ianum Boissardum in Tractatu de Divinat. fol. 62.* licèt hoc urgere nolim. 4. Quod verò istæc femina, quæcunque tandem illa fuerit, exinde dicta fuerit Sibylla, quòd ob Apollinis vaticinia edita ipsa evaserit divinandi peritior, illud absque antiquitatis testimonio non poterit admitti. Quinimò ante ostensum est, si Delphica Sibylla fuerit Tiresiæ filia, quòd ipsa jam tum vocata fuerit Sibylla, antequam istum in locum unquam pervenerit: *Delphicam* verò eam subinde cognominatam fuisse, cùm diutiùs eo in loco substitisset, & ibi vaticinijs edendis se reddidisset illustrem. Cœterùm cogor hic subsistere in incertis, quoniam certius quippiam habere non licet.

VII. Itaque missis istis ad ea carmina, quæ illi adscribuntur me conferam. De Servatore nostro vaticinata est, quòd ipse nasciturus esset è pura virgine absque maris congressu, uti versus isti leguntur: *in Tom. 8. Biblioth. Patr. fol. 82.*

Non tardè veniet, tacita sed mente tenendum
Hoc opus, hoc memori semper qui corde reponet
Huius pertentant cor gaudia magna prophetæ
Eximii, qui virginea conceptus ab alvo
Prodibit, sine contactu maris, omnia vincit
Hoc naturæ opera: at fecit, qui cuncta gubernat.

Isti quoque Delphicæ Sibyllæ tribuuntur quæ habentur in *lib. 6. Sibyllin. Oracul. fol. 52. in Tom. 8. Bibliotb. Patr.*

Ἀθανάτου μέγαν υἱὸν ἀοίδιμον ἐκ φρενὸς αὐδῶ
ᾯ θρόνον ὕψιστος γενέτης παρέδωκε λαβέσθαι
Μήπω γεννηθέντος: ἐπὶ διὰ σάρκα τὸ διοσὸν
Ἠγέρθη, προχοαῖς δ' ἀπολουσάμενος ποταμοῖο
Ἰορδάνου, ὃς φέρεται γλαυκῷ ποδὶ κύματα σύρων

Æterni

Æterni magnum natum cano pectore ab imo
Cui solium genitor tribuit supremus habendum,
Nondum progenito siquidem de corpore duplex
Extitit. Est autem perlutus fluctibus amnis
Iordanis, glauco cuius pede volvitur unda.

Plura qui de ejus vaticinijs scire vult, is evolvere poterit *lib. 8. Oraculor. Sibyllinor.* ut & *Ianum Boissard. fol. 202. 203. de Divinationib.*

IX. Supereſt, ut de ejus morte aliquid addatur. Sicut autem Scriptores de Delphicæ Sibyllæ persona, origine, parentibus, loco natalium, & appellationibus variant; ita etiam, quæ de morte ejus traduntur, modò Dardani, modò Teresiæ vatis Thebani: modò Theodori ex Idæa nympha: modò Lamiæ ex Sidone filiæ: modò quoque Erophilæ accommodantur. Quæ *Pausanias* de Erophiles obitu narrat, (quæ tamen *Ianus Boissardus de Divinat. fol. 200.* de Sibylla Delphica intelligit,) hîc omittam, de ijs infra, ubi de Herophile agetur, dicturus. Et licèt idem fateatur, Erophylen istam & Delphis fuisse, ibidemque vaticina edidisse; tamen multa ipse interspergit, quæ Sibyllæ Delphicæ, prout communiter describi solet, tribui plane non possunt. *Plutarchus in lib. de Pythiæ Oraculis fol. 398.* de Sibylla à Musis enutrita, aut Lamiæ filia, quàm Sibyllam Delphicam nonnulli credunt, refert, quòd ipsa adhuc viva prædixerit: ne post mortem quidem suam se finem divinandi facturam, sed in Luna se circumituram: è corpore autem suo, quando illud in terram fuerit mutatum, extituram materiam, quâ sacræ pecudes nutriantur, è quarum visceribus homines futura sint præcognituri. ὁ μὲν Σεραπίων ἐμνήσθη τῶν ἐπῶν ἐν οἷς ὕμνησεν ἑαυτὴν, ὡς οὐδὲ ἀποθανοῦσα λήξει μαντικῆς ἀλλ' αὐτὴ μὲν ἐν τῇ Σελήνῃ περίεισι τὸ καλούμενον φαινόμενον γενομένη πρόσωπον, τῷ δ' ἀέρι τὸ πνεῦμα συγκραθὲν, ἐν φήμαις ἀεὶ φορήσεται καὶ κληδόσιν. Ἐκ δὲ τοῦ σώματος μεταβαλόντος ἐν τῇ γῇ πόας καὶ ὕλης ἀναφυομένης, βοσκήσεται ταύτην ἱερὰ θρέμματα, χρόας δὲ παντοδαπὰς ἴσχοντα καὶ μορφὰς καὶ ποιότητας ἐπὶ τῶν σπλάγχνων ἀφ' ὧν αἱ προδηλώσεις ἀνθρώποις τοῦ μέλλοντος. Hoc est: Serapion mentionem fecit versuum, in quibus ipsa (scilicet Sibylla) sese celebrans vaticinandi finem ne morte quidem facturam se ait: sed se in Luna circumire dum mutata fuit in eam faciem, quæ dicitur in Luna apparere; Spiritum autem aëri contemperatum semper omnia suo motu editurum, è corpore autem in terras mutato herbas ac materiem extituram, quibus sacras

sacræ pecudes nutriuntur varios colores, formas, & qualitates viscerum habentes, unde futura hominibus præmonstrentur. Consentanea hisce sunt, quæ scribit *Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. fol. 304.* Verba non adeò multa sunt, ideo illa hîc apponam. Σαραπίων δ' ἐν τοῖς ἔπεσι μηδὲ ἀποθανοῦσαν λήξει μαντικῆς φησὶ τὴν Σίβυλλαν. καὶ τὸ μὲν εἰς ἀέρα χωρῆσαι αὐτῆς μετὰ τελευτὴν τοῦτο εἶναι τὸ ἐν φήμαις καὶ κληδόσι μαντευόμενον. τοῦ δ' εἰς γῆν μεταβαλόντος σώματος, πόας ὡς εἰκὸς ἀναφυείσης, ὅσα ἂν αὐτὴν ἐπινεμηθῇ θρέμματα, κατ' ἐκεῖνον δήπουθεν γενόμενα τὸν τόπον ἀκριβῆ τὴν διὰ τῶν σπλάγχνων τοῖς ἀνθρώποις προφαίνειν τοῦ μέλλοντος δήλωσιν γράφει· τὴν δὲ ψυχὴν αὐτῆς εἶναι τὸ ἐν τῇ Σελήνῃ φαινόμενον πρόσωπον οἴεται. *Serapion in versibus dicit, ne mortuam quidem à divinandi arte cessasse Sibyllam, & id quidem, quod ex ea in aërem recessit post obitum, id esse, quod in sortibus divinat & auguriis: Ex eo autem, quod in terram mutatum est, corpore, exorta, ut consentaneum est, herba, quæcunque eam bestia comedissent, cùm in eo loco essent, scribit perfectam futuri cognitionem per exta hominibus significasse. Eius autem animam eam esse faciem, qua apparet in Luna.* Hucusque Clemens. Præterea huic Sibyllæ Delphicæ accommodant, quod scribit *M. Terentius Varro lib. 1. c. 1 pag 52. de Re Rustica.* præmissis enim illis, quòd cum octuagesimum annum agat, non solùm, quoad vivat, sed etiam post mortem quid fieri oporteat, uxorem suam *Fundaniam* monere velit, subjungit: *Neque patiar Sibyllam non solùm cecinisse, quæ, dum viveret, prodessent hominibus; sed etiam, quæ cùm periisset ipsa, & id etiam ignotißimis quoque hominibus, ad cujus libros tot annis pòst publicè solemus redire, cùm desideramus, quid faciendum sit nobis ex aliquo portento.* Hæc itaque habentur de Sibyllæ Delphicæ exitu. 1. Quod in sera ætate placida morte obdormiverit defectis procul dubio viribus tàm effœti corporis, vel etiam morbo quodam correpta fuerit. Quô tamen genere morbi ipsa interierit, nondum deprehendere licuit. Illud interim certum est, violentâ eam morte non fuisse extinctam. 2. Quod post obitum in faciem Lunæ mutata cum istius orbe circumrotetur, & futura canat. *Plutarch. in lib de Sera Numinis vindicta fol. 566.* refert de Thespesio, quod ille Sibyllam in orbe Lunari futura præcinentem audiverit. ἅμα δ' ἐπειρᾶτο προσάγων ἐπιδεικνύειν αὐτῷ Θεσπεσίῳ) τὸ φῶς ἐκ τοῦ τρίποδος (ὡς ἔλεγε) διὰ τῶν κόλπων τῆς Θέμιδος ἀπερειδόμενον εἰς τὸν Παρνασσόν. καὶ προθυμούμενος ἰδεῖν οὐκ εἶδεν ὑπὸ λαμ-

 προτητος,

πρότητος, ἀλλ' ἤκυε παριὼν φωνὴν ὀξεῖαν γυναικὸς ἐν μέτρῳ φράζουσαν. ἄλλα τέ τινα καὶ χρόνον (ὡς ἔοικε) τῆς ἐκείνου τελευτῆς. ἔλεγε δὲ ὁ Δαίμων τὴν φωνὴν εἶναι Σιβύλλης. ᾄδειν γὰρ αὐτὴν τῶν μελλόντων ἐν τῷ προσώπῳ τῆς σελήνης περιφερομένην. βουλόμενος οὖν ἀκροᾶσθαι πλείονα, τῇ ῥύμῃ τῆς σελήνης εἰς τοὐναντίον ὥσπερ ἐν ταῖς δίναις ἐξεώσθη, καὶ βραχέα κατήκουσεν. ὧν ἦν καὶ τὸ περὶ τὸ Βέσβιον ὄρος καὶ τὴν Δικαιαρχείαν πυρὸς φορᾷ γενησομένην. καὶ τι κομμάτιον περὶ τοῦ τότε ἡγεμόνος, ὡς ἐσθλὸς ἐὼν, νόσῳ τυραννίδα λείψει. Xylander ita vertit: *Simulq; conatus est adducto Thespesio ostendere lumen, quod (ut narrabat) è tripode per sinus Themidis emittitur in Parnassum. Sed cum is id videre cuperet, præ splendore non conspexit: andivit tamen præteriens vocem acutam mulieris carmina edentis, tum alia quadam, tum tempus etiam, quo ipse extremum vitæ diem esset confecturus. Dicebat autem Genius vocem hanc esse Sibyllæ, quæ in facie Lunæ circumvehens futura caneret. Cum autem plura vellet audire impetu Lunæ veluti fluctu in diversam partem compulsus pauca percepit: è quibus fuit etiam vaticinium de monte Vesuvio & Dicaarchea conflagratione, ac de Principe ejus temporis incisum hoc*: Bonus cum sit, morbo tyrannidem finiet. Quæ cum *Boëto* pro fabulosis sunt habenda: nec obstat, quod regerit *Plutarchus in lib. de Pythia Oraculis, fol. 398*: quasi veritatem vaticiniorum testentur multarum Græcarum urbium excidia atque migrationes, multorum barbaricorum exercituum irruptiones, imperiorum subversiones. Quæ verò recens apud Cumas, & Dicæarchiam acciderunt, nonne pridem Sibyllinis decantata carminibus tempus veluti debens persolvit? eruptionem, inquam, montani ignis, fervorem maris, saxorum & massarum flagrantium vi venti ejectionem, tot tantarumque simul urbium interitum, ut hodie, qui ea loca accedunt, non possint cernere. ubinam conditæ fuerint. Nam Resp: talia accidisse non nego, quin & carminibus Sibyllarum ejusmodi eventus fuisse prædictos lubens concedo: sed ejusmodi vaticinia in orbe Lunari fuisse edita & Thespesium ea audivisse, verum non est. Et si Thespesius tale quid percepisse credatur, utique illud meris præstigijs & illusionibus adumbratum fuisse viro isti certò certius est. 3. Quod post obitum finem vaticinandi non fecerit, id suo modo poterit esse verum, non quasi in aëre ejus spiritus hæsitaverit, & captandis auguriis inservierit: aut ex ejus corpore herbæ singularis virtutis enatæ fuerint. quæ ab animalibus depastæ vim divinandi communicaverint, ita ut illorum

extis potuerint futura præmonstrari: Quis enim prudens ejusmodi nugamentis fidem adhiberet? licèt gentium superstitio fallissima istæc tanquam vera admiserit. Quoniam verò quæ Sibyllæ antea prædixerunt, & sua vaticinia in scripturam retulerunt & ita post illarum mortem viventibus futurarum rerum eventus, uti bellum, annonæ caritatem, pestem, terræ motus, inundationes & similia mala, indicarunt, utique hac ratione Sibylla Delphica dicere potuit: se etiam post mortem finem dicendi non facturam. Et hoc sensu loquitur *Varro lib. 1. cap. 1. pag. 52. de re rustica*, quòd Sibylla cecinerit, non solùm, quæ dum ipsa viveret, sed etiam cùm perijsset ipsa, hominibus prodessent.

CAPUT VI.

DE SIBYLLA CUMÆA

I.

Sibylla Cumæa nomen sortita est à Cuma urbe quondam satis celebri in Italia incolæ, à Græcis Cumæi, ab Italis seu potius Latinis dicti sunt Cumani. Cumæ urbs maritima, scribunt *Geographi*, condita à *Cumæis & Chalcidensibus*, ex Eubæa Hippoclis & Megasthenis ductu profectis. Sed duces inter se convenerant, ut *altera gens urbi nomen daret*, alterius autem *colonia*. diceretur. Et ita à *Cumæis nomen* loco datum, & *Chalcidensium* dicta *colonia*. Ædificata erat in colle præcipiti, ad quem difficilis patebat aditus, & ad cujus radices mare alluebat. De Cumarum oppido egregium habetur testimonium apud *Agathiam l. 1. de Bello Gothor. & aliis peregrin. histor. c. 8. p 761.* quod ita se habet. Oppidum Cumarum est *in colle situm, aditu difficili prærupteq;, & in Tyrrheni maris prospectum: & quoniam supra littus sic imminet collis, ut ad inferiorem partem ingenti cum strepitu diffracti fluctus illidant, & loco superiore validis circumcingitur muris, turribus & propugnaculis firmius elaboratis, idcirco eo in oppido perinde tutissimo, per Totilam Teiamq;, qui inter Gothos priores regnârant, quæcunque vel pretiosa, vel admiranda his erant, recondebantur.* Nomen dicitur habere à fluctibus non quidem exinde, uti putat *Lucius Iohannes Scoppa. lib. 1. c 24. Collectan. p. 936. apud Gruterum in Tom. 1. Thes. Critici*, quasi per fluctus enavigaverint Chalcidenses; sed

potius, uti *Agathias* d. l. scribit, quòd locus iste fluctibus continuè sit expositus. Olim ibi habitarunt Cimmerij, qui interdiu in subterraneis domicilijs commorabantur & per cuniculos commeare soliti totô die in illis delitescebant: noctu tamen egressi latrocinijs dabant operam. De hac diversimodè scribunt Historici, quorum alij eam putant oriundam esse è Cimmerio oppido Campaniæ, sed vicino Cumis: alij verò narrant, eam suos natales alij regioni debere; Cumæam tamen denominari exinde, quòd diu in Italiæ isto oppido vaticinata, & tandem ibi defuncta fuerit. *Aristoteles in lib. de Mirabilib. Auscult. fol. 707* Cumæ in Italia ostenditur quoddam, ut videtur, conclave subterraneum Sibyllæ fatidicæ, quam diutissimè vixisse, & virginem permansisse perhibent patria quidem *Erythræam*, à quibusdam verò Italiæ incolis *Cumaam*, ab alijs *Melancbrenam* dictam. E quo loco videtur apparere: Aristotelem istam Sibyllam natione Erythræam putasse, & subinde in ea fuisse opinione, ac si Cumæa dicta fuerit ab urbe Italiæ Cuma. *Pausanias lib. 10. p. 576.* de hac Sibylla scribit sequentia: Post illam (scilicet *Erythræam*) quæ fatidica ipsa etiam fuit, è Cumis (quæ sunt in Opicis Italiæ) & *Demò* nomine fuisse appellatam. Ejus tamen feminæ prædictionem omninò nullam, quam usquam ostenderent, Cumani habuerunt. Saltem urnulam lapideam in Apollinis fano ostenderunt, in qua Sibyllæ ossa condita esse dictitârunt. *Onuphrius Panvinius in libro de Sibyllis* scribit, quòd multi hanc Sibyllam appellent Italicam, eamque è Cimmerio Campaniæ vicino Cumis oppido oriundam.

II. Varia fuerunt hujus Sibyllæ nomina. A quibusdam *Cimmeria* & quidem â loco natali, quod ex Cimmerio Campaniæ oppido Cumis vicino originem suam traxerit. Cujus oppidi ut & viciniæ incolæ dicti sunt Cimmerij, qui in subterraneis ædificijs hanc regionem incoluerunt, ac per cuniculos quosdam inter se commeârunt, hospitesque eadem viâ ad Oraculum altè infra terram absconditum deduxerunt. Illi partim metallis effodiendis quæsiverunt victum, partim vitæ subsidium acceperunt ab ijs, qui Oraculum consuluerunt. Illi autem, qui apud Oraculum degebant, more à Majoribus acceptô, nunquam viderunt Solem, verùm noctu ex hiatibus terræ prodierunt. *Strabo l. 5. fol. 244 & 245.* Quem locum quoque adduxi supra. *l. 2. c. 19. pag. 160.* Verùm cùm Cimmerij constituerint populum numerosum, utpote qui oppidum sui nominis condiderunt, teste *Plinio l. 3. c. 5. fol. 42. Natur. Histor.* inde non nemo existimat: Illos saltem, qui vatici-

nijs

nijs operam dederunt & juxta Oraculum sacra fecerunt, in subterranea ista caverna conclusos diurnam lucem adspicere prohibitos fuisse. At cùm & reliqui incolæ vallem istius regionis obscurissimam & à Sole inaccessam colerent, inde credi cœptum, ac si & illi in tenebris habitarent. Quò pertinent ea, quæ scribit Festus: *Cimmerii, inquit, dicuntur homines qui frigoribus occupatas terras incolunt, quales fuerunt inter Baias & Cumas in ea regione, in qua convallis satis eminenti iugo circumdata est, quæ neque matutino, neque vespertino tempore Sole contegitur.* Verùm quicquid demum de Cimmerijs fabulosi admiscetur, multis tamen persuasum est, Sibyllam Cumæam nulla alia de causa dici Cimmeriam, quàm quòd apud istos populos & quidem in oppido Cimmerio nata, nec non ibidem vaticinia edere solita fuerit. Sed de hoc satis. *Pausanias l. 10. p. 576.* Sibyllam hanc nostram vocat *Demò*, sed quare ita fuerit nominata, non addit, sed saltem autoritate Hyperochi Cumani fretus tale quid refert. Nescio tamen an illi rationi sit fidendum, quod *Demo* dicta fuerit, quasi δαίμων, sciens, perita, vaticinandi scientia instructa. Licèt enim ratio istæc nomine prolato significata à re ipsa non abhorreat; nomen tamen non videtur usq; quaque quadrare. A quibusdam hæc Sibylla vocatur *Amalthæa*. Apud *Tibullum* legi hunc versiculum.

Quicquid Amalthæa & quicquid Marpesia dixit.

Ab alijs dicitur *Themonöe*, quod supra *lib. 2. c. 2. p. 259.* attigi. Licet enim Pythiæ primæ Delphici Oraculi Interpreti & Sacerdoti istud nomen fuerit tributum, Strabo l. 9. fol. 419. Geogr. quam Pausanias l. 10. p. 566. appellat Æditiuam & internunciam Dei. Vox istæc tamen tributa fuit Sibyllæ, ut & alijs mulieribus fatidicis. Vide *Eduard. Simson. par. 2. Chron. Catholic fol. 15.* Porrò *Virgilius l. 6. v. 36. Æneid.* istam Sibyllam vocat *Deiphobem* Glauci filiam, quæ Æneam ad inferos duxit, eamque dicit Phœbi & Dianæ Sacerdotem. Quare autem duo istæc Numina coniungantur, quorum Sacerdos hæc nostra Sibylla dicatur, exponit *Cerda in Comm. ad lib. VI. Virgil. Æneid fol. 602.* Supra notatum est, ab Aristotele istam Sibyllam dici *Melanchrenam* quamvis ex aliorum sententia. Vnde verò ipsi istam appellationem acceperit, in incerto adhuc est. Ex hisce tamen licet animadvertere, quòd quàm maxime de hujus Sibyllæ nomine inter se discrepent scriptores,

III. Sed & adhuc dubium movere poterit, quòd nonnulli eam non differre putent ab Erythræa Sibylla: quidam quoque, quos inter

est *Erasmus Schmidius*, eandem atque Cumanam esse intrepidè affirment. Verùm licèt nemini facilè cumprimis in dubijs atque in incertis litem movere soleam; tamen non video, numquid utraque sententia subsistere queat. Etenim *Erythræam* ab hac nostra Cumæa in multis differre alii plenius exponunt: Cumanam quoque Sibyllam à Cumæa discrepare omnes illi, qui ex antiquis hactenus de Sibyllis scripserunt, id videntur indicare. Infra quoque patebit ratio diversitatis, quare istæ duæ Sibyllæ pro una eademque non habeantur, nec fortean haberi queant. Non possum, quin adducam, quod *Tholosanus l. 12. c. 12. p. 455. de Republ.* scribit: *Cumæam Sibyllam*, inquit, *matrem Evandri quidam dicunt, cuius carmina Julianum Apostatam ignibus tradidisse, refert Ammianus Marcellinus.* Quidam dicunt *fuisse Sibyllam Cassandram, seu Taraxandram, qua & Σαββῆς Tiburtina & Phrygia dicitur.* Tàm incerta hæc sunt, ut quænam demum sententia tanquam verissima ex omnibus sit eligenda, non immeritò dubitari possit.

IV. De hac Sibylla Cumæa narratur, quòd ipsa Regi Romanorum Tarquinio libros novem, vel uti alij scribunt, saltem tres, in quibus fata Romanorum continerentur, obtulerit, ut scilicet ipse illos emeret in usum populi Romani, atque urbis: quippe quòd in ijs futurorum prædictiones continerentur, & ex illis remedia contra futuras calamitates addisci possent. De quibus libris infra peculiari capite disseretur. Interim integram historiam de venditione librorum Sibyllinorum exponerem, nisi ex antiquis monumentis constaret, alij Sibyllæ, quàm Cumææ hoc factum attribui. Quicquid autem de ea historia compertum habeo, illud explicabo in vita Sibyllæ Cumanæ.

V. Cumæam Sibyllam sua Oracula palmarum folijs inscripsisse putat *Eilhard. Lubin. ad Satyr. 8. v. 126. Juvenalis, pag. 363.* & adducit ad confirmandam sententiam suam locum *Virgilii l. 3. Æneid. v. 444. Foliisq; notas & nomina mandat.* Addunt alij: Oracula istæc palmarum folijs inscripta ad ostium antri, in quo habitabat ipsa, fuisse exposita: è quibus, si illa nondum essent conturbata, legentes futurorum notitiam potuerunt consequi. Quod si tamen vi adversæ tempestatis, aut venti impetuosi folia istæc essent agitata, vel etiam disturbata: tum Sibylla non potuerit ulla ratione induci, ut de novo Oraculum semel prolatum & publicè in folijs expositum produceret, vel, quòd venti impetu esset turbatum, iterum expromeret. Inde factum, ut qui turbato versuum fatidicorum ordine accederent, incertiores dimitterentur,

ferentur, quàm advenissent. Quod autem Sibylla Cumæa morem istum observasse credatur præter Lubinum & alij existimant, itidem ad autoritatem Virgilij provocantes: Qui *lib. 6. v. 74. Æneid.* inducit petentem Æneam, ne Sibylla folijs suum responsum inscribat, unde ait:

Foliis tantum ne carmina manda,
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis
Ipsa canas, oro.

Quapropter integrum textum è *lib. 6. Æneid v. 441.* & seqq. adscribam.

Huc ubi delatus Cumæam accesseris urbem,
Divinosq; lacus, & averna silentia ripis,
Insanam vatem aspicies: quæ rupe sub ima
Fata canit, foliisq; notas & nomina mandat,
Quæcunq; in foliis descripsit carmina virgo
Digerit in numerum, atque antro seclusa relinquit.
Illa manent immota locis, neque ab ordine cedunt.
Verùm eadem verso tenuis cum cardine ventus
Impulit, & teneras turbavit ianua frondes,
Nunquam deinde cavo volitantia prendere saxo
Nec revocare situs, aut iungere carmina curat.
Inconsulti abeunt, sedemq; odere Sibyllæ.

Licèt itaque interpretes communiter Poëtæ locum, ita, uti jam tum dictum est, explicent ac si Sibylla istæc sua Oracula palmarum folijs inscripserit, sicuti etiam Donatus insignem locum habet, quem adscribere non pigebit: *Sumit*, inquit, *Sibylla folia, & iis responsa conscribit, ordinat, & dimittit. Veniunt homines, considerant folia, & futura cognoscunt. Sed hoc habet mos contrarium: quippe si ventus impulerit fores, & ordinationem foliorum turbaverit: pereunt consulta, & dubii remeant, qui instructi fuerant redituri*; Verumtamen alij longè aliter textum hunc interpretantur de usu Magiæ, quô incantatrices & veneficæ olim uti solebant. Cujus moris testimonium producunt è *Iohann. Chrysost. Homil. de Mulierib. & Pulchritudine*, ubi ait: πέμπει τοὺς αὐτῆς καλέσασα δαίμονας, καὶ πιτάκια γράφουσα καὶ τὰς ἐπιβουλὰς ἐργαζομένη. Meretrix suos invocans Dæmones folia inscribit, & insidias struet. Interim locus intelligendus est de usu, qui tum heroicis scilicet & antiquissimis temporibus vigebat, quibus in folijs arborum homines scribebant, utpote papyro, vel etiam charta pergamenâ nondum inventâ. Certè siquis probatos & veriores autores consuluerit, deprehendet ejusmodi artes

post bellum Trojanum & Æneam fuisse inventas. Interim consuli poterit *Plinius l. 13. c. 13. fol. 171. Histor. Natural.* Quibus ita positis quid *Ludovic. de la Cerda l. 6. Virgil. Æneid. fol 612.* commentatur breviter videndum est, quippe qui non putat singularem quendam morem ab ista Sibylla fuisse adhibitam; sed illam tum fecisse, quod fecerint istius ævi homines omnes. Æneas tamen petit, ut Sibylla ab isto more abstineat, sed potis *loquatur ore*: tum enim folia vento turbari nequeunt, neque Oraculum expositum erit inane. Quinimo Poeta videtur alludere *factâ frondium seu foliorum mentione* ad veterum Poëtarum morem apud quos suffragia dabantur folijs. Hinc Græcis est ἐκφυλλοφορεῖν, id est, aliquem tribu movere, & ex ordine ejicere. *AEschines* contra *Timarchum* dixit βουλὴ ἐκφυλλοφορήσασα, *Senatus frondium suffragio repudiat.* E quibus cognoscere licet morem istum foliis inscribendi dicta non fuisse Sibyllæ proprium, sed eo tempore omnibus ferè communem, idque ob defectum chartæ. Nihilominus tamen ea quæ Sibylla dixit, tanquam vera & indubitata habita fuerunt, unde etiam enatum est proverbium: *Folium Sibyllæ* quod de re certa & indubitata dicitur. *Erasmus in Adagiis fol. 249. Iohan. Chockier in Face Hist. par. 1. c. 97. pag. 161.* & hoc in memoriam istius Sibyllæ, quæ credebatur vera vaticinari, antequam turbatio foliorum contingeret, & ita Oraculum uno tenore constructum legi posset. Quod verò postmodum alio quodam casu Oracula folijs inscripta fuerint turbata, illud non tàm Sibyllæ, quàm casui fortuito acceptum ferri debet.

VI. Habitavit Sibylla in antro seu spelunca quadam miro artificio excavata, ibique divinis speculationibus dedita ad extremum vitæ spiritum permansisse perhibetur. Illud antrum descriipsit Vrgilius lib. 4. Æneid. v. 441. quem locum supra attuli. Et *lib. 6. Æneid. v. 9. & seqq.*

At pius Æneas arces, quibus altus Apollo
Præsidet, horrendæq; procul secreta Sibyllæ
Antrum immane petit. Magnam cui mentem animumq;
Delius inspirat vates aperitq; futura.

Et paulo post vers. 42. & seqq.

Excisum Euboïica latus ingens rupis in antrum
Quò lati ducunt aditus centum, ostia centum
Vnde ruunt totidem voces responsa Sibyllæ
Ventum erat ad limen cùm virgo poscere fata
Tempus ait, Deus ecce, Deus, cui talia fanti

Ante

Ante fores, subitò non vultus, non color unus
Non comtæ mansere comæ; sed pectus anhelum
Et rabie fera corda tument: maiorq́ videri
Nec mortale sonans, afflata est Numine quando
Iam propiore Dei.

Ubi Virgilius antrum illud describit 1. A *Loco*, nempe quod fuerit in templo Apollinis sito in sublimi parte Cumarum: unde etiam Apollo cognominatur *Altus*, quia in editiore arce seu rupe extructum erat Apollinis sacellum. In isto igitur Apollinis templo fuit antrum Sibyllæ Cumææ. 2. *A Situ*: situm namq́ue fuit in latere rupis Euboicæ, id est, Cumanæ. 3. *A forma*. Latus siquidem istud in ingens antrum fuit excisum. Licèt enim hæc rupis naturæ beneficio esset excavata; tamen non pauca accepit ab industria artis humanæ: unde multa habuit latentia penetralia ex uno in aliud tendentia, ut, qui eorum conditionem ignoraret, non facilè exinde potuerit redire ad lucem, & ex isto veluti barathro emergere. 4. *A Divinitate*, quòd ibi crederetur Apollo adesse: quódque Sibylla istæc ibidem redderet Oracula, & quidem non in uno ostio; sed in diversis, cùm ibi essent multi aditus, & multa ostia, quibus responsa redderentur. Poeta dicit: aditus centum & ostia centum, ubi numerus certus pro incerto ponitur. Quomodo & Græci antrum hoc vocant ἑκατόμπυλον. Ubi contra *Iona Velisii l. 3. c. 14. p. 219. Critic. Lection.* sententiam, insigne exemplum habemus in Sibylla Cumæa, quòd illa spiritu divinô ab Apolline repleta ediderit oracula. Verba sunt satis clara. Cui concinit *Ovidius lib. 14. fab. 4. Metamorph. p. 474.*

—— At illa diu vultum tellure moratum
Erexit, tandemq́ Deo furibunda receptô,
Magna petis, dixit.

Equidem facilè intelligo, quid ille sit repositurus: Scilicet Sibyllam Cumæam fuisse Sacerdotem in templo isto Apollinis. Verùm istæc responsio videtur insufficiens, quod dubitetur, an Sibylla istæc officium sacerdotale in ista æde Apollinis unquam sustinuerit: & subinde incertum sit, an Apollo eo in loco sacerdotales habuerit feminas, & in quibus sacris peragendis illæ fuerint occupatæ. Si dixeris: illam interpretis munus obivisse in explicandis Oraculis. Respondetur, ex antiquis historiis non constare, an Apollo unquam eo in loco Oraculum habuerit, cum tamen Sibyllæ Oracula ab ipsa in antro reddita legantur. Neque quicquam facit, quòd istæc narratio sit saltem Poëtica, cui parum fidei

sit tribuendum. Enimverò non omnia, quæ in scriptis Poëtarum continentur, sunt falsa: sæpe namque in iis licet veterum rituum, factorum, nec non aliarum rerum veritatem deprehendere, proinde nulla ratione induci potero, quare illud, quod de correptione divina hujus Sibyllæ Cumææ referunt tàm Virgilius, quàm Ovidius, tanquam verum admittendum non sit. Cum nulla sit consequentia: Hoc dixit Poëta, Ergò non est verum. Me quidem non fugit, à quibusdam ita doceri: quasi præcipua Poëtæ ars in inveniendo argumento, quod non est verum, sed veri speciem præ se fert, consistat; at exinde non potest concludi, quasi nihil veri in Poëmate aliquo reperiatur, sed cuncta sint ementita & efficta. Ne nunc dicam, & alios scriptores, qui Poëtæ non sunt, idem de hac Sibylla affirmare. Ut proinde simpliciter negari nec possit, nec debeat, quasi nulla Sibylla spiritu fatidico & divino unquam fuerit impleta. Cœterùm missâ hac controversiâ, de qua *cap. 1.* hujus libri plenius egi, describitur hoc antrum *s. à quodam effectu*, quod ob cavitates speluncæ ibidem multiplicentur voces. Nonnulli existimant: quòd cùm Dæmones libenter cavitates obsideant, in isto antro ob diversas rupis partes excavatas diversæ voces emissæ fuerint cum mugitu & horrore ad fallendos tamen homines accommodatæ. Et de mugitu huc pertinet, quod canit *Virgilius l. 6. v. 98. Æneid.*

Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla
Horrendas canit ambages, antroq; remugit
Obscuris vera involvens,

Verùm de antro hujus Sibyllæ unum atque alterum testimonium producam in medium. *Scipio Mazzella c. 30. de situ & Antiquitate Puteolor,* scribit, quòd de Urbe Cumarum nihil amplius reliquum sit, nisi quædam rudera, & aliquid de muro vetusto Ibi habitasse creditur Sibylla Cumæa dicta, spiritu prophetico instructa, & quæ de variis rerum generibus interrogata quærentibus dedit responsa. Quidam apertè fatentur, duo fuisse antra hujus Sibyllæ. *Alterum* prope urbem Cumarum, è quo Sibylla Æneæ prædixit multa ac varia de rebus futuris: *Alterum* prope lacum de Averno ubi aditus ad Infernum esse dicitur. Quod etiam aliis probatur, qui ita scribunt: Adiacet Lacui (scilicet Averno) antrum, quod vocant Cumæum. Cuniculus haut dubiè ab humana manu effossus productusque ad amussim longissimè. Quo verò pertigerit, & terminaverit, videri non potuit, quippe quòd ruinæ illud fecerint impervium. Quod verò apud Avernum sint fauces inferorum, & noctu

dicéque ibidem janua pateat Diti, illud fabulam sapit. Dubitatur tamen, ad quem usum excavata fuerit camera, quæ in intimis istius montis visceribus excisa, vermiculato opere, & cœruleo colore picturata conspiciatur? Verùm à doctis quibusdam creditur, quòd ibi fuerit lavacrum Sibyllæ, cùm locus iste habitationi parum fuerit accommodatus. Deinde monstratur sub Cumis versus Orientem alia sedes, quâ Sibylla Cumæa propriè commorata fuerit, ibidemque habitaverit. Illa sedes fuit saxea specus ingens & ampla, locus certè maximus, & admiratione satis dignus, in cujus medio monstrata quondam sunt terna solia ex eodem lapide exsculpta, in quibus aqua refertis recubuisse Sibyllam dicunt. Intima autem in caverna gradus & thronus excelsior fuit monstratus, è quo responsa sua protulit. *Iustinus Martyr in Cohortat. ad Græcos fol. 27 & 28.* hæc tradit cujus verba hic apponere non pigebit. Ἐθεασάμεθα δὲ ἐν τῇ πόλει γενόμενοι καί τινα τόπον, ἐν ᾧ βασιλικὴν μεγίστης ἐξ ἑνὸς ἐξεσμένης λίθου ἔγνωμεν, πρᾶγμα μέγιστον, καὶ παντὸς θαύματος ἄξιον, ἔνθα τοὺς χρησμοὺς αὐτὴν ἀπαγγέλλειν, οἱ ὡς τὰ πάτρια παρειληφότες παρὰ τῶν ἑαυτῶν προγόνων, ἔφασκον. Ἐν μέσῳ δὲ τῆς βασιλικῆς ἐπεδείκνυον ὑμῖν τρεῖς δεξαμενὰς ἐκ τοῦ αὐτοῦ ἐξεσμένας λίθου, ὧν πληρουμένων ὕδατος, λούεσθαι αὐτὴν ἐν αὐταῖς ἔλεγον, καὶ στολὴν ἀναλαμβάνουσαν εἰς τὸν ἐνδότατον τῆς βασιλικῆς βαδίζειν οἶκον ἐκ τοῦ αὐτοῦ ἐξεσμένον λίθου, καὶ ἐν μέσῳ τοῦ οἴκου καθεζομένην ἐπὶ ὑψηλοῦ βήματος καὶ θρόνου, οὕτω τοὺς χρησμοὺς ἐξαγορεύειν. Ταύτης δὲ τῆς Σιβύλλης ὡς χρησμῳδοῦ πολλοὶ μὲν καὶ ἄλλοι τῶν συγγραφέων μέμνηνται, καὶ Πλάτων ἐν τῷ Φαίδρῳ: δοκεῖ δέ μοι τοῖς ταύτης χρησμοῖς ἐντυχὼν ὁ Πλάτων, τοὺς χρησμῳδοὺς ἐνθεάζειν. Ἑώρα γὰρ τὰ ὑπ᾽ αὐτῆς πάλαι προειρημένα ἔργοις πληρούμενα. καὶ διὰ τοῦτο θαυμάσας ἐν τῷ πρὸς Μένωνα λόγῳ, αὐταῖς λέξεσιν ἐπαινῶν τοὺς χρησμῳδοὺς, οὕτω γέγραφεν. ὀρθῶς ἄρα ἂν καλοῖμεν θείους τε αὐτοὺς οὓς δὴ νῦν λέγομεν χρησμῳδούς. οὐχ ἥκιστα φαῖμεν ἂν τούτους θείους εἶναι καὶ ἐνθουσιάζειν ἐπίπνους ὄντας καὶ κατεχομένους ἐκ τοῦ θεοῦ, ὅταν κατορθῶσι λέγοντες πολλὰ καὶ μεγάλα πράγματα μηδὲν εἰδότες ὧν λέγουσι σαφῶς καὶ φανερῶς εἰς τοὺς Σιβύλλης ἀφορῶν χρησμούς. *Vidimus sanè cum in ea urbe essemus, locum quendam, ubi Basilicam ingentem uno fabrefactam saxo conspeximus: rem profectò maximam, & omni admiratione dignam. Vbi Oracula eam edidisse, qui res patrias à majoribus suis quasi per manus traditas acceperant, affirmabant. In media autem Basilica ostenderunt*

illa specu ad tempus commorari voluerit. Alii credunt: Sibyllam in antro prope Avernum prius inhabitasse, sed illud postmodum dereliquisse, & novam sibi sedem circa Cumas selegisse, unde nomen illud *Spelunca Sibyllæ* isti antro remansit. Quamvis me non lateat, à quibusdam rem ita narrari: Ac si in Sibyllæ isto ad Avernum reperto antro quidam homines fatidici degerint, & hominibus interrogantibus futura prædixerint: Cùm autem illorum nomina interierint, ita, ut amplius non constiterit, quinam demum illi fuerint; Inde antrum istud acceperit à Sibylla denominationem, utpote, quæ celeberrima quondam in Italia fuerit vates. Quod autem ibidem olim vixerint homines, qui futura prænunciarent consulentibus, illud indicare videtur *Maximus Tyrius. diss. 26. p. 151.* ἦν δέ πυ τῆς Ἰταλίας κατὰ τὴν μεγάλην ἑλλάδα περὶ λίμνην ἄορνον ὕτω καλυμένην μαντεῖον ἄντρον, καὶ θεραπευτῆρες τῦ ἄντρυ, ἄνδρες ψυχαγωγοὶ, ὕτως ὀνομαζόμενοι ἐκ τῦ ἔργυ· ἐνταῦθα ὁ δεόμενος ἀφικόμενος, εὐξάμενος, ἐντεμὼν σφάγια, χεάμενος χοὰς, ἀνεκαλεῖτο ψυχὴν ὅτυ δὴ τῶν πατέρων ἢ φίλων καὶ αὐτῷ ἀπήντα εἴδωλον, ἀμυδρὸν μὲν καὶ ἰδεῖν ἀμφισβητήσιμον, φθεγκτικὸν δὲ καὶ μαντικόν. καὶ συγγενόμενον ὑπὲρ ὧν ἐδεῖτο, ἀπηλλάττετο. Τῦτό μοι δοκεῖ τὸ μαντεῖον καὶ Ὅμηρος γνὺς προσθεὶς τῷ Ὀδυσσεῖ τὴν ἐπ' αὐτῷ ὁδόν. Quæ verba *Daniel Heinsius p. 129.* ita interpretatus est, *Dicitur & in Italia circa magnam Græciam, non procul à lacu, quem Aornum* (seu Avernum) *vocant, antrum esse fatidicum cui homines præsunt, qui ab animarum evocatione, quod ibi fit, nomen habent. Hûc qui Oraculi causa venisset, precibus conceptis, cæsa victima, libaminibusq; rite effusis cujuscunq; vellet, sive maiorum sive amicorum suorum umbram ciebat, quô factô, prodibat tenuis anima, nec visu facilis, nec cognitu, quæ tamen & voce prædita esset, & divinandi perita. Hoc Oraculum novisse mihi Homerus videtur, suumq; eò deduxisse Ulyssem.* In quibus verbis legere quidem licet, quòd circa regionem Averni in antro ibidem reperto vixerint homines artem divinandi, & futura prædicendi callentes; hoc tamen ibidem non legitur, quòd illorum nominibus oblivione deletis antrum istud appellatum fuerit à Sibylla Cumæa. Unde quicquid autoritate Maximi Tyrii firmare volunt nonnulli, tenuis videtur conjectura; imò si verba scriptoris istius vel obiter saltem inspiciuntur, ne quidem ulla conjectura ad stabiliendam istam opinionem desumi potest. Aliam igitur causam, quare hoc antrum dictum sit *antrum Sibyllæ*, hic subesse necesse est. Interea ita hodie vocatur, &

scribit *Goropius Becanus l. 4. de reb. Hispan.* se in eo fuisse. Verba Scriptoris producam in medium: *Virgilius, inquit, si quis alius mortalium non in Homero tantùm; sed in omnibus etiam cum Poëtis, tum Historia Scriptoribus, diligentißimè versatus Æneam suum, quem ex Achille & Vlysse composuit, & utriusq; dotibus cumulavit, ad Inferos demisit circa Cumas & Baias ad ipsum Avernum. Vbi & ego Sibyllæ antrum intravi, & eius vidi sacellum rem profectò ut Ogygia ferè antiquitate nobilem, ita non indignam admiratione ob longam & altam specum è rupe excavatam, ad cuius intima calidus vapor subeuntes non parum molestat.* Locus hic extat quoque integer apud *Cerdam ad l. 3. v. 443. Virgil. Æneid. fol. 333.* Clarè autem loquitur *Becanus*, quod statuat antrum Sibyllæ prope Avernum esse, quodque ipse antrum istud ingressus fuerit, & quæ tum potuerit, omnia perlustraverit. Scribit *Boissardus in lib. de Divinat. fol. 223.* vel hodie quoque specum Sibyllæ ostendi super lacu Averno. Quin refert, se prope lacum sæpius summa cum voluptate & admiratione vidisse rotundum Apollinis templum. Quod tamen longa antiquitate, ac temporis injuria ex majore parte fractum, & impervium factum esse subinde narrat. E quo templo per angustum callem ascensus est ad antrum Sibyllæ vastum & spatiosum quidem, sed artificiosa testudine, certè mirâ industriâ excavatum. Spelunca istæc longo & amplo meatu sub monte extensa est, quæ tamen obducto muro tandem finitur. Quidam putant, cura Pontificis Hadriani eum fuisse extructum. Multi peregrini, qui ducti curiositate videndi hoc subterraneum Sibyllæ domicilium & postea illud ingressi sunt, tandem in eo perierunt. Etenim cùm ipsi per anfractus istos obscuros, & multis ambagibus reticulatos in inferiora loca istius antri sese demisissent, illisque reditus liber non daretur, lucernis, quas secum assumserant, ob ignitas exhalationes suffocatis, tandem & ipsi, cùm nescirent reditum ad lucem, miserè occubuerunt. Addit *Boissardus fol. 224.* quòd eodem anno, quo ipse isto in loco vixerit, quatuor Scholastici Belgæ, uti existimabantur, fractô murô, in ejus voragines se demittere non dubitaverint, è quibus tamen post triduum ejecti sunt, corporibus suffocatis, & igne ustulatis. Notatu dignum est, quod idem scriptor addit: *In eodem antro ad dextram videri amplum cœnaculum, cuius parietes opere tessellato* (quod Mosaicum vocamus) *circumquaque cum tota concameratione ornati sunt eleganti artificio: ad cuius finem tria sunt excavata cubicula in eadem montis rupe, ubi videntur scamna lapidea, & aqua semper*

calida

calida pleni, qui vulgò vocantur Balnea Sibyllæ : *neque hi tantum unquam æstuant, quia semper eò ingredi sit tutum.*

VII. Visô Sibyllæ antrô, de ejus ætate aliquid dicendum est. De ea namque scribunt, quòd diutissimè vixerit Unde *Aristoteles* eam πολυχρονιωτάτην παρθένον virginem longissimi temporis appellat. Et *Virgilius l. 6. v. 321.* illam vocat *Longævam Sacerdotem.* De hujus Sibyllæ grandæva senectute diversorum extant testimonia. *Propertius l. 1. Eleg. 24.* ait:

At me non ætas mutavit tota Sibylla.

Idem *lib. 2. Eleg. 2.*

Etsi Cumææ secula vatis agas.

Id est, licet diutissimè vivas, quamdiu nimirum ipsa Cumæa Sibylla vixerit. Proverbialiter namque dicitur: *secula Sibyllæ agere* pro ad seros annos vitam prorogare. Et Sibyllæ ætas, pro *ætate satis longa* ponitur. confer *Erasm. in Adag. fol. 455 :* Servius ad *lib. 6. Virgil. Æneid. v. 321.* sequentem sive historiam, sive fabulam, judicet lector, recitat de eo, unde tam longa ætas isti Sibyllæ contigerit. Apollo eam pio amore dilexit, eique obtulit, quod vellet, arbitrium. Quæ manu hausit arenam, & pro multitudine pulveris, quem continebat manu, longam poposcit vitam. Cui Apollo respondit: Id posse fieri, si Erythram Insulam, in qua habitabat, relinqueret, & eam nunquam videret. Itaque Cumas venit, ubi corporis viribus defecta, in sola voce vitam retinuit. Quod ubi resciverunt ejus cives, sive invidiâ sive commiseratione moti ei Epistolam miserunt Cretâ antiquo more obsignatam. Ubi ipsa illam terram vidit, erat namque de ejus insula, in mortem resoluta vivere tandem desiit. *Ovidius l. 14. fab. 4. Metamorphos. p. 475*, egregiis versibus illam describit:

—— —— *Dum præcorrumpere donis*
Me cupit (scilicet Apollo) elige ait virgo Cumæa quid optes,
Optatis potiere tuis. Ego pulveris hausti
Ostendens cumulum, quot haberet corpora pulvis
Tot mihi natales contingere vana rogavi.
Excidit, ut peterem juvenes quoque protinus annos,
Hos tamen ille mihi dabat, æternamq; juventam
Si venerem paterer. contemtô munere Phœbi
Innuba permaneo : sed jam felicior ætas
Terga dedit : tremuloq; gradu venit ægra senectus

Quæ

Quæ patienda diu est: nam jam mihi secula septem
Acta vides: superest, numeros ut pulveris æquem
Ter centum messes, ter centum musta videre
Tempus erit, cum de tanto me corpore parvam
Longa dies faciat: consumtaq; membra senectâ
Ad minimum redigentur onus. Nec amata videbor
Nec placuisse Deo, Phœbus quoque forsitan ipse
Vel non agnoscet, vel dilexisse negabit.
Vsque adeò mutata ferar, nulliq; videnda
Voce tamen noscar. Vocem mihi fata relinquent.

In hac narratione illud licet notare, quòd stolidè Sibylla ab Apolline annorum multitudinem petierit, cùm tamen omiserit subinde perpetuam juventutem petere: quandoquidem annorum multitudo absque viribus & ita grandæva Senectus est molestia, & potius mors perpetua, quàm vitæ jucunditas. *Pherecydes* non malè dixit: *senem esse grandævum, molestum est*: aliis *ob annosam ætatem displicere, molestius: Sed vivere absque vita sine actionibus, sine jucunditate & voluptate vel ipsa morte est durius.* Quam molestiam, quæ ex annorum nimia multitudine provenire solet, dum senes inepti amplius ad hanc vitam vivere detrectant, mori tamen nesciunt, evitari potuisset Sibylla, si unà cum annorum pluralitate vires corporis juxta Ovidii opinionem petiisset. Obtinuisset tamen & juventutem perennem, si non renuisset cum Apolline concumbere. Sed quivis videt, fabulosum esse, quod is versibus suis descripsit. Sicuti & illud, salvis tamen aliorum Iudiciis, tanquam verum admittere nonpotero, quòd illa vixerit ad mille annos usque. Antiquiores historici ea de re tacent: nec temerè ex omni antiquitate vel ullum saltem adduci poterit exemplum cujusdam hominis qui ætatem mille annorum attigerit. Diu illam Sibyllam vixisse in dubium non voco: nec illam commune vivendi tempus excessisse, dissimulo Illud tamen, quod de tanto hujus Sibyllæ spatio, quo ipsa perhibetur vixisse, affertur, hactenus apud me fidē impetrare non potuit.

IIX. Postquam verò Sibylla hæc tandem *tenues evasit in auras*, post mortem tamen invenit locum sepulturæ in oppido Lilybæo, quod refert *Iulius Solinus cap 11. p. 224.* Lilybæo oppido decus est sepulchrum Sibyllæ. Vt Pachymum Hecubæ, & Pelorum navarchi Annibalis, ita Lilybæum Sibyllæ Cumææ sepulchro veteres insigniunt. Vide *Samuel. Bochartum. par. 2. l. 1. cap. 27. fol. 559. Geogr. Sacra.* Epitaphium tale in ejus honorem legitur erectum. *HIC. IACET. CVMÆA. SIBYLLA.*

APOL-

APOLLINIS. INDVLTV. VLTRA. MOREM. HOMINVM. ANNOSA. IN. DIVVM. CONSORTIVM. RECEPTA. VIVERE. SED. NON. VATICINARI. DESINENS. QVOD. OPTAVIT. DETESTATA. QVOD. NON. PETIIT. ASSECVTA. EST. VALE. VIATOR ET. QVOD NOCET. A. DIIS. NON. PRECARE.

Quæ inſcriptio ſepulchralis videtur quibuſdam ſuſpecta, ob unum vel alterum in ea contentum. Ego quidem ſententiam aliorum de hoc Epitaphio non attingam. Certum tamen eſt, quòd narrationi, quæ de ſera iſtius Sibyllæ ætate circumfertur, illa quàm optimè conveniat. Nam ab Apollinis beneficio ad tantam ætatem pervenit, quæ commune vivendi tempus exceſſit. 2. Ideo vocatur annoſa. Vti in noto iſto verſu illud habetur:

Vrbs Lilybæa perit celebris quæ ſancta Sibylla
ANNOSÆ gremio continet oſſa ſuo.

3. In Divorum conſortium recepta dicitur poſt mortem ob inſigne vaticinandi donum, quô excelluit in vita. 4. Vivere deſiit, quia, quàm annoſa licèt facta fuerit; homo tamen fuit & tandem fatis conceſſit. Quod autem 5. poſt mortem non deſierit vaticinari, intelligendum eſt de verſibus, qui poſt ejus obitum aſſervati ſunt, quibuſque multæ prædictiones continebantur, quorum magna quoque pars dubio procul extitit in libris iſtis Sibyllinis, quos Romani tempore publicæ calamitatis, vel etiam quoties neceſſum erat, ſoliti fuerunt conſulere. 6. *Quod optavit, deteſtata eſt.* Id eſt, vitæ longitudinem, quam impetraſſe dicitur ab Apolline, tandem impetravit, poſtquam vidit illam ſibi in ſummum onus, & moleſtiam ipſo morbo graviorem cedere. 7. Per verba: *Quod non petiit, aſſecuta eſt*, ut equidem exiſtimo, nihil aliud intelligitur, quàm illam poſt exceſſum ex hac vita in numerum cœlitum fuiſſe receptam. Hoc enim, ſi rectè memini, ab Apolline non petiit. 8. Admonitio de non precando eo, quod nocet, non quidem videtur à moribus iſtius Propheтiſſæ abhorrere; attamen, uti credo, hæc fortean cauſa fuit, ob quam nonnulli iſtud Epitaphium tanquam ſuſpectum admittere vel probare recuſant. Cœterùm ipſa poſt mortem divinis culta honoribus memoriam ſui multis impreſſit, qui eam & poſtea venerati fuerunt. Conditum quoque in ejus honorem fuit templum, quod diu uſque ad annum 1559. ſterit inconcuſſum, quô demum tempore vetuſta iſta ſtructura templi graviſſimo terræ motu fracta concidit, quod fide *Iani Boiſſardi lib. de Divinat. fol. 223. refero.*

IX. Offa hujus Sibyllæ dicuntur afservari in arca lapidea, & quidem in templo Apollinis. De quo *Pausanias lib. 10. p. 576.* ita fcribit: *Cumani, femina prædictionem nullam, quam cuiquam oftenderent, habuerunt: oftendunt tamen arculam in templo Apollinis lapideam, in ea Sibyllæ offa condita effe dictitantes.* Neque obftat, quod. n. 8 dicitur de fepulchro hujus Sibyllæ: fieri enim potuit, ut ejus offa, aut quædam ex illis collecta in templo Apollinis arcæ lapideæ inclufa fuerint affervata. Uti hodie reliquiæ Sanctorum alibi, quàm ubi fancta eorum corpora terris mandata funt, religiosè cuftodiuntur.

X. Tandem de Sibyllæ hujus carminibus feu vaticiniis aliquid addendum eft. Illa autem partim ad rerumpublicarum diverfarum fata, cafus, & alios rerum eventus: partim ad Meffiæ feu Jefu Chrifti Servatoris noftri nativitatem, & officium fpectant. De prioribus fcribit *Lactantius l. 1. c. 6 n. 35. & 36.* quòd Romani ea occultaverint: *Harum Sibyllarum*, inquit, *Carmina & feruntur & habentur, præterquam Cumeæ: cujus libri à Romanis occuluntur; nec eos ab ullo, nifi à quindecim viris infpici fas eft* Verùm de hifce infra in peculiari capite agetur. Pofteriora verò quod attinet, ex illis unum & alterum hîc faltem apponam. Et quidem ei adfcribitur vaticinium de Nativitate Chrifti ex Maria virgine *in lib. 8 Oracul. Sibyllin. in Tom. VIII. Biblioth. Patr. fol. 66.*

Ὑστατίοις τε χρόνοις χθόνα ἠμείψατο ——
Καὶ βραχὺς ἐλθὼν παρθένου ἐκ Μαρίας λαγόνων τε
Ἐξανέτειλε νέον φῶς ——
Οὐρανόθεν δὲ μολὼν, βροτέην ἐνεδύσατο μορφήν.
Temporibusq; petit poftremis terram ——
Et brevis egreffus Maria de virginis alvo
Exorta eft nova Lux ——
E cœlo veniens mortales induit artus.

Illud notatu dignum eft, quod eodem folio legitur de Chrifto à Magis in urbe Bethlemitica adorando. Locus eft brevis, fed non prætereundus.

Τικτόμενον δὲ βρέφος, ποτὶ δ' ἔφθα τὸ γηθοσύνη χθὼν
Οὐράνιος δ' ἐγέλασσε θρόνος, καὶ ἀγάλλετο κόσμος.
Καινοφανὴς δὲ μάγοισι σεβάσθη θέσφατος ἀστήρ.
Σπαργανωθὲν δὲ βρέφος δείχθη θεοπειθέσι φάτνῃ
Καὶ λόγου ἡ Βηθλεὲμ πατρὶς θεόκλητος ἐλέχθη
Βουπελάταις τε καὶ αἰγονόμοις καὶ ποιμέσιν ἀρνῶν

Hoc puero nato properavit gaudia tellus
Cœlestis risit sedes, & gestiit orbis:
Divinamq; Magi stellam coluere recentem.
Monstratusq; Dei præcepta sequentibus infans
Est in præsepi, quem fascia circuit, estq;
Dicta Logi Bethlem divino patria nutu,
Caprarum atq; ovium custodibus atque bubulcis.

Clarissimum hoc est vaticinium de Servatore nostro: quale in Prophetarum scriptis, quod quidem de ejusmodi Actu Magorum scilicet, qui stellæ ductum secuti extra Sanctam Civitatem perrexerunt ad oppidum Bethleem, & ibidem novo Judæorum Regi, uti tum vocabatur, sua munera exhibuerunt, non invenitur. Vulgò eidem Sibyllæ sequentes tribuuntur versus.

A teneris annis facie præsignis, honore
Militiæ æternæ Regem sacra virgo cibabit
Lacte suo: per quem gaudebunt pectore summo
Omnia & Eoo lucebit sidus ab orbe
Mirificum sua dona Magi: cum laude ferentes
Obiicient puero myrrham, aurum, thura Sabæa.

Quæ verba, postquam reapse in Servatore nostro fuerunt adimpleta, nonnullis dubium moverunt, nunquid istæc carmina tanquam genuina agnoscenda, aut non potius ceu efficta habenda sint? quod infra pluribus discutietur.

CAPUT. VII

DE SIBYLLA ERYTHRÆA.

I.

NOn una fuit Sibylla, quæ dicta est *Erythræa*. Prima dicta ita est exinde, quòd in loco Erythrarum, qui Batti appellabatur, nata fuerit, qui locus postea in modum urbis exædificatus, Erythres nomen accepit: uti vult *Suidas*. Alii dicunt, eam appellari ab urbe Joniæ hujus nominis, quæ & *Cnopopolis à Cnopo* nominabatur. Altera dicta est à civitate Asiæ non longè à Chio, ubi & nata & vixisse perhibetur: claruit illa tempore Alexandri. *Strabo* de istis duabus Sibyllis hoc indicat *lib. 13. fol. 645. Geograph.* ἐκ δ' ἐρυθρῶν Σίβυλλά ἐστιν ἔνδυς, καὶ μαντικὴ

γυνὴ τῶν ἀρχαίων τίς. Καὶ Ἀλέξανδρον δὲ ἄλλα ἦν τὸν αὐτὸν τρόπον μαντικὴ καλουμένη Ἀθηναΐς. *Erythris nata fuit priscis temporibus Sibylla, mu ier fatidica & divino furore incitata. Alexandri tempore a ia fuit simili modo fatidica, dicta Athenais.* Quæ priore illa fuit recentior. Nonnulli existimant, eam illud nomen accepisse ab insula Erythræa, ideo, quod ejus carmina ibidem fuerint inventa. *Leonhard. Coquæus ad lib. 18 c. 23. fol 191 de Civ: Dei.* Nobis nunc quidem sermo erit de priore illa & antiquiore.

II. Variis nominibus hæc Sibylla exprimitur: aliqui putant, ejus nomen fuisse *Herophilen* de qua Heraclidem Ponticum in libro de Oraculis scripsisse testatur *Clemens Alexandrinus* Qua in sententia videtur & Pausanias fuisse, qui eam Herophilem indigitat, quam sibi Erythræos vendicare scribit *lib. 10. p. 576.* Inde à quibusdam vocatur Herophile Erythræa. Quidam verò opinantur, eam dictam esse Sibyllam Babylonicam quòd ea in urbe esset nata: ejus tamen nomen proprium fuisse *Erythream*, quod non ab aliqua urbe aut regione sit arcessitum Et eum in finem adducunt versus è *lib 3 de Oracul. Sibyllin.*

Ταῦτα σοὶ Ἀσσυρίοις Βαβυλώνια τείχεα μακρὰ
Οἰστρομανὴς προλιποῦσα, ἐς Ἑλλάδα πεμπόμενον πῦρ
Πᾶσι προφητεύουσα θεοῦ μηνύματα θνητοῖς
Ὥστε προφητεῦσαι μὲ βροτοῖς αἰνίγματα θεῖα
Καὶ καλέουσι βροτοί με καθ' Ἑλλάδα πατρίδος ἄλλης
Ἐξ ἐρυθρῆς γεγαυῖαν, ἀναιδέα, οἱ δέ με Κίρκης
Μητρὸς καὶ Γνωστοῖο πατρὸς, φήσουσι Σίβυλλαν
Μαινομένην, ψεύστειραν
Hæc sunt quæ moneo Assyria Babylone profecta,
In Græcos ignis missus, fanatica cunctis
Mortali ut generi divina ænigmata pandam.
Et tamen ex alia patria me Græcia dicit
Ex Erythrâ natam, positiq; pudoris: at illi
Matre ferens Circe, Gnosto me patre Sibyllam
Insanam, falsam.

Aristoteles de mirabilib Auscultat. fol. 707. meminit istius Sibyllæ, & subinde refert? eam à quibusdam Italiæ incolis Cumæam vocatam fuisse.

III. Ferunt nonnulli: Sibyllam hanc genitam esse ex Idæa Nympha à Theodoro pastore. Quod *Pausanias l. 10. p. 576.* probat,

quan-

quando ait: *Parentes ejus* (scilicet Sibyllæ Erythrææ) *dicunt fuisse Theodorum pastorem indigenam, & Nympham, cui fuerit cognomen Idea.* Et cognominis aliam rationem haut esse, quàm quod condensa arboribus loca *Idas* tunc homines appellaverint. Verùm ab hisce parentibus progenitam dici Sibyllam Delphicam supra nempe *cap. 5. p. 533* indicatum est. Ipsa interim fassa est, si traditioni isti habenda sit fides, se è patre *Gnosto*, & matre *Circe* procreatam esse. Sanè tàm diversa traduntur de Sibyllarum, uti & de præsentis Sibyllæ ortu, ut quodnam ex ijs tanquam verum sit admittendum, meritò dubitetur. Inde etiam de ejus patria quàm maximè inter se discrepare scriptores fatetur *Boissardus lib. de Divinat. fol. 205.* quando ait. De ejus patria discrepant inter se auctores. *Suidas* indifferenter hanc Sibyllam confundit cum filia Jovis & Lamiæ. *Hermippus* illam dicit natam patre Theodoro in regione Erythræorum eo loco, qui *Bapta* vel *Batti* olim dictus est, quem postea Erythras nominarunt. Ex qua urbe originem suam duxit *Apollodorus*, qui propterea *Eam* appellavit *suam civem.* Ipsi quoque Erythræi constantissimè asseruerunt, illam in sua nimirum Erythræorum ditione in Coryco monte Ioniæ ubi ostenderunt antrum hujus Phœbadis nativitate clarum, natam fuisse. Verùm alij Erythræam Sibyllam dicunt esse *Noa nurum*, cumque isto in arca tempore diluvij fuisse servatam, quod supra de Sambethe dicebatur *c. 3.* cujus sententiæ strenuum propugnatorem se præbet *Erasmus Schmidius in Orationibus de Sibyllis*, è quibus paucula delibabo. *Is fol. 1493.* scribit: *Erythræa origine fuit Babylonica, nurus Noa, una cum Noa in arca conservata uxor Japheti, qui post diluvium & confusionem linguarum Insulas gentium seu Europam occupavit. Tempora autem Troiana vitâ suâ non attigit licet vaticinia de illis reliquerit.* Quibus verbis impugnare vult opinionem eorum existimantium, quasi Sibylla istæc circa Trojana tempora vixerit. Et *fol. 1516.* adducit ipsius proprium testimonium, quod ipsa de se perhibet in *lib. 3. Carmin. Sibyllor. fol. 36 in Tom. 8. Biblioth. Patr.* ubi scribit: Quod cùm diluvio mundus perderetur, vir unicus autem sed probus Noa videlicet superstes maneret, & in arca servaretur, ipsa cum eodem ibidem conservata exitium effugerit.

Τῦ μὲν ἐγὼ νύμφη, καὶ ἀφ' αἵματ☉ αὐτὸ ἐτέχθη.

Ubi vocabulum νύμφη denotat nurum, & in præsenti negotio nurum Nohæ: imò clarius ipsa hoc addit in sequentibus, dum se cum marito, fratribus mariti cum socero socruque exitium diluvii evitasse scribit.

Quoniam verò se vocat Noæ nurum necesse est, ut uni è tribus ejus filijs nupserit. Non tamen fuit uxor *SEMI*, quippe qui cum sua progenie substitit in Asia. Neque fuit uxor *Chami*: quoniam his cum familia sua, exceptis quibusdam Asiæ partibus, Ægyptum, ut & aliquot loca Lybiæ occupavit. Ut igitur ipsa *Iapheti* conjux fuerit, necessum est, utpote qui in insulas Gentium commigravit per quas docti communiter intelligunt Europam, potissimum verò Græciam cum insulis vicinis: quin & Græci prisci *Iaphetum* sui generis au.orem venditant. Et ut illud obiter moneam; nonnullos ex adductis istis verbis *ἀφ' αἵματος αὐτοῦ ἐτέχθη* colligere voluisse: Sibyllam istam planè fuisse *Noæ filiam*, de qua *cap.* 2. hujus libri aliquid dictum est Dubitant tamen alij de genuina lectione, textum istum diu depravatum fuisse putantes. Quod inspectô pudore naturali illa nec Noæ filia, nec simul ejus nurus esse potuerit: ita enim nupsisset fratri germano: quale tamen conjugium inter fratres & sorores germanos, factâ hominum multiplicatione, Deum tolerasse non apparet Sed ad rem Post diluvium, & circa extructionem turris Babylonicæ, factâ linguarum confusione hæc Sibylla mutationem linguæ dubio procul in se experta cum marito secessit in Europam, indque eam secum attulit novam istam linguam, quæ postmodum Græca appellata est, & quia ipsa suos versus in eadem conscripsit lingua, factum est, ut ejus carmina Græcè conscripta legantur vel hodie. Verùm videndum, quomodo laudatus *Schmidius fol.* 1507. hoc argumentum pertractet: Postquam enim *fol.* 1604. istam sibi objectionem proposuerat: Quomodo istæc Sibylla, quæ cum Noa in arca fuit servata, linguæ Græcæ tàm egregiè gnara esse potuerit, cùm tamen tempore diluvii, & postea etiam ante turrim Babylonicam, quæ post genus humanum rursus demum multiplicatum ædificari cœpit, unica lingua in terra fuerit, non Græca, aut alia, sed saltem Hebræa, ipsa interim non Hebraico, sed Græco idiomate vaticinia sua conscripserit? tum ille Respondet: Post turrim illam maxima parte exstructam, dispersio populorum in omnes terras primum facta est, ut patet *Gen.* 11. *vers.* 8. & 9 *Et japhetidas ab hac confusione linguarum non immunes fuisse, Scriptura Gen.* 10. *vers.* 5. *expressè testatur, dum Iaphetidæ in Insulas gentium dispersi dicuntur, non tantùm secundum distinctas suas generationes, sed & secundum Linguas. Europam ergò quum occupâvit Iaphetus quid mirum? si vel ipse, vel sui, vel uxor etiam eam, quam in confusione Babylonica acceperat, linguam intulerit, quæ posteà Græca fuit appel-*

latâ

lata adeoq; Sibylla Erythræa seu uxor Japheti, quæ inter suos, & eorum, qui secum in Insulas Gentium concesserant, posteros, non nisi Græcè locutus fuit sermone Græco sua conscripserit?

IV. Sibylla Erythræa habetur à quibusdam pro omnium præstantissima & antiquissima, utpote quæ cæteras omnes antiquitate, nobilitate, & vaticiniorum præstantia superare creditur. *Lactantius l. 1. c. 6. p. 37. divin. Institut.* Omnes Sibyllæ, inquit, unumDeum prædicant maximè tamen *Erythræa, quæ celebrior inter cæteras ac nobilior habetur.* Cujus celebritatis hanc suppeditat causam, quod *Fenestella* diligentissimus scriptor de *XV Viris* dicat: *restitutò Capitoliò retulisse ad Senatum C. Curionem Cos. ut legati Erythras mitterentur, qui carmina Sibyllæ conquisita Romam deportarent.* Sed, quod hanc præstantiam attinet, illam equidem ei non denegabo; Attamen de ea non sum certus: quandoquidem Curionis consilium de mittendis legatis Erythras non respiciebat istius Sibyllæ excellentiam præ cœteris; sed quod Romani crederent, se habuisse libros Sibyllæ Erythrææ quondam à Tarquinio coëmtos: & ideo illam legationem decreverunt, cum existimarent eo in loco unum vel alterum exemplar carminum, quibus Sibylla istæc Romanorum fata & futuros eventus complexa erat, adhuc extra dubium asservari. Neque ex octo libris carminum licebit hujus Sibyllæ eminentiam præ alijs eruere quoniam carmina istæc ibidem sunt confusa, ut hodie non constet, an plurima, an potiora vaticinia ad eam sint referenda. Deinde non satis constat, numquid Cumana, an verò hæc Erythræa Sibylla libros Tarquinio Romanorum Regi obtulerit venales? nam & Cumanam cognomentum Erythrææ habere apertè fatetur *d. l. Schmidius.* Proinde insisto meæ sententiæ supra *p. 506.* allatæ, quòd vix certi esse possimus de præstantia unius Sibyllæ præ altera. Interim concedo: communiter ita statui, ac si Erythræa habeatur pro nobilissima omnium Sibyllarum. Sed de ejus *antiquitate* longè incertior res est ob diversitatem Scriptorum in definienda ejus ætate, & tempore, quô ipsa vixerit. Quidam volunt: Eam vixisse ante bellum Trojanum, quod prædixisse, & simul Græcis victoriam promisisse fertur. *Iulius Solinus c. 8 8. p. 2"4 Polyhistor.* autoritate Bocchi Delphicam Sibyllam facit antiquiorem. Hæc tamen vixit paulò ante excidium Troiæ, & de *Scientiæ parilitate* dicta est Sibylla, quæ inter alia magnifica *Lesbios amissuros imperium* maris multò ante præmonuit, quàm id accideret. Alij putant: Eam vixisse tempore Romuli Romanorum Regis: & *Ezechiæ* Regis

Semper in æternum fama celebranda nepotum.

Sequentes versus Homeri negotium attingunt, dum ita canit:

Quidam deinde Senex falsorum Scriptor, & ipsam
Mentitus patriam, nascetur lumine captus
Ille quidem: verùm prælustri mente vigebit
Adstringetq; modis carmen prædulce duobus
Mixtum nominibus. —— ——
Hic res Iliacas scribet, non sicut habebunt
Sed falsò: verbisq; meis utendo modisq;
Primus enim volvet librorum scripta meorum.

Hoc vaticinium cùm ab antiquitate sit probatum, & ab Erythræa profectum existimetur, necessum est, ut ipsa Sibylla sit Trojâ ejusque devastatione antiquior: cùm vaticinium sit rei futuræ, quod non nisi ab eo, qui ante eventum futurorum vixerit, provenire poterit. Quod sanè argumentum non caret probabilitate. Verùm *cap.5.* hujus libri, *n.7 p. 537. & 538.* ostensum est: Homerum etiam è Delphicæ Sibyllæ versibus suum opus ornasse: proinde non poterit illud simpliciter Sibyllæ Erythrææ tribui. Præterea defendit scriptor iste acriter: Erythræam Sibyllam esse nurum Nohæ, & objectiones, quæ de temporis diuturnitate desumuntur, multis diluere contendit. Saltem paucula afferam è *dictis Orationib. p. 1507. Vixit*, inquit, *Noa post turrim Babylonicam, & dispersionem generationum suarum, quæ centum annis diluvium secuta est ad 248 annos: quidni & nurus seu filii Iapheti uxor; quam ad minimum 500 annis natu minor fuerit necesse est, & ex sacris edoceri potest, tamdiu imò & aliquot centenos annos ultra vivere potuisset. Tempore enim turris Babylonicæ & dispersionis gentium uxor Iapheti annos 200 complevisse dicitur. Quod si ergo pro vivacitate illius temporis, quô adhuc Noa socer ipsius 950 annos vixit tantùm 700 annos, ne spatium longius extendatur, attigisset: utique post dispersionem gentium 500. ad minimum annos vixisset, intra quod tempus multiplicatô jam à diluvio genere humanô plurimos homines nasci, & adolescere, & rursus generare, adeoq; Græcam linguam, & simul Idololatriam gentilem, quæ nepotes Iapheti invaserat, longè lateq; dissemînari contigit. Ex hisce igitur patere arbitror: Erythræam, id est, uxorem Iapheti Noaq; nurum Græcè sua carmina scripsisse, absurdi nihil præ se ferre.* An hypothesis illa sit vera, scilicet Sibyllam istam fuisse Noæ nurum, ex ijs quæ *c.3. hujus libri pag.509.* dicta sunt, dijudicari poterit. Sive itaque de Sambethe, sive de Erythræa hoc affirmatur; adhuc tamen in-

certum est, an Noa unquam habuerit nurum, quæ Sibyllæ munus, uti istud describi solet, sustinuerit. An vero dicta Sibylla tamdiu vixerit, & omnem objectam difficultatem superaverit, patebit, si hæc cum illis, quæ supra *pag. 510.* allata sunt conferantur, & subinde Chronologorum judicium attendatur. Illud equidem libenter concedo, Sibyllam Erythræam esse antiquam, & si vixerit ante Trojanum bellum, isti Urbi exitium, & Græcis victoriam prædicere potuisse, idque fortean è suggestione Numinis superioris: Verùm istæc omnia ita se habere, uti hactenus in medium sunt prolata, illud paucis equidem persuadebitur. Interea hæc Sibylla poterit à Romanis haberi *Nobilissima & Præstantissima*, ob famam, quòd illa præ cœteris Sibyllis illorum fata prædixerit, & versibus complexa fuerit: eaque Erythris reliquerit, ut proinde quidam existiment, eam dici propterea Erythræam, quod istius carmina Erythris fuerint inventa. *Coquaus ad l. 18. c. 23. p. 1191. de C. D.* Imò quòd maximè illustria carmina de Messia præ alijs cecinerit: illud postmodum si vera istæc fuerit traditio, ei apud Christianos in studio gentiles convertendi occupatos magnam potuit conciliare laudem ac famam, dum ipsi in Ethnicorum scriptis abundè invenerunt media adducendi infideles ad verum Deum.

VI. Sibylliæ Erythrææ hoc adscribitur carmen, quod habetur apud *Lactantium l. 1. c. 6. pag. 37.*

Ἀλλὰ θεὸς μόνος ὃς παντυπέρτατος ὃς πεποίηκεν
Οὐρανὸν ἠέλιόν τε καὶ ἀστέρας, ἠδὲ σελήνην,
Καρποφόρον γαῖάν τε καὶ ὕδατος οἴδματα πόντου.
Αὐτὸν τὸν μόνον ὄντα σέβεσθ' ἡγήτορα κόσμου,
Ὃς μόνος εἰς αἰῶνα καὶ ἐξ αἰῶνος ἐτύχθη.

Sed Deus solus, unus supereminentissimus, qui fecit
Cœlum, solemque & astra, atque Lunam:
Frugiferam terram, & aquæ fluctus Ponti
Ipsum solum existentem colite Principem mundi
Qui solus & in seculum & à seculo existit.

Pari modo versus nonnulli de Messiæ miraculis, quorum mentionem ibidem facit *Lactantius l. 4. c. 15. p. 397. & 398.* huic Sibyllæ tribuuntur.

Πάντα λόγῳ πράττων πάντας τε νόσους θεραπεύων
—— —— Νεκρῶν δὲ ἀνάστασις ἔσται

Καὶ χωλῶν δρόμος ἔσσ' ὠκὺς καὶ κωφὸς ἀκούσει,
Καὶ τυφλοὶ βλέψουσι, λαλήσουσ' οὐ λαλέοντες.
Τοὺς ἀνέμους παύσει τε λόγῳ στορέσει δὲ θάλασσαν
Μαινομένην, ποσὶν εἰρήνῃ πίστει τε πατήσας.
Omnia verbo agens omnemque morbum curans
—— Mortuorum autem resurrectio erit.
Et claudorum erit cursus velox, & surdus audiet,
Et cæci videbunt, & muti loquentur.
Ventos compescet verbo, sternet autem mare
Insanum, pedibus pacis, fideque calens.

In Tom. 8. Biblioth. Patrum. fol. 82. è Manuscripto Regio leguntur versus de Christi nativitate conscripti, quos Sibylla Erythræa Græcè quidem scripsisse dicitur; Græci tamen versus in dicto Tomo non comparent, hinc Latina versione cogimur esse contenti.

Cerno Dei natum, qui se dimisit ab alto
Vltima felices referent cùm tempora Soles:
Hebræa quem virgo feret de stirpe decora.
In terris multum, teneris passurus ab annis;
Magnus erit tamen hic divino carmine vates
Virgine matre satus prudenti pectore verax.

Præterea vaticinata est Erythræa de Messiæ acerbissima passione, & quibusdam miraculis, quæ tempore ipsius mortis acciderunt: versus habentur apud *Lactantium l. 4. c. 18 p. 411. & 412.*

Ἐς ἀνόμων χεῖρας καὶ ἀπίστων ὕστερον ἥξει
Δώσουσι δὲ θεῷ ῥαπίσματα χερσὶν ἀνάγνοις
Καὶ στόμασιν μιαροῖσι τὰ πτύσματα φαρμακόεντα
Δώσει δ' εἰς μάστιγας ἁπλῶς ἁγνὸν τότε νῶτον.
Καὶ κολαφιζόμενος, σιγήσει μήτις ἐπιγνῷ
Τίς λόγος ἢ πόθεν ἦλθεν ἵνα φθιμένοισι λαλήσῃ
Καὶ στέφανον φορέσει τὸν ἀκάνθινον ——
Εἰς δὲ τὸ βρῶμα χολὴν καὶ εἰς δίψαν ὄξος ἔδωκαν
Τῆς ἀφιλοξενίης ταύτην δείξουσι τράπεζαν.
Αὐτὴ γὰρ σὺ ἄφρων τὸν σὸν θεὸν οὐκ ἐνόησας
Παίζοντ' ἐν θνητοῖσι νοήμασιν, ἀλλὰ καὶ ἀκάνθαις
Ἔστεψας στεφάνῳ φοβερὴν τε χολὴν ἐκέρασας.

In iniquorum manus & infidelium postea veniet,
Dabunt autem Deo alapas manibus impuris.
Et labiis immundis salivas virulentas.
Dabit autem in flagella simpliciter innocens tergum.
Et acceptis colaphis tacebit, ne quis cognoscat
Quo tendit verbum, & unde venit, ut inferis loquatur.
Et coronam spineam portabit
In cibum dederunt ei fel, & in sitim acetum.
Talem inhospitalitatis mensam ei ostendent.
Ipsa enim tu (Iudea) stulta Deum tuum non cognovisti.
Ludentem mortalibus cogitationibus: sed & spinis
Coronasti corona, horridum fel miscuisti.

Pag. 417. & 419. leguntur adhuc duo alii versus superioribus apponendi.

Ναοῦ δὲ σχισθήσεται πέτασμα, καὶ ἤματι μέσσῳ
Νὺξ ἔσται σκοτόεσσα πελώριος ἐν τρισὶν ὥραις
Καὶ θανάτου μοῖραν τελέσει, τρίτον ἦμαρ ὑπνώσας
Καὶ τότ' ἀποφθιμένων ἀναδείξας εἰς φάος ἥξει
Πρῶτος ἀναστάσεως κλητοῖς ἀρχὴν ὑποδείξας.
Templi vero scindetur velum, & die medio
Nox erit tenebrosa ingens tribus horis.
Et suscepta morte in tertium diem dormiet
Et tunc ab inferis regressus ad lucem veniet
Primus principium resurrectionis hominibus ostendit.

Gothofred. Viterbiens. par. 9. Chron. fol. 181. in Tom. 2. script. rer. Germ. Johan. Pistorii, Celeberrimum quoque carmen, quod ἀκροστιχὶς dicitur, quodque Jesum Christum, Dei filium crucifixum, & Servatorem tanquam Judicem exhibet, Sibyllæ Erythrææ tribuitur, quod describitur ab *Eusebio lib 5. c. 18. fol. 592.* & ita se habet:

ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΕΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ
ΣΩΤΗΡ ΣΤΑΥΡΟΣ.

Ι δρώσει δὲ χθὼν κρίσεως σημεῖον ὅτ' ἔσται.
Η ξει δ' οὐρανόθεν βασιλεὺς αἰῶσιν ὁ μέλλων
Σ άρκα παρὼν πᾶσαν κρῖναι, καὶ κόσμον ἅπαντα.
Ο ψονται δὲ θεὸν μέροπες πιστοὶ καὶ ἄπιστοι
Υ ψιστον μετὰ τῶν ἁγίων ἐπὶ τέρμα χρόνοιο

Σ αρ-

Σ αρκοφόρων. ψυχὰς ἀνθρώπων βήματι κρίνει

Χ ἕρσος ὅταν ποτὲ κόσμος ὅλος, καὶ ἄκανθα γένηται
Ρ ίψουσι δ' εἴδωλα βροτοὶ, καὶ πλοῦτον ἅπαντα.
Ε κκαύσει δὲ τὸ πῦρ γῆν, οὐρανὸν ἠδὲ θάλασσαν
Ι χνεῦον. ῥήξει δὲ πύλας εἱρκτῆς ἀΐδαο.
Σ ὰρξ τότε πᾶσα βροτῶν ἐπ' ἐλευθέριον φάος ἥξει.
Τ οὺς ἁγίους, ἀνόμους τε τὸ πῦρ αἰῶσιν ἐλέγξει,
Ο ππόσα τις πράξας ἔλαθεν τότε πάντα λαλήσει,
Σ τήθεα γὰρ ζοφόεντα θεὸς φωστῆρσιν ἀνοίξει

Θ ρῆνος δ' ἐκ πάντων ἔσται, καὶ βρυγμὸς ὀδόντων,
Ε κλείψει σέλας ἠελίου, ἄστρων τε χορεῖαι
Ο ὐρανὸν εἱλίξει, μήνης δὲ τὸ φέγγος ὀλεῖται.
Υ ψώσει δὲ φάραγγας, ὀλεῖ δ' ὑψώματα βουνῶν.

Υ ψος δ' οὐκέτι λυγρὸν ἐν ἀνθρώποισι φανεῖται:
Ι σα τ' ὄρη πεδίοις ἔσται, καὶ πᾶσα θάλασσα
Ο ὐκ εἰς πλοῦν ἥξει. γῆ δὲ φρυχθεῖσα κεραυνῷ
Σ ὺν πηγαῖς, ποταμοὶ δὲ καχλάζοντες λείψουσι.

Σ άλπιγξ δ' οὐρανόθεν φωνὴν πολύθρηνον ἀφήσει
Ω ρύουσα τὸ μέλλον, καὶ δὴ πήματα κόσμου.
Τ αρτάρεον τε χάος τότε δείξει γαῖα χανοῦσα
Η ξουσιν δ' ἐπὶ βῆμα θεοῦ βασιλῆες ἅπαντες:
Ρ εύσει δ' οὐρανόθεν ποταμὸς πυρὸς, ἠδέ γε θείου.

Σ ῆμα δὲ τοῖς τότε πᾶσι βροτοῖς ἀριδείκετον, οἷον
Τ ὸ ξύλον ἐν πιστοῖς, τὸ κέρας τὸ ποθούμενον ἔσται.
Α νδρῶν εὐσεβέων ζωὴ, πρόσκομμά τε κόσμου
Υ δασι φωτίζον πιστοὺς ἐκ δώδεκα πηγαῖς.
Ρ άβδος ποιμαίνουσα σιδηρείη γε κρατήσει.
Ο ὗτος ὁ νῦν προγραφεὶς ἐν ἀκροστιχίοισι θεὸς ἡμῶν.
Σ ωτὴρ ἀθάνατος βασιλεὺς ὁ παθὼν ἕνεχ' ἡμῶν.

Versus hosce dupliciter interpretati sunt scriptores, semel, ut Græca acrostichis quantum fieri posset remaneret: deinde, ut sensus quidem rei ipsius maneret, sed acrostichis Latina exhiberetur, nempe.

JESVS. CHRISTUS. DEI FILIVS. SERVATOR. CRVX.

Priorem versionem, ubi servatur Græca acrostichis, prius videamus,

J udicii fuerit cùm signum, terra madebit:
E t cælo veniet Princeps per secla futurus,
S cilicet ut carnem præsens & judicet orbem.
O mnis homo hunc, fidusque Deum, infidusque videbit.
V na cum sanctis excelsum fine sub ævi.
S ede sedens animas censebit, corpora & ipsa.

C hersos erit mundus, spinas feret undique tellus.
R eijcient simulachra homines & munera Ditis.
I nquirens portas infringet carceris atri.
S ic etenim cunctæ veniet lux libera carni
T unc sanctis. Ignis fontes æternus aduret.
O ccultos actus omnes & quisque loquetur:
S ed tenebrosa Deus collustrans pectora pandet.

T hrenus erit cunctis, & stridor dentis adesi.
E ffugiet solis jubar, astrorumque choreæ,
O mne poli lumen solvetur, & aurea Luna.
V alles extollet, collesque à vertice perdet

V squam nec celsum mortalibus aut grave quicquam.
I nde æqui montes campis: hinc cerula ponti
O mne ratis spernent onus. Hiscet fulmine tellus.
S ic fontes simul arescent: & fluminis alvei.

S tridula tum querulum sonitum tuba fundet olympo:
O rbis grande malum rugiens, & damna futura,
T artareumque chaos monstrabit terra dehiscens.
E t venient omnes Reges magni ante tribunal.
R efluet & cælo tunc sulphuris amnis, & ignis

Sic

S ic cunctorum hominum fient manifesta sepulchra.
T um fidis lignum cornu atque optabile fiet
A tque priorum vita hominum, nocumentaque mundi
V ndis lustrabunt bisseno in fonte vocatos.
R ex pastoris erit nobis & ferrea virga.
O mnipotens Deus est præscriptus versibus istis.
S ervator nostri æternus Rex passus amore

Altera interpretatio, ubi Latina Acrostichis servatur, ita se habet.

J udicio telluris erit sudoribus omen.
E rumpetque alto, carnem qui judicet, atque.
S uspensum (tanti est Regis præsentia) mundum
V iderit inde omnis, vel si perfecta fides est,
S ive hæc nulla, Deum sanctosque in finibus ævi.

C arnis amasius & pulpâ vestitus amicâ
H ic animis albâ è sellâ jus dicet, eritque
R erum campus inops, tribuli nascentur: opesque
I nvisæ fient homini, atque jacebit imago.
S olventur portæ Stygij Plutonis ab illo
T unc quodvis ista gaudebit luce cadaver.
V ir sacer, atque exlex flammâ dignoscitur, atque
S citur id integrum quicquid tamen usque latebat

D ucet enim lampas reseratis foribus intrò
E t multi plangent, multi ringentur, & astra
I nducent choreæ legem. *Facies tum Solis opaca,*

F lexum erit & cælum nullâ quoque luce Diana
I mplebit valles, & quassa cacumina reddet.
L abentur colles hominum fastidia, toti
I ncipient æquor fieri montes: mare demum
V elivolum nulli, quum tellus fulmine arescet,
S ubsident fontes, & nusquam fluminis unda

Suspe-

S uſpectum cœlo ſonitum dabit ære recurvo
E julans tuba, perniciem mundique labores.
R ecludetque chaos immenſum terra dehiſcens
V ndique convenient Reges, ſedemque videbunt.
A cœlo rivus flammæ, undæ ſulphuris atri
T am benefactum judicium mortalibus, atque
O ptatum cornu ſignum cum gente fideli
R es æquè una piis vita orbique inſitus error

C lara duodenis illuſtrans fontibus unda
R oboreumque pedum toto dominabitur orbe
V erſibus exſcriptus Deus his primò *relictura*
X enophilus noſtra cauſſa rex ultima paſſus.

Græca iſtæc *acroſtichis* valdè extollitur à quibuſdam, quòd ſcilicet Sibylla Erythræa ſingulari divini Numinis afflatu imbuta vaticinium iſtud ediderit: adeoque illi vehementer contendunt: illam nec furioſam nec dementem iſtos verſus protuliſſe. *Euſebius l. 5. c. 18. fol. 591. & 592. Eccleſiaſt. Hiſtor.* de iſto carmine ſcribit ſequentia: Hæc cum aliquando in adyta importunæ ſuperſtitionis irrupiſſet, divino planè ſpiritu impulſa, cuncta, quæ eventura erant de Deo, vaticinari verſibus cœpit: primis verſuum elementis (quod genus *Acroſtichis* vocatur) hiſtoriam adventus Jeſu Chriſti apertiſſimè declarans. Ubi interjectô iſtô carmine ita concludit. *Καὶ ταύτα τῇ παρθένῳ δηλαδὴ θεόθεν ἐπίςη προκηρύξαι. μακαρίαν δ' αὐτὴν ἔγωγε κρίνω, ἣν ὁ σωτὴρ ἐξελέξατο προφῆτιν τῆς ἑαυτοῦ περὶ ἡμῶν προφητείας;* *Et hac quidem* divino, *ut credibile eſt*, afflatu *à virgine prædicta ſunt. Ego verò illam eo nomine beatam judico, quòd Deus vatem illam ac nunciam ſuæ erga nos providentiæ delegit* Cicero iſtud carmen Erythrææ videtur legiſſe, qui licèt *lib. 1. c. 18 fol. 182. de Divinat.* in ea fuerit opinione, ac ſi Sibylla Erythræa furore percita vaticinia edere conſueverit, de illo tamen carmine, quod Acroſtichis dicitur, ita judicat, ut neget illud à furente & inſano homine eſſe profectum, partim ſi rem ipſam: partim, ſi modum contexendi verſus iſtos conſideres. Ut proinde à ſano, prudente & pio homine carmen iſtud fuerit editum. Elegantiſſimus eſt textus, qui reperitur in *Tullii. lib. 2. de Divinat. c. 54. fol. 217.* quando ita ait: Quid verò habet autoritatis *furor iſte*, quem *divinum* vocatis, ut quæ ſapiens non videt, videat inſanus, & is,

qui

qui humanos sensus amiserit, divinos assecutus sit? *Sibyllæ* versus observamus, quos *illa furens fudisse* dicitur. Quorum interpres nuper falsaquædam hominum fama dicturus in Senatu putabatur, eum, quem *revera Regem habebamus* appellandum quoq; *esse Regem*, si salvi esse vellemus. Et paucis interjectis pergit: Non esse autem illud carmen *furentis* cùm ipsum poëma declarat (*est enim magis artis & diligentiæ, quàm incitationis & motus*) tum verò ea, quæ ἀκροστιχὶς dicitur, cùm deinceps ex primis versus literis aliquid connectitur, ut in quibusdam *Ennianis*, quæ *Ennius* fecit, id certè *magis est attenti animi, quàm furentis.* Atque *in Sibyllinis ex primo versu cuiusque sententiæ primis literis illius sententiæ carmen omne pertexitur.* Scriptoris *est, non* furentis: adhibentis diligentiam, non insani. Hucusque Cicero! Qui locus crucem fixit quibusdam acerrimè negantibus carmen istud esse Sibyllæ proprium: sed illud esse ab aliis confictum, & sub nomine Sibyllæ prophetissæ gentilis venditum, ut eò facilius ethnici possent ad veram perduci religionem. Nam ajunt, eo tempore, quô Cicero istud solenne carmen, quod acrostichis vocatur, legit, Christus nondum fuit natus: atque ita tum nondum extiterunt Christiani, à quibus istud ad paganos à superstitione ad veram fidem convertendos confingi potuerit? Cicero quoque longè ante vixit quàm Servator sub Imperatore Augusto ex Maria virgine natus fuerit homo. Ipse tamen istud carmen diu ante se conscriptum legit, expendit, & non ab insano, sed ab attento scriptore illud esse compositum judicat. *Augustinus* quoque *lib. 18. c. 23. fol. 1190. de Civ. Dei.* multum tribuit isti carmini Sibyllino, & refert: quòd vir clarissimus *Flaccianus*, qui Proconsul fuit, homo facillimæ facundiæ, multæque doctrinæ, cùm de Christo colloquium institueretur, Græcum codicem protulerit dicens: carmina esse Sibyllæ Erythrææ. Ubi ostendit quodam loco in capitibus versuum ordinem literarum ita se habentem, ut hæc in eo verba legerentur: Ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ, quod est Latinè: *Jesus Christus Dei filius Servator.* Verùm an versus isti sint genuini, vel suppostitij, de illis infra in peculiari quodam capite agetur.

VI. Illud adhuc observari meretur, quod è Græcæ inscriptionis seu potius acrostichidis literis initialibus Ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτὴρ compositum sit nomen ἰχθὺς piscis, quô Servatorem nostrum indigitare voluit antiquitas. Ita *Augustin. l. 18. c. 23. fol. 1190. de Civ. Dei.* qui dicit, quòd *in illo nomine mysticè intelligatur Christus, eò, quòd in huius mortalitatis abysso velut in aquarum profunditate vivus, hoc est, sine peccato*

esse potuerit. Deprehendo quoque ab aliis nomine piscis exprimi Christum. *Optatus Milevitanus lib. 3. contra Parmenianum* de Christo loquitur. *Hic est piscis, qui in baptismate per invocationem fontalibus undis inseritur, ut qua aqua fuerat, à pisce etiam piscina vocetur. Cuius piscis nomen secundum appellationem Græcam in uno nomine per singulas literas turbam sanctorum nominum continet* ἰχθὺς, *quòd est Latinè:* Jesus Christus Dei filius Salvator. Adhuc illustrius testimonium affert *Leonhardus Coquæus ad d. cap. 23. Augustin. fol. 1192. è Prospero Aquitano de Prædiction. par. 2. c. 39.* quod ita se habet: *Satians ex seipso in littore discipulos, & tali se offerens mundo* ἰχθὺν. *Namq; Latinè piscem sacris literis maiores nostri hoc interpretati sunt ex Sibyllinis versibus colligentes, quod est Iesus Christus Filius Dei salvator, piscis in sua paßione decoctus, cuius ex interioribus remediis quotidie illuminamur & pascimur. Adde Blondellum l. 1. c. 12. p. 56. de Sibyllis.* Ita illi: Hac occasione cœperunt quidam animo licèt pio comparationes instituere inter Christum & piscem, & nescio quas rationes similitudinis explicare: veluti quod Christus uti piscibus saturavit populum *Iohan. 6. v. 11. & c. 21. v. 9. 12. & 13.* imò, ut pisces prunis impositos unà cum panibus ex aquis extrahi curavit; ita etiam ipse homines sua carne & sanguine cibaverit. Præterea sicuti piscis in fervente aqua decoquitur in escam hominum, & sustentationem vitæ: pari modo Servator noster decoctus est in passione sua tanquam piscis, unde spiritualem vitam trahunt homines ad reportandam salutem æternam. Verùm non immeritò dubito, numquid eo pacto Servatorem nostrum cum pisce liceat comparare. 1. Namque nullibi in S. Scriptura hæc comparatio est fundata, cùm tamen Christus seipsum cum variis rebus comparaverit. 2. Exemplum de quinque piscibus malè allegatur, quoniam Christus isto miraculo, quô quinque panibus hordeaceis, & binis piscibus quinque millia virorum exsaturavit, suam divinam potentiam ostendit, ut crederent, sicuti ipse doctrina: ita etiam operibus suis potens, & verus & Messias esset à tot seculis hactenus desideratus. Præterea 3. & alterum exemplum Joh. 21. non importat similitudinem inter Christum & piscem; sed saltem manifestationem, quòd ipse Dominus esset, qui jussu Præsidis Romani Pontii Pilati infaustæ crucis arbori affixus, & postmodum degustatâ morte, revera in vitam revocatus resurrexisset à mortuis, & ita veritatem resurrectionis, restauratæque vitæ, suis discipulis demonstraret. Neque. 4. rationem habet, quando Christus in passione uti piscis in aqua decoctus dicitur.

Hinc

Hinc eximius & bene de Ecclesia Christiana meritus Theologus Witebergensis scribit: *Nulla idonea & in textu Scripturæ fundata ratione nititur comparatio inter piscem in aqua: & Christum in paßione decoctum. Christus quidem dolores infernales sensit, & tandem mortem subiit: attamen ob hoc si omnes circumstantias tum officii, quod geßit: tum acerbißimarum paßionum, quas perfectißimè, sicuti omnes homines unà debuissent, & potuissent meritoriè pati, sustinuit, diligenter consideramus, ratio comparationis cum pisce non exactè quadrat. Neque in V. T. ullus typus apparet, quô per piscem spiritualis cibatio à futuro Meßia peragenda, vel ejus paßio & mors vel leviter fuit adumbrata.* Pluscula è laudato Doctore non adducam. Interim Christus cum Agno rectè potest comparari, sicuti Paulus. 1 *Corinth. 5. v. 7.* Christum vocat Agnum paschalem. Et revera Agnus, quem Hebræi *c. 12.* Exod. à Jehova quotannis & quidem certis ceremoniis assatum edere jussi erant, de quo plenius egi *l. 1. c. 2. p. 11. & seqq. Exercit. Pass. Domin.* erat typus Christi, qui tanquam agnus in verum & unicum sacrificium expiationis & redemtionis in cruce immolatus est. Quô tendit quoque Johannis Baptistæ testimonium de Jesu Christo, quô dicitur *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi Joh. 1. v 29.* quatenus ille peccata omnium hominum in se suscepturus, eaque expiaturus sit. Sic enim dicitur *portare peccatum*, quatenus illud portando expiat, expiando aufert, efficitque ut remittatur. Et notat *Erasmus ad d. cap. 1. fol. 1550. Tom. 6. Criticor. Sacror.* quòd *Agnus* peculiariter *Christum* significet, qui futurus erat *vera victima* ad tollenda totius mundi peccata. Loquitur autem in præsenti *Tollit*, ut denotetur continuus expiandi actus, quatenus sacrificium tum Deo patri oblatum adhuc vim expiandi sortitur, ut omnes virtute istius meriti, & sanguinis in cruce effusi interveniente vera & salvifica fide, vel hodie expientur, & salutem æternam consequantur. Hic igitur vera comparatio deprehenditur, quæ tamen inter Christum & piscem cessat. Et certè appellatio piscis vel ἰχθὺς aliunde ortum non traxit, quàm ex illa *acrostichide* Sibyllæ Erythrææ, quam compositionem literarum initialium in hanc vocem coalescentium fortè fortuna quispiam procul dubio invenit, scilicet illorum verborum Ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτὴρ literas primordiales istud nomen ita constituere, ut ita necessum non sit tàm operosè inquirere in rationem comparandi Christum cum pisce, cum illud non necessum sit, nec, uti equidem ipse credo, ulla exinde utilitas ad populum melius aut accuratius de Servatoris officio informandum sperari possit. Interim, missô isto vocabulô ex initialibus dictorum verborum literis

compoſitò ad ipſos verſus redire par eſt, qui ſi *ab Erythræa Sibylla* fuerint conſcripti, certum eſt 1. Illam è principiis naturalibus ejuſmodi divinationis vim non hauſiſſe: cùm illis contineatur myſterium, quod à ratione humana comprehendi, nedum ab ea originem trahere queat. 2. Deinde non potuit iſtud myſterium ei manifeſtari à Spiritu impuro, qui Satanas, & pater mendacii audit: illum equidem iſtud myſterium antea tàm accuratè ſciviſſe, illudque Sibyllæ aperuiſſe, nemo mihi perſuadebit. Quin in ea ſum ſententia, ipſum tum temporis nondum verè & certò intellexiſſe, Mariæ filium fuiſſe promiſſum Meſſiam, quo ipſum tentare cœperit. *Matth.* 4. aliàs enim, ſi ei de hoc certi quippiam conſtitiſſet, nunquam Chriſtum ad horrendum crimen Idololatriæ perpetrandum tentaſſet. 3. Inde, ſi carmen iſtud à Sibylla iſta fuerit profectum, neceſſum eſt ut à Spiritu S. omne illud, quod in eo comprehenditur, iſti fuerit revelatum, cùm ratio humana tale quid nec excogitare, nec aſſequi poſſit. Unde etiam 4. ceſſat, quòd Sibylla animo furibundo iſtos verſus compoſuerit, cùm etiam Cicero jam dudum eam in conficienda hac acroſtichide à tali affectu abſolviſſe videatur.

Verum VII. obſtat, quod ipſa Sibylla ſe appellet *Inſanam & Mendacem*, uti id videre licet apud *Lactantium l. 4. c. 15. p. 400.*

—— Φήσουσι Σιβύλλην
Μαινομένην ψεύστειαν· ὅταν δὲ γένηται ἅπαντα
Τηνίκα μου μνήμην ποιήσετε, ἠ οὐχ ἔτι μ' οὐδεὶς
Μαινομένην φύσει με θεοῦ μεγάλοιο προφῆτιν,
—— *Dicent Sibyllam*
Inſanam mendacem: Cùm autem facta fuerint omnia
Tum mei mentionem feceritis, neque me jam quiſquam
Inſanam dixerit me Dei magni prophetiſſam.

Cui tamen objectioni reſpondent alij, quod carmen iſtud propter obſcuritatem argumenti, imò, uti ratiᴄni humanæ ſibi relictæ, id eſt, ad credenda ſublimiora myſteria nondum elevatæ apparet, propter abſurditatem videatur quidem ab homine muliere inquam inſana & mendace profectum antequam iſtæc omnia quæ ibidem prædicta ſunt poſtmodum fuerint impleta: poſtquam verè ea fuerunt adimpleta, & homines deprehenderunt, ea omnia ita ſe habere, uti à Sibylla fuerunt prædicta, tum amplius non pro inſana & mendace femina, verùm pro magna Prophetiſſa Dei habenda erit. Sed numquid hoc ita procedat, infra peculiare quoddam caput exhibebit, nihil namque certi, uti apparebit

parebit suo loco. hic statui posse, quidam audacter fatentur, licèt alii contrarium defendant.

IX. Non possum, quin hîc addducam vaticinium Sibyllæ Erythrææ de septem Statibus Ecclesiæ, quod *Iohannes Episcopus hemensis* in Libro, cui titulum fecit *ONUS ECCLESIÆ cap. 65.* exhibet; utpote in quo adducit *Sibyllæ Erythrææ* vaticinia, quæ *Venetiis in Bibliotheca S. Georgii Maioris servantur.* Prophetia, quæ sequitur, exscripta est è *VVolfii Centenario. 3. fol. 54. & 55. Memorabil*: ubi Sibylla in suo *Noxilographo* ita ait:

Postquam Taurus pacificus, sub levi mugitu mundi climata sub tributo concludet: illis diebus agnus cælestis veniet. Per Taurum significatur *Cæsar Augustus*, cui etiam Christus tributum dedit. Is Cæsar censetur esse ille primogenitus Taurus habens cornua Rhinocerotis: in quo ventilavit gentes usque ad terminos terræ. Sequitur in Sibylla: *Venient autem dies, quibus virtus mundationis* id est, *Baptismus illustretur in aquis.* & Leo Monarcha convertetur ad agnum, qui omnibus illustretur, & regna subvertet. Et paulò post: *In ultima autem ætate, utpote in primæ Ecclesiæ statu, qui in principio septimæ, seu ultimæ ætatis incepit, humiliabitur Deus, & humiliabitur proles divina: jungetur humanitati Deitas, jacebit in fæno agnus, & puellari officio educabitur Deus & homo.* Signa præcedent apud *Apellas*, id est, apud Hebræos, qui sunt sine pelle, id est, *circumcisi.* Rursus Sibylla *Mulier vetustissima*, scilicet *Elisabetha* puerum præscium scilicet *Ioannem* præcursorem concipiet; *Bootem*, scilicet *stellam novam. Orbis mirabitur, & ductum præstabit ad Ortum tribus Magis*: hic habens pedes 23. sexque pollices, eliget sibi ex piscatoribus, & dejectis, numerum duodenarium unumque diabolum, non in gladio bellóve. Hoc de statu Ecclesiæ primo.

Secundum subinde *statum* Sibylla prænotat, dicens: *Salus agni accubans, modicis leonis spoliis vestietur, utpote paucis rebus temporalibus fulcietur*: nigrum convertetur in rubrum, quasi dicat: fides Catholica, quæ in priori statu Apostolorum adhuc fuit obscura & ignota, in secundo statu per rubrum Martyrum sangvinem elucidius apparebit: vel *rubrum*, id est, *status Martyrum* convertetur in nigrum, id est, in sectam hæresis designatæ in Apocalypsi. Per equum nigrum Sibylla ulterius ait, *Æneadem urbem. Regesq; subiiciet, sed in hamo piscantis in deiectione & pauperie superabit divitias & superbiam conculcabit morte propria, nocturna suscitabit, & commutabitur, vivet & regnabit*; & consummabuntur hæc

omnia fietque regeneratio: ultimò bonos judicabit & malos. Istud compendium Sibyllæ de Christi gestis usque ad extremum judicium exponi valet.

Postea Sibylla sequitur *tertium Ecclesiæ describens statum*, sub his verbis: Hinc *quatuor alata animalia surgent in testimonium*, hoc est, quatuor Evangelia prædicabuntur, nomen agni tubis concinent frentes justitiam, legemque irreprehensibilem, cui contradicet bestia, utpote hæresis Arrii ac aliorum, & abominatio summaque draconis, id est, diaboli: sed surget *stella mirabilis*, id est, *doctrina quatuor doctorum*, quatuor animalium, id est, Evangelistarum habens imaginem, eritque in turba mirabili, Danaos illuminabit, orbem illustrabit. Præterea quomodo Romana monarchia, spretis idolis, subitura esset fidem Christi: & quomodo Constantinus Imperium in Constantinopolin translaturus, Sibylla prænovit dicens: *Evanescent Æneadæ simulachra, virtus & superstitio: alterius cultus adveniet alterius cultor.* Sed de simulachris duo, de vitiis totidem usque in æternum in urbe, & ad primam originem convertentur. Hinc Æneadæ gloria, id est, Romanum imperium, in Bizantium deducetur. Quippe Sibylla jam dictam sententiam fortassis de *Quarto Ecclesiæ statu* pronunciasse videtur: quia subjunxit: *Eritq;* scilicet in Bizantio nidus delicatissimus, qualis non fuit, scilicet propter solitudinem, ac robustum decus, scilicet Romanorum, in muliebre, scilicet Græcorum convertetur, donec catulos ejus ursus, id est *Mahumetica secta* devoret, optimates Bizantinos obtenebret, decus Deucalium effeminet: *Bizantium profanabunt dogmata falsa, ædificia*, id est, *Ecclesias denigrabunt*: ejus per orbem & spolia dispergentur, virgines humiliabuntur, *gallus*, id est, *clerus* non cantabit. Hæc præmissa possunt statui hypocritarum adaptari: tamen principaliter & manifestè significabant excidium Bizantii proximè præteritum. Ulterius de *Quinto Sextóve statu*, ac de Turcarum incursu præsumitur Sibylla dicere: *Ascendent in conspectu altissimi Bizantii scelera*: & reliqua in superioribus conscripta, quæ de tempestate calamitatis nostro jam ævo imminentis vaticinata est Sibylla. Postquam quidem calamitatem, eventurum Evangelicum Doctorem præsensit his verbis: surget stella mirabilis, utpotè Doctor Evangelicus unus post alium usque ad quartum: ideò subjungit, quatuor animalium, id est, Evangelistarum habens imaginem, eritque in turbâ mirabili, Danaos illuminabit, orbem illustrabit. In Æneadem lacus piscatoris nomen agni usque ad fines

secundi

secundi seculi, hoc est, usque ad finem *sexti status* Ecclesiæ, vel secundi generalis status mundi.

Sequitur in Sibyllâ. Inde in Æneade juncta stella Apostolica vinctos à diabolo liberabit, quasi dicat: Diabolus tunc iterum ligabitur. Hinc gloriabitur: moriens illustrabit porrò gloriosus exitus ejus.

Hæc præmissa Sibyllæ vaticinia partim sunt adimpleta: quò magis timendum reliquas calamitates per eam præconizatas procul dubio esse eventuras: quas Omnipotens nobis in pœnitentiam dignam commutare velit. Tandem Sibylla *futuri Septimi Ecclesiæ status* meminit apertè de Antichristo mox post Angelicos pastores insurrecturo immeditatè scribens: Erit autem bestia horribilis ab oriente veniens cujus rugitus usque ad Gentes Punicas, audietur: cujus capita septem, sceptraque innumera pedes 663. Hic erit contradicens agno, id est, Christo, ut blasphemet testamentum ejus, augens draconis, id est diaboli aquas. Reges autem & optimates seculi exuret in sudore terribili, & non diminuent pedes ejus: Stellæque duæ, scilic *Enoch & Helias*, consimiles primæ stellæ scilicet *angelico Doctori* consurgent contra ipsam bestiam, & non usque dum veniat abominatio & voluntas Domini consumetur. Nota: *Iniquitatis completionem Sibylla hic nuncupat abominationem.* Rursus Sibylla paulò post inquit: *Venient in postremis diebus duæ stellæ lucidißimæ, scil. Enoch & Helias, de quibus prædiximus, in peccatis mortuos suscitantes, similes stellæ priori quatuor animalium*, id est, *Evangelistarum, habentes faciem, resistentes bestiæ, id est, Antichristo*, de quâ diximus, aquisque draconis annunciantes nomen, legemque agni, abominationis excidium, & examen minorabunt aquas, sed debilitabuntur in panis afflictione. Sequitur: Exsurgent in robore fortiori nempe Enoch & Helia resurgentibus, plures quàm antea in fide Christi homines roborabuntur.

Post Antichristi interitum utpotè *infra septimum Ecclesiæ statum*, futuram esse communem concordiam per *Gog* tamen interrumpendam Sibylla refert, inquiens: post abominationem revelabitur veritas, & cognoscetur agnus, cui regiones & regna colla submittent, & erunt universi terrigenæ convenientes in unum, ut ovile subeant, & virgâ regantur in unâ, & modicum tempus erit. Deinde facit mentionem *de Gog & Magog*, suorumque satellitum dicens: *Post hæc fiet multarum Gentium bestialiter viventium congregatio:* Orbis in decem sceptra dividetur, præcedent turpissimi concubitus, conceptus abominabiles, tunc

caput

caput ipsorum, scilicet *Gog* Reges multos mente afficiet: quosdam sub jugo submittet: sponsa, id est, Ecclesia silebit, *gallus* id est, *clerus* raucescet, scilicet negligentiâ prædicandi: Fiet agni, id est, Christi, contumelia & apponet abominatio os in contumeliam, ut nomen altissimi deleatur: sibi primævam, id est, Antichristi, vel Luciferi, superbiam applicabit, dicens verba blasphemiæ, donec tres pedes semique abbreviati discurrant.

Sequitur in Sibylla *de pace mundi post Gog recuperandâ & duraturâ usque ad extremi judicii tempora* Et apparebit veritas & justitia omnesque scilicet homines abominationes abjicient & convertentur ad agnum: Aquam scilicet baptismi, profitebuntur *Apella*, id est, *judæi*; & non erit diversa professio, sed una concordia, grex unus, idem ovile.

Postremò Sibylla nunciat *futurum judicium*, inter alia inquiens: Porrò in proximo erit examen, audient terrigenæ minas examinis: ineffabilia concinentur in tubâ: venient in conspectu agni abominationes peccatorum & ultionis appetitus: *descendet ignis terribilis, qui universa creata usque ad æthera concremabit: veniet de cælo vox terribilis advocans universos, ut veniant ad examen.* Item de carnis resurrectione dicit: *Fiet autem ineffabiliter corporis & animæ redintegratio, ut recipiat unusquisque pro merito retributionem gloriæ vel pœnæ.* Tunc apparebunt vincti Reges, ac Principes, & videbunt agnum in throno terribili, ut retribuat universis à dextris ejus benedictio: maledictio procedet ad lævam. Judicabit autem bonos, & malos, ut illos sensim elevet; hos verò in sortem dæmonum vorabit avernus. Hæc nostræ (illius, putà, qui scripsit Dominus Ecclesiæ, cujus & est explicatio & glossa hujus vaticinii Sibyllini) materiæ accommodatissima Sibyllæ vaticinia, sunt extracta *ex Bibliotheca sancti Georgii Maioris Venetiarum.* Vlterius Sibylla in *Nosilographo.* Cladem Constantinopolitanam in typo ruinæ Orientalis Ecclesiæ Sibylla Erythræa prænovit dicens: *Ascendent in conspectu altissimi Bizantii scelera, & trinodum numerum, effusum sanguinem* & Φύσεως, id est, *naturæ offendiculum*, scilicet *Deus abominabitur: corruent sc. Turci in Bizantium: decus & gloriam subvertent ipsius, denigrabitur aurum, sanctum prophanabitur: flammis tradentur ædificia, decus femineum decalvabitur: & væ resonabit undique: excipietq; columna vindictam non erit hircis dux, aut gallus in Bizantio: non erit pax, non decus, sed derisus & subsannatio usque dum 44. pedes, octo pollices, semisque pertranseant.* Quorsum illa comminatoria & horrenda verba Sibyllina in perniciem

niciem nostri tendant, unusquisque penes se acutius trutinet: ego quidem futurorum ignarus totus tremo, atque timeo, ne hujusmodi prænunciata mala aliquando & in brevi Ecclesiæ Occidentali eveniant, quæ in Ecclesiæ Orientalis vice modò sunt adimpleta.

CAPUT. VIII.

DE

SIBYLLA SAMIA.

I.

SAmiam Sibyllam in ordine Sextam facit *Lactantius l. 1. c. 6. p. 34. de falsa relig.* Quæ procul dubio inde dicta est, quòd ex urbe vel insula *SAMO* ortum traxerit. Nomen illud competebat duabus Insulis, quarum *altera* Joniæ adiacebat è regione Ephesi, Junoni quondam consecrata, quippe quæ in ea fuit nata & educata. Ibique antiquissimum fuit Junonis templum: *Altera* è regione Epiri non procul à sinu Ambracio, *Cephallenia* quoque olim appellata. Similiter & Urbs istius nominis fuit, quam Romani diruerunt. An autem hæc nostra Sibylla ex Insula an verò ex Urbe Samo fuerit oriunda, neque Lactantius, nec alii, qui istius mentionem faciunt, clarè explicant. Dubium etiam & illud movetur, numquid ne nomen saltem exinde acceperit, quòd in Samo vaticinata sit, sicuti id supra de Delphica Sibylla affirmabatur, quod ob locum divinationis non verò nativitatis istud cognomentum accepisse credatur. Parum autem refert, quomodo istæc appellatio sese habeat: Suffecerit nobis, quòd in numero Sibyllarum & ipsa una fuerit, quæ dicta sit Samia. Appellata quoque fuit *Phyto*: vel uti alijs placet *Phygo*. Betulejus ad *Lactantium l. 1. c. 6. p. 34.* scribit: quòd *Valerius Maximus* mentionem faciat hujus Sibyllæ, & quidem *l. 1. de Ominibus c. 5. in Extern. prim. exempl. p. 19.* Sed historiâ totâ perspectâ nemo deprehendet, Scriptorem istum meminisse hujus Sibyllæ: quandoquidem refert iste de Prienensibus, quòd cùm ipsi adversus Caras eorum auxilium implorarent, Samij loco classis & exercitus illis cymbulam miserint derisus gratia. Fortean usus est *Betuleius* exemplari quodam, in quo pro *Cymbula* posita fuit vox *Sibylla*. *Stephanus Pighius* in notis ad *Valer. Maxim. p. 429.* dicit, à quibusdam recitari istam historiam ita ac si *Sibyllam* suam nempe Samiam misissent. Qui tamen illud pro absurdo habet: unam feminam mittere in auxilium populo in pericu-

lis constituto. Verùm si illud factum fuit irrisionis causa, cessat absurditas. Interim missô hôc discursu, melior lectiô erit: quòd Samij *Cymbulam* miserint, cùm hoc veritati & facti circumstantijs sit magis consentaneum.

II. Quemadmodum denominatio istius Sibyllæ est incerta; ita quoque & tempus, quô illa vixit, valde incertum est. *Eusebius ut & Cassiodorus* scribunt: vixisse illam Anno mundi *3297.* ante natum Servatorem *665.* & quidem Athenis regnante *Hippomene*: quamvis eam nominent Herophilen. *Augustinus lib 18. c. 24. de C. D fol. 1181.* existimat: Sibyllam Samiam tempore Numæ Pompilij Regis Romanorum floruisse. Ita enim scribit: *Numa regnante Roma, & apud Hebræos initio regni Manasse, à quo impio Rege Esaias perhibetur occisus, Samiam fuisse Sibyllam ferunt.* Cum quo facit *Eusebius*, qui disertè fatetur: Numæ Romanorum: & Manasses Israëlitarum Regis temporibus Sibyllam Samiam, quæ Herophile appellatur in Samo habitam fuisse insignem. Consentit *Hieronymus in Chronicis*, eamque vocat *Samonetem Herophilen.* Quo tamen in nomine erratum ab ijs videtur: quandoquidem Herophile longè antiquior est Sibylla Samia, uti suo loco indicabitur. Etenim illa vixisse dicitur circa Annum *2813.* teste *Eduardo Simsone. part. 2. Chron. Cathol. fol. 64.* cùm tamen Samia floruerit anno *3297.*

III. Hæc Sibylla laudatur (1) ab Ingenio (2) à serio studio ac proposito homines retrahendi ab improbis moribus, potissimùm tamen à detestando Idololatriæ peccato. (3) à prophetiæ seu vaticinandi certitudine. *Primum* quod attinet, de ea legitur, quòd fuerit erudita, atque ingeniosa: & uti alia, sic & *lyram triangularem* invenisse perhibetur; ceu hoc è Suida adducit *Schmidius in Orat. 1. de Sibyllis fol. 1494.* Musicam amavit, & sæpe ejus dulcedine, prout tum temporis ea haberi potuit, spiritum torpentem excitavit, eumque ad varia alacriorem fecit. Aliquando mœsta hinc inde discursavit præ tristitia neminem alloquens: tandem domum rediens assumtâ lyrâ tàm eleganter fidibus modulata est, ut novas vires recepisse visa fuerit. *Tricassius Mantuanus* in ludicris *l. 3. c. 25. n. 8. pag. 202.* Ubi refert, se illud apud alios observasse tanquam è vetustis Samiorum annalibus depromtum. Quod tamen ego tanquam singulare, & admiratione dignum opus haut æstimo, cùm Musica languentes animos recreare, eosque ad eximia & læta peragenda elevare soleat. Sic *Euripides in Medea vers. 195. & seqq. p. 274.* ait, (Latina saltem verba adscribam): *Musica jucunditatem & gau-*

gaudium confert: sed cùm dolores ingruunt, ad ægra lenienda pectora blandum melos tum est opportunius. Adde *Conradum Lycosthenem in Apophthegmat. p. 766.*

IV. De altera ejus virtute illud narratur, quod seriò & indefessa industria impios ad veram sinceræ pietatis viam de colendo uno Deo perducere conata fuerit. Cumprimis autem (1) *adhibuit crebras & varias exhortationes ad colendum verum Deum*, qui mos homines cohortationibus instruendi ad aliquod vel faciendum, vel omittendum antiquis temporibus valdè fuit usitatus, (2) *demonstravit solidis rationibus* (quod equidem ipsa tanquam erudita & prudens vates facere potuit) omnia *istac Numina, quæ ab hominibus superstitiosè colerentur, esse ficta & vana*; eorumque statuas opera artificum esse elaboratas, quas tamen ipsi impia commoti superstitione venerarentur. Laude dignum utique hoc fuit studium Sibyllæ Samiæ in convertendis gentibus, ijsque ad cultum veri & Unici Dei reducendis occupatum. Inde de Deo hunc versiculum protulit.

Μοῦνος γὰρ θεός ἐστι, καὶ οὐκ ἔστιν θεὸς ἄλλος,
Solus Deus est: neque enim est Deus alius.

Item: εἷς θεὸς, ὃς μόνος ἐστὶν, ὑπερμεγέθης, ἀγένητος.
Unus Deus, qui solus est, maximus, non genitus.

Et ut homines eò proniores forent ad unicum & verum Deum honorandum, ipsis proposuit: Illum esse totius mundi, cœli ac terræ, atque ita omnium creaturarum conditorem & opificem. Unde ipsa ita canit:

Αὐτὸν τὸν μόνον ὄντα σέβεσθ' ἡγήτορα κόσμου.
Ὃς μόνος εἰς αἰῶνα, καὶ ἐξ αἰῶνος ἔτυχεν.
Illum solum existentem colite opificem mundi
Qui solus è seculo, & in seculum fuit, estque futurus.

E quibus colligitur: Quòd Sibylla Samia, cùm inter paganos versaretur aut ab alijs pijs & fidelibus, qui tum quoque inter gentiles dispersi vivebant, vel rectius informata fuerit, vel è solo lumine naturali doctrinam de Uno & vero Deo hauserit, utpote quæ esset sapiens femina: vel etiam è speciali revelatione divina impias Ethnicorum superstitiones de multitudine Deorum reliquerit, & doctrinæ veritatem secuta alios ab Idololatria avertere, eosque ad verum Deum adorandum revocare debuerit. Qua in re officium Sacerdotis abundè implevit, dum hominibus veram viam agnoscendi unicum Deum monstravit

quamvis hoc actu munus Sacerdotis integrum non absolvi satis constet.

V. Quod de Prophetiæ seu vaticinandi certitudine affertur, illud à paucis fortean affirmatum invenietur. Ipse, uti non diffiteor, magnam operam impendi in hisce pervolvendis: numquid scilicet ipsa publicè hominibus ad se venientibus ad propositas quæstiones dederit responsa? aut, numquid famam ipsa sibi de certitudine vaticiniorum conciliaverit? Verùm nemo ex antiquis est, è quo potui certior de istis fieri. Quod verò concernit vaticinia de futuro Messia, illorum quidem non exiguus est numerus: pauca tamen ex illis hac vice adducam. Quorum primum est Latinè translatum è Codice Regio Gallicano, & agit de futuro Messia, qui tandem ad implenda tot Prophetarum Oracula manifestari debuerit hominibus: in *Tom. IIX. Biblioth. Patrum. fol. 82.*

Ecce dies nigras quæ tollet læta tenebras,
Mox veniet, solvens nodosa volumina vatum
Gentis Iudææ, referunt ut carmina plebis.
Hunc poterunt clarum virorum tangere Regem,
Humano quem virgo sinu inviolata fovebit
Annuit hoc cælum: rutilantia sidera monstrant.

Alterum continet justam ipsius indignationem erga gentem Hebræam, quæ suum Regem non agnovit: & absolvitur tribus membris. 1. Quòd populus Israëliticus noluerit Christum tanquam verum suum Regem agnoscere & venerari. 2. Quòd istum contemserit, eique tanquam Regi futili aut stolido coronam è spinis contextam imposuerit. 3. Quòd ei potum dederit felle permixtum.

Σοὶ δὲ μόνη Σοδομίτις γαίη κακὰ πήματα κεῖται:
Αὐτὴ γὰρ σὺ ἄφρων τὸν σὸν θεὸν οὐκ ἐνόησας
Παίζοντ' ἐν θνητοῖσι νοήμασιν: ἀλλὰ κ' ἀκάνθαις
Ἔστεψας στεφάνῳ, φοβερήν τε χολὴν ἐκέρασας.
At solam Sodomæ tellus mala dira teneat te.
Namq; Dei malè Sama tui te notio fugit,
Sensibus humanis ludentis: namq; coronam
De spinis illi posuisti, iniuria maior
Quò foret, & potum fudisti fellis amari.

Et tantum hac vice de Sibylla Samia, de qua itidem consuli poterit *Janus Boissardus in lib. de Divinat. fol. 248. & seqq.*

CAPUT,

CAPUT IX.
DE
SIBYLLA CUMANA.

I.

DE hac Sibylla magna difficultas apud Scriptores antiquos reperitur, unde Lector satis incertus redditur, ut quid demum amplectendum, aut pro vero habendum sit, meritò dubitare possit. Et potissimùm sese exserit illa incertitudo in *Diversitate nominum*. Quandoquidem Itali illam vocarunt *Amaltheam*: Quô pertinere dicunt versiculum *Tibulli* supra *l. 2. Eleg. 5 p. 545.* à me allatum:

Quicquid Amalthaa & quicquid Marpesia dixit.
Hercophile Phœbograta quod admonuit.

Alij eam appellarunt *Demophilem*, uti etiam inscriptio imaginis à *Iano Boissardo in lib. de Divinat. fol. 230.* exhibita id monstrat, scilicet: *CVMANA AMALTHEA* vel *DIMOPHILE.* Ab alijs vocata est *Herophile*: vel, uti Suidas illud nomen exprimit, *Hierophile*, quo nomine insignitam fuisse *Erythraam Sibyllam* dixi cap. præced. *pag. 560.* Imò nonnulli sunt in ea opinione, ac si *Sibylla Erythraa* & *Cumana* sit una eademque femina, & omnia, quæ de *Erythraa* dicuntur, de hac *Sibylla Cumana* simpliciter intelligenda sint, quod quoque statuit *Erasmus Shmidius*. Vide supra pag. 546. *Pausanias lib. 10. p. 577.* dicit Sibyllam istam dictam esse *Demò*, quod *David Blondellus par. 1. c. 2. p. 5.* pereximii Tractatus *de Sibyllis* interpretatur de *Cumana Sibylla*. Augetur quoque *illa incertitudo* propter diversitatem parentum, à quibus tamen & aliæ Sibyllæ natæ esse perhibentur. Ita Sibylla Cumana dicitur esse filia Berosi, à quo tamen Persicam Sibyllam genitam esse supra *p. 508.* è quorundam autoritate dictum est. Adde quæ *Blondellus* citato loco adducit, ut & quæ *lib. 1. c. 8. p. 36. & 37.* affert.

II. Quidam nolunt differentiam inter Sibyllam Cumæam, & Cumanam constituere; sed duas istas pro una agnoscunt, diversa saltem ipsis tribuentes nomina desumta ab ijs locis, in quibus Oracula ab ipsis sunt reddita. Et inter alia illud inde probare volunt. (1) Quòd illa nomina, quæ tribuuntur Sibyllæ Cumææ, etiam Cumanæ competant. (2) Quòd librorum fatalium venditio Tarquinio Regi Romanorum facta utrique adscribatur: cùm tamen Historici de una loquantur, quæ

dictos libros vendiderit. Ut ita Sibylla Cumana à Sibylla Cumæa non videatur diversa. Quibus accedit (3) convenientia in nomine, nisi quòd saltem terminatio discrepet. Numquid verò ob tàm exiguum discrimen quoad vocis exitum in nominibus *Cumaa & Cumana* duæ diversæ Sibyllæ sint statuendæ, meritò quis dubitabit.

III. Verùm non attentis illis rationibus multi sunt, qui licèt Sibyllam Erythræam & Cumanam pro eadem habeant, eam tamen à Cumæa diversam faciant, duas numero Sibyllas Cumæam & Cumanam statuentes, quod supra *pag. 546.* attigi. Et quidem 1. *Quia utraque in diversis locis nata dicitur.* Nam *Cumana* natales suos habuisse creditur Cumis, quæ est urbis in agro Locrensi, & quidem in Jonia Asiæ minoris, & olim fuisse perhibetur civitas celeberrima. Ubi & natus est *Ephorus* historicus Cumanus, *Isocratis* quondam auditor, & condiscipulus Theopompi: Et hæ sunt *Cumæ Locrenses.* Ibi Apollo templum religione & Oraculis clarissimum habuit: cujus statuam tum temporis, cùm Romani adversus Achæos eorumque Regem ob fractam fidem, & defectionem ab inito fœdere pugnarunt, & in prœlio superarunt, *Pausan. l. 7. p. 390 & 391* per integrum quatriduum flevisse dicunt. Fuit quoque hæc urbs omnium Jonicarum Urbium maxima & metropolis: in hac, uti dixi, Sibylla Cumana & nata & oracula pro se reddidisse perhibetur. Sed juxta plurimorum sententia *Sibylla Cumæa* ortum traxit è Cumis urbe Italiæ. Et quoniam istæc Sibylla derelictô patriæ locô se in Italiam contulit, & ibi celebrem quondam Sibyllam à loco Cumarum in Opicis ita appellatam vaticinia edidisse experta est, itidem Cumas Opicas secessit, &, auditô hôc, quòd ibi esset Tripus Apollini consecratus, illum videre desideravit. Quô visô ibidem diu substitit, & vaticinata est. Exinde error facilè potuit enasci, quasi una sit Sibylla Cumæa & Cumana, cùm & hæc posterior in eodem loco claruerit vaticiniis: Sed quia Sibylla Cumana potuit ex alia urbe ortum ducere, & in alia urbe diversæ regionis, ubi ante ipsam alia ejusdem ferè nominis Sibyllæ prædixit futura, subsistere & vaticinari, inde contraria opinio de identitate Sibylla Cumææ & Cumanæ facilè evertetur. 2. *Quia utrique diversi parentes tribuuntur.* Etenim plerique, qui Virgilium sequuntur, existimant: Sibyllam Cumæam esse *Glauci* filiam, à qua Ænæas dicitur ad Inferos deductus: Nusquam tamen legitur Sibyllam Cumanam à Glauco esse progenitam: quamvis de ejus parentibus itidem incerta reperiatur traditio. Illud tamen

certum

certum est, quod à diversis parentibus hæ Sibyllæ legantur procreatæ, licèt de utriusque parentibus, quinam scilicet illi fuerint, adhuc controversia duret. Quod factum esse credo exinde, quia omnia ferè de Sibyllarum personis & earum numero obscuritate sunt involuta, dum alij quasdam Sibyllas pro distinctis: alij verò pro ijsdem habent, & saltem ex locorum diversitate, ubi vixerunt, differentiam petunt. 3. *Quia diversis temporibus vixerunt.* Quandoquidem Cumæa Sibylla vixisse dicitur Trojanorum tempore, quæ, licèt itidem de alia Sibylla hoc affirmetur, Trojanum excidium prænunciasse perhibetur 3. cidit autem excidium istud circa annum mundi 2821. Verùm Sibylla Cumana ad illud ævum non pervenit, quippe quæ floruit Tarquinij Romanorum Regis tempore. Et si intelligatur *Tarquinius Priscus* quintus à Romulo Urbis conditore Rex, is vixit anno à mundo condito 3389. Si verò intelligatur Tarquinius Superbus, is regnavit anno mundi 3425. In cujus Tarquinij ætatem igitur incidit Sibyllæ Cumanæ ætas, utique vel hac ratione multum differet à Cumæa Sibylla, utpote quæ diu ante jacta urbis Romæ fundamenta vixit. Et hoc exinde patet, quia Æneas post expugnatam Trojam, & secessum in Italiam cum ipsa collocutus est, & ab ea multa arcana futura perdidicit. Quantumvis autem deductio illa Æneæ in infernum, de qua Poëtæ fabulantur, neutiquam sit attendenda; attamen hospitem illum tàm præstantem Prophetissam de futuris consuluisse à fide historica non recedit, nec ab ea est alienum, de quo nonnulla disserit pereruditus *Claudius Salmasius ad Iulium Solinum*, quando sequentia notat. Sed dixerit aliquis: Poëtæ fidem non esse arbitrandam: Poëtæ esse mentiri & fingere: illum igitur, quæcunque de Sibylla Cumæa scripsit, confinxisse licentiâ Poëtarum. Verumtamen *certum est Æneam in Italiam venisse: hoc non finxit, sed ex historia sumpsit. Certum est & Sibyllam quandam Cumis vaticinatam esse, neque hoc ipse commentus est. Aristoteles aliiq; Autores Virgilio longè antiquiores de ea scripsere. Cumis Æneam appulsum etiam constat, ne in tempore quidem fortassè fingendo ἀδεία seu fiducia sua usus est. Et vivebat adhuc degebatq; Cumis tunc Sibylla, cùm eò appulsit Æneas. Cætera finxit, nempe Sibyllæ cùm Ænea colloquium, eadem Duce descensum ad inferos, & alia, quæ libro sexto divini operis continentur. Quòd igitur Sibyllina fata quæ publicè asservabantur apud Romanos, Cumææ Sibyllæ tribuit, id historicè fecit, non poëticè, & autores certos habuit, quos sequeretur.* Quoniam verò in tanta temporis distantia harum Sibyllarum nulla

nulla conciliatio excogitari nedum institui poterit; hinc cum plerisque pro certo, uti ex hactenus dictis patet, statuendum erit duas fuisse *Sibyllas*, quarum altera *Cumaa*: altera autem *Cumana* dicta sit: Quô cum facit *Iacobus Martianus l.3 c.9. de Prophet. Mag*: *Certius id videtur, duas Sibyllas, alteram Cumaam, Cumanam alteram vocatam fuisse, cùm illa ante Troia devastationem: hæc verò tempore Tarquinii Prisci prophetasse legatur. Nec probabile est e: hasce duas, quæ temporibus tam remotis vixisse creduntur, unam aliquam feminam fuisse, reclamante nimirum relatione historica.* Nullum itaque videtur superesse dubium, quin diversæ hæ fuerint feminæ & Sibyllæ. 4. Addi à quibusdam & hæc solet ratio, quòd *Cumaa Sibylla diutissimè vixerit*, uti illud *cap. 6.* hujus libri *n. 7. p. 555. & 556.* dictum est, cui addi potest, quod adducit *David Blondellus l.2. c.5 p.158. de Sibyllis.* Ovidius decem secula eam vixisse tradit. *Phlegon Trallianus* qui Augusti, vel juxta alios Hadriani Cæsaris libertus fuit, scribit in libro de Mirabilibus ac Longævis, quòd Sibylla Cumæa, quam eandem atque Erythræam esse statuit, non multò pauciores, quam mille annos vixerit, rationes suæ sententiæ ex illius Oraculis adducit. *VVolfius Cent. 3 Lection Memorab. fol. 57.* Verùm de Cumana Sibylla tale quid nuspiam dictum vel observatum legitur, quòd illa ultra commune hominum fatum vitæ terminum protenderit. Sed diutius hisce non insistam.

IV. Supra dictum est: Sibyllam Cumanam temporibus Tarquiniorum vixisse, quamvis adhuc incertum sit, an *Priscus* an *Superbus* Tarquinius fuerit, quod tamen generali isti sententiæ nihil poterit derogare, cùm uterque dictus sit Tarquinius: At *Gobelinus in Cosmodrom. ætate 4. fol. 77.* dicit quosdam est in illa esse opinione, ac si tempore *Octaviani* claruerit istæc Sibylla. Nullum tamen suæ assertionis testimonium adducit, nisi quod dicat (1) *Ita à quibusdam credi*. Et (2) autoritatē *Ovidii* adducat, in cujus libello, quem inscripsit *Vetulam*, ejus versiculos adhuc legi afferat Sed neutra ratio videtur alicujus ponderis. Nam (1) quòd ita à quibusdam credatur, illud saltem pro parte valere poterit; cùm alij forte hoc non credant. Quod enim ab hominum opinione & fide dependet, illud certitudinem simpliciter habere non potest. Vnde si quidam aliquid pro verò admittunt: Quidam autem illud tanquam non verum repudiant: tum in aliquorum fide aut opinione frustra certitudinis fundamentum circa rem aliquem collocatur. *Marsilius Ficinus in dissert. de opinionis & scientiæ differentiis.* §. 39. n. 11. (quo loco egregia discutit, &

tit & ostendit: Platonem sæpe opinione quadam probabili fretum aliquid certi voluisse extorquere, quod ipse tamen tanquam ἄκυρον habet) ita concludit opinioni *dubium: fidei falsitas opponi potest. Utrumque nihil certi præbet.* Non malè: Opinio siquidem est cum formidine oppositi conjuncta: Fides humana falsum pro vero admittere potest. Quod (2) Ovidij librum de *Vetula* attinet, is peritissimorum Criticorum judicio habetur suppositititius, cùm nec spiritum atque stylum istius Poëtæ præ se ferat. Plurimi tamen in eo conveniunt, quòd Sibyllæ Cumanæ ætas in Tarquiniorum tempora incidat, quorum assertioni quoque tamdiu standum est, donec contrarium probetur. Neque quispiam obstinatum se præbebit in defendenda sua opinione, si deprehendat, contrarium esse verius.

V. Huic Sibyllæ Cumanæ tribuitur vel adscribitur istud factum, quòd Tarquinij Romanorum Regi ipsa aliquot libros certo pretio redimendos obtulerit. Historiam integram *Gellius lib. 1. c. 19. p. 83. & seqq Noct. Atticar.* recenset. *Anus hospita atque incognita*, inquit, *Tarquinium Superbum Regem adiit novem libros ferens, quos esse dicebat divina Oracula, eos velle venundare. Tarquinius pretium percunctatus est: mulier nimium immensum poposcit. Rex, quasi anus ætate desiperet, derisit. Tum illa foculum coram cum igni apposuit, & tres libros ex novem deussit: &, ecquid reliquos sex eodem pretio emere vellet, Regem interrogavit. Sed enim Tarquinius id multò risit magis, dixitq́ue: anum jam procul dubio delirare. Mulier ibidem statim tres alios libros exussit; atque idipsum denuo placidè interrogavit, an tres reliquos eodem pretio emat? Tarquinius ore jam serio, atque attentiore animo fit, eam constantiam confidentiamq́ue non insuper habendam intelligit: libros tres reliquos mercatur nihilo minore pretio, quam quod erat petitum pro omnibus. Sed eam mulierem tunc à Tarquinio digressam postea nusquam loci visam constitit. Libri tres in sacrarium conditi Sibyllini appellati: ad eos quasi ad Oraculum XV. viri adeunt, cùm Dii immortales publicè consulendi sunt.* Hæc ita Gellius. Egregiè eandem historiam persequitur *Dionysius Halicarnassensis lib. IV. Antiquit. Romanar. fol. 259.* Verba Græca, cùm non adeò multa sint, in gratiam eorum, qui libro illo destituti sunt, apponam. Γυνή τις ἀφίκετο πρὸς τὸν τύραννον, οὐκ ἐπιχωρία, βίβλους ἐννέα μεστὰς Σιβυλλείων χρησμῶν ἀπεμπολῆσαι θέλουσα. οὐκ ἀξιοῦντος δὲ τοῦ Ταρκυνίου τῆς αἰτηθείσης τιμῆς πρίασθαι τὰς βίβλους, ἀπελθοῦσα τρεῖς ἐξ αὐτῶν κατέκαυσε· καὶ μετ' οὐ πολὺν χρόνον

τὰς λοιπὰς ἐνέγκασα, τῆς αὐτῆς ἐπώλει τιμῆς, δόξασα δὲ ἄφρων τις εἶναι καὶ γελασθεῖσα ἐπὶ τῷ τὴν αὐτὴν τιμὴν αἰτεῖν περὶ τῶν ἐλαττόνων, ἣν οὐδὲ περὶ τῶν πλειόνων ἠδυνήθη λαβεῖν, ἀπελθοῦσα πάλιν τὰς ἡμισείας τῶν ἀπολειπομένων κατέκαυσε, καὶ τὰς λοιπὰς τρεῖς ἐνέγκασα τὸ ἴσον ᾔτει χρυσίον. Θαυμάσας δὲ τὸ βούλευμα τῆς γυναικὸς ὁ Ταρκύνι☉, τοὺς οἰωνοσκόπους μεταπέμπεται, καὶ διηγησάμεν☉ αὐτοῖς τὸ πρᾶγμα, τί χρὴ πράττειν ἤρετο. Κἀκεῖνοι διὰ σημείων τινῶν μαθόντες ὅτι θεόπεμπτον ἀγαθὸν ἀπεστράφη, καὶ μεγάλην συμφορὰν ἀποφαίνοντες, τὸ μὴ πάσας αὐτὸν τὰς βίβλους πρίασθαι, ἐκέλευσαν ἀπαριθμεῖσθαι τῇ γυναικὶ τὸ χρυσίον ὅσον ᾔτει, καὶ τὰς περιόντας τῶν χρησμῶν λαβεῖν· ἡ μὲν οὖν γυνὴ τὰς βίβλους δοῦσα, καὶ φράσασα τηρεῖν ἐπιμελῶς, ἐξ ἀνθρώπων ἐφανίσθη. Hoc eſt: *Venit ad Tyrannum externa quædam mulier novem libros Sibyllinorum Oraculorum venales offerens: cumq́; Tarquinius nollet eos tanti emere, quanti illa indicaverat, abiit; & tres exuſsit ex illo numero: nec multò poſt reliquos referens tantidem obtuit: deriſaq́; pro delira, quod tantum pro paucioribus peteret, quantum pro pluribus obtinere non potuiſſet, rurſum diſcedens reliquorum cremavit dimidium: relatisq́; tribus, qui ſupererant auri quantum antea petiit. Tum Rex miratus mulieris conſilium, accerſivit augures: req́; denarratâ quæſivit, quid facto opus eſſet. Illi ſignis quibusdam edocti averſatum eum rem miſſam divinitus: magnamq́; noxam admiſſam eſſe, quòd non omnes libros emiſſet, juſſerunt numerari mulieri, quantum auri peteret, & reliquum Oraculorum redimi: Mulier datis libris diligenter eos ſervari monuit, & mox ex hominibus diſparuit.* Hucuſque Dionyſius. Circa quam hiſtoriam nonnulla notatu digna ad dubitationes tollendas obſervari merentur.

VI. Et quidem (1) *Quænam demum fuerit iſtæc Sibylla, quæ libros illos fatidicos Romanorum Regi Tarquinio obtulerit venales?* Nam hac de re multum inter ſe diſſentire animadverti ſcriptores. *Plinius l. 13. c. 13 fol 272. Hiſtor. Natural.* ſcribit: Sibyllam quidem obtuliſſe Regi libros venales, non tamen addit, quænam iſtæc fuerit Sibylla? Sic enim ait: *Inter omnes convenit, Sibyllam ad Tarquinium Superbum libros attuliſſe.* Alij tamen nomen Sibyllæ exprimere non dubitant. *Varro* putat: Sibyllam Erythræam libros iſtos fatidicos exhibuiſſe Tarquinio, quod & alij cum ipſo ſtatuunt, cumprimis illi, qui exiſtimant: Erythræam & Cumanam non duas feminas, ſed unam ſaltem fuiſſe Sibyllam. *Suidas* certè in ea eſt ſententia, quòd Sibylla *Erythræa*, quam ipſe ſubinde appellat

pellat Herophilem iſtos libros Regi obtulerit. Verba ejus ita ſe habent: Ἡροφίλα, ἡ καὶ Σίβυλλα Ἐρυθραία Θεοδώρου θυγάτηρ ἔγραψε βιβλία γ. μαντικὰ ἐπικῶς, καὶ ἦλθεν εἰς Ῥώμην ἐν τοῖς χρόνοις τῶν ὑπάτων ἄλλοι δὲ Ταρκυνίου δοκοῦσα χρηματισθήσεσθαι δι' αὐτῶν, ὡς δὲ καταφρονήθη τὰς μὲν δύο κατέφλεξε βίβλους ἃς καὶ ἔτυχεν ἐπιφερομένη. Περιεσώθη δὲ ἡ λοιπὴ μία ἥτις καὶ παρὰ τῶν Ῥωμαίων ἐξωνήθη πολλοῦ τιμήματος. Id eſt: *Herophile, quæ & Sibylla Erythrea Theodori filia ſcripſit Heroico verſu libros divinationum tres, & vel Conſulum, vel Tarquinii temporibus Romam venit pecuniæ ex illis parandæ ſpe. Sed contemta ab illis duos libros cremavit, quos ſecum attulerat: Unus tertius remanſit magna pecunia emtus à Romanis.* Varro quoque in ea eſt ſententia, ac ſi Sibylla Erythræa libros iſtos fatales venum expoſuerit Tarquinio. *Servius ad lib. VI. Virgil. Æneid.* factum hoc attribuit *Amalthea*, quaſi hæc libros iſtos Tarquinio obtulerit. *Sed conſtat* ait, *regnante Tarquinio, quandam mulierem cognomine Amaltheam obtuliſſe & novem libros, in quibus erant, fata & remedia Romana, & pro hiſce popoſciſſe tercentum Philippeos, qui aurei tum pretioſi erant. Quâ contemtâ alio die, tribus incenſis, reverſa eſt, & tantundem popoſcit. Item tertiò aliis tribus incenſis, cùm tribus reverſa eſt, & accepit pro tribus tercentum quantum poſtulaverat pro novem.* Atque ita *Servius* putat: Amaltheam novem iſtos fatales libros obtuliſſe Tarquinio; quandoquidem uti in initio indicatum eſt: nomen Amaltheæ tributum fuit Sibyllæ Cumanæ, quamvis antea ſcribat: incertum eſſe, cujus Sibyllæ fuerint iſti libri. Non tamen dubitavit de Sibylla, quæ libros iſtos Tarquinio obtulit; ſed ſaltem de librorum autore, nempe à quânam demum Sibylla iſti fuerint compoſiti, licet aliud velit Salmaſius. *Julius Solinus c. 8. p. 204. Polyhiſtor.* intrepidè fatetur: *Sibyllam* Cumanam illos libros obtuliſſe Regi Tarquinio. *Lactantius l. 1. c. 6. p. 34. de Falſa Relig.* idem tradit, nam ait: Septima Sibylla *Cumana* nomine *Amalthea*, quæ ab alijs Demophile, vel Herophile, nominatur *novem libros attulit ad Regem Tarquinium, ac pro eis trecentos Philippeos poſtulavit.* Verùm *Dionyſius Halicarnaſſenſis*, ut & *A. Gellius*, uti illud antea adductum eſt, non meminerunt alicujus Sibyllæ, à qua libri iſti fatales ſint Tarquinio oblati; ſed ſaltem eam vocant *Anum quandam hoſpitam*: ſeu *mulierem externam*, id eſt, peregrinam & incognitam. *Cl. v. Jus Salmaſius in Plinian. Exercit. ad Julium Solinum f. 76.* de hac Sibylla ita commentatur; Ex autoribus, qui hiſtoriam illam narrant de Sibyllinis libris

Tarquinio oblatis, nemo eſt præter Solinum, qui à Cumana Sibylla oblatos eos ſcripſerit. Ne Sibyllam quidem fuiſſe, qui illos vendiderit, certò liceat pronuntiare ex ijs quæ ſcripta ſuper hoc relIquerunt idonei autores. *Dionyſius Halicarnaſſeus* Scriptor diligentiſſimus ac doctiſſimus γυναῖκα ἐκ ἐπιχωρίας, mulierem non indigenam, ſed peregrinam tantùm nominat. Et *Gellius* dicit: Anus hoſpita & incognita ad Tarquinium &c. Nec compoſuiſſe eam anum libros Sibyllinos, ne Sibyllam quidem ipſam fuiſſe dicunt, tantum ab eſt, ut Cumanam dixerint. *Servius*: Sibyllina reſponſa incertum eſt cujus Sibyllæ fuerint, quanquam Cumanam Virgilius dicat. *Varro* Erythræam eſſe. (cœtera ſupra ſunt adducta) Cumanam eam Sibyllam fuiſſe, quæ libros obtulit, non dicit *Servius*, imò nominat aliter Amaltheam fortaſſe, quam & ipſam inter Sibyllas retulerunt. Sibyllam quidem dicit *Plinius* ad Tarquinium Superbum libros attuliſſe, ſed Cumanam non nominat. Anum illam extraneam & incognitam ideo fortaſsè vocavit Plinius Sibyllam, quòd libros Sibyllinos attuliſſet. Amaltheam vocat *Servius*, quæ & ipſa fuit Sibylla. Cœterùm nomen ejus anus, quæ Sibyllinos libros attulit ad Tarquinium in veteribus Annalibus non erat vulgatum. *Solinus*, qui *Plinii* locum illum, ut fermè omnia, compilavit, de ſuo addidit *Cumanam*, quam *Plinius* Sibyllam tantum dixiſſet. Certè ſi de eo conſtitiſſet, quod memorat *Solinus*, Cumanam Sibyllam libros eos Tarquinio obtuliſſe, eandemque iſtos compoſuiſſe, fruſtra dubitaſſet doctiſſimus Romanorum, cujus Sibyllæ eſſent Sibyllina Oracula. Nihil erat iſtic dubitandum. Virgilius, inquit *Servius*, Cumanæ dat: *Varro* Erythrææ. At certum eſt eam Cumanam Virgilij uſque ad Tarquinium vitam extendere non potuiſſe. Non igitur ea fuit, quæ Tarquinio libros obtulit. Recentiorem Cumanam fuiſſe oportet. Si ulla tunc extitit hoc nomine Sibylla, non ea eſſe, non ea eiſe poſſit, quàm Sibyllina Oracula Poëta compoſuiſſe vult. Hactenus *Salmaſius* In cujus diſcurſu unum atque alterum meretur obſervari. Duo namque ſunt, quæ Salmaſius in dubium vocat. *Primum*: Numquid Sibylla, quæ Tarquinio libros fatidicos obtulit, eoſdem quoque compoſuerit? Quod equidem nonnulli cum *Suidâ* credunt: Cùm tamen ab antiquis hoc non narretur, nec pro certo affirmari queat, utique & ipſe hoc relinquo in medio. Non enim aſſerere poſſum, licèt quoque id audacter negare nolim, an Sibylla afferens libros ſimul eoſdem conſcripſerit, & in illis Romanorum fata vaticinando prædixerit. Poteſt hoc eſſe verum: poteſt quoque

quoque falsum esse, ratio est nulla alia, quàm quòd in antiquorum scriptis nihil certi de eo notatum reperiatur. Hinc quod ita comparatum est, illud arbitrio credentium committendum esse duco. *Alterum*, quod in dubium vocat, si non plane illud evertere nititur Salmasius, est: *An Sibylla Cumana Tarquinio obtulerit libros?* Et quidem obsequentes rationes (1) Quod de ea in antiquis annalibus nihil sit dictum (2) Dionysius Halicarnassensis doctus & accuratus scriptor, qui integram hanc historiam cum omnibus ferè circumstantijs refert, nomen istius Sibyllæ non fuisset omissurus. Sicuti id nec Gellius fecisset, qui tamen provocat ad Annales antiquos. (3) Solinus saltem eam appellaverit Cumanam, quod tamen non fecerit Plinius. (4) Servius eam dixerit Amalthæam. (5.) Virgilij Sibylla Cumana ad Tarquinij tempora vitā extendere haut potuerit. Verùm illis fortean aliquis hoc modo faceret satis, respondendo ad 1. Non indicari à Gellio, quinam sint illi annales, è quibus ipse historiam præsentem desumserit. Fortean alij annales & historiæ extiterunt, in quibus hujus Sibyllæ nomen fuit expressum. Et nunquid est mirum, quòd historici eandem rem gestam narrent quidem, sed in nominibus interdum, alijsque circumstantijs discrepent. Sæpe fides historica nititur auditu, & aliorum relatione, quam alter ita sequitur, prout eam audivit. Sic Gellius in annalibus à se allegatis non legit nomen hujus Sibyllæ, exinde tamen non colligitur, quòd Sibylla Cumana non obtulerit libros istos Tarquinio. Anum hospitam eam dixit Autor istorum annalium, ideo, quia nomen istius ignoravit, vel quia de eo dubitavit. In eo tamen nihil peccatum est, quòd vocaverit illam *Anum hospitam*: cùm dubio procul illa tum satis annosa fuerit, nec non peregrina, seu illis locis ignota, nec de gente Romanorum, ut ita Autori annalium de ejus loco natali fortean nihil constiterit. Ad 2 concedo Dionysium Halicarnassæum accuratum & doctum esse Scriptorem: sed inde validum aliquod argumentum præcipuè in negativa adstruenda, quòd scilicet *Sibylla Cumana libros Tarquinio non exhibuerit*, à Salmasio formari posse, comprehendere animo nequeo. Venit mulier *externa*, inquit Dionysius, quia, uti dixi, non fuit Romana, sed peregrina, & fortassis Romæ, ubi Tarquinius sedem Regiam elegerat, parum vel planè non cognita. Exinde tamen non negat Dionysius, illam fuisse Cumanam: Quid si istius nomen & ipsi fuit ignotum, aut de veritate nominis ipse nihil certi habuit compertum? vel ipse in annalibus nomen ejus non invenit adscriptum?

ſcriptum? Sunt & aliæ circumſtantiæ quas expreſſit Dionyſius, de quibus tamen alij Hiſtorici vel tacent, vel planè alias afferunt. Ad. 3. Fatetur Salmaſius: *Solinum* mulierem iſtam appellaſſe *Cumanam*: an autem is è *Plinio* hanc hiſtoriam exſcripſerit, & de ſuo addiderit nomen *Cumana*, id facilius dici, quàm probari poteſt. Præſumtio eſt pro *Solino* quòd hîc nihil fingere, aut nomen feminæ iſti imponere voluerit, quod eſſet ſaltem excogitatum, & de quo nihil ipſe aut legiſſet, aut à fide dignis hominibus audiviſſet. Quid ſi ipſe alios annales legerit, in quibus iſtius mulieris nomen repererit? ſanè illud ſi non majore, tamen non minore probabilitate nititur, quàm quòd Salmaſius dicit: Solinum de ſuo addidiſſe *Cumanam*. Nec ſequitur: *Plinius illam non vocat Cumanam, E. non fuit Sibylla Cumana, quæ ad Tarquinium venit.* Quandoquidem nondum eſt oſtenſum quòd Solinus Plinium in recenſenda hac hiſtoria tantùm ſecutus ſit, & nullum alium ſcriptorem, vel antiquos alios annales evolverit, atque illorum veſtigia prenſaverit. Ad. 4 Servij appellatio nihil obeſt, quin potius illa contrariam ſententiam valdè juvat, ſupra namque dictum eſt: Et Cumanam Sibyllam nominatam fuiſſe Amalthæam Sufficit itaque alterutrum ex iſtis duobus nominibus à Servio fuiſſe expreſſum. Ad 5. Virgilius non agit propriè de hac Cumana, quæ Tarquinij ævo vixit; ſed de Cumæa, cum qua locutus eſt Æneas, & à qua ipſe accepit Oracula de futurarum rerum ſucceſſu. Cujus vitam præcedens caput expoſuit. *Lactantius l. 1. c. 6. p. 34. de falſa Religione* affirmat: Sibyllam iſtam fuiſſe Cumanam, nomine Amaltheam. Quis autem præſtantem iſtum Scriptorem accuſabit falſitatis in nominanda iſta Sibylla? Aut quis dicet: illum dictis Solini tantùm habuiſſe fidem & alios Annales eandem hiſtoriam continentes non legiſſe? *Onuphrius Panvinius in Tractatu de Sibyllis* ſcriptor non indiligens nec ſine judicio, itidem refert. Cumanam Sibyllam iſtos libros detuliſſe ad Tarquinium. Et alio loco ejuſdem Tractatus: *Illa anus hoſpita & incognita*, inquit, *conſtanti omnium opinione Sibylla Cumana credita fuit.* Confer etiam, quæ notavit *Stephanus Vinandus Pighius Tom. 1. Annal. Romanor. lib. 1. fol. 53.* Illam certè fidem, quâ homines cœperunt conſtanter credere: Cumanam Sibyllam libros iſtos Oraculorum obtuliſſe Tarquinio, aliquô fundamentô ſubnixam eſſe oportuit, nam aliàs apud tot graves ſcriptores locum invenire non potuiſſet. Itaque non video, an excellens Salmaſius, quem aliàs magni æſtimo, iſtis rationibus verum dubium in-

lectorum animis movere potuerit: Quod scilicet, Sibylla quæ Tarquinio libros fata Romanorum, ut ajunt, continentes obtulit, non fuerit Cumana?

VII. Deinde & (2) oportet examinare, cuinam Romanorum Regi libri isti fuerint oblati, constat namque ex eorum historia, duos istius nominis fuisse Reges, quorum alter *Priscus*: alter verò *Superbus* Tarquinius dictus fuerit. *Gellius l. 1. c. 19. p. 85.* refert, anum illam hospitam libros detulisse ad Tarquinium Superbum, qui ultimus inter primos Reges fuit. Cui assentiri videtur *Dionysius Halicarnassensis l. 4. fol. 259.* utpote qui refert: feminam istam ad Tyrannum venisse. Verùm Tarquinius Priscus in Tyrannidis crimen, quod ego quidem scio, hactenus ita non incurrit. *Solinus* quoque *c. 8. p. 204. Polyhist.* statuit: Tarquinio Superbo libros istos fuisse oblatos. Contrà alij scribunt, feminam istam libros fatidicos exhibuisse *Tarquinio Prisco*, quos inter est *Lactantius l. 1. c 6. de falsa relig p. 34.* Servius quoque idem putat. Petrus *Mosellanus* in notis ad *Gellium p. 49.* existimat hoc esse temporibus conformius: nam *Solinus* d. l. scribit: hoc factum contigisse *Olympiade quinquagesima* quo tamen tempore regnavit *Tarquinius Priscus*. Quod etiam sequitur *Eduardus Simson par. 3 fol. 108. Chronici Cathol.* fretus autoritate Solini. Eandem sententiam fovet quoque *Ludovicus Vives in Comment ad lib. 18. cap. 23. Augustini de Civit. Dei fol. 1802.* sed itidem fundamentum suum ponit in computatione Solini, si illa rectè sese habeat. Ita enim ait: *Verùm quænam fuerit Sibylla, cujus carminibus fata Romana continebantur requisisse Varronem ipsum ferunt. Multi Cumanam putant, ut Vergilius, qui eam vocat Deiphoben Glauci filiam. Glaucus enim vates fuit, qui Apollinem ipsum docuit artem, nisi quis Deiphilem malit dicere: nam & hanc aiunt libros attulisse ad Tarquinium Priscum, quos ipse in Capitolio condiderit, quam Solinus dicit quinquagesima Olympiade rebus Romæ interfuisse, quod si ita est? Regi Prisco vendidit libros, non Superbo: nam in quinquagesimam Olympiadem victore Olympiorum Epitelide Lacone, & Archonte Athenis Archestratide, incurrerunt & mors Prisci anno quarto & initium Regni Servii generi ejus. Ita congruentius est, quod Varro & Suidas dicunt de Tarquinio Prisco, quàm quod alii de Superbo, si modò Solino constat sua computatio?* Non nemo in ea est sententia hanc historiam rectius de *Tarquinio Superbo* narrari, quippe quòd Rex iste, cui oblati illi libri fuerunt, auditô tàm magno pretiô, feminam illos offerentem contemserit, quod à moribus *Tarquinii Prisci* fuit alienum.

Verùm si alia non suppetit ratio, illa utique, quæ allata est, nulli us est ponderis. Etenim non dicitur ab ullo Historico, feminam illam fuisse contemtam à Rege è moribus hominis superbi, sed saltem derisam, quasi ætate nimia desiperet, ut tantum pretium pro oblatis libris poscere non dubitaret. Quæ irrisio etiam ab eo, qui superbus non est, proficisci poterit: cùm & homo, qui sedatis est moribus alium pro re, quam alter non adeò magni æstimat, justô majus pretium postulantem irridere, eumq; tanquam delirum habere facilè queat. Neque Tarquinius ideo saltem dicitur *Superbus*, quòd fuerit Princeps animi elati, qui cœteros suæ sortis homines despiceret, & se illis anteferret; sed & potissimùm, quòd ob animi fastum subditos ferè æstimaret nihil, eos velut mancipia haberet, ijsque injurias inferret, id sibi ob magnitudinem imperii, & summam potentiam licere existimans. Truculentum quoque eum fuisse Tyrannum inter alia ostendit factum, quô in horto decussit capita papaverum. *Valer Maxim. l 7. c. 4. n 2 pag 203. Florus lib. 1. c. 7. p. 27. Plinius l. 19. c. 4. fol. 408 Histor Natura'is*: eô enim voluit ostendere, primores civitatis tollendos esse è medio. Vno verbo: *Tarquinius superbè vixit, & superbè imperavit.* Vide *Dionys. Halicarnas l. 4. fol. 244. Antiqu. Romanar.*

IIX. Præterea (3) dissentiunt inter se Historici de numero librorum, quos Sibylla Cumana Regi Tarquinio obtulit. *Dionysius Halicarnassensis l. 4. fol 259. Antiqu. Roman. A. Gellius*: ut & *Lactantius* in adductis locis referunt: Eam novem libros attulisse Regi, quibus etiam assentitur *Stephan. Vinandus Pighius Tom. 1. lib 1. fol. 53 Annal. Romanor.* quando scribit: *Anum peregrinam atque ignotam Tyranno novem Oraculorum suorum libros attulisse.* Verùm *Plinius l. 13. c. 13. fol. 272. Natural. Histor.* refert: Sibyllam istam saltem tres libros Regi exhibuisse, quando ita scribit: *Inter omnes convenit, Sibyllam ad Tarquinium Superbum tres libros attulisse. Ex quibus igni duo cremati ab ipsa, tertius cùm Capitolio Syllanis temporibus*, scilicet combustus est. Idem narrat & *Solinus c. 5. p. 204. Polyhist.* his verbis: Cujus (scilicet Sibyllæ Cumanæ) *librum ad Cornelium usque Sullam Pontifices nostri consulebant. Tum enim una cum Capitolio igni absumtus est. Nam priores duos, Tarquinio Superbo parcius pretium offerente, quàm postulabatur, ipsa exusserat.* Non tamen induci possum, ut credam: plures libros allatos fuisse, quàm novem, licèt non nemo illud asserat, hac motus ratione, quòd octo libri adhuc extent ferè integri. Verùm, quod infra patebit plenius, illi libri, qui

pro

pro Sibyllinis hodie circumferuntur, non sunt Tarquinio oblati, cùm illi saltem Ipsi sint exhibiti, in quibus compræhensa fuerunt Oracula de futuro Romanorum statu, fortuna & calamitate: sed in istis octo voluminibus vaticinia de Messiæ persona, officio, & miraculis passim continentur. Vnde etiam nonnulli distinguunt inter libros Sibyllinos Regi exhibitos: & scripta Sibyllarum de Messia, & dicunt: Illos hodie non extare amplius: hæc verò vaticiniorum de Christo volumina singulari Dei providentia posteris fuisse conservata, ut constare posset omnibus, voluisse & Deum gentibus per gentilium prophetissas salutem communem patefacere. De quo tamen hac vice plura non afferam, quippe quòd infra plenissimè de eo acturus sim. Interim hoc dubium remanet: cuinam ex adductis Historicis major sit adhibenda fides? Dixerim Dionysio Halicarnassensi, ut & Gellio, quippe quibus plures etiam ex antiquis adstipulantur: licèt nolim dicere, reliquos, qui de tribus saltem libris loquuntur, mentitos fuisse. Fieri siquidem potuit, ut illi vel in antiquis annalibus hoc legerint, vel ab aliis ita illud narrari audiverint. Quid enim frequentius contingit, quàm ut res gestæ diversimodè & recitentur, & in annalibus publicis divulgentur.

IX. Tandem (4) controvertitur inter doctos, numquid Sibylla Cumana libros sex, vel juxta aliorum opinionem, duos saltem in conspectu Regis, vel ab eo discedens in alio loco combusserit? *Gellius l. 1. 19. p. 86. Noct. Attic.* refert; illam foculum cum igni coràm, id est, in Regis conspectu apposuisse, & libros cremasse. *Lactantius l. 1. c. 6 de falsa Relig. p. 34* expressis verbis dicit: Quòd illa in conspectu Regis libros combusserit. Verùm *Dionysius Halicarnaßensis l. 4. fol. 259. Antiq. Roman.* scribit: illam, cùm Rex postulatum pretium nollet persolvere, abiisse, atque ita Rege non præsente libros istos concremâsse. Quam posteriorem sententiam & alij probant, & sequuntur, nec non suæ opinionis politicam quandam rationem suppeditant, quasi nefas fuerit, ut præsente Regiâ Majestate in splendido cœnaculo femina istæc ausa fuerit ignem accendere, & non sine fumo ac fœtore libros comburere. Equidem non contradicam isti rationi, quippe quod à vero alienum non sit, Regem id non facilè passurum fuisse, ut Sibylla in Regio conclavi foculum, testam, vel aliud instrumentum appararet, & igni ibidem accensô, libros in conspectu ipsius non sine magno fœtore combureret; Attamen ego puto, feminam istam tanquam vatem, & prophetissam se stitisse Regi, & summa animi constantia postulâsse, ut ipse oblatos

libros pro magno isto pretio redimeret: & eô id renuente, statim tres combussisse. Quod quidem Rex pro more temporum, ubi superstitioni nimium dediti erant summi pariter & infimi, facilè concessit, feminam istam peculiari Numinis virtute instructam ad se venisse existimans. Interim illis, qui contrariam opinionem tuentur, hoc obiici poterit, quòd Rex nescire potuerit, an femina verè istos libros cremâsset, an se ita saltem simulasset? nisi malis dicere: Feminam illud indicasse, & eâ abeunte, Regem misisse famulum, qui illam incensionem inspiceret, & eam Domino suo referret. Non possum, quin & hoc attingam, quod *Suidas* tradidit: è novem libris Tarquinio oblatis duos saltem à Sibylla fuisse combustos, septem verò mansisse superstites. Vnde autem Suidas hoc habeat, & qua fide id referat, non dixerim. Hactenus Historici ferè omnes, qui istud factum recensent, vel sex, vel duos combustos fuisse, & tres, vel unum superfuisse narrant. Interea *Suidam* mendacij non accusabo: fortean enim illud, quod recenset, ipse ab aliis accepit, aut in monumentis antiquis legit. Quod tamen nemini credendum obtruditur, quia cujusvis arbitrio relinquitur, illud vel admittere, vel tuto repudiare: neutro enim modo, uti ego quidem sentio, poterit peccari.

X. Illud non immeritò quæri poterit, qua de causa Sibylla Cumana libros istos fatidicos Regi Romanorum obtulerit? Siquis dicat: Eam quæstus causa illud fecisse, tum regeri poterit: ob eandem causam illos & alii cuidam Principi aut Regi potuisse offerri, à quo ipsa non minus lucrum, quàm à Tarquinio sperare & consequi potuisset. Fortean istæc Sibylla pecuniâ non tantopere indiguit, utpote quæ pro Oraculis redditis absque dubio præmia non minima accepit, cumprimis ab illis, quibus vaticinia edebat ex voto, læta scilicet, & felicem rerum suarum successum promittentia. Non enim ingrati videri voluerunt, qui Sibyllam consulebant. Quilibet igitur pro ratione facultatum suarum suppeditabat ipsi munus:. Non dubito autem, quin frequenter ipsa pro more superstitiosorum hominum fuerit consulta, ut ita ipsi media vivendi neutiquam defuerint. At si quis inferat:. Ob amorem patriæ illam istos libros obtulisse Tarquinio Regi Romano tum in totam quoque Italiam dominium exercenti, cùm in illis fata Romanorum sit descripta, Is quidem probabiliter loquitur; Sed an verè loquatur, dubitari poterit. Quoniam, uti antea id ostensum est plenius, Hæc Cumana Sibylla non nata est Cumis in Italia, sed in urbe Cumarum a-

pud Locrenses, proinde nec Romam nec Italiam pro patria habere potest, cujus amore mota ejusmodi libros ad Tarquinium deferre voluerit. Interim non abnego, quòd Sibylla Cumana ad reportandum aliquod eximium pretium libros istos attulerit Regi Tarquinio, & non privato alicui, vel alteri cuidam viro in publica dignitate constituto, utpote à quo tantum lucrum sperare fortean non potuit. Neq; resistam asserenti: Sibyllam amore gentis Romanæ incensam, licèt ipsa Romana aut Italica non fuerit, libros istos Regi exhibuisse, ut illi essent velut perpetuum Oraculum rerum futurarum. Illud interim pro certo statuo. 1. Istis in libris comprehensos fuisse futuros casus Reipublicæ Romanæ: quomodo scilicet istius Status vel in melius vel in deterius insequentibus temporibus vergere posset. 2. Potentia enim Romanorum tum erat in vigore, ut cresceret, nondum tamen ad summum perducta erat fastigium. Vti enim aliarum rerum, sic & rerumpublicarum suæ sunt periodi fatales; ad quas si ipsæ perducantur, vel paulatim retrocedunt, vel interdum retrolabantur. 3. Ejusmodi incrementum, & extremum potestatis summæ fastigium, decrementum & imminutionem, clades, & calamitates, nec non remedia ad illas avertendas libri Sibyllini continebant. Vt itaque. 4. genti isti futuram felicitatem, & adversam subinde fortunam, nec non idonea consilia ad declinanda vel depellenda mala exhiberet, vel jussu quodam divino, vel cupiditate famæ immortalis, quod ab ipsa ejusmodi Oracula provenissent; vel etiam spe consequendi ingentem pecuniæ summam, quâ vel seipsam jam quodammodo grandævam sustentaret, vel alijs benefaceret, vel eam rebus divinis consecraret, inducta fuit. Nihil autem refert scire: Numquid ipsa libros istos composuerit, vel ab alia Sibylla compositos Regi Tarquinio attulerit. An verò 5. Numinis supremi directione ac providentia, aut speciali quadam istius admonitione: vel etiam alio quodam Spiritu incitante libri isti ad Regem delati sint, de eo non contendam: nec per omnia comprobabo, quæ fusius *Iacobus Marthanus l. 3. c. 15. 16 & 17. de Proph. Mag.* disserit, & probare nititur: quòd cùm Respublica Romana debuerit quarta & ultima Monarchia esse, illa sub singulari divina protectione fuerit; atque ita Deus eidem futura fata voluerit per Sibyllam annunciari, idque ideo, quòd Prophetas ad Gentiles & Idololatras non miserit: & tum temporis, sicut & postea ipse inter Ethnicos habuerit aliquos, qui & reliquos corrigerent, & ipsis vatum instar futura prædicerent.

rent. Qui sanè locus magnam quidem castigationem requirit, sed properandum est ad alia.

XI. Ubinam locorum in Italia vixerit Sibylla Cumana refert *Theodorus à Niem. l. 1. c. 19.* apud *VVolfium Tom. 1. Cent. 3. fol. 35. memorabil.* Verba ejus non adeò multa sunt, ideo ea hic apponam: *Hujus Sibyllæ*, ait, *hospitium cernitur, ut fama est, adhuc in Tripergulis balneis prope civitatem Puteolanam, quæ tredecim milliaria Italica distat à Neapoli, & sunt prope mare, ubi Cumana Sibyllæ hospitium est, nec non aliqua pars antiquissimarum Cumarum, & Baiarum civitatum, quas olim mare absorpsit.* Antea dictum est de Sibylla Cumæa, *pag. 550. & 552.* quòd duo ipsi tribuantur loca, ubi sedem suam habuisse perhibeatur, ipsa autem verum suum domicilium habuerit in antro prope urbem Cumam sito. Cumanam tamen aliqui putant habitasse in antro isto, quod hodie super lacu Averno prope Baias ostenditur. Ita *Ianus Boissardus in libro de Divinat. fol. 233.* statuit, quando ait: *Hæc igitur Sibylla, quæ ex Asia venit Cumas in Italiam, habitasse creditur in ea vasta spelunca, quæ & hodie quoque super lacu Averno prope Baias ostenditur.* Et adducit locum ex *Agathia lib. 1. pag. Belli Gothici*, in quo legimus: *Narsetem Iustiniani Imperatoris Legatum, dum Cumas obsideret, prope Puteolas reperisse speluncam vastam & profundam, in qua hæc Sibylla olim reddiderat Oracula, per quam ductis sub terra Cuniculis Cumas ingressus est, quæ numeroso Gothorum præsidio defendebantur.* Existimo interim *Boissardum* subdubitasse, numquid Cumana à Cumæa Sibylla esset distincta, licèt ipse eas tanquam distinctas posuerit, earumque vitam & res gestas explicaverit, aliàs locum istum Agathiæ procul dubio non attulisset.

XII. Verùm de ejus vaticiniis & carminibus aliquid dicendum restat. Principio monendum est: nonnullos reperiri, qui carmen illud solenne, quod *Acrostichis* vocatur, & hactenus Erythrææ Sibyllæ adscriptum est, Sibyllæ Cumanæ tribuant. Quod facit *Iacobus Marthanus l. 3 c. 19. de Proph. Mag.* dum ita scribit: *Cumana Sibylla cecinit divinum & à Tullio laudatum carmen, quod Poëtæ vocant Acrostichin, ubi singulorum versuum literæ initiales integrum faciunt verbum: quo divina manifestatio de Messia seu Christo Redemtore ei facta creditur. Et eadem quarta & ultima Monarchia sua fata prædicere divinitus jussa est, uti cap. 17. id uberius expositum dedi.* Quæ verba, nullo tamen testimonio munita postquam legeram, prima fronte reijcienda esse censebam. Incidi tamen postea in locum *Augustini l. 18. c. 23. fol. 1191. de Civit. Dei*, qui itidem istius men-

us mentionem facit: Hæc autem Sibylla sive Erythræa, sive, ut quidam magis credunt, *Cumana* nihil habet in toto carmine suo, quod ad Deorum falsorum cultum pertineat. Loquitur autem ibidem de nullo alio carmine, quàm quod Acrostichis dicitur, & cujus vim proximè ostendi. Huic Sibyllæ tribuitur sequens carmen, quod *lib. 7. Oracul. Sibyllinor. legitur.*

Τλήμων οὐκ ἔγνως τὸν σὸν Θεὸν, ὅν ποτ' ἔλυσεν
Ἰορδάνου ἐν τριτάτοισι, καὶ ἔπτατο πνεῦμα πολλῷ
Ὃς πρὶν καὶ γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος
Ἀνθέντης γίνετο λόγῳ πατρὸς πνεύματι δ' ἁγνῷ.
Σάρκα τε δυσάμενος ταχὺς ἔπτατο πατρὸς ἐς οἴκους.
Non nosti miseranda tuum, quem proluit olim
In Iordane Deum, & volitabit Spiritus.
Qui prius & terra fuit, & stellantibus orbis
Factus voce Patris Princeps & Flamine sancto.
Corpus & indictus celer in Patris evolat ades.

Fertur ejus de Filij Dei incarnatione atque ejus sanctissimo nomine Græcum in his verbis vaticinium.

Δὴ τότε καὶ μεγάλοιο Θεοῦ παῖς ἀνθρώποισιν
Ἥξει σαρκοφόρος θνητοῖς ὁμοιούμενος ἐν γῇ
Τέσσαρα φωνήεντα φέρει τὰ δ' ἄφωνα ἐν αὐτῷ
δισσῶν ἀγγέλων, ἀριθμοῦ δ' ὅλον ἐξονομήνω
Ὀκτὼ γὰρ μονάδας τόσσας δεκάδας ἐπὶ τούτοις
Ἠδ' ἑκατοντάδας ὀκτὼ ἀπιστοτέρους ἀνθρώπους
Οὔνομα δηλώσει, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ σῇσι νόησον.

Hoc est:

Tunc ad mortales veniet mortalibus ipsis
In terris similis natus patris omnipotentis
Corpore vestitus. vocales quatuor autem
Fert, non vocalesq; duas binûm geniorum.
Sed quæ sit numeri totius summa, docebo,
Namq; octo monades, totidem decadas super ista
Atque hecatondadas octo infidis significabit
Hominibus nomen: verò mente teneto.

Supputationem literarum nominis Iesu à Sibylla his carminibus collectam, Beda in lib. 1. Commentariorum in Lucam clarius explicat, adje-

ctô numero ſeptuagenario, qui in Sibyllino carmine deeſt. Loquitur autem hunc in modum: *Huius Sacroſancti nominis Ieſu non tantùm Etymologia, ſed & ipſe, qui literis comprehenditur, numerus perpetuæ ſalutis noſtræ myſteria redolet. Sex quippe literis apud Græcos ſcribitur* JHΣOVΣ *videlicet I. & H. & Σ. & O. & V. & Σ. Quarum numeri ſunt X. & VIII. & CC. & LXX. & CCCC. & CC. qui fiunt ſimul DCCCLXXXVIII. qui profectò numerus figura reſurrectionis adgaudet. Octavus enim numerus in ſacris literis reſurrectionis gloriæ convenit, quia Dominus octava die, hoc eſt ſeptimam Sabbathi reſurrexit, & ipſi poſt ſex huius ſeculi ætates, & ſeptimam Sabbathi animarum, quæ nunc interim in alia vita geritur, quaſi octavo tempore ſurgemus.* Hæc habet *Sixtus Senenſis l. 2. Biblioth. Sancta p. 135.* Ubi in margine hæc notat ſequentia: Summa nominis Jeſu.

I.	10.
H.	8
Σ.	200.
O.	70.
V.	400.
Σ.	200.

Duæ conſonantes SS. ſunt duo elementa à quibus incipiunt nomina duorum principalium Angelorum, boni ſcilicet, quem plerique veterum Sathaëlem dixere: & mali, qui Sathan appellatur.

De Miraculis Chriſti ſequens carmen Cumana Sibylla ceciniſſe dicitur.

Λείψει δ' ἄστρα πόλον, πολλῇ δὲ τῇ λαίλαπι βίαι
Γαῖαν ἐρημώσει: νεκρῶν δ' ἀνάστασις ἔσται:
Χωλῶν δὲ δρόμος ὠκύτατος, καὶ κωφὸς ἀκούσει
Καὶ τυφλοὶ βλέψουσι, λαλήσουσ' οὐ λαλέοντες
Καὶ κοινὸς παντίοσι βίος καὶ πλοῦτος ἔσεῖται.

Sidera deficient cœlum, multaq; procella
Terram vaſtabit: Sublati morte reſurgent,
Curſus erit rapidus claudis: ſurdusq; loquentem
Audiet, & cæci cernent: multiq; loquentur
Et communis erit vita omnibus atque bonorum Copia.

Apud *Ianum Boiſſardum de Divinat. fol. 234.* de Reſurrectione Servatoris noſtri ſequentes verſiculos protuliſſe Sibyllam Cumanam legimus:

Ἥξει

Ἥξει δ' εἰς Ἀΐδην ἀγγέλλων ἐλπίδα πᾶσι
Καὶ θανάτου μοῖραν τελέσει τρίτον ἦμαρ ὑπνώσας
Καὶ τότ' ἀπὸ φθιμένων ἀναλύσας εἰς φάος ἥξει
Πρῶτος ἀναστάσεως κλητοῖς ἀρχὴν ὑποδείξας.
Devenietq; bonam spem portans omnibus Orcum
Et tridui somno peraget mortalia fata.
Tum demum linquet Manes, lucemq; reviset
Prima resurgendi lectis vestigia monstrans.

In libro Regio antiquo Gallico habentur sex sequentes versus, qui extant *Tom. 8. Biblioth. Patrum. fol. 82.*

Jam mea certa manent, & vera novissima verba,
Ultima venturi quod erant Oracula Regis:
Qui toti veniens mundo cum pace placebit.
Et voluit nostra vestitus carne decenter
In cunctis humilis. Castam pro matre puellam
Deliget. Hæc alias formâ præcesserit omnes.

Thomas Garzonius In Theatro Vniversa'i Disc. 40. pag. 460. Scribit de Episcopo Cumano *Stratonico*, quòd is in suis Collectaneis hoc carmen Sibyllæ Cumanæ exhibeat.

Cum Deus ab alto Regem demittet Olympo,
Tunc terra omniparens fruges mortalibus ægris
Reddet inexhaustas frumenti, vini, oleiq;
Dulcia hunc mellis diffundent pocula cœli
Et niveo latices erumpent lacte fluentes.

Quin idem Garzonius d. l textum ex Augustini Epistola, quam ad Romanos scribere inceperat, allegat, & Sibyllæ Cumanæ accommodat. *Fuerunt,* inquit, *& inter Gentiles Prophetæ, in quibus etiam aliqui inveniuntur, qui de Christo cecinerunt. Sicut etiam de Sibylla dicitur, quod non facilè crederem, nisi quod Poëtarum quidam nobilissimus, antequam diceret de ea innovatione seculi, quæ in Domini nostri Regnum satis coincidere & convenire videtur: Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.* Scio tamen alios diversum sentire, & carmen istud Sibyllæ Cumææ acceptum ferre. Verùm quicquid sit, sive de Cumæa sive de Cumana Sibylla loquatur Virgilius, illud certum est, multos esse, qui Poëtæ Eclogam quartam de Christo ejusque nativitate intelligant, & omnia ferè verba in ejusmodi sensum interpretando detorqueant. Vnum saltem Scriptorem hic sistam

ſatis celebrem *Antonium Poſſevinum Tom. 2. lib. 17. fol. 425. & 426. Biblioth.* qui ſequenti modo dictam Eclogam declarat.

Iam nova progenies cælo demittitur alto

Et iterum in alio Bucolicorum libro:

Sicelides Muſæ paulò maiora canamus

Quid iſto apertius? Addit enim

Vltima Cumei venit iam carminis ætas.

Cumæam vult planè Sibyllam eſſe. Neque his contentus erat ille quidem; ſed progreſſus eſt longius, adeò ut ejus uti teſtimonio neceſſitas poſtulare videatur.

Magnus ab integro ſeclôrum naſcitur ordo:
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.

Quid ergo? Quæ eſt illa virgo, quæ rediit? An non quæ plena, & gravida facta eſt è Spiritu ſancto? Et quid obſtat, quò minus puella hæc gravida è Spiritu Dei virgo maneat perpetuò? Revertetur etiam Dominus ipſe, qui virgo eſt, ſecundo & orbem afflictum adventu ſuo levabit. Adjungit item Poëta:

Tu modò naſcenti puero, quô ferra primum
Deſinet, ac toto ſurget gens aurea Mundo,
Caſta Lucina Fave.
Hoc duce, ſi qua manet ſceleris veſtigia noſtri
Irrita perpetua ſolvent formidine terras.

Perſpicuè igitur poſſumus intelligere, etiam hæc, quæ dicta ſunt per allegoriam occultè his, qui vim verborum altius perquirunt, Chriſti Divinitatem ſub aſpectu ſubjicere: ac Poetam, ne quis Princeps in civitate, quæ caput Imperii eſt, ipſi quòd contra patrias leges ſcripſiſſet, quodque majorum inſtituta olim de Deis ſancita reieciſſet, crimini dare poſſet, veritatem tanquam involucris quibusdam texiſſe. Vidit enim, credo, beatum, & eximium adventus Salvatoris Myſterium: verùm ut immanem evitaret crudelitatem, mentes audientium ad ſuam ipſorum conſuetudinem traduxit, aitque, novæ proli aras extruendas eſſe, templa apparanda ſacrificia obeunda. Ea igitur, quæ ſequuntur aptè ad prudentium intelligentiam inducit, ait enim:

Ille Deûm vitam accipiet, Diviſq; videbit.
Permiſtos heroas, & ipſe videbitur illis.
Paratumq; reges patriis virtutibus orbem,
At tibi prima puer nullo munuſcula cultu

Erran-

Errantes hederas paßim cum baccare tellus
Mistaq; ridenti colocasia fundet acantho.

Vir admirabilis & omni Doctrina eximiè ornatus, accuratè illorum temporum perspiciens crudelitatem.

Ipsæ lacte domum (inquit) *referent distenta capellæ*
Vbera, nec magnos metuent armenta leones.

Vera planè sunt quæ dicit, nam Regiæ aulæ Principes fides non extimescet:

Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores,
Occidet & serpens & fallax herba veneni.
Occidet: Aßyrium vulgò nascetur amomum.

Hic certè nec verius quicquam nec ad Salvatoris virtutem aptius dici poterat. Ipsa enim Dei cunabula Spiritus sancti virtute flagrantes flores novæ soboli extulerunt. Serpens verò, à quo primi nostri parentes primùm in fraudem impulsi, & mentes eorum à temperantia naturaliter ipsis insita ad voluptatum blanditias traductæ erant, ut interitum ipsorum cervicibus impendentem planè perspicerent, omninò periit & venenum ejus pariter sublatum est. Quippe ut ante Salvatoris descensum ignoratio immortalitatis, quæ justis tribuitur, animos hominum nulla spe bonâ adhuc confirmatos penitus fregit: sic cùm ille passus fuisset, & corpus, quo circumdabatur, esset à Spiritus sancti communione ad tempus separatum, resurrectionis vis hominibus patefacta fuit, & si quæ labes humanorum scelerum residebat, illa universa sacro baptismatis lavacro abstersa. Tum igitur illos, qui ipsi parebant, bono animo esse jussit, & veneranda sua eximiaque resurrectione admonitus similia sperare mandavit. Itaque non sine causa fallax herba veneni occidit: occidit etiam & mors: resurrectio autem tanquam sigillo confirmata est. Cum autem dicit Assyrium amonum ubique nasci: Assyriorum genus, quod fidei divinæ causa fuit, multitudinemque hominum Deum religiosè colentium innuit. Quæ planè non aliter, quàm densa ramorum velut multitudo ex una radice odoriferis floribus pullulat, ex æquabili roris temperatione rigata efflorescit. Eruditè igitur ô sapientissimè *Poeta Maro* dixisti, & quæ sequuntur, omnia his aptè respondent.

At simul Heroum laudes & facta parentis
Iam legere, & quæ sit, poterit cognoscere virtus,

Per Heroum laudes Justorum hominum rectè facta significat: per

virtutem Patris mundi fabricam, & molitionem Dei ad æternum tempus duraturam intelligit : Fortaſſe etiam leges, quibus SS. Eccleſia utitur, dum vitam humanam ex juſtitiæ & temperantiæ regula inſtruit. Eſt præterea illud ſummè mirandum, quô pactô homines, quorum vita quaſi media inter bonorum malorumque vitam interjecta eſt, quæque ſubitam repentinamque mutationem neutiquam admittit, ab eo rudi, mediocrique vitæ genere ad cœleſte in divinum, quod in rebus mente ſola comprehenſis poſitum eſt, aſcenderint.

Molli paulatim flaveſcet campus ariſta.

Id eſt, fructus divinæ legis ad hominum uſum producetur.

Incultisq; rubens pendebit ſentibus uva.

Id eſt, mores, qui non erant impia vivendi ratione depravati.

Et dura quercus ſudabunt roſcida mella.

Inſcitiam hominum illius temporis & rudes impolitosque mores ſcribit. Ac fortaſſe etiam eos, qui labores à Deo exantlatos audiant, ſuavem quendam fructum ex ſua ipſorum in arduis rebus tolerantia percepturos demonſtrat.

Pauca tamen ſubeunt priſca veſtigia fraudis
Quæ tentare Thetin ratibus, quæ cingere muris
Oppida, quæ jubeant telluri infundere ſulcos.
Alter erit Typhis, & altera quæ vehat Argo
Delectos Heroas: erunt etiam altera bella
Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.

Scitè quidem ô Poëta Sapientiſſime, Poeticam enim facultatem non extra decori fines provexiſti. Nam ſibi, cùm non eſſet Propheta, vaticinari non erat propoſitum. Obſtabat enim, credo, periculum quoddam, quod ipſorum capitibus imminet, qui patria inſtituta coarguunt. Providè igitur & abſque periculo, quoad ejus fieri poterat, his, qui intelligentiæ acumine valent, veritatem aperuit, & turres & bella criminatus, quæ certè jam in hominum vita cernuntur (Servatorem ad bellum Trojanum proficiſcentem) depingit. Nam & providentia propria & patris juſſu in terram demiſſus ex adverſo cum improba hoſtium manu dimicavit, ſed quid poſtea dicit Poëta?

Hinc ubi iam firmata virum ſe fecerit ætas.

Hoc eſt, ubi adoleverit, malis, quæ vitam humanam occupant, radicitus extirpatis, totam terram pacis ornamentis decorabit.

Cedet & ipse mari victor, nec nautica pinus
Mutabit merces, omnis fert omnia tellus:
Non rastros patietur humus, non vinea falcem,
Nec varios discet mentiri lana colores.
Sponte sua sandix pascentes vestiet agnos.
Aggredere ô magnos, aderit iam tempus, honores,
Chara Deûm soboles magnum Iovis incrementum.
Aspice convexo nutantem pondere mundum,
Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum.
Aspice venturo latentur ut omnia seclo.
O! mihi iam longa maneat pars ultima vitæ.
Spiritus & quantum sat erit tua dicere facta.
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus, huic mater quamvis, atque huic Pater adsit.
Pan etiam Arcadia mecum si Iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se Iudice victum.

Aspice, inquit, immensi orbis, & omnium elementorum hilaritatem. Ista aliquis fortè parum prudens de hominum ortu ac stirpe dici existimaverit. Verùm quam rationem habere potuerit, ut prole hominis satu edita, terra non rastros, non aratra passura esset, nec vitem falcis aciem, nec alium cultum desideraturam? Aut quo pacto hoc, quod dicitur, in humana sobole ac stirpe intelligitur? Est enim natura divini scilicet mandati quasi famula, non humani præcepti ministra. Quin etiam hilaris elementorum aspectus Dei descensum, non hominis alicujus conceptionem indicat. Quod autem Poëta vitæ exitum sibi longius propagari optet, est divini planè adventus invocatio. A Deo enim, non ab homine vitam, conservationemque petere consuevimus. Erythræa etiam cum Deo sic loquitur: Quid mihi, Domine, divinandi necessitudinem imponis, ac non potius è terra in sublime sublatam ad diem usque sanctissimi adventus tui reservas. Et quidem ita Constantinus Magnus, tantus licèt Imperator: sed è novo Eclogarum genere, qualem lubet nominare adjunctam, perspici potest, quàm latè adhuc pateat campus ad majora illa in Eclogis canenda, quæ Virgilius non intelligens, aut nolens intelligere, cecinit. Hæc Antonius Possevinus!

XII. Ovidius in libro, quem de VETULA inscripsit, dicitur carmen inseruisse quod à Sibylla Cumana profectum creditur: è quo nonnulli hanc sententiam apprehenderunt, quasi istæc Sibylla tempore

Octaviani vixerit, quod tamen antea *n.4.* rejectum est. Interim carmen istud, in quo ipsa disputat de nativitate Christi, & resurrectione hominum, an istæc modò naturali fieri queat, hîc è Cosmodromo Gobelini: ætate. 4. fol.77. & 78. apponendum esse duxi.

Vna quidem talis felici tempore nuper
Cæsaris Augusti fuit anno bis duodeno: à
Regni nativitate sui, quæ significavit
Post annum sextum nasci debere prophetam
Absque maris coitu de virgine: cuius habetur
Tempus, ubi plus Mercurii vis multiplicatur.
Eius erit concors complexio prima futura
Secta: nam nusquam de signis sic dominatur
Mercurius, sicut in signo virginis: illic
Est eius domus exaltatio, triplicitasq́;
Per totum signum: nec non est terminus eius
In primis septem gradibus, eiusque Prophetæ
Typus habetur ibi, quamvis sub ænigmate. namque
His & imaginibus, quæ describuntur ab Indis,
Et Chaldæorum sapientibus, & Babylonis,
Dicitur & veterum scriptis ascendere prima
Virginis in facie prolixi virgo capilli,
Munda quidem, magnanimi, magnique decoris,
Pluris honestatis & in ipsius manibus sunt
Spicæ suspensis & vestimenta vetusta.
Sede sedet strata, puerumque nutrit, puero ius
Ad comedendum dans, ipsum puerumque vocat vir.
Nam super hoc puero sunt olim multa locuti
Quidam, qui vitam ducebant spiritualem.
Tales dixerunt, quòd sic de virgine nasci
Humanamque Dei sit naturamque habiturus.
Sed via poßibilis non est, hæc clausa videtur
Porta meis oculis: quia non intelligo planè.
Hoc unum novi quod homo fieri Deus unquam
Non poßit: nam quod ex tempore cœperit esse,
Æternum non esse potest: quia si cariturum
Fine sit, idcirco, quod sit Deus amodo: saltem
Non sine principio poterit fore: sed quòd utroque

Non caret æternum, non æternum duo ponit.
Et quod ab æterno durauit hactenus, quod
Duret in æternum. quare quod conditionis
Non erit æternæ, fieri nequit amodo tale.
Si Deus est igitur æternus, nemo Deus fit.
Hoc vnum noui: sed nescio si Deus esse
Vellet homo, si vellet enim, tum summa voluntas
Non habeat, nec habere queat, quibus impediatur
Posset homo fieri: sed qua ratione moueri
Poßit ad hoc, ego non video: tamen vndique vertor,
Vndique perscrutor, si poßim fortè venire
In verisimilem verámue probabilitatem,
Qualiter induci Deus ad quid tale volendum
Posset. certus enim sum, quod lex Mercurialis
Plurima naturæ contraria sit positura.
Hoc vnum video, quod cum Deus, vt retro dixi,
Cœlestem motum præuiderit esse statutum:
Et sibi de solis indiuiduis speciei
Cura sit humanæ vult fortè viam meditari,
Qua poßint homines in fine resurgere mundi.
Quare vult indiuiduum specialiter vnum
Inter eos fieri, quod naturaliter ambas
In se naturas habeat, nostramq; suamq;:
Ex vnaq; mori, rursumq; resurgere poßit
Ex alia: cuius virtute resurgere poßint
Omnes, post habitum per eam de morte triumphum
Hoc esset certè dilectio maxima: sed non
Miror, si summus sit munera summa daturus:
Sed licet iste foret Deus ac homo: non tamen ipse
Nasci deberet, sicut communiter illi
Nascuntur, qui sunt homines puri: quia tantum
Ac talem, per quem foret incorruptio danda,
Ex incorrupta quoque nasci matre deceret.
Hæc sunt, quæ cecinit Cumana Musa Sibylla
Nuper in vrbe sacra, quasi cuncta fides oculata
Perdocuisset eam: vel in aure sua sonuisset.

An autem Ouidius hos versus libro suo de Vetula interposuerit, mihi

mihi dubitandum meritò videtur: quia nó congruit materiæ ipsius libri, & maximè ex eo, quia XIV. & XV. Metamorph: ipse dicit Sibyllam Cumanam fuisse temporibus illis, quando Æneas venit in Italiam, bellô Troianô peractô; & hoc etiam testatur Virgil. lib. VI. Æneid. Nisi fortè dici possit, quòd omnes fœminæ sacerdotes apud Cumas solitæ dare responsa, dictæ fuerint Sibyllæ Cumanæ diversis temporibus. Habet enim communis opinio, quòd tempore Octaviani Augusti vna de Sibyllis fuit, quæ in die Natiuitatis Christi signum in Sole, videlicet, virginem tenentem puerum in gremio ostendit ipsi Octaviano.

XIII. De morte nihil certi reperi apud Scriptores, unde colligo: placidâ eaq; naturali morte eam decessisse. Si enim casu quodam, aut violenta quadã morte fuisset extincta, vel aliquid circa ejus obitum contigisset, dubio procul illud ab Historicis non fuisset prætermissum. Nisi quis malit dicere: Non potuisse istius mortẽ facilè observari, quòd remota ab hominũ consortio in spelunca habitaverit sola, & nemine præsente diem ultimum obierit. Hinc etiam nemini pro certo affirmare licuit, numquid ipsa à Spiritu enecta; an deficientibus viribus mortua fuerit, vel voluntario obitu vitam finierit. Verùm cùm frequenter homines ad vatem istam accederent, utique admitterem: Illud facilè ab advenientibus potuisse animadverti, numquid Sibylla vel bene valeret, vel ægrotaret Et si ægrotare incepisset, utique ipsi eam non reliquissent solam. Quinimò si subitò fuisset extincta, ne quidem & illud non fuisset celatum, verùm de repentina ejus morte rumor percrebuisset. Sibyllam itaque Cumanam naturali quidem morte interiisse existimo, quod si tamen aliud monstrari possit, à mea opinione lubens deflectam.

CAPUT. X.

DE SIBYLLA HELLESPONTIGA.

I.

HÆc in ordine Sibyllarum secundum Lactantij sententiam est octava: qui in eo secutus est Heraclidem Ponticum Platonis & Aristotelis discipulum. Nata esse creditur Marpessi, quod est oppidum in Troade prope Gergethium. Troas autem est regio Asiæ minoris Hellesponto adiacens, quam Ptolomæus minorem Phrygiam appellat. Et quia

Troas adiacet Hellespondo; inde procul dubio Sibylla appellari cœpit Hellespontica. Quod ad oppidum Gergythium attinet, illius meminit *Plinius l.5. c.30. Natur. Histor. fol.85.* Observat *Betuleius ad Lactantii libr. 1. c.6. pag.35.* quod Stephanus de hac Sibylla locutus sit, & nitatur autoritate *Phlegontis*: quinimò testatur, illam cum Sphinge esse eandem, percutique solitam in numismate, & ejus sepulchrum extitisse in templo Apollinis Gergithij. Quidam existimant: illam non ex Marpesso, sed ex Marmisso Troadis vico, ortam esse. Quod tamen dubium ab alijs non magnoperè attenditur, utpote, qui dicunt: unum idemque oppidum duobus nominibus insigniri: &, sive Marmissus, sive Marpessus dicatur, unum tamen locum significari, & discrepantiam saltem ostendi in nomine.

II. A quibus hæc Sibylla fuerit orta valdè controvertitur. Qui eam volunt esse Glauci filiam, quam Æneas consuluit, cùm is ex Troade in Italiam secessisset, illi videntur Sibyllas confundere, cùm ex ante dictis luculenter constet: Cumæam Sibyllam fuisse, quæ Ænæam consulentem de futuris rebus instruxit. Neque credo, illos, qui posteriorem opinionem amplectuntur, ullius antiqui fide digni Scriptoris testimonio niti: Aut si vel vestigium quoddam apud unum repererint, illud latius, atque veritas patitur, fortean extendisse. Hucusque tamen certum non est quos nam parentes hæc Sibylla habuerit.

III. Cyri Regis & Solonis Philosophi temporibus vixisse perhibetur. Ipsaque dicitur Soloni consilium dedisse, ut ad Oraculum Delphicum proficisceretur, & ex ejus responso tum Sanctitatem, tum perennitatem suarum Legum Atheniensibus commendaret. An illud verum sit, vel non, relinquam in medio, quandoquidem Athenis eam cum Solone conversatam fuisse, hucusque non deprehendi. Numquid tempore peregrinationis Solon in eam feminam inciderit, & ab ea istud consilium perceperit, illudque secutus sit, pro certo affirmare non possum. Id quidem à specie veri non abit: Solonem prudentem utique virum, modò audiverit tum de hac Sibylla, eamque offendere potuerit, non prætermisisse occasionem colloquendi cum ea, utpote, qui fuerit homo curiosus, & cupidus perscrutandi nova, præprimis à tali femina, quæ eo ævo arte vaticinandi excelluerit. An itaque ipse Sibyllam istam consuluerit, & ab ipsa tale consilium acceperit, sicuti Æneas à Cumæa Sibylla de illo certè me dubitare lubens fateor, cùm hac de re in antiquis monumentis nihil hucusque deprehendere potuerim.

IV. Ob-

IV. Observavi quoque illam dici Sacerdotem Apollinis, & Oracula edidisse. Nescio tamen, in quonam Apollinis templo. Ille enim à gentilibus in multis locis cultus est: ubi habuit sua fana, sacra publica, ut & Sacerdotes, quibus curam superstitionis potius, quàm religionis demandatam esse credebant homines. Alicubi quoque Apollinis Oracula fuerunt, à quibus consulentes veritatem de futuris rebus requirere studebant, ad quæ responsa expediunda adhibebantur Sacerdotes tanquam eloquii divini interpretes. Quo officio & Sibyllam Hellesponticam defungi potuisse, à vero quidem non videtur alienum. Illud tamen tacetur ab Historicis, in quonam Apollinis templo illa Sacerdotis ministerium subierit? Sicut & illud clarè non exprimitur, nunquid curam saltem sacrorum ipsa in se susceperit, & quæ ad negotia istæc religiosa peragenda requirebantur tantùm sua directione ordinaverit, vel subinde Oracula advenientibus sit interpretata? Quod si vero munus interpretis in exponendis Dei sui responsis obierit propterea tamen non collocata fuit in numero Sibyllarum: Sed quòd ipsa per se in domo sua, vel alio loco, ubi commorabatur, consulentibus dederit vaticinia, sive tum spiritu fanatico fuerit obsessa, sive animo defecato extra ejusmodi statum Oracula cecinerit. Nam non semper Sibyllas, conceptô prius spiritu fatidicô, nec semper absque eo vaticinatas fuisse, supra fuit ostensum. Unde etiam à quibusdam non admittitur, quod nonnulli Sibyllam putent esse vocem orientalem, descendentem à *Sabal* unde *Seboula* quasi dicas *Portatricem*, sive quæ Pythium habeat incolam tempore nimirum vaticinii: Sed potius probatur, quòd *Hermeas Philosophus* scholiis *in Phædrum* statuit: illas scilicet mulieres dictas fuisse *Sibyllas*, quæ elegissent vitam divinatricem, sive quarum studium totum in eo fuit occupatum, ut vaticinarentur, & quærentibus responsa darent de rebus futuris, ad quod necessum non est, ut Spiritus reapse corpus Sibyllæ ingrediatur illudque occupet, cùm illud absq; reali corporis invasione perfici queat; licèt illud forteàn non sine spiritus suggestione fiat. Planè uti nostro seculo, (quemadmodum illud itidem antea attigi,) mulieres divinatrices ad hoc, ut aliis commonstrent, ubi lateant deperdita: vel futura ipsis significent, indigent quidem Dæmonis inspiratione, ipsæ tamen ab eo non statim occupantur cùm actum istius divinationis exercent. Hinc, ut in viam redeam, Sibylla Hellespontica, quando interpretis munus obiit in exponendis sui Dei Oraculis, quod tamen supponitur, potuit occupari à Spiritu, sicuti Pythia

Delphica

Delphica quantumvis illud testimonio veteris scriptoris probari non possit; attamen extra actum officii sacerdotalis, quando per se oracula cecinit, quis poterit hoc affirmare, illam in edendis vaticiniis spiritu Prophetico fuisse repletam?

V. Quemadmodum hæc Sibylla multa alia prædixit; ita etiam de Christo vaticinata esse creditur. Et quidem I. de Messiæ seu Servatoris nostri subsistentia.

Ἀθανάτου μέγαν υἱὸν ἀείδομαι ἐκ φρενὸς αὐδῶ;
Ὧ θρόνον ὕψιστος Γενέτης παρέδωκε λαβέσθαι
Μήπω γεννηθέντος: ἐπεὶ διὰ σάρκα τὸ διοσὸν
Ἠγέρθη προχοαῖς δ' ἀπολουσάμενος ποταμοῖο
Ἰορδάνου.
Æterni magnum natum cano pectore ab imo,
Cui solium Genitor tribuit supremus habendum
Nondum progenito. Siquidem de corpore duplex
Extitit. Est autem prolutus fluctibus amnis
Iordani. ......

II. De Messiæ doctrina, quòd scilicet Divinam legem sit interpretaturus, eamque impleturus: Inde extat hoc carmen apud *Sixtum Sinensem l. 2. p. 135. Biblioth.*

αὐτὸς πληρώσει δὲ θεοῦ νόμον, ἢ καταλύσαι
ἀντίτυπον λίμνημα φέρων καὶ πάντα διδάξει.
Ille Dei legem complebit, non violabit
Persimilem formam referens & cuncta docebit.

III. De Christi passione, acerbissima ejus morte, ut & miraculis, quæ ante & post illam contigerunt, uti est scissio veli in templo, quo Sanctum Sanctorum à reliquis sanctis locis erat separatum: & grandis istæc Eclipsis Solaris, quam in alijs regionibus observatam fuisse nonnulli referunt. Et potissimum de Dionysio Areopagita scribunt, quòd conspectâ hâc Eclipsi dixerit: *ἢ θεὸς πάσχει, ἢ τῷ πάσχοντι συμπάσχει*: Aut Deus patitur, aut patienti compatitur. Sed Sibyllæ nostræ carmen ita se habet.

Αὐτὸς γὰρ πάντων ἀκοή, καὶ νοῦς καὶ ὅρασις,
Καὶ λόγος, ὁ κτίζων μορφὰς ᾧ πάντ' ὑπακούει
Καὶ νεκύας σώζων, πᾶσαν τε νόσον θεραπεύων:
Εἰς ἀνόμων χεῖρας καὶ ἀπίστων ὕστατον ἥξει.

Καὶ δώσουσι θεῷ ῥαπίσματα χερσὶν ἀνάγνοις.
Εἰς δὲ τὸ βρῶμα χολὴν εἰς δίψαν ὄξος ἔδωκαν.
Τῆς ἀφιλοξενίης ταύτης τίσουσι τράπεζαν.
Ναοῦ σχισθῇ καταπέτασμα, καὶ ἤματι μέσσῳ
Νὺξ ἔσται σκοτόεσσα πελώριος ἐν τρισὶν ὥραις.
Ipse enim est omnium auditus, & mens, & visus
Et sermo, qui creat formas, cui omnia obediunt.
Et mortuos servat, nec non omnem morbum sanat.
In impiorum & infidelium manus postea veniet,
Et dabunt Deo alapas manibus impuris.
In cibum fel & in sitim acetum ei dederunt.
Ejusmodi inhospitalitatis mensam parabunt.
Templi verò scindetur velum, & die medio
Nox erit tenebricosa admirabilis tribus horis,

E quo carmine nonnulli versus attributi fuerunt Sibyllæ Erythrææ à *Lactantio l. 4. c. 18. p. 411. & p. 417. Divinar. Institut.* prout *cap. 7.* supra *p. 567. & 568.* dictum est. In Codice Regio Gallicano sequentes versus sex tribuuntur Sibyllæ Hellespontiçæ, qui extant in *Tom. 8. Biblioth. Patr. fol. 82.*

Dum meditor quondam vidi decorare puellam
Eximio (castam quod se servâsset) honore.
Munere digna suo, & Divino munere visa
Quæ sobolem pareret multò splendore micantem.
Progenies summi speciosa, & vera Tonantis
Pacifica mundum, qui sub ditione gubernat.

Quod si verè hoc carmen à Sibylla Hellespontica profectum est, utique illa eo tempore, quô visio hæc illi contigit, à Dæmone occupata esse non potuit. Meditari enim non nisi animo defecato competit, & nihil aliud hic erit, quàm speculari, & in absconditarum rerum veritatem inquirere. At cùm dedita esset speculationibus, ipsi talis visio apparuit de virgine speciosam prolem pariente, quæ orbem in pace sit gubernatura. Neque dixeris: Dæmonem hoc ei inspirasse. Certus siquidem sum, ipsum eo ævo mysterium incarnationis non scivisse perfectè, nec verè intellexisse: sanè non sub istis circumstantijs, quales hîc narrantur, quæve postea sese exseruerunt. Ideo, si nihil ficti hic delitescit, è singulari Dei revelatione vaticinium istud arcessendum esse videbitur. Spiritus autem Propheticus, qui in antiquo Fœdere vates & viros

viros Dei rexit, iisque futurorum notitiam communicavit, eos non adegit in furorem, ceu legenti S. Codicem patebit.

CAPUT XI.
DE
SIBYLLA PHRYGIA.

I.

SIbylla hæc dicitur *Phrygia* à loco, ubi vaticinia dedit. *Lactantius lib. 1. c. 6. pag 35.* scribit: illam vaticinatam esse Ancyræ, quæ est urbs Asiæ minoris inter Paphlagoniam & Galatiam sita. Vide Plinium. *l. 5. c. 32. fol. 97. Natural. Historiar.* Nomen suum, uti Stephanus vult, accepit ab ancoris navium, quas cœpit & abstulit Mithridates, cum Ptolomæus Ægypti Rex Gallo Græcis misisset suppetitas, & oracula cecinit: non enim legitur, quòd peregrinata sit, & alijs in locis vatem se præbuerit, sicuti de alijs quibusdam Sibyllis constat.

II. Quod autem Martianus Capella vult, hanc Phœbadem Phrygiam non differre à Sibylla Cumæa, sed unam eamdemque esse Sibyllam, id quidem ipse dicit, sed unde opinionem istam hauserit. & an vera sit illa sententia, hactenus mihi non constat. E *cap. 6. hujus libri p. 543. & seqq.* in quo Sibyllæ Cumææ vita descripta est, patebit, quæ ibi fusius prolata sunt, præsenti feminæ non posse facilè accommodari. Factum autem illud exinde videtur, quòd scriptor iste duas saltem Sibyllas statuerit, *Eraphilem Trojanam* Marmesi filiam, quam eandem atque Phrygiam & Cumæam esse putavit: & *Symachiam Hippotensis* filiam. Vide quæ dixi *cap. 2. n. 3. p. 504.* hujus libri. Erit itaque hæc Sibylla distincta à Sibylla Cumæa sive patriam, sive locum vaticinij, sive carmina, quæ cuique tribuuntu , aliquis consideraverit. Verùm in eo me detinere nolo.

III. Quidam existimant: Hujus vatis *proprium nomen* fuisse *Sibyllam*, & à loco cognomen Phrygiæ accepisse. Quod tamen verum esse non puto. Nam & aliæ Sibyllæ à locis, in quibus vel natæ sunt, vel in quibus vixerunt, vel responsa de futurorum successu dederunt, denominationem affecutæ sunt, uti Delphica, Lybica, Samia, Cumæa, quarum tamen nomen proprium nemo *Sibyllam* fuisse facilè dixerit. Illud quidem antea *c. 4. n. 2. p. 529.* de Lybica Sibylla nonnulli affirmare volunt, quasi

ipsius nomen proprium fuerit *Sibylla*, quamvis tamen illud valdè incertum sit: cùm potius nomen Sibyllæ sit nomen officij, quô mulieres divina ... es insigniantur, prout antea illud ostendi plenius. Unde quod de Lybica à quibusdam asseritur, illud non poterit dici de Phrygia Sibylla, nisi, uti apparet, una eademque Sibylla Phrygia & Lybica statuatur, quod tamen hucusque probatum non reperitur. Existimo itaque hanc Phrygiam distinctam à Lybica fuisse Sibyllam, eamque habuisse certum nomen proprium, etiamsi, quod nam illud verum fuerit nomen, hactenus invenire nequiverim.

II. Legi quoque, hanc Sibyllam Pythonem habuisse specialem, cum quo familiariter fuerit conversata, & à quo perceperit notitiam de rebus futuris & aliam sapientiam ab eodem didicerit. In imagine quadam vetusta sex Græci versus depicti, an in lapide sculpti sint, non additur, leguntur, quos *Obsopœus* dicitur transtulisse in sermonem Latinum:

Quô sum, quô vadò, sedeo, quò dormio, semper
Est mecum Pytho, vita sociusq; laborum.
Mecum colloquitur. Quæ sint Oracula certa
Quærenti subitò de rebus danda futuris
Suppetit, atque meam mentem sic instruit, ut nunc
Præ reliquis nôrim, quæ sit sapientia summa.

In quibus tamen versibus non legitur, quod à Pythone tempore vaticinij fuerit obsessa, & ita à Deo isto occupatá demum Oracula protulerit. Interim *Janus Boissardus in lib. de Divinat. p. 268.* distichon sub ejus effigie expressum exhibet, quod quodammodo ejusmodi obsessionem videtur indicare.

Responsis quondam celebrata est Ancyra nostris
Conceptô incalui quando animata Deô.

Quæ verba aliam interpretationem vix admittere poterunt, quàm quod Deum seu Spiritum suum receperit intra se, quando responsa dederit. Dicit enim, se animatam esse conceptô Deô, & ita incaluisse, velut illi, qui vino incaluerunt, quid loquantur, etiamsi illud bonum & honestum fuerit, ignorant. Interea non credo: illam semper, cùm vaticinata fuerit, à Pythico isto spiritu fuisse obsessam. Quòd dentur homines, qui Pythonem habent, seu spiritum fatidicum, non tamen ab eo statim corporaliter occupentur. Et notat *Drusius ad c. 16. Actor. v. 16.* quòd ejusmodi homines Pythonico spiritu afflati divinent; non tamen ipse addit: subinde cum isto afflatu corporalem obsessionem esse conjunctam. Ipse in ea sum opinione, modò adducti versus non sint suppositi-

posititij, sed genuini, feminam istam habuisse Pythonem tanquam Genium familiarem, Ducem vitæ suæ, ut & omnium suarum actionum: cum quo ipsa intimè fuerit conversata, & â quo secreta & abdita sapientiæ didicerit, & subinde, quomodo consulentibus de futurarum rerum statu atque eventu sit certum aliquod responsum reddendum ab eodem perceperit. Non enim infrequens est, ut quidam mortalium ejusmodi Genios familiares habeant, & ab illorum directione dependeant Talem Spiritum habuisse Numam refert Dionysius Halicarnass. l. 2. fol. 122. Antiqu Romanar. Socrates secundum Delphici oraculi judicium sapientissimus omnium hominum cum tali Dæmonio familiari vixit, qui ipsum quidem dehortatus sit â re aliqua, nunquam vero adhortatus sit. *Ælianus l. 8. c. 1. p. 123. Variar. Histor.* Ita Genius restitit Socrati, cùm defensionem adversus hostes meditaretur. *Xenophon in Apologia pro Socrate fol. 702.* Apud *Platon in Theage fol 93.* Socrates ait: *Adest mihi divinà quadam sorte Dæmonium quoddam à prima pueritia me secutum: hoc enim est vox quædam, quæ cum fit, semper ejus rei, quam facturus sum, dissuasionem innuit, provocat verò nunquam. Quod si quis amicorum meorum quandoq; aliquid communicat, venitq; vox, hoc illa dissuadet, neque facere sinit.* De quo Socratis Genio legi possunt *Plutarchus in lib. de Deo Socratis fol. 588. in Tom. 2. Oper.* ut & *Apuleius in libr. ejusd. argumenti. p. 432.* Quo cum Genio quidem hunc Pythonem, qui frequenter adstitit Sibyllæ Phrygiæ, non comparo, quippe quæ ab eo fuit informata, instructa, & erudita. Unde fatetur: *se illum habuisse vitæ & laborum suorum socium.* Quin potius eam confero cùm spiritibus familiaribus, quorum vetitâ operâ nonnulli superstitiosi usi fuerunt, utuntur itidem hodieque. De quibus egi *in lib. 1. c. 12. p. 94. & 95. hujus operis.* De illis siquidem constat, quod inserviant hominibus, ipsis conquirant opes, ipsis communicent variam notitiam diversarum rerum & linguarum, qui aliàs sint rudes & imperiti, aut, si quippiam in scientijs profecerint, nihilominus ejus sint ætatis, ut nec talium experientiam, nec propter Iudicij imbecillitatem talium cognitionem indipisci queant. Similem se Phrygiæ Sibyllæ præstitisse Pythonem istum familiarem non refragabor, dummodo de veritate ejus, quod narratur, non liceat dubitare.

V. Quomodo autem in reddendis Oraculis sese gesserit, an ore ea protulerit, vel scriptis consignaverit, dicere equidem non potero. Sicuti nec de eo certi quippiam reperi, numquid pars librorum, qui Tarquinio sunt venditi, ab ipsa fuerit composita: vel ipsa in illis con-

scribendis nihil planè contulerit. Nam quod *Ionas Velisius l. 3. c. 16. p. 233. & sequ. Critic. Lection* autoritate cujusdam Manuscripti, quod in Oxoniensi Bibliotheca se legisse fatetur, pro certo habet: à qualibet Sibylla librum fuisse perscriptum, qui non Romanæ tantùm, sed & aliarum gentium fata contineat, id quidem ob incognitum istum Scriptorem, nec inspectum locum à *Velisio* saltem allegatum, nec impugnare, nec tamen etiam asserere audeo. Vero quidem videtur simile, singulas Sibyllas non saltem consulentibus dedisse responsa; sed & de rebus futuris vaticinia sua carminibus comprehensa in usum posterorum scripsisse & reliquisse: Attamen. 1. Decem imò plures perhibentur Sibyllæ fuisse, unde plures, quàm novem libros Sibyllinos fuisse oportet. At de novem istis voluminibus loquuntur Dionysius Halicarnassæus, Gellius, ut & multi alij antiqui Scriptores. 2. Libri Tarquinio venditi dicuntur fata Romanorum continuisse, quemadmodum infra id plenius patebit. An autem Phrygiæ Sibyllæ carmina itidem de gentis Romanæ futuro statu quicquam tradiderint, id apud me tàm dubium est, quàm difficile illud alijs erit probare. 3. Ignoratur adhuc, posito hôc, Sibyllæ Phrygiæ oracula simul oblata fuisse Tarquinio, an unà cum sex libris fuerint exusta, an verò inter tres superstites asservata? 4. Et quod maximè dubium est, qua ratione illi libri singularum Sibyllarum fuerunt conquisiti? ut una femina omnes acceperit, eosque postmodum Tarquinio obtulerit? dicerem utique populum, apud quem unaquæque Sibylla inclaruit in reddendis oraculis, si de Sibyllæ suæ libris quicquam compertum habuerit, deinde veritatem in suppeditandis responsis antea expertus fuerit, vel planè non, vel ægrè dimisisse istos libros fatales, quin potius summam diligentiam adhibuisse, ut pro superstitione sua illi maxima curà custodirentur, & asservarentur. Hæc saltem sunt dubia, quæ mihi inciderunt; quæ itidem citra præjudicium veritatis hîc apponere volui, cui, sicut etiam autoritati *Velisii*, qui mea quondam amicitia usus est, nihil detractum volo. A moribus enim meis longè alienum est autorem, cujus sententiam non statim amplector, vel planè ab ea recedo, arrodere, aut acutis dicterijs eum perstringere, quod nonnulli Critici, in quorum tamen numero me non profiteor, id ita facere consueverunt, sanè potius cum cordati lectoris tædio, quàm cum ejus utilitate. Cumprimis si de tali re disceptetur, in qua veritas non comparet, nec certò inde erui queat; sed, quæ nitatur conjecturis, ubi dissentiens certè talem aculeatam censuram non meretur. Verùm hoc obiter.

VI. Ita

VI. Ita & alij dubitant, numquid in octo carminum Sibyllinorum libris, qui in Tomo. VIII. Biblioth. Patrum reperiuntur, quidam versus habeantur, qui ad Phrygiam Sibyllam possint vel debeant referri, quod istud opus Sibyllinum sit satis confusum, nec in eo distinctè appareat, à quanam Sibylla hi vel isti versus sint profecti. Interea sequentia carmina ei attribui solent. Et quidem 1. *De Christi Nativitate*, quæ facta est secundum carnem ex virgine Maria, quam ei Archangelus Gabriel annunciare debuit.

Ὑστατίοις τε χρόνοις χθόνα ἠμείψατο *
Καὶ βραχὺς ἐλθὼν παρθένου ἐκ Μαρίας λαγόνων τε
Ἐξανέτειλε νέον φῶς *
Οὐρανόθεν δὲ μολὼν βροτέην ἐνεδύσατο μορφὴν
Πρῶτα μὲν οὖν Γαβριὴλ σθεναρὸν δέμας ἁγνὸν ἐδείχθη,
Δεύτερα καὶ κούρην αὐτάγγελος ἔννεπε φωνῇ
Δέξαι ἀχράντοισι θεὸν σοῖς ὦ πάρθενε κόλποιο
Ὡς εἰπὼν, ἔμπνευσε θεὸς χάριν, ἡ δ' ἀεὶ κούρη
Τὴν ἄρα τάρβος ὁμοῦ θάμβος θ' ἕλεν ἐξαΐουσαι:
Στῆ δ' ἄρ' ὑποτρεμέουσα, νόος δὲ οἱ ἐπτοίητο
Παλλομένης κραδίης, ὑπ' ἀγνώστοισιν ἀκουαῖς.

Temporibusq; postremis petit terram *
Et brevis egressus Mariæ de virginis alvo
Exorta est nova lux. *
E cœlo veniens mortales induit artus.
Ac primum corpus Gabriel ostendit honestum
Nuncius, hinc tali affatur sermone puellam:
Accipe virgo Deum gremio intemerata pudico.
Sic ait: ast illam cœlestis gratia molli
Leniit afflatu. Tum virginitatis amatrix
Perpetuæ, magno subitò correpta stupore
Atque metu, trepida pressit formidine mentem,
Ignotis verbis commotò corde tremiscens.

2. *De Miraculis, quæ tempore passionis & mortis Christi essent eventura.* ut quòd horrendæ tenebræ exciturae essent vel ipso meridie: & velum templi, quo Sanctum Sanctorum ab alijs templi partibus erat separatum, scindi deberet uti vult *Sixtus Sinensis l. 2. p. 136. Biblioth. Sancta.* Sed cùm illud vaticinium adscribatur partim Sibyllæ Erythrææ, partim

tim Hellespontica, uti circa finem capitis præcedentis dictum, nec non subinde versus isti ibidem allati sunt, hinc in ijs recensendis amplius occupatus haut ero. 3. Non tantùm vaticinata est de Christi passione & morte, verùm etiam de ejus descensu ad inferos, & ejus resurrectione à mortuis. Carmen exhibeo è *Iani Boissardi Tract. de Divinat. fol. 269. & fol. 270.*

Ἥξει δ' εἰς Ἀΐδην ἀγγέλλων ἐλπίδα πᾶσι.
Καὶ θανάτου μοῖραν τελέσει τρίτον ἦμαρ ὑπνώσας:
Καὶ τότ' ἀπὸ φθιμένων ἀναλύσας εἰς φάος ἥξει.
Πρῶτος ἀναστάσεως κλητοῖς ἀρχὴν ὑποδείξας.
Πρῶτα δὲ τοῖς ἰδίοις φανερὸς τότε κύριος ἔσται
Σάρκινος, ὡς πάρος ἦν, χερσίν τε ποσίν τ' ἐπιδείξει
Τέσσαρα τοῖς ἰδίοις ἴχνη πηχθέντα μέλεσσιν.
Devenietq; (bonam spem portans omnibus) Orcum
Et tridui somno peraget mortalia fata.
Tum demum linquet Manes, lucemquè reviset
Prima resurgendi lectis vestigia monstrans.
Porro suis primum Dominus patefiet, eritquè
Corporeus, sicut fuit ante, manusq; pedesq;
Ostendetq; impressa suis vestigia membris Quatuor.

4 Præterea de *Resurrectione mortuorum*, quod mirum est, prædixit, quòd omnes homines demortui, & dudum putrefacti resurgere in carne sua, & ita restituti coram Deo comparerere debeant, ita ut postmodum Iudiciò Universali institutò, pijs æternis præmijs beandi, improbi verò perpetuis & dirissimis cruciatibus torquendi sint. In antiquo Regio Gallicano exemplari. *Tom. VIII. Biblioth. Patr. fol. 82*, hi versus tribuuntur Sibyllæ Phrygiæ.

Ipsa Deum vivi summum punire volentem
Mundi homines stupidos, & pectora cæca rebellis.
Et quia sic nostram complêrunt crimina carnem
Virginis in corpus voluit descendere cœlo
Ipse Deus prolem, quam nunciet Angelus alma
Matri; quò miseros contractâ sorde levaret.

CAPUT

CAPUT. XII.
DE SIBYLLA TIBURTINA.

I.

DEcima in ordine Sibyllarum à Varrone & Lactantio collocatur Sibylla, quæ Tiburtina appellata est ab urbe *Tibure* ad Anienem fluvium sita, quæque hodie vocatur *Tivoli*. Extructa est in excelso colle ad fluvium Italiæ Anienem, qui in montibus Trebianorum nascitur, & Tiburtinum agrum irrigat, ubi è sublimi in subjectam vallem magno impetu delabens efficit catarractam: deinde per plana fluens tres nobiles lacus secum in Tiberim defert. Dictus fluvius iste creditur ab Anio Hetruscorum Rege, qui Cethegum filiæ suæ raptorem quidem acriter insecutus est: cùm verò eum assequi non posset, in hunc fluvium se egit præcipitem, eique nomen à suo nomine reliquit. De hujus urbis conditore est dissidium etiam inter antiquos Scriptores. Quidam dicunt eam conditam esse à Triburto, idque asserunt autoritate *Virgilii*, qui *l. 7. Æneid. v. 671.* ita ait:

Fratris Tiburti dictam cognomine gentem.

Etenim is, qui nomen dedit urbi, is quoque ejus conditor videtur. Et ne hâc saltem conjecturâ nitantur, subinde Plinij testimonium afferunt, qui *lib. 16. c. ult. fol. 339.* clarè Tiburnum oppidi Tiburtis conditorem esse fatetur. Sic autem scribit: Tiburtes quoque originem multò ante urbem Romam habent. Apud eos extant ilices tres, etiam Tiburno conditore eorum vetustiores, apud quas inauguratus traditur. Fuisse autem eum tradunt filium Amphiari. Quod Tiburtus, vel Tiburnus (utrumque enim Turnebus admittit) nomen dederit isti urbi, & ejus autor extiterit, id etiam *Iulius Solinus cap. 8. pag. 201. Polyhist.* tradit, sed Tiburnum facit Amphiarai nepotem, in quo tamen dissentit à Plinio, non enim in omnibus eum sequitur. Sed verba ejus adducam: *Catillus* enim *Amphiarai filius post prodigialem patris apud Thebas interitum Oeclei avi jussu cum omni fœtu vel sacro missus tres liberos in Italia procreavit, Tiburnum, Coram, Catillum, qui depulsis ex oppido Siciliæ veteribus Sicanis, à nomine Tiburni fratris natu maximi urbem vocaverunt.* Non possum, quin hic obiter adducam, quæ circa hunc locum observavit *Claudius*

Salmasius fol. 61. De Tibure loquitur Solinus oppido Romæ perquàm vicino à tribus fratribus, Tiburto, Cora, Catillo, Argivis condito ac de Tiburti fratris majoris nomine appellato. Quid hîc igitur oppidum Siciliæ aut veteres Sicani faciunt? Sanum putamus fuisse Solinum, cum hæc scriberet? Quis Siciliam pro Italia sanus dixit? Servius: *De Græcia tres fratres venerunt ad Italiam: Catillus, Coras, Tibur, vel Tiburnus. Hi simul omnes fecerunt unam civitatem, & eam de fratris majoris nomine Tibur appellaverunt.* Scio Sicanos Italiam olim tenuisse, atque inde pulsos insulam duce Siculo occupavisse, quæ Sicilia postea ab eo dicta est. Hæc enim traduntur. Sed Italiam dictam fuisse Siciliam, nemo, quod sciam, prodidit. Falsissimum igitur & absurdissimum est, quod hîc narrat Solinus. Sed fortasè ita scripserat: qui depulsis veteribus Sicanis à nomine Tiburtis fratris natu maximi urbem vocaverunt. Cum sciolus aliquis hîc Sicanos legeret, ad oram videtur addidisse, ex oppido Siciliæ, quia scilicet putaret: Sicanos non alibi, quàm in Sicilia fuisse. Atqui Sicani in Italia fuerunt, & quidem ea etiam loca tenuerunt, ubi postea Roma condita est. Vide *Servium* ad illud Poëtæ:

— *Veteresq́, Sicani*

Æneid. VII. Idem alibi. *Sicani Duce Siculo venerunt ad Italiam, & eam tenuerunt exclusis Aboriginibus.* Mox ipsi pulsi ab illis, quos ante pepulerant, insulam vicinam Italiæ occupaverunt. & eam Sicaniam à gentis nomine; Siciliam verò à ducis (scilicet nomine) dixerunt. Quinimò Siculos illos veteres Tibur oppidum tenuisse scribit *Dionysius lib. 1. fol. 13. 14.* παρ' οἷς, inquit, καὶ ἐς τὸ δε χρόνου μέρος τι τῆς πόλεως ὀνομάζεται Σικελιών, *Apud quos hodie Sicelion* (Sylburgus legit Siculio) *pars Urbis dicitur*, additq́ue mox Pelagos qui Italiam incolebant, ad ea loca venisse, & iunctos cum Aboriginibus bellum Siculis fecisse. Hoc est, quod ait hoc loco Solinus, Argivos depulsis ex oppido veteribus Sicanis Tibur condidisse. Nam Siculi illud oppidum tenuerunt.. At quod additum est Siciliæ, prorsus falsum est, & ratione caret, patetq́ue ab imperitis adjectum fuisse. Sic defendi Solinum putamus. ut culpam in alios transferamus: Ita *Salmasius.* Quæ tamen antiquitatis dissidia parum sunt attendenda. Alij existimant: Catillum fuisse istius Urbis extructorem, quod *Horatius* statuit *l. 1. Oda 18. v. 2.* Vide ibi *Levin. Torrentium pag. 68.* Procul dubio esse poterit, ut uterque voluerit famam & gloriam istam affectare, quasi à se sit condita urbs: Tiburtus

tus autem superaverit Catillum: uti in contentione Romuli & Remi, uter scilicet eorum urbi recens conditæ nomen dare deberet, tandem Romulus occisô fratre obtinuit. Cœterùm potens illa fuit urbs antiquis temporibus, ita, ut incolæ ejus ferè cœperint insolescere, ea propter etiam dicta est *Superba*. Quô epithetô illam insignivit *Virgilius lib. 7. vers. 630. Æneid.* dum ita canit:

— Atina potens, Tiburq; Superbum.

Servius videtur hoc restringere ad mores incolarum & civium, utpote qui elati essent animi. Cum enim Tyburtes aliquando à Senatu poscerent auxilia sub commemoratione beneficiorum, hoc tantum ab ipso responsum acceperunt: *Superbi estis*. Adde *Ludov. de la Cerda ad l. 7. v. 30. n. 13. fol. 105. Virgil. Æneid.* Germani quondam celebrem istam urbem diruerunt, quam tamen *Fridericus Barbarossa* ad eum ferè modum, prout hodie conspicitur, restauravit. *Martinus Zeiler. in Descript. Ital. c. 7. n. 21. fol. 190.* Patet itaque è quam celebri & clara urbe originem duxerit nostra Sibylla Tiburtina. Vide *Cluver. lib. 3. c. 4. Antiqua Italia fol. 958. usque ad fol. 965.*

II. Appellata quoque est *Albunea*; ideò forteań, quòd Dea quædam in nemore aliquo agri Tiburtini fuerit culta, quæ nomen Albunæ acceperit: quæque nulla alia fuit, quàm *Sibylla Tiburtina* ob admirabilem & omni fere humanitate superiorem Sapientiam tum ab ipsis incolis tum à vicinis populis Deæ instar culta uti infra plenius hoc declarabitur. Quod verò per Albunam Deam *Ino Athamantis* uxor intelligi debeat, quæ mariti furorem atque insaniam pertimescens unà cum Melicerta filio in mare se egerit præcipitem, id à quibusdam quidem ita narratur, sed in præsente casu vix inveniet locum. Quippe quòd istæc narratio quodammodo sapiat fabulam: nam scribunt Poetæ, *Inonem* in *Leucotheam* seu *albam Deam*: *Melicertem* verò in *Palæmonem*, quem Latini *Portumnum* nominant, fuisse conversum. Vero interim similius est: Albuneam dici nostram Sibyllam à fonte & nemore hujus nominis prope Anienem, ubi tanquam Dea culta est. *Virgil. l. 6. Æneid. v. 82.* & sequ.

— Lucosq; sub alta
Consulit Albunea nemorum quæ maxima sacro
Fonte sonat.

Acro ad l. 1. Od. 7. Horat. quem sequitur *Torrentius pag. 31.* dicit: Albuneam fuisse nomen Nymphæ, quæ fuerit Præses fontis ejusdem nominis. Observat *Cerda ad l. 7. Æneid. v. 82. n. 13. fol. 18.* credibile esse: A

Sibylla, quæ ibi olim vaticinaretur, relictam esse hanc nomenclaturam, non solùm fonti, sed etiam sylvæ, & inde propagatam superstitionem, ut Itali locum illum adirent ad petenda Oracula, quasi Sibyllæ Spiritus adhuc reliquus esset in fonte vel etiam Sylva. Quantumvis *Strabo lib. 5. fol. 238. Geograph.* denominationem istam non referat ad ullam Nympham, sed saltem ad *aquas Albulas* juxta *Anienem* fluentes, & è multis fontibus scaturientes, & in usum multorum morborum depellendorum salutares. Uti ita nomen illud tractum videatur à colore aquæ, albedine scilicet: quo cum consentit vox Græca λευκόθεα, quasi dicas *albam Deam*.

III. *Gothefridus Viterbiensis part. 10. Chronici fol. 214. apud Pistor. par. 2. Historic. German. fol. 214.* scribit de hujus Sibyllæ nativitate sequentia. Fuit igitur, inquit, hæc Sibylla Priami Regis filia, & ex matre Hecuba procreata: vocata est autem in Græco Tiburtina; Latinè verò Albunea nomine vel Cassandra: & illa circumiens diversas provincias ac partes orbis prædicavit per Asiam, Macedoniam, Erostachiam Agagusdeam, Ciliciam, Pamphiliam, & Galatiam. Quumque mundi partes vaticiniis suis replesset, inde venit Ægyptum, Æthiopiam, Bragadam, Babyloniam, Aphricam, Lybiam, Pentapolim, Mauritaniam, & Palarinum. In omnibus hisce provincijs & Spiritu Prophetiæ repleta prædicavit bonis bona, malis mala. Scimus namque quæ in præconiis suis annunciavit, & quæ in novissimis erant ventura, prædixit. Sed si verum dicere de beam, istæc Viterbiensis narratio destituitur fide. Etenim non apparet, unde ipse istam historiam acceperit, alijs ea de re planè tacentibus. Quippe si hæc Sibylla Tiburtina Priami Regis Troianorum, cujus imperium per totam Asiam tum temporis extensum erat, ex uxore Hecuba progenita filia fuisset, nunquam Historici tam illustres hujus Sibyllæ natales silentio prætermisissent. 2. Deinde omnes illi scriptores, quos ego quidem de vita & gestis hujus Sibyllæ legere potui, eam faciunt Italam, quæ suos natales debeat urbi Tiburtinæ, quæque à patria suam acceperit denominationem. Priamus tamen in Italia non fuit Rex, neque ibi domicilium & sedem Regiam habuit, multò minus constat, ipsum Tiburi habitâsse. 3. Neque illud certum est: Priami filiam secessisse in Italiam, & in urbe Tiburtina degisse, nec non hominibus futurorum fata exposuisse. Multò minus 4. constat, istam tot regiones peragrâsse, & tamen cognomentum Tiburtinæ Sibyllæ accepisse, cùm inter istas nec Italia, nec civitas Tibur nominentur. Præterea. 5. frivolum est, quod dicitur: eam in Græco

vocatum

vocatam esse Tiburtinam. Nam licèt initium istius urbis conditæ referatur ad Tiburtum Græcum hominem; tamen adhuc remanet quæstio: Quare Sibylla dicta fuerit Tiburtina in Græco, nisi ratio hujus cognomenti subfuerit? Appellatio enim Urbis utut origine quidem sit Græca, tamen nomen istud in vim vocis Italicæ vel Latinæ transiire potuit. Homo Græcus, qui in alia regione condere incipit novam civitatem, eam tamen propterea non facit Græcam nisi & conditor novæ civitatis imperium habeat in Græciam, & recens extructam civitatem simul Græcorum juribus subjiciat. Quinimò. 6. positò Tiburtinam civitatem fuisse & mansisse Juris Græci, qua ratione Priami filiæ contingeret cognomentum Tiburtinæ, non immeritò dubitari posset? Addit. 7. *Viterbiensis* Sibyllam istam Priami filiam subinde dici *Cassandram*: Jam verum est ex historijs, Priamo natam esse *Cassandram* filiam, sed an illa fuerit Sibylla Tiburtina, altioris est considerationis. In fabulis est Apollinem nimio amore erga dictam Cassandam admirandæ venustatis puellam exarsisse, ejusque concubitum sollicitasse, hac simul ei datâ promissione: Se eam, quam ipsa postulatura sit, mercedem & præmium daturum esse. Illa poposcisse dicitur vaticinandi peritiam, quam quóque sanctè ipsi non saltem pollicitus fuit; sed etiam reapse concessit credulus amator. Quoniam verò ipsa postmodum, quod antea sub spe præmii promiserat, non servavit: ideo vehementer indignatus est Apollo, & cùm munus ei semel datum eripere non posset, hoc saltem effecit, ut ejus vaticinijs nulla haberetur fides. Quod etiam ita evenit: quandoquidem ipsi Iliis disuadenti, ne equum Trojanum intra muros reciperent obsessi, quòd esset res plena insidiarum, doli & periculuſi, nemo voluit fidem adhibere. Ita cùm Agamemnon admoneretur ab ipsa, ut uxoris suæ Clytemnestræ insidias caveret, is tamen ejus monitum tanquam delirantis mulieris effatum contemsit. Hinc *Tryphiodorus* canit;

—— Τὴν γὰρ Ἀπόλλων
Ἀμφότερον μάντιν τ' ἀγαθὸν, καὶ ἄπιστον ἔθηκε

—— *Dederat huic augur Apollo*
Esse bonam vatem, sed non credenda profari.

Quintus Calaber eam appellat ἀνεμώλιον, id est, vanam, futilem & irritam vatem. Apud quem ipsa de se loquitur: ἀλλά μοι ὐ πείθεσθ. Sed mihi non habetis fidem. *Plutarchus in egregio libro de Reipubl. gerenda præceptis fol. 120.* ait: *Cassandra vaticinium civibus inutile erat, quod fides*

Sibyllam Tiburtinam inclytam & à Romanis tantopere cultam vatem. Quamvis non desint, qui *Caßandram* ordini Sibyllarum adscribant, uti *cap. 15.* indicabitur.

IV. Hæc Sibylla suo tempore satis celebris extitisse dicitur in reddendis Oraculis, & erudiendis hominibus ad pietatem & virtutem: nulla namque ferè est virtus, quam ipsa non inculcavit alijs. Et quidem. 1. cum intelligeret, neminem verè pium esse posse, nisi qui unicum Deum omnium rerum conditorem ex animo veneraretur, ideo damnavit Idololatriam, ejusque abominationem ob oculos posuit omnibus, eosque ad verum Deum colendum & adorandum sedulò incitavit. Unde autem istam sibi de vero & unico Deo paraverit notitiam dubitare non immeritò quis poterit, cùm ipsa fuerit femina à paganis & inter paganos nata & educata. An ob singularem suam, quâ excelluit, sapientiam è principijs rectæ rationis notitiam de vero Deo sibi acquisiverit, uti de quibusdam viris prudentibus vulgata est fama, Aristotele scilic. Platone, Tullio, & alijs, quòd illi rectæ rationis normam secuti deprehenderint Unius saltem veri Dei existentiam, & talia ejus attributa, quæ nulli alij rei competere poterunt, quam illi, à qua omnia sunt, diriguntur & conservantur? An verò è lectione librorum Philosophicorum aliquid de uno Deo traditum invenerit? uti quidam putant de Platone, quasi is Mosis scripta legerit, & ex illis cognitionem de Vnico Deo acceperit, à quo postmodum Aristoteles assiduus istius auditor eam doctrinam inbibisse dicitur. An è speciali quadam revelatione illam fuerit indepta? affirmare non audeo. 2. Vbi cognovit, Societatem humanam consistere non posse, nisi socii vinculo quodam communiti sint: Illud vinculum autem Justitia & amicitia sint, absque quibus nulla Societas permanere & conservari queat. Ea de causa illa docuit de Justitia inter homines exercenda: de æquitate observanda: & alenda concordia. Si enim Justitia quidem colitur, amicitia verò negligitur, ne tum quidem Societas perdurare potest. 3. Instruxit quoque homines, ut singuli integritatem vitæ sectarentur, honestè, castè & rectè viverent, & ab aliorum injuriis abstinerent. Qua in re ipsa insigne docentis munus sustinuit, & egregiam operam in erudiendis hominibus præstitit. In vaticinijs edendis tum temporis apud suos populares & vicinos fuit celebris, & ad se venientes de futuris instruxit. Dubio procul & vaticinia multa scripsit: an verò nonnulla, & quænam illa sint carmina, quæ in octo istis certè indigestis Sibyllinis libris habentur, illi

tribui

tribui queant, pro certo tradi vix poterit. Quædam tamen ad eam referri mox patebit.

V. De Messia quoque multa prædixisse creditur, præcipuè de ejus nativitate, quòd nimirum nasciturus sit in urbe Bethleem è castissima matre, & annunciandus sit in Nazareth. *Janus Boissardus in illustri Tractatu de Divinat. f. 278.* sequentem de hac Sibylla Tiburtina & Cæsare Augusto narrat historiam. Cum Augustus ad summum pervenisset imperium, atque ita Orbem terrarum ferè totum sub sua potestate contineret, antea autem in libris Sibyllinis legisset, quòd eo tempore, quo ipse Monarcha jam tum erat constitutus, venturus sit *Summus Rex ac rerum omnium Dominus, qui mundi futurus esset Princeps*, putavit: eam Sibyllæ prophetiam de SE intelligendam esse. Dum autem animo efferebatur ab aulicis adulatoribus multis modis incitatus est, ut SE Dominum vocari, *SEQVE* divinis honoribus affici pateretur. Verùm suppeditatis ipsi istis consilijs, ipse anxius ferebatur, quid facere deberet, valdè dubitans: idque ex hac ratione, quia tum *Regis nomen erat odiosum, Domini verò nimis ambitiosum.* In hac dubitatione consistens consilium à suis amicis accepit, ut Tiburtinæ Sibyllæ Oraculum peteret: quam ipse in adyto templi Palatini, quod nunc *Ara Cœli* vocatur, evocavit. Evocata comparuit Augusto, sive Sibylla sive malus Genius sub ejus forma fuerit, nunc quidem relinquendum erit in medio. Interim illa personata figura comparens jussit Imperatorem oculos in cœlum attollere, ubi ei ostendit virginem formâ singulari, & divinâ facie micantem, quæ ulnis continebat *Filium* radijs lucis coruscantem, qui in globo Lunæ cum matre diva sedebat. Hunc inquit apparens istæc Sibylla, verum Deum, verumque hominem brevi sustinebit tellus, qui mundi futurus sit Rex & Dominus: & hic solus inter homines colendus est & adorandus. Quibus Sibyllæ verbis motus Cæsar Augustus, neque in posterum expetivit titulum humanâ sorte superiorem, quantumvis aliàs animo esset elato & ambitioso. Quin potius maluit ultrò ab instituto desistere, & divinis, uti ipse tum credebat, monitis parere, quàm obstinato animo admittere titulos soli DEO convenientes. Hæc ita Boissardus. *VVernerus Rolefinck. in Fasciculo Tempor.* juxta alicujus allegationem, dicitur hanc historiam ita protulisse. Sibylla Tiburtina clara habetur, quæ de Christo prophetavit & Augusto respondit: *Ne se Deum iuxta stultitiam Paganorum putaret*, & ostendit illi Virginem pulcherrimam in cœlo tenentem puerum in brachiis & ait: *Hic puer major est TE, ipsum adora.* Verùm ad manus habui dictum *Rolefinckium*, &

locum

locum evolvi, ubi illud, quod adductum est, non legitur. Sequentia tamen apud eum habentur in citato libro. *ætat. quarta. fol. 34.* apud *Iohan. Pistor. Vol. 2. Scriptor. rer. German.* ubi multis encomijs de Augusto præmissis, tandem ait: *Quid ultra? Christum cum benedicta sua matre videre meruit* (scilicet Augustus) *quasi ipse primicerius extiterit vocationis gentium: nec unquam post hæc Dominus vocari voluit.* Quæ narratio videtur ex parte sapere fabulam. Illud quidem non nego, Augustum tanquam prudentem Principem dubitasse: numquid Regis vel Domini titulum assumeret, aut se divinis honoribus coli pateretur? Quandoquidem prius illud ipse intelligebat, utrumque scilic. nomen non placere Romanis: posterius sibi tanquam homini non convenire sua sponte comprehendere poterat, ut non necessum fuerit ea de causa defunctæ Sibyllæ manes consulere, & ab ijs, quid facto opus esset, perdiscere. Deinde omni fide caret, Christum voluisse ante incarnationem suam tanquam puerulum in manibus futuræ suæ matris repositum ad Sibyllæ, vel spectri sub forma Sibyllæ apparentis in nubibus se ostendere, ut Augustus exinde exemplum humilitatis caperet, ne se amplius Dominum vocari pateretur. Si verò illud visum reapse, uti narratur, se se non habuerit, qua ratione Dæmon vel Sibylla potuit ejusmodi imaginem in nubibus ostendere, cùm nondum certò constaret de istiusmodi specialibus Nativitatis Christi circumstantijs. Et, ut illud obiter attingam, quomodo potuit Augustus certò credere puerulum sibi in nubibus ostensum totius mundi Dominum esse futurum, sive de Civili, sive de Spirituali dominio illud intelligas. De civili fortean id fieri posse, vix sibi persuasit, utpote qui suum Regnum ita se firmare posse existimaverit, ut alterius imperium magnum, & universale in totum mundum non esset pertimescendum. De Spirituali autem imperio Messiæ nihil ipsi patefactum est, quomodo igitur dici poterit, quòd ipse ratione superioris Dominij futuri, quod tamen ipse non intelligebat, voluerit abstinere titulo Regis vel Domini. Nuspiam enim legitur, Augustum veram indeptum fuisse notitiam de Christo ejusque officio. aut vera fide in eum credidisse. Et mera verba sunt, quod dicit Wernerus Rolefink: *Eum fuisse primicerium vocationis gentium.* Certè si hoc verum esset, longè alia dubio procul in antiquorum monumentis hac de re extarent testimonia. Ipse quoque Augustus aliquid egisset, unde ejus fides in Messiam, divinus cultus, & sacra ejus animi devotio erga istum Redemtorem totius orbis quodammodo colligi posset. *Gobelinus ætate, 4. c. 10. fol. 79. Cosmodrom.* refert quidem: Haberi communem opinionem,

nem quòd tempore Octaviani Augusti una de Sibyllis fuerit, quæ in die Nativitatis Christi signum *in Sole* videlicet Virginem tenentem puerum in gremio ostenderit ipsi Octaviano: non tamen addit, eum credidisse in illum puerum; aut propterea noluisse uti titulo Regis vel Domini.

VI. Romani publicâ; quæ de hac Sibylla extabat passim, commoti famâ dicuntur eam ad se accersivisse, & in suam civitatem magnâ pompâ & solennitate deduxisse. ubi postea centum è Senatu viris somnium de novem Solibus, quod una eademque nocte ipsi habuisse dixerunt, in monte Apennino interpretata est. Rem totam, (sed cujus fide, divinare nequeo) persequitur *Gothofredus Viterbiensis par. X. fol. 214. & 215 in Tom. 2. Script. rer. German c. Pistorii.* Verba ita se habent. Audientes igitur famam ejus Romani statim nunciaverunt in conspectu Senatorum. Mittentes ergo Senatores Legatos ad eam, fecerunt ipsam cum magno honore deduci Romam. Centum igitur viri ex Senatu Romano somnium in una nocte viderunt singuli. Videbant *Singuli quasi novem Soles esse in cælo, qui sigillatim divisi divisas in se figuras habebant. Primus Sol erat splendidus & fulgens super omnem terram. Secundus Sol splendidior & magnus ætheream habens claritatem. Tertius Sol sanguineo colore flammiger, igneus & terribilis, ac demum splendidus satis. Quartus Sol quarta generatio est tempore Christi. Quintus Sol erat tenebrosus sanguineus & lampas, sicut in tonitruo tenebroso. Sextus Sol tenebrosus nimis, habebat aculeum seu stimulum Scorpionis. Septimus verò Sol terribilis erat & sanguineum iterum habens in medio gladium. Octavus autem Sol erat effusus sanguineum habens colorem in medio. Nonus autem Sol erat nimis tenebrosus, unum tamen habens radium fulgentem.* Quumque Romam ingressa esset Sibylla, videntes eam cives Romani admirabantur nimiam pulchritudinem ejus: erat enim venusta aspectu, decora vultu, eloquens in verbis: atque Dei pulchritudine satis benè composita suis auditoribus dulce præbebat eloquium. Venientes autem viri, qui somnia viderant, dicunt ad eam: *Magistra & domina quam ad magnum decorem est corpus tuum: qualem nunquam in fœminis, præter te vidimus: precamur ut somnium, quod omnes nos in una nocte vidimus, quod futurum præmonstret, aperias.* Respondens Sibylla dixit ad eos: Non est æquum in hoc loco stercoribus pleno & diversis certaminationibus polluto sacramentum hujus visionis detegere. Sed venite ascendamus ad Appenninum montem, & ibi adnuntio vobis, quæ ventura sunt civibus Romanis. Et fecerunt, ut dixit. Quos interrogavit, & illi visionem, quam viderant, narraverunt ei. At illa dixit ad

cos;

eos. Novem Soles, quos vidiſtis, omnes futuras generationes præſignant. Quod verò diſſimiles eos vidiſtis, diſſimilis erit vita in filijs hominum. *Primus autem Sol, prima generatio eſt*: erunt homines ſimplices & clari, amantes libertatem, veraces, manſueti, benigniſſimi, amantes conſolationes pauperum, & ſatis ſapientes. *Secundus autem Sol, ſecunda generatio eſt*: erunt homines ſplendidè viventes, creſcentes multum, Deum colentes ſine malitia, converſantes in terra. *Tertius verò Sol, tertia generatio eſt*: exſurget gens contra gentem, & erunt pugnæ multæ in Roma. *Quartus autem Sol, quarta generatio eſt*: erunt homines quod verum eſt abnegantes: & in diebus illis exurget mulier de ſtirpe Hebræorum nomine *Maria*, habens ſponſum nomine *Ioſeph*, & procreabit ex ea ſine commixtione viri de Spiritu Sancto nomine Jeſum: & ipſa erit virgo ante partum & virgo poſt partum: qui ergo ex ea naſcetur, erit verus homo, ſicut omnes Prophetæ prædicaverunt: adimplebitque legem Hebræorum, & adjunget ſua propria inſimul, & permanebit regnum ejus in ſecula ſeculorum. *Quintus autem Sol quinta generatio eſt*: eliget ſibi JESUS duos piſcatores de Galilæa, & leges ſuas docebit eos, dicens: Ite, & doctrinam quam accepiſtis à me, docete omnes gentes & per ſeptuaginta & duas linguas ſubjicientur omnes nationes. *Sextus autem Sol, ſexta generatio eſt*, & expugnabunt iſtam civitatem annos tres & menſes ſex. *Septimus verò Sol ſeptima generatio eſt*: & exſurgent duo Reges, & multas facient perſequutiones in terra Hebræorum propter Dominum. *Octavus autem* Sol *octava erit generatio*, & in deſertatione erit Roma: & præpugnantes ululabunt in tribulationibus & doloribus, dicentes: Putáſne peribimus? *Nonus autem* Sol, *nona generatio eſt*: & exurgent Principes Romani in perditione multorum. &c.

VII. Cœterùm repudiatis illis, quæ ex parte incerta ſunt, ex parte quoque fabulam ſapiunt, illud negari non poteſt, hanc Sibyllam Tiburtinam à Romanis magni æſtimatam, imò Deæ inſtar honoratam; poſt mortem verò pro Dea habitam & cultam fuiſſe. Narrant nonnulli: Iſtius Sibyllæ Simulacrum poſt multos annos inventum fuiſſe in gurgite fluvii Anienis manu altera tenens librum. Quam ſtatuam lapideam unà cum iſtius Sibyllæ ſcriptis Senatus Romanus ſolenni pompa & multis ceremoniis Romam transferri curavit, eamque in templo Jovis Capitolini, ubi alij libri Sibyllini aſſervabantur, reponi curavit. *Boiſſard. de Divinat. fol. 275.* Præterea templum ipſi tanquam Deæ extructum legitur, in quo, conſtitutis Flaminibus, ipſa publicè fuit

culta, precibus in eam directis, & ad propitiandam eam sacrificiis accensis. Apud *Zeilerum in Descript. Italiæ c 7 fol. 190.* habetur delineatio Urbis *Tivoli*, in qua apparent rudera templi in honorem Sibyllæ Tiburtinæ quondam extructi. Columnæ adhuc extantes indicant, non levem, sed splendidam fuisse structuram hujus templi. Et nullus dubito, quin multos per annos magna Idololatria isto in loco commissa fuerit â superstitiosa plebe. Sibylla tamen si non aliud, hoc tamen impetravit, ut ubique gentium, ubi historiæ antiquæ sunt in pretio, memoria ejus vel hodiernum in diem usque recolatur: procul dubio etiam non desitura, quamdiu de Sibyllis mentio apud posteros futura sit.

VIII. Tandem de ipsius vaticiniis aliquid afferendum restat. Licèt autem de variis vaticinia reddidisse credatur; tamen, missis illis, ea saltem, quæ de Christi patria, resurrectione, & ascensione in cœlum adhuc extare existimantur, afferam. Et quidem de *Christi patria* hoc carmen circumfertur.

Σπαργανόθεν δὲ βρέφος δείχθη θεοπαθέσι φάτνῃ
Καὶ Λόγε ἡ Βηθλὲμ πατρὶς θεόκλητος ἐλέγχθη.

Janus Boissardus de Divinat. fol. 277. tres versiculos Latinos illis subjunxit, quos ita, uti apud ipsum leguntur, subjiciam:

Monstratusq; Dei præcepta sequentibus infans
In præsepe cubans; quem fascia circuit: estq;
Dicta Logi (Verbi) *Bethlem divino patria nutu.*

De ejus resurrectione & ascensione in cœlum apud *Sixtum Sinensem lib. 2. p. 136. Biblioth.* sequens carmen reperitur.

—— *Αὐτὰρ ἐπὴν ἔλθη τρισὶν ἐς φάος αὖθις*
Καὶ δείξει θνητοῖσιν ὕπνον, καὶ πάντα διδάξει,
Ἐν νεφέλαις ἐπιβὰς εἰς οὐρανοῦ οἶκον ὁδεύσῃ:
Sed postquam triduo lucem repetiverit atq;
Monstrârit somnum mortalibus, atque docendo
Cuncta illustrârit, cœlestia tecta subibit
Nubibus invectus.

In antiquo Manuscripto Regis Galliæ in *Tomo VIII. Bibliotheca Patrum fol. 52.* huic Sibyllæ sequens carmen tribuitur.

Verax ipse Deus dedit hæc mihi munia fandi,
Carmine quòd sanctam potui monstrare puellam:
Concipiet quæ Nazareis in finibus illum
Quem sub carne Deum Bethlemica cura videbant.

O nimi-

O nimium felix cœlo dignißima mater
Quæ tantam sacro lactabit ab ubere prolem.

CAPUT. XIII.

DE SIBYLLA HEROPHILE.

I.

HActenus de decem Sibyllis, quas ex *Varrone* recenset *Lactantius l. 1. c. 6. p. 33. 34. & 35. de Falsa relig.* ordine actum est: nunc de alijs quibusdam, quæ à nonnullis itidem pro Sibyllis habentur, paucula tamen in medium afferam, initium facturus ab Herophile, cujus memini supra *l. 3. c. 5. p. 532.*

II. Herophile dicitur juxta Erythræorum traditionem in antro montis Coryci, & quidem à Patre Theodoro & matre, cujus nomen fuit Ida, prognata. *Pausanias lib. 10. p. 576.* hoc refert: *Erythræi*, qui præ omnibus Græcis acerrimè de Herophile certant, *Corycum montem & in eo antrum ostendunt, in quo natam Herophilen dicunt. Parentes eius Theodorum pastorem indigenam, & Nympham, cui fuerit cognomen Ida* dicunt. Sed hoc de Delphica Sibylla affirmavit *Pherecydes*, eam scilicet ab istis parentibus esse procreatam, uti illud supra *c. 5. p. 532.* indicavi. Alij hoc tribuunt *Sibyllæ Erythrææ*, & ad id probandum adducunt modò citatum locum *Pausaniæ.* Et quoniam clarissima quondam Sibylla fuit Erythræa, quam Herophilem appellatam esse à Pausania contendunt: ipsi quoque Erythræi præ cœteris Græcis omnibus affirmarunt: Suam esse Sibyllam Erythræam; ideo existimant autoritate & fide dicti scriptoris, Erythræam & Herophilem Sibyllam fuisse unam eandemque. Vide quæ *p. 561.* attuli. Ubi ex sententia aliorum ad testimonium *Pausaniæ* provocantium locutus sum: adieci tamen, idem illud de natalibus Delphicæ Sibyllæ à quibusdam asseri. Quin & alij statuunt: Herophilem nomen proprium fuisse Sibyllæ Erythrææ, qua in opinione & Solinum fuisse apparet ex hisce verbis: *Hanc* (scilicet Delphicam Sibyllam) *Herophile Erythræa annis aliquot intercedentibus consecuta est.* Ad quæ verba notat magnus *Salmasius* in *Exercitation. Plinianis fol. 78. & 79:* Ita *Delrius* edidit: ita *Vinetus & Camers.* Ita pleræq; editiones, quasi Erythræa Herophile dicta fuerit, proprio nomine *Sibyllæ.* Libri contra omnes legunt: *Hanc Herophilen Erythræa annis aliquot intercedentibus consecuta est*, quæ lectio vera est. Ut ita Herophile

nomen fuerit Delphicæ Sibyllæ: alij Samiam ſic dictam volunt. *Euſebius ad Olympiadem XVI.* Σιβύλλα Σαμία χρησμῳδὸς ἡ καὶ Ἡροφίλη ἐγνωρίζετο. *Sibylla Samia fatidica quæ & Herophile inſignitur. Martianus Capella l. 2.* Herophilen facit Trojanam Marmeſi, vel ut alij legunt, *Mermeſſi* filiam: Et Symmachiam Hippotenſis filiam, quæ Erythrææ progenita etiam Cumis vaticinata eſt. Ita *Marcianus* Herophilen ab Erythræa ſeparat, uti *Euſebius*, & *Solinus* d. loco: cùm tamen *Pauſanias* & alij Herophilen dicant eam appellatam, quam Erythræi ſibi vindicabant, quæ & Trojana juxta quosdam ex urbe Idæ Mermeſſo audit. Hinc ſcribit *Salmaſius dicto fol. 79.* legendum in Marciano: Et *Troianam Mermeſſi filiam.* Quæ omnia, uti apparet, nituntur conjecturis: neque *Salmaſius* pro certo affirmare poteſt, nomen Herophile competere Delphicæ Sibyllæ, cùm ipſe ſtatim ſubnectat teſtimonium Euſebii, quô Sibylla Samia nomine Herophile dicitur inſignita.

III. Delphicæ Sibyllæ interim tribuitur nomen *Herophile*, quia ita ſeipſam appellavit Delii namque tradunt, quòd *Herophile ſcripſerit hymnos in laudem Apollinis*, in quibus ſe *Herophilen* vocaverit ut & *Dianam, Phœbi ſponſam*, imò *iſtius filiam. Pauſanias lib. 10. p. 575.* Ego hoc tanquam falſum non impugnabo, quod quisque ſuum nomen, ſuosque natales rectius, quàm alij, ſcire credatur. Quoniam tamen alij, qui procul dubio & iſtæc carmina viderunt, & legerunt, hic diſſentiunt, quid poſſum aliud judicare, quàm ipſos de iſtorum verſuum veritate dubitâſſe? quicquid ſit, quòd iſti ab antiquis Scriptoribus allegentur. Supra *c. 5.* è *Diodoro Siculo* oſtenſum eſt: Sibyllam Delphicam fuiſſe Tireſiæ filiam, cui tamen nomen *Herophiles* impoſitum fuiſſe nemo hactenus affirmavit. Hinc non licebit tutò affirmare: Sibyllam Delphicam eſſe, quæ propriè dicta fuerit *Herophile.*

IV. Eſt non nemo, qui arbitratur huic feminæ nomen proprium fuiſſe *Sibyllam*, & provocat ad Autoritatem *Salmaſii*, locum tamen, ubi illud ſtatuere dicitur Criticus iſte excellens, non citat, nec vel verbulum ex eo hoc de nomine adducit, quaſi illud propriè competat *Herophilæ.* Verùm. 1. *c. 4. p. 529.* indicavi, quod nonnulli exiſtiment: *Lybicæ Sibyllæ iſtud nomen proprium fuiſſe*, quamvis illud tanquam incertum ibidem admitti non potuerit: 2. alij id referunt de Phrygia Sibylla, uti id *cap. 11.* attigi. 3. Alij non hiſce, ſed alteri cuidam Sibyllæ id tribuunt, incertâ utique, ſi verum dicere liceat, conjecturâ. Etenim (1) ſi hoc tanquam verum ſupponitur, quòd ob parem ſcientiam divinandi reliquæ

liquæ feminæ dictæ fuerint Sibyllæ, necessum est, ut una inter istas fuerit prima, quæ divinandi peritiam indepta cœteris hoc nomen reliquerit. Verùm (2) quænam illa fuerit, hoc pro certo statui non potest: quandoquidem hîc in diversas itum est sententias; ita, ut neque in persona, neque in antiquitate temporis ulla hactenus inveniri potuerit conciliatio, quænam inter Sibyllas fuerit antiquissima, & cujus nomen proprium fuerit *Sibylla*? Præterea (3) Si *Sibyllæ nomen* primæ fatidicæ mulieri fuerit proprium, qua ratione illud eidem impositum fuerit non immeritò quæri poterit? cùm illud significet *Dei consilium*. Si dixeris: ex omine aliquo id ei fuisse impositum: aliquid est, modò constaret de omine isto, ejusque qualitate. Si dixeris? fortè fortuna illud nomen parentibus incidisse, ut puellæ suæ id imponerent, tum deficiet probatio: præcipuè cùm incertum sit, an illo tempore liberis pro arbitrio parentum indita fuerint nomina? Imò (4) quo tandem consilio factum est, ut ab ista Phœbade omnes reliquæ feminæ vaticinandi peritæ nominatæ fuerint *Sibyllæ*, cùm istud nomen tum temporis nondum fuerit commune, sed in una quadam femina substiterit. Et non leve hoc est dubium: qua de causa motæ aliæ fatidicæ mulieres nomen *Sibyllæ* expetiverint hactenus tamen non ita notum nec vulgatum? (5) Quod *Salmasium* attinet, ille in *Exercitationib. Plinianis ad Solin. fol. 80. & 81.* quidem de prima Sibylla agit, & statuit: illud nomen ejus *juxta Pliniū* fuisse proprium; non tamen ibidem addit, illud proprium fuisse *Herophila*, quin potius ipse Erythrææ nomen Sibyllæ tanquam proprium attribuit. Ita enim ait: *Primo mulier divinatrix cùm Sibylla proprio nomine vocaretur, cœteris postea mulieribus vaticinandi arte claris idem nominis attributum est de parilitate scientiæ, uti viris Bacidis.* Nam tres numerantur Bacides, à primo, qui scientia divinandi inclaruit, sic nominati. *Plinius* unam tantum Sibyllam agnoscit. *lib. 7. c. 33. fol. 124.* Divinitas & *quædam Cœlitum societas nobilissima ex feminis in Sibylla fuit*: ex viris in Melampode apud Græcos, apud Romanos in Martio. Ubi Sibyllam nomen proprium mulieris fatidicæ ita facere videtur apud Græcos, ut viri Melampodem, & apud Romanos Martium. Sic *lib. 34. c. 5. fol. 667.* tres statuas *Sibyllæ* juxta rostra Romæ positas fuisse dicit. Et alibi *Sibyllam* tres ad Tarquinium attulisse libros, scilicet. *l. 13. c. 13. fol. 272.* Quænam igitur illa Sibylla proprio nomine sic appellata, aut unde domo, cum tot fuerint? *Erythræam intelligi debere puto*, inquit Salmasius. Disertè hoc significant verba *Strabonis lib. 13 fol. 645.* cùm ita scribit: *Erythris nata fuit priscis temporibus Sibylla mulier fatidica & divino furore incitata. Alexandri tempore alia fuit simili modo fatidica dicta Athenais.*

Græca

Græca verba addux: supra c. 7. p. 560. Si quid Græcè scio, his verbis dicit: *Erythris urbe oriundam esse Sibyllam fatidicam apud omnes mulierem. Ex eadem porro urbe & aliam ortum habuisse ætate Alexandri pari vaticinandi arte præditam, quæ Athenais vocabatur, cùm antiqua Erythræa aliud nomen non reddat, Sibyllam vocatam fuisse ostendit.* Clarè etiam lib. 17. fol. 814. idem innuit ad hunc modum: περὶ δὲ τῆς εὐγενείας καὶ τὴν ἐρυθραίαν Ἀθηναΐδα φασὶν ἀνειπεῖν. καὶ γὰρ ταύτην ὁμοίαν γενέσθαι τῇ παλαιᾷ Σιβύλλῃ τῇ ἐρυθραίᾳ. Id est, *de generis quidem nobilitate etiam Erythæam Athenaidem effatum, quæ Erythrææ antiquæ Sibyllæ similis fuerit.* Qui locus Salmasii, quem integrum, quod ad hoc quidem argumentum spectat, adducere volui, clarè indicat: ipsum quidem statuere, aliquam fuisse feminam fatidicam, cui primitus nomen propriam *Sibyllæ* fuerit, & à qua postmodum & aliæ feminæ ob eandem divinandi peritiam istud nomen acceperint; attamen primam feminam non *Herophilem*, sed *Erythræam* vocat.

V. Equidem litem *Salmasio* non intendam de Unitate Sibyllæ, quam ipse vult esse Erythræam ejusque nomen proprium *Sibyllæ* fuisse autoritate *Plinii* & *Strabonis*; quo minus tamen per omnia eidem assentiri queam, nemo mihi vertet vitio. Et certè 1. Longè antè Plinium extiterunt Scriptores, qui Sibyllarum in suis scriptis meminerunt, ut ita Plinij sententia quoad unitatem Sibyllæ non possit obtinere. Deinde & 2. Is *l. 7. c. 33. fol. 124.* dicit ex feminis in *Sibylla* cœlitum quandam Societatem nobilissimam fuisse: Sed fortan loquitur per ἀντονομασίαν, quod tum temporis una è multis præ cœteris habita fuerit nobilissima, quæ absolutè nomine *Sibyllæ* indigitaretur, uti hodie *Poetæ* appellatione *Virgilius* intelligitur. Et si accuratè in rei veritatem inquiratur, tum procul dubio fiet manifestum: Ipsum per istam Sibyllam nullam aliam intellexisse, quam eam, quæ obtulerit Tarquinio libros fatidicos, de qua agit *l. 13. c. 13. fol. 278.* Cui convenire potest, quod de illa Sibylla scribit: scilicet in illa cœlitum quandam Societatem fuisse, tum ob libros istos, quibus Romanorum fata continebantur, Tarquinio exhibitos: tum & ob admirandam, quâ excellere credebatur, sapientiam & peritiam vaticinandi. Neque quicquam oberit locus Plinii, qui habetur *l. 34. c. 5. fol. 667.* ubi refert tres fuisse *Sibyllæ* statuas juxta rostra. Sed ne sic quidem exinde firmiter colligi potest: unam saltem fuisse Sibyllam. Nam, ut de Solino non dicam, qui *cap. 8. p. 204. Polyhistor.* unam *Delphicæ*: alteram *Herophilæ Erythrææ*: tertiam verò *Cumanæ Sibyllæ* erectam fuisse

asserit,

asserit, isti certè Sibyllæ, quam *Plinius* pro nobilissima habet, ita ut eam κατ᾽ ἐξοχὴν Sibyllam dicat, tres istæ statuæ in memoriam tam divini Romanorum Regi Tarquinio oblati thesauri potuerunt esse erectæ; utpote quæ tempore Tarquinij censentur ibidem collocatæ. Non enim infrequens olim fuit, homines ob bene merita, vel singulare aliquod beneficium præstitum, statuarum erectione venerari. Quod ipse *Plinius* fatetur *l. 34. c. 4. fol. 666.* ubi agit de origine & honore statuarum: *Effigies hominum non solebant exprimi, nisi aliqua illustri causa perpetuitatem merentium.* E quibus patet, non ob quævis; sed ob magna & illustria merita honorem statuarum in aliquos collatum fuisse. Cujus rei testimonium *Cicero in Orat. 5. Philipp. c. 15. fol. 467.* affert de statua *Lepido* decernenda: *Qui honos,* inquit, *mihi maximus videtur, primum quia iustus est. non enim solum datur propter spem temporum reliquorum, sed pro amplissimis meritis redditur.* Et *Dio Chrysostom. in Orat. 31.* ait: *Non propter facta mediocria, sed quantum possibile est, propter maxima statuas dari.* Inde frequentes in titulis & inscriptionibus formulæ istæ: *OB. MERITA. EIVS. OB. BENE. MERITA.* Vide *Emundum Fregelium c. 12. p. 101. de statuis Illustr. Roman.* Et feminis honorem statuarum habitum fuisse Romæ ob publicum aliquod beneficium, indignante licèt Catone, idem Scriptor *c. 8. p. 64. & c. 13. pag. 112.* dicti tractatus commemorat. Non igitur mirum, si feminæ fatidicæ, post oblatos libros Sibyllinos, ubi augurum & aliorum vatum consilium & subinde judicium de illis requisitum fuit, vel jussu & autoritate Tarquinii in memoriam tàm rari beneficii statuæ publico in foro fuerint dicatæ. Et. 3. positô: *Plinium* unam tantum Sibyllam agnovisse, quod tamen hactenus tanquam certum ex adductis testimoniis admittere nondum potero, illud tamen non derogabit veritati, scilicet: plures unâ Sibyllas fuisse, quas Varro recensuit, & alii gravissimi Scriptores, deprehensis in antiquorum monumentis hac de re vestigijs non falsis nec inanibus, eum secuti sunt. Accedit 4. Quod *Plinius* non *Sibyllæ* sed *Sibyllarum* scripserit, uti *Canterius* testatur in manuscripto antiquo id se legisse. Unde vult ostendere: Plinium statuisse tres *Sibyllas,* quarum nomina expressit *Solinus*: quod & Jonas *Vellsius* in locis supra adductis ostendit, cujus quoque sententiam utpote veritati convenientiorem amplexus sum *c. 2.* hujus libri: *n. 4. pag. 504.* Ulterius 5. Negare equidem obstinatè nolo, ac si femina unquam extiterit, cujus nomen proprium fuerit Sibyllæ, quoniam & hodie quarundam feminarum hoc nomen proprium est. At ille scru-

pulus me torquet, quando femina istæc nomen Sibyllæ acceperit? Num id factum fuerit in infantia: vel in ætate adulta? Si prius dicatur, dubium me tenet, qua occasione ipsa isto nomine fuerit insignita, cùm adhuc infans divinasse non credatur. Si posterius affirmetur, tum quidem fieri potuit, ut ipsa hoc nomen Sibyllæ consecuta sit, sed non tàm proprium uti vox istæc apud Grammaticos accipitur, quàm peculiare, nisi dicere malis: illam usque ad id tempus proprio nomine caruisse: aut istud nomen ei propriè tributum fuisse ob artem vaticinandi, illudque postmodum ad similes feminas divinatrices transivisse. 6. Quod autem per illam *Sibylla Erythræa* intelligi debeat autoritate Strabonis, ab alijs vix recipietur. Etenim. 1. Sibylla istæc, quæ tanquam Una â Plinio habetur, obtulisse dicitur Tarquinio libros venales de statu & fortuna gentis Romanæ: Itaque sive Tarquinius Priscus, qui vixit *Anno mundi. 3389.* sive Tarquinius Superbus fuerit, cujus initium imperii incidit in *annum mundi 3471.* teste *Eduardo Simsone par. 3. fol. 88. & par. 4. fol. 5. Chron. Univers.* tum illa femina hæc non potest esse antiqua Sibylla, quippe quæ Orpheo antiquior perhibetur, & vixit circa annum *Mundi 2747.* Et quando. 2. Strabo dicit: Erythræam Athenaidem Erythrææ antiquæ Sibyllæ similem fuisse quoad peritiam divinandi, exinde hoc quidem inferri potest: Erythræam dici antiquam Sibyllam factâ comparatione ad Athenaidem, utpote quæ longè junior est: verùm illud inde deducere velle, eam esse antiquissimam, quæ nomen Sibyllæ tanquam proprium gesserit, & effecerit, ut aliæ Phæbades ad istius exemplum nomen Sibyllæ sustinerent, illud firmiter sequi non videtur. Cumprimis. 3. quia & alij Scriptores, qui locum Strabonis diligenter examinârunt, de antiquissima Sibylla nihil certi statuere valent. Quidam palmam antiquitatis tribuunt illi Sibyllæ, quam Iupiter è Lamia Neptuni filia genuit. Quod refert *Pausanias lib. 10. p. 575.* & addit illam ab Afris Sibyllam dictam fuisse. Vide Boissardum de Divinat. fol. 199. & 200. Alij antiquissimam faciunt Sibyllam Phrygiam, eamque appellatam esse Dianam dicunt. *Clemens Alexandrin. lib. 1. Strom. fol 323.* Vide quæ supra allata sunt *cap. 4. p. 529. & 530.* Et licet 4. *Erasmus Schmidius Orat. 1.* de Sibyllis. fol. 1493 strenuè pro antiquitate Sibyllæ Erythrææ pugnet, ita ut eam Noæ nurum, & Japheti uxorem faciat, eamque opinionem acriter defendat; tamen hoc non facit è talibus principijs, è quibus hoc deducere conatur magnus Salmasius. Verùm quamcunque elegeris sententiam, semper aliquid reperietur, quod

quod opponi possit, unde quis reddatur incertus. Confer quæ dixi supra *p.531.* & p. 537.

VI. Sibylla Erophile nata est in Marpesso Troadis urbe, uti ipsa de se hoc testatur apud *Pausan. lib. 5. p. 576.* Marcianus eam vult progenitam à patre Mermesso. Pausaniæ tamen sententiam præfert *Salmasius in Exercitat. Plinianis fol. 79.* Mermessiam Sibyllam eandem vult esse cum Herophile Marcianus, qui & patrem ejus Mermessum vocat, *cùm* tamen *patriam hoc nomine habuerit.* Vult tamen Salmasius vitiosè legi apud Pausaniam Μαρπησσός: & vel Μαρμησσὸς aut Μερμησσὸς scribendum esse. Supra *cap. 10. p. 611.* indicatum est: Sibyllam Hellesponticam natam esse in Marpesso, seu Marmisso Troadis urbe seu vico: nec tamen Hellespontica Sibylla & Herophile pro una eademque habetur. Unde iterum observare licet Scriptorum variationem circa ortum & patriam Sibyllarum. Interim de Herophile sequentes leguntur versus de patria & parentibus hujus Sibyllæ apud *Pausaniam lib. 10. pag. 575.*

Εἰμὶ δ' ἐγὼ γεγαυῖα μέσον θνητοῦ τε θεᾶς τε.
Νύμφης δ' ἀθανάτης, πατρὸς δ' αὖ κητοφάγοιο.
Μητρόθεν ἰδογενὴς, πατρὶς δὲ μοί ἐστιν ἐρυθρὰ
Μάρπησσος μητρὸς ἱερὴ, ποταμός δ' Ἀϊδωνεύς.
Partim ego Cetivoro mortali patre creata,
Partim immortali Nympha: me fontibus Ida
Eduxit vitreis tenuis, glebaq; rubente:
Marpessus matris patria est, fluviusq; Aïdoneus.

Quod vero n. 1. hujus capitis dixi: Herophilem natam esse in antro montis Coryci, illud è sententia Erythræorum factum est, qui ita hoc tradiderunt, quippe qui natales istius Sibyllæ præ cœteris Græcis sibi vindicare student, unde etiam versum de Mermesse vel Marpesso exemerunt ex Herophiles carmine, uti illud legitur apud *Pausaniam lib. 10. pag. 576.*

VII. Numero quinto satis fusè disputatum est de nomine Sibyllæ, an nimirum illud huic feminæ fatidicæ fuerit proprium, vel non? Nunc verò aliquanto clarius rei veritatem ob oculos ponam. Nomen proprium dupliciter sumi potest. 1. *pro certo quodam nomine alicui impositô, quô ab aliis suæ gentis aut familiæ hominibus distingui poßit.* Et ita ab antiquis seculis fuit in more positum, ut parentes suis liberis certa nomina imponerent, quibus unum ab altero possent discernere.

Uti Iudæi in circumcisione: Christiani verò in baptismo iilis certū nomen tribuere consueverunt. 2. *pro tali nomine, quod alicui ob singulare actum vel expeditionem, aut excellentiam in aliquo negotio peragendo, quod cæteris admirationem incutit, aut primitus ab ipso est inventum, vel hactenus ab aliis exerceri nondum observatum est, communi velut consensu imponitur.* Ita prima interpres Delphici Oraculi dicta fuit Pythia, à qua reliquæ, quæ in isto officio ipsi succedebant, appellatæ sunt Pythiæ, non tantopere, quòd ipsæ perscrutatæ sint Dei mentem: Sed quod ad perscrutantium preces Apollinis responsum elocutæ sint. Josephus filius Jacobi á suis fratribus dictus est *Somniator* licèt per contemtum: propterea quòd Somnia, quæ in ipsorum tanquam seniorum fratrum despectum cedere videbantur, habuerat, illisque ea recitaverat, quantumvis postea fuerint adimpleta. Ptolomæus Lagi gregarij militis filius maximæ autoritatis vixit apud Alexandrum Macedoniæ Regem, nomen ἀπὸ τοῦ πτολεμεῖν à bellando accepit, nam præ cœteris in bellica fortitudine se præbuit strenuum, & inde nomen *Ptolomæi* seu *Bellicosi* impetravit, à quo deinde omnes Ægyptiorum Reges appellati sunt *Ptolomæi.* Et licèt sequentes Ægyptiorum Reges tantum fortitudinis bellicæ gradum non attigerint, uti Ptolomæus Lagi filius; acceperunt tamen ab ipso dignitatis & officij nomen. Pari modo existimaverim Herophilen (positô, quod illa sit prima inter fatidicas mulieres) ob vaticinandi peritiam hactenus apud homines ne dum mulieres nondum observatam initio Sibyllæ nomen velut propriū accepisse; ut tum dictum fuerit: *Illa est Sibylla,* id est *fœmina consilium Dei edocta: aut, quæ divina sapientia & consilio instructa hominibus futurarum rerum notitiā aperuerit.* Postea verò ubi & reliquis feminis ob parem divinandi scientiam illud nomen communicari cœpit, utique transiit in nomen officii. Ut ita nomen Sibyllæ proprium fuerit in posteriore significatione. Et eo modo intelligo *Pausaniam* quando ait: *Herophilem* ab initio *Sibyllam* nuncupatam fuisse, scilicet, ubi deprehenderunt homines admirandam in ea divinandi peritiam. Qua in re magni cujusdam Critici sententiam secutus sum. Verùm, si quis aliud ostendere velit & possit, me non habebit adversarium.

VIII. Hæc Sibylla tam præstans fuit, & ob insignem vaticinandi virtutem tàm inclyta, ut magnam de se reliquerit præstantiæ famam. Ea propter etiam Græci inter se contenderunt de ejus patria: cum primis tamen Erythræi eam voluerunt esse suam. Uti olim de patria Homeri certârunt septem Urbes apud *Gellium l. 3. c. 11. p. 244.*

Ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν Ὁμήρου
Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφὼν, Σαλαμὶν, Ἴος, Ἄργος, Ἀθῆναι.
Septem urbes certant de stirpe insignis Homeri,
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Ios, Argos, Athenæ.

Elegans testimonium habet hac de re *Cicero in Orat. pro Archia. fol. 292.* ubi de Homeri patria ita disserit: *Homerum Colophonii civem esse dicunt suum, Chii suum vendicant: Salaminii repetunt: Smyrnæi verò suum esse confirmant, itaque etiam delubrum in oppido ejus dedicarunt.* Sed & Chii numisma percussisse, in cujus postica parte Homeri faciem insculptam ibique Poëtam istum natum fuisse post *Theocritum Silentiarius lib. 3. Anth°log.* persuadere nititur. *Strabo lib. 14. fol. 646.* videtur Smyrnæis patriam Homeri adjudicare. ἔστι δὲ καὶ βιβλιοθήκη, καὶ τὸ Ὁμήρειον, στοὰ τετράγωνος ἔχουσα νεὼν Ὁμήρου καὶ ξόανον ἀντιποιοῦνται. γὰρ καὶ οὗτοι διαφερόντως τοῦ ποιητοῦ καὶ δὴ καὶ νόμισμά τι χαλκοῦν παρ' αὐτοῖς Ὁμήρειον λέγεται. Id est, *Est & Bibliotheca & Homerium scilicet porticus quadrata templum habens Homeri & Simulacrum. Nam Smyrnæi quoque Homerum sibi acriter vindicant, & nomisma quoddam æreum apud eos* Homerium *vocatur.* Cœterum legi meretur *Leo Allatius* in *libro de Patria Homeri.* Similiter & Erythræi Sibyllam Herophilem tanquam suam civem asserere voluerunt. Quod patet 1. *E certamine*, quod susceperunt cum alijs Græciæ populis eandem sibi vindicantibus: neque hoc fecerunt leviter, sed acerrimè, uti Pausanias loquitur, id est, studio pertinaci, ut non tantùm ipsi certò sibi persuaserint, Sibyllam istam apud se esse natam; verùm etiam alijs eam ad se pertinentibus valdè contradixerint. 2. *E mutilatione carminis ab Herophile confecti*: Ex eo enim versum de Marpesso, seu Marmesso, ubi se natam quondam cecinerat Herophile, ut & de flumine Aïdoneo exemerunt. Ne alii populi isto carmine tanquam proprio Erophiles testimonio uti possent. Tum enim opponentibus carmen regerere potuerunt: Et se habere Erophiles carmen de suo ortu, atque natalibus ab ipsa compositum; istud tamen, quod alij urgent, in eo non contineri, ideoque se illam juxta antiquas traditiones sibi tanquam concivem suam vindicare.

IX. Novus incidit scrupulus: Numquid ne Herophile & Samia una fuerint Sibylla: quandoquidem Hieronymus in Chronicis Sibyllam in Samo claram indigitat *Samonetem Herophilem.* Verùm non leve discrimen inter utramque Sibyllam interponitur. Et quidem (1)

Ratione temporis & ætatis, nam, uti *Pausanias vult p.515. lib. 10.* Herophile vixit ante Trojanum bellum, cum tamen Sibylla Samia longè recentior sit: uti id supra notatum dedi. *c. 9. n. 2. p. 586.* Deinde & *2. ratione loci natalis.* Licèt enim Erythræi cum aliis Græcis decertent de natali hujus Sibyllæ solo & patria, sicuti modò indicatum est; Pausanias tamen constanter eam esse Marpessum seu Marmessum urbem prodit, quæ sita fuit in Troade regione Asiæ minoris. Verùm Samia Sibylla, quod suo loco ostendi, vel ex urbe, vel Insula Samo originem & simul denominationem *Samia Sibyllæ* deduxit. 3. *ratione Parentum.* De Herophiles parentibus è *Pausania* constat, quinam illi fuerint?. Sed de *Samia Sibylla* parentibus, quod lubens fateor, in hunc usque diem nihil certi deprehendere potui, ideoque in recensendis istis incertis me non detinebo. 4. *ratione vaticiniorum & carminum.* Nam Samiam Sibyllam quod attinet, non constat, an alicui populo seu genti fata futura prædixerit; illud tamen abundè constat: Eam acriter insurrexisse in peccatum Idololatriæ, & homines à malis & impiis actionibus dehortatam fuisse: nec non de Messiæ nativitate & passione quædam cecinisse, uti id è *c. 8. p. 584.* patet: Sed *Sibylla Erophile* Asiæ & Europæ perniciem, perventuraque mala; item *Spartæ virginem Helenam educatum iri, cujus occasione futurum esset, ut Troia everteretur à Græcis,* prædixit. Hymnos conscripsit in Apollinem, quos Delii ostendunt. *Interdum se Apollinis uxorem: interdum se ejus sororem, interdum verò se ejus filiam vocavit, sed furens potius & divino afflatu perculsa,* quàm verè & integro animo. *Pausan. l. 10. p. 575.* Et *pag. 576.* addit: quòd ipsa *Hecubæ somnium interpretata sit, & rei, qui vulgò notissimus est, eventum divinârit.* Numquid de Christo vaticinata fuerit, dicere equidem non potero: nam quæ eidem à quibusdam solent adscribi, eadem tribuuntur & Delphicæ Sibyllæ, ideo de istis nihil hîc apponam.

X. Hæc Sibylla, quam Herophilen dicunt, Apollinis Sminthei æditua fuit, quod testatur *Pausanias l. 10. p. 576* his verbis: *Herophilem quidem, qui Alexandreæ degunt, Apollinis Sminthei æditaam fuisse aiunt.* Cujus Epitheti originem Eustatius Homeri interpres hanc esse tradit. Fuit quidam Apollinis Sacerdos nomine Crinis, qui, cùm Dei sui Sacra neglexisset, agrorum fructibus à terrestribus muribus devoratis in pœnam privatus est. Quo damnô illatô commotus Apollo, *bubulco* nomine *Hordæ*, à quo hospitio erat exceptus, præcepit, ut Crinim Sacerdotem de peragendis & continuandis sacris admoneret. Cujus monitis cùm paruisset Sacerdos

dos iste, tum Apollo mures omnes sagittis confecit. Et ex hoc facto accepit cognomentum Sminthei. Nam σμίνται à Cretensibus & Æolibus dicuntur *mures*. Vide *Lilium Gregor. Gyrald. Syntagm. 7 fol. 322. Histor. Deor.* Longè aliam sive fabulam sive historiam de origine istius cognomenti affert *Strabo lib. 13. fol. 604. & 605. Geographia.* quæ hoc modo se habet. Teucris, quos primus Callinus in magna copia secum eduxerat, Oraculum erat datum, ut sedes ibi ponerent, ubi terrigenæ bellum ipsis essent illaturi. Cùm itaque apud Hamaxitum castra metati essent, ut ibi quiescerent, tum noctu incredibilis murium terrestrium multitudo erupit, qui clypeorum lora deroserunt, & arcuum nervos exederunt. Quod ubi manè viderunt, hôc factô Oraculum adimpletum fuisse existimârunt. Ideo illum locum incoluerunt, atque templum ibidem in honorem Apollinis Sminthei extruxerunt. In quo templo cicures aluntur mures, iisque victus publicè præbetur, atque infra altare, ubi degunt, mures albi latibula habent. Et observat *Ælianus lib. 12. cap. 5. p. 693. de Animalib.* Quod ij, qui *Troadis Hamaxitum* incolunt, mures adorent: Unde *Apollinem*, qui apud eos maxima religione est, *Sminthium* appellant. In hujus Apollinis æde munere sacro functa fuit Herophile. Inde *Tibullus* Herophilem gratam esse Phœbo dicit. Templi & sacrorum habuit curam: in quonam verò ratio suscepti officij propriè constiterit cùm Apollo ibidem & sacerdotem habuerit, tàm facilè explicari nequeo. Oraculis interim edendis ipsam inclaruisse non est dubium: ipsam & Apollinis Sminthei interpretem fuisse è carmine quodam antiquo postea §. 12. afferendo patebit.

XI. Variis in locis vixit Herophile, & quidem *Sami* magnam vitæ partem egit. *Pausanias p. 576. l. 10.* Unde procul dubio factum est, ut & ipsa Sibylla Samia dicta, & una eademque cum *Samia* habita fuerit. Quod *p. 582.* indicavi. Et illas duas Phœbades distinctas fuisse n. 9. hujus capitis ostendi. Deinde Claron sive Clarium Colophonorum urbem Apollinis Oraculo nobilem venit, ibidemque substitit, & hominibus Oracula exposuit. Accessit quoque Delum, quæ est patria Apollinis, & ibi ipsa in exponendis rebus futuris magnam de se divinationis famam excitavit. Tandem & Delphos se contulit, ubi ex eminente saxo Oracula reddere solita fuit. Quod de Sibylla, quæ Delphica aliàs propriè vocatur, intelligitur ab aliis, ceu illud supra *c. 5. n. 2. p. 532.* annotatum est. Cœterùm nonnulli volunt: Sibyllam Del-

phicam

phicam & Herophilem esse unam & eandem Sibyllam, quæ saltem diversis hisce nominibus insignita fuerit à diversis locis, in quibus ipsa vixerit. Hinc & carmina, quæ ab Erophile edita sunt, Sibyllæ Delphicæ tribuuntur, proinde etiam ea, cùm jam tum superius allata fuerint, hîc afferre supersedebo. Verùm si quis caput 5. cum hoc præsente capite 13. conferat, is haut difficulter intelliget, duas hasce vates Herophilen, & Sibyllam Delphicam multis modis à se invicem discrepare.

XII. Tandem mortua est in Troade, & quidem, uti puto, morte naturali. Sepulta est in nemore seu luco Sminthei Apollinis. Quo in loco columnæ erectæ sunt, quibus in ejus memoriam hi versus leguntur inscripti.

ἁδ' ἐγὼ ἁ Φοίβοιο σαφηγορὶς εἰμὶ Σίβυλλα,
Τῷδ' ὑπὸ λαϊνέῳ σώματι πυθομένα.
Παρθένος αὐδάεσσα τὸ πρὶν, νῦν δ' αἰὲν ἄναυδος
Μοίρᾳ ὑπὸ στιβαρῇ τὴν δὲ λαχοῦσα πέδην.
ἀλλὰ πέλας Νύμφαισι καὶ Ἑρμῇ τῷ δ' ὑπόκειμαι
Μοῖραν ἔχουσ' ἑκάτῳ τῆς τότ' ἀνακτορίης.

Illa ego sum Phœbi interpres non vana Sibylla,
Hic quæ marmoreo contineor tumulo:
Vocalis quondam, æternùm nunc muta puella
Heu nimis hac fati compede pressa gravi.
Mercurio tamen & Nymphis sociata quiesco,
Phœbo quod fuerim grata ferens pretium.

Verùm, quia dissertatio hæc de Erophile præter intentionem paulò longius excrevit, ideò hîc pedem figo, aliquid de Epirotica Sibylla dicturus.

CAPUT. XIV.
DE
EPIROTICA SIBYLLA.

I.

A Quibus parentibus hæc Sibylla fuerit nata quidam ita referunt. Scilicet: Eam fuisse Principis cujusdam in Thesprotia filiam, eo tempore prognatam, quô Antiochus superatô & captô Demetriô Regnum

gnum occupavit ubi Demetrium Chersonesi in custodiam aliorum tradidit, ita tamen, ut Regio sumtu, & molli cibo sustentaretur: illique licitum esset venationibus, & omnibus alijs voluptatibus indulgere. Quibus tamen ipse propriæ salutis immemor nimium indulsit, unde ob incontinentiam in morbum incidit, ex quo tandem periit. Eâ, inquam, ætate hanc Sibyllam in Thesprotia in lucem prodijsse putant; quam subinde cognominatam fuisse credunt, Europæam, quæ quondam in templo Jovis Dodonæi oracula explicasse perhibetur. Ab alijs vocatur *Phaennis*, & de hac loqui *Pausaniam lib. 10. p. 577.* statuunt. Qui textus si inspiciatur, utique ex parte convenit cum præmissa narratione. Et quidem (1) *ratione patris*; quippe quòd *Phaënnis* dicatur hominis in Chaonibus regnantis filia. Jam *Chaonia* est regio Epiri, cui proxima est Thesprotia itidem regio Epiri. Et quia utraque sita est in Epiro, illud discrimen non adeò magnum erit, quando Sibylla istæc ab alijs in Chaonibus, ab alijs in Thesprotia nata dicitur. Sed facilior est responsio, quam Martianus Capella suppeditat, qui refert: Totam Epirum olim dictam esse Chaoniam. Proinde rectè locutus est Pausanias, quòd Epirotica virgo nata sit in Chaonia; licèt alij in specie nominent Regionem, in qua primam ipsa vidit lucem. Confer quæ de hac Græciæ regione collegit *Ortelius in Thesauro Geographicco* voce *Epirus*. Pater tamen, à quo genita est, Princeps vel regnator ibidem fuisse naratur, ut ita ab illustri prosapia & familia duxerit suam originem. (2) *ratione temporis*. Nam & Pausanias refert, eam illo tempore, quô Antiochus in potestatem suam redactô Demetriô Regnum occupavit, extitisse. Illa saltem hîc sese exserit differentia, quod prior narratio dicat: Illam tum temporis fuisse procreatam, Pausanias verò dicat: illam tum extitisse. Sed hoc discrimen non adeò magnum est, & facilè admittit conciliationem. Quidam volunt: ipsam eandem esse Sibyllam, quæ Phrygia dicitur, cui tamen opinioni calculum meum adjicere non possum.

II. *Nicetas Choniates* narrat de hac Sibylla: eam scilicet, quamprimùm hanc lucem adspexerit, de Vniversi hujus compage philosophatam fuisse. Verba ejus hæc sunt: περὶ ταύτης Σιβύλλης φασὶν, ὡς ἅμα τῆς μητρῴας νηδύος ἐξέθορε, καὶ ἅμα περὶ τῆς τοῦ παντὸς ἐφιλοσόφει συστάσεως. *De hac Sibylla loquuntur, quòd simul ac ex utero materno prodierit, simul etiam de Vniversi coagmentatione philosophata sit.* De Cassandra Priami filia refertur, quòd in lucem egressa futuræ divinationis si-

gna de se exhibuerit. Vnde de ea hoc extat dictum: *Cassandra fuit prophetissa ante prophetiam*, quoniam hoc donum vaticinandi fraude quadam atque astutia ab Apolline demum impetrasse legitur. Supra *c. 12. n. 5 p. 621*. De Jacobo Merlino Britanno constat, quòd ab initio nativitatis Divinator habitus fuerit. Ea propter quidam arbitrati sunt, eum vel ex Incubo genitum: vel puerum à Dæmone suppositum fuisse. De quo legi mereretur *Virici Molitoris* Tractatus *de Pythonicis mulieribus. c. 10. p. 41. In Tom. 2. par. 1 Mallei Malleficar.* Interim istius nativitatem allegoricè intelligendam esse *Michael Melerus in Compend. Miracul. p. 116.* notat. Quod tamen tanquam singulare ipsi soli relinquo.

III. A quibusdam hæc femina pro Sibylla non habetur, etiamsi vaticinata fuerit. Qui autoritatem *Pausaniæ lib. 10. p. 577.* hac in re sequuntur, dum is ita scribit: *Phaënnis verò hominis in Chaonibus regnantis filia, & Pelea apud Dodonæos, divinârunt illæ quidem, Sibyllæ tamen non fuerunt ab hominibus vocitatæ.* Deinde adducunt *Iohannis Tzetzis* testimonium, quod ita se habet:

Καὶ τίς ἂν πελαγήσειεν ὑπὲρ αὐτὸν ἐν λόγοις;
Εἰ μὴ που δοίης Ὅμηρον, ἢ τὸν πολὺν Ὀρφέα,
Ἢ Φαεννώ, ἢ Σίβυλλαν, εἴ τι ἰνὰ τοιοῦτον.

Et quis exundaret super ipsum sermonibus?
Nisi fortè dederis Homerum, vel egregium Orpheum,
Vel Phaenno, vel Sibyllam, *sive aliquem talem.*

Quibus verbis Phaennidem distinguit à Sibylla, adeoque vult, eam quidem fuisse vatem vel divinatricem, sed non Sibyllam. Verùm, quænam fortean fuerit causa, quare Epirotica Phœbas non fuerit inter Sibyllas computata? Numquid ideo fortassis, quòd non legatur correpta aut obsessa à Spiritu eo cumprimis tempore, quo ipsa vaticinium edidit? Multi siquidem hanc opinionem fovent, quasi fatidicæ feminæ occupatæ fuerint corporaliter à Dæmone, cum Oracula canerent. Sed non credo hanc esse veram causam, supposito tamen hôc tanquam certô, quòd ipsa pro Sibylla non fuerit habita. Etenim ad officium Sibyllæ non pertinuit, ut in vaticinijs edendis à Dæmone essent obsessæ. Et licèt illud hactenus non negaverim, unam atque alteram Sibyllam à spiritu fuisse correptam, cùm Oracula funderet: tamen id de omnibus, aut omni tempore, cùm vaticinia ipsæ redderent, factum esse, affirmari non poterit. Ne nunc dicam in *Boissardi libro de Divinat. fol. 280.* sub hujus Sibyllæ imagine sequens subnexum esse distichon:

Fatidi-

Fatidicas inter numerat Dodona Phaennin,
Quae cecinit Pythio plena futura Deo.

E quo videre licet: Epiroticam vatem à ſpiritu quoque fuiſſe obſeſſam, cùm ipſa caneret Oracula, ſeu hominibus futurorum notitiam aperiret. Rectius fortean, ſi ea hypotheſis vera fuerit, dicetur: Illam ſe tanquam Sibyllam non geſſiſſe, nec ſuis vaticinijs iſtam gloriam quæſiviſſe, ideo potiſſimùm, quòd tam illuſtri loco eſſet nata. Vel tàm celebrem in Oraculis reddendis non fuiſſe, ut propterea mereri potuerit nomen Sibyllæ. Verùm enim verò, quicquid cum Pauſania ſtatuant, à quibuſdam tamen Sibyllæ nomine effertur, & commendatur, quod ex infra dicendis patebit.

IV. Quænam ipſa quondam ediderit vaticinia non adeò eſt obviam. Urbi Byzantinæ dicitur futura fata ceciniſſe. Ubi etiam iſtæc reſpublica licèt ad ſummum dignitatis ac potentiæ faſtigium conſcenderit, multis malis tandem conquaſſata, & unde origo tot malorum extiterit, reapſe experta fuit. *Zoſimus lib. 2. Hiſt. p. 443. 444. 445. & 446.* ita ſcribit: *Ac mihi quidem,* inquit, *ſæpe mirari ſubiit, qui fieret, ut, cùm Urbs Byzantina tantopere excreverit, ut alia nulla cum hac ſive felicitatem ſive magnitudinem ſpectes, comparari poſſit, nullum vaticinium maioribus noſtris de ipſius incremento meliorem ad fortunam evecta datum fuerit. In qua cogitatione dum iam pridem verſor multis hiſtoriarum monumentis & Oraculorum collectionibus evolutis, & exacto nonnullo tempore de hac in iſtis dubitatione, vix tandem in Oraculum quoddam incidi, quod Erythrææ Sibyllæ, vel Epirotica Phaellonis eſſe perhiberetur.* Nam & iſtæc afflata Numine fertur ediddiſſe quædam Oracula, quibus fertur Nicomedes Pruſiæ filius, qui ea ſuis ex commodis interpretaretur, hortatu Attali bellum Patri Pruſiæ fecit. Eſt autem Oraculum hujusmodi.

Ὦ βασιλεῦ Θρηκῶν, λήψεις πόλιν ἐν προβάτοισιν
Αὐξήσεις δὲ λέοντα μέγαν γαμψώνυχα δεινόν
Ὅς ποτε κινήσει πατρίας κειμήλια χώρας.
Γαῖαν δ' αἱρήσειν μόχθων ἄτερ· οὐδέ σε φημὶ
Σκηπτούχοις τιμαῖσιν ἀγάλλεσθαι μετὰ δηρὸν
Ἐκ δὲ θρόνων πεσέειν, οἷοι κύνες ἀμφὶς ἔχουσι.
Κινήσεις δ' εὕδοντα λύκον γαμψώνυχα, δεινόν
Οὐδ' ἐθέλοντι γὰρ εἴσω ὑπὸ ζυγὸν αὐχένα θήσει.
Δὴ τότε Βιθυνῶν γαῖαν λύκοι οἰκήσουσι,

Ζηνὸς ἐπιφρασύναισι. ταχὺ δ' ἐπιβήσεται ἀρχὴ
Ἀνδράσιν οἳ Βύζαντος ἕδος καταναιετάουσι
Τρίσμακαρ Ἑλλήσποντε, θεόκτιτα τείχεα δ' ἀνδρῶν.
—— Θείαισιν ἐφετμαῖς
Ἣν λύκος αἰνόλυκος πτήξει καρτερῆς ὑπ' ἀνάγκης
Οἱ μὲν γὰρ ἴσασίν τε ἐμὸν ναίοντες ἕδεθλον.
Οὐκέτι σιγήσω πατρὸς νόον. ἀλλ' ἀποδείξω
Ἀθανάτων λογίων θνητοῖς εὔσημον ἀοιδήν.
Θρῆσσα κύει μέγα πῆμα, τόκος δ' οἱ οὐκέτι τηλοῦ
Πειρα παῖδα κακὸν ..... καὶ τῆδε φέρουσα
Τρηχὺ παρ' ἠπείρου πλευραῖς ἐπαίσεται ἕλκος,
Καὶ μέγα οἰδήσει, ταχὺ δὲ ῥαγὲν αἱμορρήσει.

O Rex Thracum accipies urbem in ovibus,
Angebis verò leonem magnum uncis unguibus horribilem
Qui olim movebit patria pretiosam supellectilem regionis
Terramq; capiet absque labore: neque te aio
Sceptriferis honoribus gavisurum admodum diu
Sed ex solio casurum: quippe canes utrinque habitant;
Movebis verò dormientem lupum, uncunguem dirum
Non volenti enim intus sub-iugum cervicem mittet
Certè tunc Bythinorum terram lupi habitabunt
Iovis consiliis, mox autem perveniet imperium
Ad viros, qui Byzantii sedem inhabitant.
Tersfelix Hellesponte, & Deo condita mœnia virorum
—— *Divino jussu*
Quam lupus horrendus terrebit sub potenti neceßitate
Namq; nôrunt meam incolentes sedem
Non amplius silebo patris animum, sed ostendam
Immortalium Oraculorum mortalibus insigne carmen (cui est
Thressa utero fert ingens malum partus autem ei omnibus amplius pre-
Inceptis puerum malum ..... & hûc cùm tulerit
Asperum juxta continentis latera erumpet ulcus
Et valdè tumescet, citò autem ruptum sanguine manabit.

Hoc *Oraculum omnia prope dixerim*, pergit Zosimus, *reverà designat, obscurisq; vocibus indicat eventura Bithynis mala propter grave tributorum onus, quæ secutis temporibus eis imposita fuerunt. Et quod imperium citò venturum esset ad eos* Ἀνδράσιν

Ἀνδράσιν οἳ Βύζαντος ἕδος καταναιετάουσι
Viris qui Byzantis solum inhabitant.

Quod autem seculis non paucis interjectis ea, quæ prædicta fuerunt, evenerint, non eò quis torqueat, ac si de re quadam alia vaticinium hoc loquatur. Nam omne tempus Deo breve est, qui semper existit, & erit. Atque hec tum de rerum ipsarum eventis ratiocinando collegi. Quod si cui videtur esse alia verborum Oraculi sententia, per me sanè sic illud accipiat licet.

V. Illud itidem me legisse memini, quasi hujus Sibyllæ vaticinia in omnium notitiam haut pervenerint, ut pote quæ sibi probro duxerit promiscuè vaticinia reddere, cùm ex illustri familia traheret ortum: atqueita noluerit sua carmina passim extare. *supr. n. 3.* Nescio tamen an istud alicujus sit momenti. Nam. 1 etiamsi Sibylla Epirotica illustres habuerit natales, illis tamen ejus officium divinandi nihil potuit obesse. Ars siquidem divinandi, quâ istæc virgo prædita fuit, dignitatem generis facilè si non superabit, tamen augebit: ut proinde in hoc argumento nullum præsidium sit reponendum. 2. Sicuti aliæ feminæ ex ementita conversatione cum Deo nescio quam dignitatem sibi arrogare voluerunt: quare Sibylla Epirotica non in gloriam sed potius in dedecus sibi cedere putasset, si Dei sui instinctu de futuris homines informare, & carmina sua in usum posterorum relinquere potuisset. Nihil enim hac in reipsius autoritati quicquam fuisset detractum: cùm divinum istud donum, uti tum putabatur, istis superstitiosis Seculis etiam à non infimæ sortis hominibus fuerit affectatum. Quod si verò à reddendis Oraculis ipsa abstinuerit, procul dubio ex alia causa fuerit factum; nisi velis dicere: Illius carmina fatidica maxima ex parte periisse.

VI. *Iohannes Zonaras lib. 3. Historiar.* sequens ab hac Sibylla quondam profectum Oraculum producit: *ἀλλὰ καί τι φασὶ τῇ τῶν ἀνακτόρων βιβλίων ἀναποκεῖσθαι, ἐν ᾧ καὶ χρησμὸς περὶ τῶν βασιλέων ἦσαν καὶ μορφαὶ ἐνεγεγράφοντο ἀνθρώπων τε καὶ θηρῶν, καὶ μετὰ τῶν ἄλλων ἐχεὶ καὶ λέων θὴρ ἐχρωμάθητο, ᾧ καὶ ναύτῃ τὸ στοιχεῖον τὸ. X. ἐγκεχάρακτο. Ἀνὴρ δ' ἦν ὄπισθεν τοῦ θηρὸς, δόρατι διὰ μέσου τοῦ. X. διέλαυνον τὸν λέοντα. ἡ μὲν οὖν βίβλος εἶχε ταυτὶ, καὶ ἦσαν ὡς ἐδόκει, Σιβύλλεια χρησμῳδήματα. Τὸ δὲ τῆς εἰρημένης χρωματουργίας αἰνιγματῶδες δυσερμήνευτον ἦν, ὁ τότε κοιαίστωρ, ὡς λέγεται, διεσάφησεν εἰπὼν κατὰ τὴν ἡμέραν τῆς γενέσεως τοῦ Χριστοῦ βασιλέα ἀναιρεθῆναι. Τὸ μὲν γὰρ θηρίον βασιλέα δηλοῦν: τὸ δὲ. X. τὴν εἰρημένην ἡμέραν αἰνίττεσθαι. Τὸ δὲ διὰ μέσου τοῦ. X, τῷ λέοντι τὸ δορὺ ἐμπα-*

ἐμπήγνυσθαι τὸ καθ' αὐτὴν τὴν ἡμέραν τῆς ἑορτῆς τὸν Βασιλέα κτανθῆναι. Id est. Erat autem Oraculum Sibyllinum in quodam Imperatoriæ Bibliothecæ libro conſcriptum, qui non Oracula tantùm continebat, ſed etiam formas & figuras eorum, qui crearentur Imperatores. *Erat autem feræ forma Leonis prædita in eo libro: & ſuper ipſius dorſi ſpina inſcripta erat X. litera, quæ uſque ad ipſum ventrem pertinebat. A tergo quidam vir accurrens lethalem plagam haſta ipſi feræ per medium X. infligebat.* Præ ſe ferente verò Oraculo obſcuritatem, ſolus ipſum, qui tum Quæſtor erat, aperuit, judicavitque *ipſa die ortus Chriſti Imperatorem pernicioſa morte interfectum iri.* Hæc Zonaras! Aliàs extat carmen de Chriſto, ejus duabus naturis, divina ſcilicet & humana, ejusque nativitate, & matre virgine; quod huic Phœbadi adſcriptum eſſe teſtatur *Ianus Boiſſardus de Divinationibus fol. 285.* Subnectam illud è dicto Auctore, prout apud eundem reperitur.

Virginis æternum veniet de corpore Verbum
Purum, qui valles & montes tranſiet altos.
Ille volens etiam ſtellato miſſus Olympo,
Edetur mundo pauper: qui cuncta ſilenti
Rexerit imperio (ſic credo & mente fatebor)
Humano ſimul & divino ſemine natus.

CAPUT XV.

DE

ALIIS QUIBUSDAM FEMINIS FATIDICIS, QUAS ONUPHRIUS PANVINIUS PRO SIBYLLIS HABET.

I.

AB Onuphrio Panvinio inter Sibyllas refertur *Colophonia Lampuſia* procul dubio ſecutus *Suidam*, qui illam ordini Sibyllarum adſcribit: *Sibylla* inquit, *Colophonia Lampuſia dicta à Calchante oriunda, & ipſa divinationes, oraculaque & alia quædam verſibus edidit.* Patrem habuit Calchantem

chantem Thestoris filium & suo tempore celeberrimùm vatem qui prædixit excidium Trojanum, quique unà cum Græcis ad expugnandam illam urbem profectus est, ubi multa ex ejus consilio sunt gesta. Nomen ejus fuit *Lampusia* quasi dicas: *splendidam vel lucentem naturam.* Quod nomen pater ipsius velut divinando præstantissimam aliquando eam futuram esse Prophetissam, adeoque naturæ & ingenij splendore cum multorum admiratione eam conspectum iri, certo utique consilio eidem imposuit. *Colophonia* autem vocata est, quod in urbe *Colophone vel* nata, *vel* maximè clara extiterit. Nam ipsius pater Calchas post dirutam Troiam Colophonem urbem in Jonia secessit ibique habitavit. Sicuti autem ipse in arte divinandi valdè peritus fuit, ita quoque & filiam suam in eo genere scientiæ instruxit, atque erudijt. Quæ postea Apollini Pythio consecrata fuit, ut ejus esset Sacerdos; quo tamen in officio perfectiorem vaticinandi peritiam est assecuta. *Boissardus lib. de Divinat. fol. 290.* putat: Eam jam tum natam fuisse, cùm ipsius pater ex Græcia venisset Colophonem, eamque propter insignes prædictiones non solum in Asia, verùm etiam per totam Græciam fuisse celebrem. Prædixit autem & hominum singularium, à quibus ipsa consulebatur, fata, casusque varios, quibus essent expositi: & subinde Regnorum mutationes: undarum eruptiones: terræ motus: populorum seditiones: bella publica, gentium & civitatum ruinas ac dispersiones, nec non alia varia, quæ futuris temporibus essent ventura. Verosimile quidem & hoc est: illam sua vaticinia in usum posterorum & testimonium divinationis non vanæ conscripsisse in certo aliquo volumine, de quo tamen hodie nihil extat amplius. Numquid itidem Oracula de Christo, uti de aliis Sibyllis illud affirmatur, & ipsa cecinerit, hucusque non habeo compertum. Illud tamen à quibus constanter asseritur, ac si Deum unum, verum, æternum, justum, misericordem, & conditorem conservatoremque rerum omnium professa sit, & homines de eo colendo admonuerit serio, quippe qui impios perditurus, & æternis doloribus cruciaturus: bonos verò & pios perpetuis gaudiis perfusurus sit. Vnde etiam de interitu hujus mundi prophetasse dicitur. Illud etiam quæri potest, quonam in loco ipsa sustinuerit munus sacerdotij? certè Delphis id non est factum, nam sacros tripodes, qui ibi habentur, execrata videtur, si fides habenda sit poëmati, quod *à Lælio Cleopasso* est consignatum, & apud *Boissardum. in Lib. de Divination. fol. 290.* legitur.

Me

Me Phœbi cortina tulit Colophonia vatem
Mendacis tripodes execror usq; Dei.
Est Deus æternus, qui nomine non eget: ille
Solus enim mundi poßidet imperium.
Huic Soli vota atque preces effundite grata est
Illi, quæ ex puro victima corde venit.

Dubio procul in templo Apollinis, quod erat in urbe Asiæ minoris Colophone isti Deo sacra, officium Sacerdotale sustinuit, quod etiam modò allatum carmen præ se fert: unde ibidem præter sanctum istud munus se Prophetissam præstitit, & ita ob eximiam divinandi peritiam, fortè etiam ob ejus certitudinem quoque, quippe quòd eventus prædictionibus responderet, magnam sibi nominis gloriam peperit.

II. Sibyllarum ordini adscribitur *ELISSA*: sed *cap. 4. hujus libri p. 529.* dictum est: Hanc Sibyllam, quæ *Elissa* vocatur esse Sibyllam Lybicam, cujus nomen proprium fuerit Elissa. An autem illud ita se habeat, vel non, repetere hic nolo.

III. Inter Sibyllas etiam refertur *CASSANDRA* Priami & Hecubæ filia, quam *Gothefridus Viterbiensis par. 10. Chronici* apud *Pistor. par. 2. Histor. German. fol. 214.* eandem esse dicit, quæ vocatur Sibylla Tiburtina. Illud equidem in antiquis monumentis deprehendimus: quòd filia Priami Cassandra peritiam divinandi fuerit indepta, & hac ratione Sibyllarum in ordinem referri queat: illam verò eandem atque Tiburtinam esse *c. 12.* supra *p. 624. 625.* negavi, & contrarium pluribus ostendi. Communiter de Cassandra fabulantur, quòd Apollo: cùm ipsa promissum concubitum, sub cujus spe consecuta erat donum vaticinandi, postmodum ei denegasset, istius responsis fidem subtraxerit, ita, ut licèt ipsa verum dixerit, tamen dictis istius nemo voluerit assensum præbere. Hinc scribit *Virgilius l. 2. Æneid. v. 246. 247.*

Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora, Dei jussu non unquam credita Teucris.

Cui accinit *Cointus Smyrnaus*, seu *Quintus Calaber lib. XII. Paralipom. Homericor.* secundum interpretationem *Rittershusii.*

Soli inerat mens firma animi & precordia dextra
Cassandræ, haut unquam verbum vanum ore profatæ,
Cui suus eventus non respondisset. At ipsi
Nescio quo fato nemo auscultare volebat
Tanquam vaniloquæ. Troianis quippe parabant

Pœnas

Pœnas fatis suas infligere. Cœcè aproinde
Omni privabant sensu rationéq; corda

Hinc scribit *Phædrus* antiquus Autor: *Cassandra quia non creditum, ruit Ilium.*

VI. Sibyllis annumeratur ab Onuphrio quoque Thessalica Manto Tiresiæ vatis filia, quam alii cum Sibylla Delphica faciunt eandem, quod antea *c. 5. p. 532.* à me annotatum est. Quidam id concedunt, illam fuisse feminam fatidicam, adeoque vaticinia edidisse hominibus: sed negant inter celebres & ab Historicis alijsque Scriptoribus memoratas Sibyllas illam referri. *Ruillius* tamen ei locum inter *Sibyllas* concessit: nunquid Onuphrius istius autoritatem secutus sit, an verò suam sententiam aliunde desumserit, dicere equidem haût possum. Nonnulli volunt: ac si Mantua urbs Italiæ ab ea vel potius ejus filio Ocno seu Bianore & quidem à matris nomine ita fuerit appellata: & antequam in Latium se contulerit in templo Dodonæo vaticiniis claruerit. Uti ex illo carmine *Lalii Cleopasii*; quod exhibet *Boissardus de Divinat. fol. 292,* quodammodo apparet:

Non mihi Chaonia volucres, crepitacula, quercus,
Non Dodonæi sacra profana Dei
Usq; placent: mendax quæ antiquo fabula iactat
Murmure Cœlesti Numen in arce sedet
Æternum, per se existens, nunquamq; creatum.
Rebus is omnipotens omnibus esse dedit.

Verùm qui de Mantuæ conditore ejusque denominatione aliquid accuratius scire desiderat, consulere poterit *Servium* ad *lib. 10. Virgil. Æneid. vers. 198. & 199.* aut *Philippum Cluverium lib. 1. c. 26. fol. 255. Antiqua Italia.* Interea *Hellanicus* intrepidè affirmant: *Manto nunquam venisse in Italiam.* Plura de hac femina suppeditabit *Boissardus in lib. de Divinat. fol. 291. 292.* An verò, & quænam de Messia prophetaverit, non constat: cum primis si diversa Sibylla à Delphica statuatur. Credo quoque, & illam vaticinia sua præcipuè quæ fuerint majoris momenti in literas retulisse; sed parum vel nihil de illis hodie supererit. Et quod adhuc superesse creditur, illud dubium est, numquid huic vati, an alteri adscribendum sit.

VII. Ulterius pro Sibylla habetur *CARMENTA*, quæ Evandri mater fuisse perhibetur. Hujus nomen antiquiores Scriptores faciunt *Nicostratam.* Fuit vates Arcadica, & quærentibus responsa

Alligata caneret, à Latinis Carmenta dicta est, voce à carmine deducta. Sunt qui Carmentam putant esse Parcam, ideoq; ei Matronas sacrificare: ratio autem nominis hæc est: Carens mente ob instinctus videlicet divinos, quibus ad fatiloqua fundenda carmina impellebatur. Hæc ita Plutarchus. Huc quoque faciunt verba *Dionysii Halicarnassensis lib. 1. Antiquit. Roman. fol. 24.* ἡγεῖτο δὲ τῆς ἀποικίας Εὔανδρος Ἑρμοῦ γενόμενος καὶ νύμφης τινὸς Ἀρκάσιν ἐπιχωρίας, ἣν οἱ μὲν Ἕλληνες Θέμιν εἶναι λέγουσι, καὶ θεοφόρητον ἀποφαίνουσιν. Οἱ δὲ τὰς Ῥωμαϊκὰς συγγράψαντες ἀρχαιολογίας, τῇ πατρίῳ γλώσσῃ Καρμένταν ὀνομάζουσιν. Εἴη δ' ἂν ἑλλάδι φωνῇ θεσπιῳδὸς τῇ νύμφῃ τοὔνομα· τὰς μὲν γὰρ ᾠδὰς καλοῦσι Ῥωμαῖοι Κάρμινα· τὴν δὲ γυναῖκα ταύτην ὁμολογοῦσι δαιμονίῳ πνεύματι κάτοχον γινομένην τὰ μέλλοντα συμβαίνειν τῷ πλήθει δι' ᾠδῆς προλέγειν. *Eam coloniam deduxit Evander Mercurii filius & Nymphæ cujusdam Arcadicæ, quam Græci Themim fuisse dicunt, & divino afflatu instinctam. Romanarum antiquitatum Scriptores Carmentam patria lingua nominant. Græcè* θεσπιῳδὸς *id est, fatidica vocari queat.* ᾠδὰς *enim Romani appellant carmina. Hanc mulierem affirmant Dæmonis spiritu correptam futura carmine multitudini prædicere solitam.* Cujusmodi narratio, juxta *Ionam Velisium*, locis supra adductis, illud videtur innuere, ac si hæc femina nulla unquam Oracula protulerit nisi quando furore quodam divino fuisset oppleta, ut exinde etiam nomen Carmentæ acceperit, veluti, ipsa caruerit mente, quando Oracula protulerit, qui exinde concludere vult juxta suam hypothesin *l. 3. c. 14. p. 219. Critic. Lection.* hanc fatidicam feminam *Carmentam* non fuisse Sibyllam, utpote, quòd Sibyllæ mente, intellectu, & rationis usu in proferendis suis Oraculis destitutæ non fuerint, cùm ipsum nomen *Sibylla* non defectum mentis, aut carentiam Intellectus; sed potius Dei consilium, atque ita mentis integritatem importet, ut ita ex ipsius sententia potuerit femina esse fatidica, licèt eo tempore, quo vaticinata sit, non fuerit furore oppleta, nec à Dæmone obsessa, qualem etiam vatem is propriè pro Sibylla demum agnoscit, etiamsi non simpliciter neget: Et feminas dari fatidicas, quæ tempore vaticiniorum obsessionem Dæmonis patiantur, atque ita furore divino percitæ ex instinctu quodam divino consulentibus futura annuncient. De Sibyllis tamen tanquam consilia Dei scientibus & interpretantibus illud affirmare non vult, cùm scire & exponere alterius voluntatem requirat & notitiam & integrum rationis usum in interprete. Et ita

ad stabiliendam suam hypothesin adducit locum è *lib. 5. fol 230. Strabonis Geograph.* ubi dicitur, quod Romani quidem Evandri matrem venerentur, eamque unam de Nymphis esse censeant. Quæ si fuisset Sibylla, illud Strabo & Dionysius non fuissent intermissuri. Sed *Strabonem* videamus: Τὴν μητέρα τοῦ Εὐάνδρου τιμῶσι Ῥωμαῖοι μίαν τῶν Νυμφῶν εἶναι νομίσαντες Καρμένταν μετονομασθεῖσαν. Hoc est: *Matrem Evandri venerantur Romani unam ae Nymphis censentes Carmentam denominatam.* Verùm de *Iona Velisii* sententia jam tum *cap. 1. huius libri* plenius disserui, ut ita necessum haut fuerit talia de novo repetere. Id tamen ex antiquitate de hac femina fatidica constat. 1. quòd fuerit tum temporis in reddendi Oraculis celebris, & ad eam accurrerint homines, quotiescunque in rebus dubiis consilio indigerent, & de futuris certam notitiam desiderarent: vel etiam de gubernatione status civilis ambigerent, ut ab ea solutionem rei dubiæ, & rationem administrandæ reipublicæ ad evitanda fata impendentia pernoscerent. 2. Quòd eam homines divinis honoribus prosequerentur ob pereximiam ejus prudentiam & peritiam, quâ tum eminebat in arte vaticinandi, ipsamque tanquam vivum Oraculum publicè colerent. 3. Quod ex Arcadia literarum characteres in Jtaliam secum attulerit, & primum docuerit, quomodo illorum interventu animi sensa & conceptus possent exprimi. Quæ res hactenus incognita & nova Aborigenibus tanquam admiranda, imò tanquam certissimum divini ingenij argumentum apparuit: cumprimis verò, ubi summa istius utilitas in vita humana deprehensa est, quòd absentes literarum commercio mutuam voluntatem & desideria animi sibi invicem communicare possent. *Livius* tamen hoc Evandro Carmentæ filio adscribit *lib. 1. c. 7. fol. 4.* quando ita loquitur: *Evander profugus ex Peloponneso autoritate magis quàm imperio regebat loca. Venerabilis vir miraculo literarum rei novæ inter rudes artium homines: Venerabilior, creditâ divinitate Carmentæ matris, quam fatiloquam ante Sibyllæ* (scilicet Cumææ) *in Italiam adventum miratæ hæ gentes fuerant.* Quod autem Carmenta divinis honoribus affecta fuerit exhibitis eidem subinde sacris publicis, illud testatur *Dionysius Halicarnass. lib. 1. Antiqu. Romanar. fol. 25.* qui ita scribit: Καὶ γὰρ Εὐάνδρῳ θυσίας ἔμαθον ὑπὸ Ῥωμαίων ἐπιτελουμένας ὅσα ἔτη δημοσίᾳ, καὶ Καρμέντῃ, καθάπερ τοῖς λοιποῖς ἥρωσι καὶ δαίμοσι· καὶ βωμοὺς ἐθεασάμην ἱδρυμένους Καρμέντῃ μὲν ὑπὸ τῷ καλουμένῳ Καπιτωλίῳ παρὰ ταῖς Καρμεν-

τίσι

ὑπὸ πύλαις· Εὐάνδρῳ δὲ πρὸς ἑτέρῳ τῶν λόφων Αὐεντίνῳ λεγομένῳ τῆς τριδύμου πύλης οὐ πόῤῥω, Id est: *Et Evandro & Carmentæ Romanos publicè quotannis sacrificare comperi, quemadmodum reliquis Heroibus ac Dæmonibus. Aras etiam eis erectas contemplatus sum: Carmentæ, apud Carmentalem portam portam sub Capitolio: Evandro, apud Aventinum collem prope portam Trigeminam.* Sunt nonnulli, qui existimant, eam propterea fuisse divinis honoribus cultam, quòd crederetur cum Dijs familiariter conversari, & ab illis insignem sapientiam, & notitiam hominibus prædicendi futura perdiscere, & ideo ejus in honorem sacra *Carmentalia* dicta sunt instituta *Iani Boissardi* sententiam *in lib. de Divinat. fol. 153.* hîc proferam, qui scribit sequentia: *Carmenta propter insignem pietatem & futurorum prædictiones existimata est commercium familiare cum Diis habere, quorum Numine afflata prænosceret futura, & prædiceret hominibus ad eorum conservationem & salutem, ideo pro Dea est habita inter Aborigenes & Arcades Tiberis accolas, sacraq; illi instituta sunt Carmentalia, quæ quotannis celebrabantur à matronis die XVIII Kalend. Februarii.* Vide *VVolfgang Lazium lib. 11. Comm. Reipubl. Rom. fol. 879. Rosin. l. 4. c. 5. p. 156. Antiquit. Romanar. Alexander. ab Alex. lib 4. c. 16. f. 391.* scribit: *ad illam portam.* (scilicet Carmentalem:) *matronas Carmentæ Nymphæ, quæ mater Evandri fuit, annuas hostias immolare, & sacrum facere produnt.* Adde *lib. 6. c. 8. fol. 651. Genial. Dier.* Plura qui de hac femina fatidica scire desiderat, is consulere poterit *Lilium Giraldum Syntagm. 15. fol. 616. & 617. Histor. Deorum.* Verùm non opus est, ut in incertam nos conjiciamus disputationem: an Carmenta fuerit Sibylla vel non? sufficit, quòd fuerit femina artis divinatoriæ peritissima, quod ex illis, quæ hactenus allata sunt, satis perspicuè apparet, in tantum ut nemo illud temerè negare audeat.

VI. Pergit *Onuphrius* Sibyllarum cœtui associare *Faunam* vel *Fatuam*, uti in antiquis Pontificum libris illud legitur. *Faunam* eam dictam esse putant à *favendo*, quòd omni animantium usui favere existimetur. *Fatuam* verò eam vocatam esse credunt, à *Fando*; vel quòd prius vocem non edant infantes, quàm terram attigerint ipsi: vel quòd ipsa divina Oracula quondam prodiderit, adeoque hominibus futura prædixerit. Appellata quoque fuit *Bona Dea*, utpote quòd omnia bona quæ quidem ad victum pertinent, ipsa suppeditet. *Lilius Girald. Syntagm 4 fol. 194. Hist. Deor.* An Fauni filia, soror, vel uxor fuerit, de eo certant Scriptores. Ipsam tamen pro Dea habitam & cultam, eique

in honorem erectum fuisse templum, omni caret controversia. Quod tamen templum nulli virorum ingredi licebat. Cujus ratio hæc fuisse dicitur, quòd ipsa tantæ pudicitiæ fuisse feratur, ut per totam vitam à nullo mare, exceptô maritô suô, visa fuerit, nec nomen ejus fuerit auditum ab alijs masculis. Hinc *Tibullus* canit *lib. 1. Eleg. 6.*

Exibit, quam sæpe cave, seu visere dicat
Sacra bonæ maribus non adeunda Deæ.

Et Propertius lib. 4. Eleg. 10.

Feminea loca clausa Deæ, fontesq; piandos
Impunè & nullis sacra retecta viris.

Quinimò nón tantùm cujuscunque viri in hoc templum ingressus fuit prohibitus; sed ne Deorum quidem picturæ masculæ in hoc templo apertè tolerabantur. Cujus rei vestigium extat apud *Juvenalem Satyr. 6. v. 341. p. 264.*

—— Vbi velari pictura jubetur
Quæcunque alterius sexus imitata figuram est.

De qua Dea legi poterunt *Macrobius lib. 1. c. 12. p. 210. & 211. Saturnal.* Vt & *Lactantius lib. 1. c. 22. p. 127 de Falsf. relig.* Cœterùm an hæc femina, quæ *Fatua* dicta est, fuerit Sibylla, uti vult Onuphrius, illud valdè dubium est. Nam 1. Nemo Scriptorum, qui ejus fecerunt mentionem, quantum equidem mihi constat, eam Sibyllam indigitavit. 2. Nullum extat vaticinium, quod ipsa reliquit. Et licèt hoc argumentum non stringat, cùm ob injuriam vel etiam ob diuturnitatem temporis ejusmodi carmina fatidica potuerint perijsse; tamen nihil ab ea, uti de reliquis Sibyllis, quarum opera itidem deperdita sunt, in antiquis monumentis adhuc deprehenditur: imò ne quidem memoria ejus tanquam Sibyllæ superest. Interim lubens concedo: illam fuisse feminam peritiâ divinandi præditam, nec non multis futura prædixisse, verùm illam Sibyllarum ordini insertam, aut eidem à quoquam annumeratam fuisse, *Onuphriô* exceptô, id fateor me hucusque nondum deprehendisse.

VII. Pergit *Onuphrius Panvinius* inter Sibyllas numerare & sacras feminas, quas interest *MARIAMNE* seu *Maria* soror Mosis & Aaronis. *Exod. XV. v. 20.* In Hebræo textu est verbum *Hannebbiah* Prophetissam significans, ut ita & Maria istæc fuerit Prophetissa. *Andreas Rivetus ad c. 15. v. 20. Exod. p. 393.* observat; Prophetiam dici dupliciter. (1.) *Communiter*, quo sensu tribuitur ijs omnibus, qui in rebus divinis

vinis occupati sunt, sive sacra vaticinia interpretentur: sive è Prophetarum scriptis desumant argumenta laudis divinæ: sive vacent sanctis precibus. Quomodo accipitur. *1. Paralip. 25.* ubi dicitur, quòd quidam prophetaverint in citharis, psalterijs & cymbalis, id est, cantica prophetica cecinerint. Sicuti & *1. Regum. 18. v. 29.* Prophetia sumitur etiam pro *Oratione*, ut & *1. Corinth. 11. v. 5.* (2) *Specialiter*, quomodo Prophetia dicitur, cùm aliqui extraordinario Spiritûs afflatu, vel peculiari quadam revelatione, aut futura prædicunt, aut abdita & occulta manifestant. In priore significatione quin verbum istud sumatur, uti modo expositum est, nullum est dubium: quoniam in adducto textu agitur de laudibus Dei celebrandis, in quibus denominationem Prophetissæ sustinere facilè potuit, utpote quòd alijs mulieribus præiverit in cantando & suo exemplo & hortatu eas ad illud officium invitaverit. Sed & in posteriore sensu illa dici potuit prophetissa, quia per eam Deus locutus est populo suo. Afflata igitur fuit Spiritu S. ejusque motu extraordinario nomine Dei fuit locuta, non quidem more bacchantium, & quarundam Sibyllarum, quæ receptô in se spiritu velut furibundæ hominibus responderunt; sed quatenus Deus sanctissimo suo afflatu eam extraordinariè instruxit, ut ad munus propheticum sustinendum esset apta. Hinc distinguit *Rivetus*: aliud esse *Prophetam*: aliud verò *actionem prophetandi alicui tribui*. Et quantumvis *cap. 15. v. 20. Exodi*, de *Mariamne* hoc saltem narretur, quòd tympanum manu sua sumserit, & post eam egressæ sint omnes mulieres cum tympanis & choris ad laudandum Deum; tamen ibidem vocatur expressè *Hannebhiah* Prophetissa: & *Num. 12. v. 2.* exstat, Deum quoque per *Ipsam* loqui, ut ita prophetico spiritu imbuta fuerit & ipsa, perinde uti fratres Moses & Aaron, licèt diverso modo, sicuti *Iehovah* istud ibidem apertè declarat. Vide *Drusium* ad illud *cap. XII. fol. 984. In Tomo 1. Criticor. Sacror.* Equidem illud negari haut posse videtur: Mariamnem Mosis & Aaronis sororem fuisse Prophetissam, eamque Spiritu divino instructam de futuris verba dixisse ad populum, & voluntatem Dei ipsis revelasse; Attamen Sibyllarum ordini eam fuisse adscriptam præter *Onuphrium Panvinium* vix antiquus Scriptor statuet. Neque enim hoc tanquam certum supponi poterit, eam, quæ dono quodam Prophetico prædita est, propterea statim esse Sibyllam; quantumvis Sibylla sit mulier quæ divino aliquo spiritu instructa prænunciet futura

futura, aut abstrusa declaret: interim tamen non omnis vates Sibylla appellari potest, quod ex ante dictis plenius innotescet.

IIX. In eodem Sibyllarum ordine *Onuphrius* numerat & *DEBORAM* mulierem Hebræam & conjugem *Lapidoth*, cujus mentio fit in *c. 4. v. 4. libri Iudicum.* De qua Autor libri istius sancti sequentia tradit. 1. Quod fuerit *Prophetissa*, quæ è mente & Voluntate Domini Hebræis, quæ futura essent, prædixit, quô etiam juxta nonnullos præcipuum Prophetarum officium absolvebatur. 2. Quod fuerit *uxor Lapidoth.* Notat *Vatablus*, quosdam existimare: quasi Lapidoth ac Barac idem fuerit, scilicet, maritus Deboræ: quoniam verò agebatur Spiritu Prophetico, ille ad tempus procul ab ea seu seorsim habitaverit. Alij tamen *mulierem Lappidoth* ita exponunt, quasi illa concinnaverit ellychnia in templo Domini. Qua occasione insignem locum Drusij adscribam ex observationibus ad *vers. 4. libr. Iudicum. fol. 2011. in Tom. 2. Critic. Sacror.* Græci reddunt γύνη Λαφιδώθ. *Nam Lapidoth, quod in Latinis, non adeò placet. Siquidem, teste Hieronymo, Ebræi P.* Latinum *non habent. scribi etiam potest ex antiquitate* Lapphidoth, *sicuti scribimus*, Sepphora, *pro* Sephora. *Pro* uxor Lapidoth, *recentior editio habet* Lapidothana. *Si rectè tum* Laphidoth *erit nomen loci. Sed quo teste, quove argumento hoc probabitur? In tanta luce literarum non satis est aliquid affirmare, nisi etiam probaveris id quod affirmas. Recepta opinio est:* Lapidoth *esse nomen viri, quem Hebræi putant fuisse* Barac, *in quo significatio fulguris latebit. Sed obstat huic opinioni, quòd* Debora *accersiverat* Barac *aliunde. Nam si maritus eius fuisset, simul habitassent. Ideo* in Medras *exponitur* Laphidoth, *ut sit nomen non proprium, sed appellativum*, mulier Lychnaria, *quod lychnos conficeret ad usum Sanctuarii.* Si Laphidoth fuit maritus *Deboræ*, cur non dicit *filium Abinoam virum suum?* Fuit equidem Laphidoth nomen viri, non tamen inde sequitur, eum fuisse Barac. 3. *Quod iudicaverit populum Israëliticum*: & hoc ita intelligendum esse docet *Munsterus*, quòd mulier Sanctæ Legis divinæ gnara populo petenti dederit responsa ex Oraculis Dei, & ita lites exortas deciderit. Inde frequentes ad eam concurrerunt Israëlitæ, ut dissidiorum ab ea peterent terminationem per justam sententiam legi divinæ conformem. Quo sensu ipsa dicitur judicasse populum Israëliticum, 4. Quod revera rei futuræ eventum Debora prædixerit Barac. Nam & se quidem ad expeditiones bellicas unà ituram pollicetur, quamvis eo modo ipse Barac suo honori non sit consulturus, ut-

pote,

pote, quòd in illo prælio victoriam femina sit reportatura, uti videre licet *v.9. dicti capitis 4.* Quod postmodum ita etiam contigit: Nam Jaël uxor Heberi Sisseram hostem præ lassitudine soporatum paxillô per ejus tempora vi mallei adactô interfecit. Hinc patet & hanc feminam fuisse Prophetissam, sed quo pacto & ipsa erit Sibylla? cùm non constet, feminas fatidicas gentis Hebrææ inter Sibyllas fuisse numeratas.

IX. Sibyllis adhuc *Onuphrius* adjungit aliam nomine *Holdam Sellemi uxorem*, de qua legitur *l.2. Reg. c.22. v.14.* & *2. Paralipom. c.34. v.22.* quæ Spiritu Prophetico prædita in Israel inclaruerat. Illa futura prænunciavit consulentibus, scilicet, quænam mala Deus superinducturus sit postmodum ob perpetratum crimen Idolatriæ. Prophetissam autem illam fuisse patet. 1. *E facta consultatione*, nam Israelitæ consuluerunt eam, quid facto opus esset, cùm in tantis angustiis constituti ob Dominum ad iustam iram provocatum nescirent, quomodo istud infortunium evitare possent. 2. *E suppeditato vaticinio*, quod prolixius in adducto loco describitur. Certè si Holda non fuisset Prophetissa; ad eam non accessissent Israëlitæ nec de futuræ rei eventu illam consulere potuissent. *Caspar Sanctius* ad istum locum *fol. 117.* notat: Quosdam statuisse, quòd *feminæ istæ quibus Dominus propheticum afflavit Spiritum aut virgines, aut viduæ fuerint: vel si adhuc coniugatæ fuerint, tamen à re coniugali abstinuerint.* Sed ipse istam sententiam probare non poterit. Certè inter gentiles istas prophetissas, quæ Sibyllæ solenniter audiunt, reperta fuit *Manto Tiresiæ vatis* filia, quæ tamen viro nupsit, nec ab ejus congressu abstinuisse, multò minus donum prophetandi per istud conjugium amisisse legitur. Neque video, quid conjugium obstare possit divinationi? Illud enim quod dicitur, quasi virginitati ob puritatem naturæ donum vaticinandi magis conveniat, assumitur quidem; attamen tanquam certum & verum nec probari, nec dissentienti obtrudi poterit.

X. Mirum est, quare Esaiæ uxorem, quæ tamen itidem appellatur Prophetissa, *Esaiæ c.8. v.3.* Onuphrius in Sibyllarum ordinem non retulerit? uti etiam nec *Nodaiam* seu, ut alii legunt, *Noadiam* in eundem cœtum referre noluerit, cùm tamen & hæc dicatur Prophetissa. Verùm excusari posse videtur *Panvinius*, quòd Esaiæ uxor non dicta fuerit Prophetissa, quia artem vaticinandi calluerit, sed saltem ideo, quòd Prophetæ coniux fuerit. Quemadmodum in antiquis Conciliis uxor Episcopi dicebatur *Episcopa*: & uxor Presbyteri vocabatur *Pres-*

bytera. Deinde quod attinet *Nodaiam*, de ea *Nehem.c.6.v.14.* refertur, quòd fuerit vates, seu Prophetissa. Sed alij utpote Intepretes istius loci statuunt: Eam fuisse Pseudoprophetissam, quam unà cum *Tobiiah* mercede conduxerat *Senballath* ad terrendum *Nehemiam*. Quæ tamen ratio fortean è numero Prophetantium & Sibyllarum illam non eximeret, si in eo unquam fuisset inclusa: cùm veritas vaticinij pendeat ab istius exitu. Jam verò multæ causæ intervenire queunt, ut salvâ veritate prædictionis eventus impediatur. Et si femina istæc sciens sed donis corrupta falsùm vaticinium reddere voluerit ad terrendum Nehemiam; hoc tamen nihil derogabit veritati, nec ipsius officio Prophetico, quando in alijs rebus ad preces consulentium vaticinia protulit. Elegans exemplum habemus *1. Reg.13.v.18.* ubi Propheta quidam alium Virum Dei venientem de Juda, cui Deus præceperat, ne isto in loco comederet panem, & biberet aquam fefellit, & finxit: Se à Deo contrarium mandatum accepisse, ut scilicet eum reduceret in domum suam ad edendum & bibendum. Ob quod tamen alter, quia præcepto divino exactè non paruerat, rediturus ad locum suum in via à leone interfectus est. Ubi alter fuit quidem verus Propheta: Sed hoc in eloquio mendax, nec tamen propter hoc mendacium amisit donum prophetandi, aut ejectus est è numero Prophetarum. Ita etiam Nodaia etiamsi muneribus & largitionibus corrupta falsùm dixisset Oraculum, è numero Sibyllarum non fuisset ejecta: nec quod hic falsa fuisse Prophetissa in hoc negotio, propterea statim officio Prophetico fuisset destituta. Sed ne quidem & de ea constat, an unquam & à quonam inter Sibyllas locus ei datus sit. Inde si ipsa nunquam fuit, Sibylla ex isto ordine etiam non potuit eliminari: Sicuti & aliàs ob falsùm vaticinium & pecuniam pro eo acceptam Sibylla esse non desijsset, si antea inter Sibyllas numerata fuisset.

XI. Verùm missis hisce redeo ad tres priores feminas, quas Onuphrius in ordinem Sibyllarum cooptare conatus est. Contra quem *David Blondellus l.1.c.26.de Sibyllis p.117.* disputat; & (1) ait: Onuphrium sibi in eo contradicere, quando in præjudicium suæ hypothesis (Quod soror Mosis locum obtineat inter Sibyllas) existimat: Deboram, quæ centesimo & octuagesimo primo anno post mortem Mariamnes demum extitit, vetustissimam inter Sibyllas esse. (2.) Quòd ipse absque omni consideratione ingentem injuriam hisce Sanctis & religiosis feminis faciat, dum eas cum obsessis à Spiritu & Sagis comparat;

tat, cum talibus, inquam, quas gentiles, ob earum admirandam suavitatem, quam crediderunt divinam esse, pro Sibyllis (seu feminis divinum consilium annunciantibus) agnoverunt, & velut habiles fecerunt. Nam ait *Sibyllæ quæ durante Enthusiasmo fuerunt furiosæ seu sensuum non compotes, fuerunt feminæ non solùm Gentiles, sed & Dæmonicæ, sive tales, quas malus Genius eo tempore, quo reddebant Oracula, obsedit, vel quæ cum illo commercium habuerunt.* (3:) Dicit, quòd nomen Sibyllæ nunquam adhibitum sit, quàm ad designandas personas, quæ talis sint conditionis: adeoque illud etiam non adaptetur ulli feminarum Sanctarum, quarum mentio fit in Scriptura. Ut proinde *Glycas*, qui *parte* 2. *Annal* Reginam de Saba vocavit Sibyllam, valdè indignè eam tractaverit. Ita Blondellus. Quousque autem istæc sententia de obsessione Sibyllarum (an scilicet omnes indifferenter, & semper, quoties Oracula reddiderunt consulentibus, Dæmon eas occupaverit) tandem admitti queat, occasione discursus à *Jona Velisio* ea de re instituti plenius exposui cap. 1. hujus libri, ut & pluribus alijs locis. Proinde quæ ibi susius examinata & in medium prolata fuerunt, hîc repetere supersedebo, quin potius ad ea, quæ tum producta sunt, me referam: cùm per omnia *Blondello* assentiri nequeam.

CAPUT XVI.

EXHIBENS SUPPLEMENTUM DE SIBYLLIS.

I.

ILlud tanquam verum amplector, feminas illas Sanctas in numero Sibyllarum repositas haut esse, & Onuphrium ex errore quodam istam opinionem arripuisse. Et quidem (1) quod legerit *feminas fuisse in cœtu gentilium, quæ suis vaticiniis & Oraculis ita inclaruerint*, ut ferè omnes ad eas accesserint ob assequendam ab ijs notitiam de rebus futuris, & consilium subinde ab ijsdem reportandum. (2) *Procul dubio invenerit illarum vaticinia cumprimis de Messiæ nativitate, passione ac morte, redemtione totius humani generis magni esse æstimata à quibusdam SS. Ecclesiæ Patribus, & ab iis simul tanquam testimonia adhibita fuisse contra Gentiles*

ad eos convertendos; *unde ipsis posset constare non novam proponi doctrinam simpliciter*, *sed illam iam tum a Sibyllis itidem feminis paganis publicè assertam*, & scriptis *comprehensam* fuisse. Inde (3) ubi intellexit ab ista peritia divinandi, & hominibus mentem ac consilium divinum exponendi feminas istas dictas esse Sibyllas: deprehendit quoque in S. Scriptura mentionem fieri trium istarum feminarum *Mariamnes*, *Debora*, *& Holde* quæ & ipsæ dicantur Prophetæ, & revera quoque vaticinatæ sint; existimavit & istas Sanctas feminas inter Sibyllas computandas esse, & quidem vel ex sola hac ratione, quòd uti Sibyllæ gentilium futura prædixerint, & mentem suorum Deorum exposuerint: pari modo & sanctas mulieres ob idem munus, quod sustinuerunt, ista appellatione dignas esse, quippe quæ & ipsæ mentem veri Dei populo Hebræo interpretatæ sint. Constat autem è superioribus; Vaticinia Sibyllarum de Christo esse incerta. Et plenius infra patebit: istæc carmina Sibyllina à quibusdam tanquam suspecta, ficta & supposititia argumentis sanè nec levibus, nec contemnendis impugnari: Unde in illis nullum præsidium certæ & immotæ veritatis collocandum erit. Deinde licèt non deprehendam aliquid mali in nomine Sibyllæ, cùm hoc significet DEI consilium, eique, quæ sit mentis vel divini consilij interpres, acccommodari queat, & in eo sensu etiam sanctis istis tribus feminis attribui posse hactenus non sit absurdum: Verum tamen, quoniam in gente Hebræa istud vocabulum, quantum ego quidem recordari potero, non fuit in usu, vates etiam hoc nomine non fuerunt insigniti, nec inter Historicos tum Sacrarum tum civilium rerum, exceptis paucis recentioribus, reperiuntur, qui istas Sibyllarum cœtui adscripserunt, satius ego esse arbitror ab ista denominatione, quæ feminis fatidicis gentilium imposita fuit, respectu istarum trium abstinere. Et quamvis vocabulum innoxium sit; tamen non est receptum. Et credo certissimè, si illis adhuc viventibus feminis istud nomen imponeretur, illas istud esse rejecturas, partim quòd prophetissis Ethnicis competivisset, partim quoque quòd in populo Dei illud non esset usitatum.

II. Ubi singularum Sibyllarum vitam & conditionem exposui, subinde indicavi, an hæc vel istæc Sibylla esset ab alijs distincta, an eadem cum una vel altera è cœteris: quippe quòd magna scriptorum ea in re sit varietas, tanta certè, ut quid interdum affirmari vel statui debeat, meritò quis dubitare possit. Et scribit *Isidorus Clarius*: Magis crederem Ethnicorum Prophetissis, quas vocant Sibyllas, & ea-

rum

rum vaticinia de nostro Salvatore venerarer, nisi tanta esset de illarum personis incertitudo, ut quodnam huic vel isti Sibyllæ carmen attribui debeat, etiam à peritis dubitetur. Pervolvi omnia monumenta antiqua: perscrutatus sum ferè singula testimonia veterum, sed ubi certò consistere possim huc usque non inveni. Hæc ille. Adducit autem testimonium *Philippi Saphiri* (cujus tamen scripta præter *Commentarium ad posteriora Analytica* non vidi) quod ita se habet: *Doleo nihil certi de singulis Sibyllis amplius extare: plures unà fuisse certò certius credo: numerum illarum ignoro. Vnam cum altera confusam, & ex duabus unam: vel ex una duas factas fuisse vero non est dissimile. Quod vitio nostris scriptoribus verti non debet, quoniam illi ex antiquis plus scire non possunt, quàm quod ipsi ibi annotatum invenerunt.* De eodem conquestus est non una vice *Boissardus*: conquesti sunt & alij. Ego utique optarem 1. Illarum personas accuratè fuisse distinctas. Quod enim recentiores in literas retulerunt, illud nullam aliam vim & autoritatem obtinere potest, quàm quatenus convenit cùm antiquorum testimonijs. Cùm verò hæc sæpe sint incerta, ut nostri Critici exinde alia argumenta, quàm è conjecturis, desumere haut potuerint, inde etiam doctrina de Sibyllarum personis non uno modo vacillat, prout superiora capita illud satis perspicuè ob oculos ponunt. 2. Optarem, ut illarum parentes, patria, & loca, in quibus ad tempus vel perpetuò commoratæ sunt, perfectè in antiquis historijs extarent. Ejusmodi namque circumstantiæ magnam lucem fœnerari possent, numquid Sibyllæ quædam tanquam conjunctæ in una persona distinguendæ: vel tanquam distinctæ conjungendæ essent. Ita & 3. constaret certius de illarum officio, vaticinijs, & alijs actionibus. De quibus diversa extant indicia: dum alij illas à Spiritu S. agitatas, alij ab immundo Spiritu seu Dæmone tempore divinationis corporaliter illas obsessas fuisse, & ita verba furoris protulisse scribunt. Ne nunc dicam 4. ingentes esse controversias de illarum libris: Quidam namque libros carminum Sibyllinorum adhuc extantes pro genuinis, alij verò eos pro supposititijs habent. Et qui ita inter se dissideant viri non sunt exigui: omnes interim suam sententiam antiqua autoritate staturninare volunt. Quod cap. 18. & 19. fusissimè indicabitur. Hoc autem certissimum istud præbet indicium, cùm ab utraque parte stent viri eruditi, aliquid hîc subesse, quô commoti tàm diversimodè de istis Sibyllis earumque vaticinijs scripserint & judicaverint.

III. Supra *c. 9. n. 3. p. 586. & sequ.* ostendi, quod Sibylla Cumæa & Cumana inter se sint distinctæ, adeoque diversæ Sibyllæ. Quibus pro confirmanda ista sententia addi poterunt, quæ *Claudius Salsius in Exercitationib. Plinianis fol. 75.* ad illa verba *Iulii Solini Pag. 14.* (*At ibidem Sibyllæ Sacellum est, sed eius quæ rebus Romanis quinquagesima olympiade interfuit*) non tàm ex sua, quàm ipsius Solini, & aliorum opinione affert verbis sequentibus. Ex hoc loco Baronius in Apparatu sectione XXXVI. adstruit: Cumæam omnium Sibyllarum ultimam fuisse, utpote quæ quinquagesima olympiade vixerit. Hunc reprehendit nuperus exercitator Anglus, qui Cumæam cum Cumana Sibylla non vult confundi, idque testimonio Solini evincit, quòd Cumanam Sibyllam, non Cumæam vocaverit. Profectò sæpe cum suo auctore miserè errant, qui Solini auctoritatem tanti faciunt, ut eum in rebus alicujus momenti audiant. Hoc nunc videamus. Cumæa, inquiunt, Sibylla erat, quæ Trojani belli tempore Cumis in Asia vaticinabatur. Jam hoc primum errant, quod Cumas Asiæ vocent, quum Italica urbs sic appellaretur, Asiatica verò Κύμη Cume. Hæc Sibylla Cumæa ex Asia in Italiam commigravit. Quî aut quando id factum? Cumæ Italicæ longè ante Trojana tempora conditæ à Chalcidensibus, & Cumæis Asiaticis, ut vult Marcianus. Si ex Cume Asiatica in Italiam commigravit Sibylla Cumæa necesse est tunc commigrasse, cum certi Cumæi ex civitate Æolide profecti Cumas in Italia condiderunt. Atqui id factum paulò supra docuimus ante Trojani belli tempora. Non igitur amplius vaticinabatur apud Cumam in Asia Cumæa Sibylla, quo tempore Trojanum bellum cæptum est; sed apud Cumas Italicas. Qua propter rectè omnino & ex ordine temporum *summus Poëta Æneam* quum in Italiam venit, hujus Sibyllæ consilio & oraculi usum inducit, quem sequitur *Ovidius. lib. XVI. Metamorph.* Hanc solam volunt Cumæam dici: Cumanam autem alteram quæ rebus Romanis quinquagesima Olympiade interfuit, ut heic scribit Solinus & quæ Tarquinio Superbo libros obtulit, quibus fata Romana continebantur, quos libros per quindecimviros in rebus dubijs consulebant Romani. Hanc sic sibi persuadent optimè ac solidè constituisse differentiam Cumææ Sibyllæ & Cumanæ. Huc usque Salmasius. Licèt autem ex istis verbis oppidò pateat discrimen inter utramque Sibyllam; ipse tamen acriter dissentit, & eam sententiam impugnat, imò paucis sed certis argumentis eam se destructurum fatetur, quæ ordine videbimus.

IV. Et

IV. Et quidem *Primum* argumentum impugnat diſcrimen deſumtum à nomine Gentilitatis, quod ipſe nullum eſſe dicit. Nam, ait, Cumæa illa, cùm apud Cumas Italicas belli Iliaci temporibus vaticinaretur, cùm ſpecum ibi haberet ſeu θάλαμον, in quo Oracula reddebat, quis neget Cumanam quoque dici poſſe? Ariſtoteles in Admirandis fol. 707. ἐν τῇ Κύμῃ τῇ περὶ τὴν Ἰταλίαν δείκνυταί τις, ὡς ἔοικε, θάλαμος κατάγειος Σιβύλλης τῆς χρησμολόγου ἣν πολυχρονιωτάτην γενομένην παρθένον διαμεῖναι φασὶν, οὖσαν μὲν Ἐρυθραίαν ὑπό τινων δὲ τὴν Ἰταλίαν κατοικούντων Κυμαίαν, ὑπὸ δέ τινων Μελαγχραίναν καλουμένην: Id eſt, *Cumæ in Italia oſtenditur quoädam ut videtur conclave ſubterraneum Sibyllæ fatidicæ, quam diutiſſimè vixiſſe & virginem permanſiſſe perhibent patriâ quidem Erythræam, à quibuſdam verò Italiæ incolis Cumæam, ab aliis Melanchrænam dictam.* Verba hæc pergit Salmaſius quantivis pretij ad evincendum id, quod volumus. Apertè docet Philoſophus, hanc Sibyllam, cùm oriunda eſſet Erythræa, ab Italicis vocatam Cumæam, unde? niſi à Cumis Italiæ, in quibus morabatur, & Oracula reddebat. Nam & Græcis Κυμαῖος ἐθνικὸν ſeu gentilitium factum eſt à Cuma Italiæ, id eſt, Cumanus. Cumæam quoque urbem de Cumis Italicis, Latini ipſi dixerunt. *Virgil. 3. Æneid.*

Huc ubi delatus Cumæam acceſſeris urbem,
Divinoſq; lacus, & Averna ſonantia Sylvis.

Lutatius apud Junium Phylargyrium: Eam poſtquam ob locorum ubertatem amœnitatemque magis cœptum ſit frequentari, veritos ne Cumæam desererent, iniſſe conſilium Parthenopen diruendi. Cumæ vocat urbem, *Cumas*: ſic & Cumana illa Sibylla, quam fingunt, Cumæa dici poteſt.

V. *Secundum argumentum* deſumtum eſt exinde, quòd Sibylla Cumana libros obtuliſſe perhibeatur venales Tarquinio: ſed nullo argumento, nulloque autore probari queat, illam diverſam fuiſſe ab iſta Cumæa, quæ tempore belli Trojani Cumis Italiæ vaticinia ederet: Quoniam illam, quam Cumæam ab Italicis vocatam tradit Ariſtoteles, certum eſt, verti debere *Cumanam.* Præter Solinum verò nullus alius eſt Autor, qui hoc tradat. Et dum ſcribit, ſe de illa Sibylla loqui, quæ rebus Romanis quinquageſima Olympiade interfuit, utique in eo hallucinatur. Nam vel putavit illam Sibyllam uſque ad tempora Tarquinij ævum extendiſſe; vel duas Sibyllas non minore errore finxit:

finxit: Unam, quæ Cumis dabat responsa sub Iliaci belli tempore: alteram, quæ Tarquinio Sibyllinos obtulit libros. Utrumvis cogitârit, pariter erravit. Sed fortasse verius sit priore modo hallucinatum esse. Quem ejus errorem obiter tangit & arguit *Servius* his verbis: *Multæ*, inquit, *fuerunt Sibyllæ, quas omnes Varro commemorat, & requirit, à qua sint fata Romana conscripta, & multi sequentes Virgilium ob hoc Cumanam dicunt: atqui licèt longæva legatur, tamen non valdè congruit eam ad Tarquinii tempora durasse, cui Sibyllinos libros constat oblatos.* Certè ratione caret, licèt longæva fuerit hæc Sibylla, ut usque ad Tarquinij tempora ætatem prorogârit. *Longæva sacerdos* Poëtæ dicitur, jam tum, cum Oracula dabat Æneæ. Ipsa de se se apud Ovidium dicit, se mille annos victuram: quod alij de Erythræa dixerunt. Et licèt mille annos vixerit, non potuit tamen ad Tarquinium durare. Pergit Salmasius, & contendit: neminem è Scriptoribus, qui historiam de Libris Sibyllinis Tarquinio oblatis adducunt, reperiri, qui illos à Cumana Sibylla venditos esse scripserit. Imò ne Sibyllam quidem feminam istam fuisse quæ libros istos vendiderit, certò vult pronunciare ex ijs, qui scripta de hoc negotio reliquerunt.

VI. Tertium argumentum est petitum à conquisitis carminibus Sibyllinis post deustum Capitolium: recollecta autem illa sunt partim ex Italiæ urbibus, partim ex Erythris Asiæ comportatis exemplaribus, ut ita priorum jactura sarciretur. Vbi adducit testimonium Dionysii è 4. libro Antiquit. Romanar. Et non Cymen, sed Erythras in Asia solas nominat, quibus petita sunt. Et cùm dicat ex urbibus etiam Italicis allata fuisse Sibyllina, Cumas manifestò inter eas urbes intelligi necesse est. Nec verisimile eam omissam urbem, cum Sibyllina conquirerentur, in qua Sibyllam vixisse & Oracula edidisse tàm celebris erat fama. Vt ita posteriora Sibyllina utique etiam Cumana, non Cumæa fuerint, quia ex Cumis Italicis accersita.

VII. Quartum argumentum ita à Salmasio extruitur. Quæ de Sibylla Cumæa dicuntur eadem quoque de Erythræa narrantur, ut non mirum sit Aristotelem eandem facere cum Erythræa Cumæam, quæ Erythræa à loco Originis: Cumæa verò à Cumis Italicis, ubi prophetavit, appellata sit. Justinus Martyr verò non Erythræam oriundam, ut Aristoteles, sed Babyloniam Berosi filiam fuisse scribit Sibyllam Cumæam. Equibus omnibus constat: nullam extitisse Cumæam Sibyllam

byllam Cume Asiatica Æolide oriundam, sed eam, quæ sic vocata, aut Erythris, aut Babylone, ut quidam scripsêre, progenitam in Campaniæ urbem Cumas commigrasse, atque ibi, cùm diu vaticinata fuerit, Cumanam, vel Cumæam appellatam fuisse.

IIX. Quintum argumentum hoc esse debet, scilicet: Si Cumana Sibylla fuit, quæ libros Sibyllinos obtulit Tarquinio, duas utique oportet fuisse Sibyllas Cumanas, cùm autores omnes unicam tantùm recenseant: & ridere licet hodiernos pictores, qui tabulas passim proponunt Cumææ, & Erythrææ, quasi trium diversarum Sibyllarum, quarum tamen una eademque fuerit Cumana, Cumæa, & Erythræa ex plurium ac vetustissimorum autorum sententia. Quidam Cumæam ab Erythræa fecere diversam, sed Cumæam & Cumanam nemo. Hæc sunt illa argumenta, quibus Salmasius putat se vicisse, & oppositam sententiam planè destruxisse. Nunc quidem diffiteri non possum, virum istum tantam sibi apud omnes ferè eruditionis famam peperisse, ut temerarium videri possit, tàm ingeniosi Critici sententiæ reluctari, & non potius ejus dictata tanquam Oraculum venerari velle; Attamen veniam à quovis me impetraturum facilè spero, si aliquid magni istius viri dictis non tàm è meo, quàm ex aliorùm judicio modestè tamen reposuero: cumprimis, quia nonnulla me reddiderunt dubium, ut ita è contrarijs veritas quadantenus erui queat.

IX. Ad *Primum* responderi potest: absolutè loquendo Sibyllam Cumæam dici quoque posse Cumanam, quippe quòd utraque denominatio ab eodem loco desumi videatur, ubi utraque femina commorata & Oracula reddidisse perhibetur. Verùm rectè & sententijs veterum convenienter loquendo istæc demominatio eidem tribui nequit, quandoquidem hac ratione duæ Sibyllæ confunduntur, quæ tamen sunt distinctæ, & illâ diversâ denominatione tanquam distinctæ etiam inter se discernuntur. Cumana enim non dicitur à Cumis Italiæ, sed à Cumis Locrensibus, ceu id fusius ostensum est *supra cap. 9. num. 3. pag. 586.* Aristotelis testimonium quod attinet, illud parum juvat oppositam sententiam. Etenim Philosophus refert: Illam à quibusdam saltem Italiæ incolis dictam fuisse Cumæam, à quibusdam vero Melanchrænam: non tamen addit eam & vocari Cumanam. Et certus sum, ex antiquis nullum facilè afferri posse testimonium, quo disertè probari queat: Sibyllam Cumæ-

am itidem vocatam esse Cumanam, & duas istas fuisse unam Sibyllam Nec obstat, quòd Aristoteles dicat: eam fuisse *Erythræam*, seu Erythris natam, quoniam alij ab Aristotele dissentiunt Erythræam distinctam à Cumæa Sibyllam constituentes, quam tamen Philosophus eandem. cum illa esse existimat.

X. Ad *Secundum*: Numquid Cumana Sibylla libros fatidicos Romanorum Regi Tarquinio obtulerit, an verò femina istæc planè Sibylla non fuerit? de istis prolixè egi *cap. 9.* hujus libri *n. 6. p. 593. & 594.* Locus è Servio adductus parum potest obesse. Nam vel in eo per Cumanam intelligitur illa, quæ aliàs Cumæa dicitur: vel quæ Tarquinij temporibus vixit. Priore modo accuratè non loquitur, cùm istæc nomina sint diversarum Sibyllarum, adeoque non confundenda, aut unum pro altero adhibendum est. Posteriore modo erravit: nam Virgilio sermo non est de illa Sibylla, quæ tempore Tarquinij floruit, illam enim ipse non potuisset introducere cum Ænea loquentem, nec eam longævam appellare Sacerdotem: & hæc quæ ævo Trojanorum vixit, annos suos ad Regis Tarquinij Imperium protendere non potuit, Proinde alia est Sibylla, de qua Poëta loquitur, quàm illa, quæ propriè Cumana appellatur. Interea Varro, Lactantius, & alij affirmant: Sibyllam, quæ Tarquinio venales libros obtulit, fuisse Cumanam, unde etiam *Onuphrius Panvinius* in Tract. de Sibyllis expressè scripsit: *Illam anum hospitam & incognitam* constanti omnium opinione *Sibyllam Cumanam fuisse.* Sed unde constans omnium opinio? certè oportet hic subesse aliquod fundamentum, quo istæc opinio constans nitatur. Quod tamen nullum aliud esse poterit, quàm antiquorum testimonia. Et qua audacia Onuphrius allegaret constantem opinionem omnium, nisi ipse compertum habuisset, verum esse, quòd per anum istam hospitam atque peregrinam nulla alia quàm Cumana Sibylla intelligeretur, etiamsi Dionysius Halicarnassensis & Gellius ejus nomen non expresserint.

XI. Ad *Tertium* infra, ubi de libris Sibyllinis acturus sum, plenius respondebitur: nam ibi copiosè historia de carminibus post deustum Capitolium iterum conquisitis pertractabitur, & in veritatem rei penitius inquiretur.

XII. Ad *Quartum*: Quantumvis ea, quæ de Sibylla Cumæa affirmantur juxta Salmasium, etiam de Erythræa dicantur, ut ea propter Aristoteles commotus fuerit Erythræam & Cumæam facere eandem

dem Sibyllam; Multa tamen & de Erythræa enunciantur, quæ etiam de Sibylla Delphica proferuntur. Quin nonnemo strenuè propugnat Erythræam Sibyllam esse Noæ nurum, & vixisse tempore diluvii longè ante Trojanam expugnationem: quod tamen alij de Sibylla Persica, quæ & Babylonia vocatur, affirmant. Vide *cap. 3. n. 5. p. 516. & 517.* hujus libri. Ipse quoque Salmasius fateri cogitur, *ab Aristotele*, qui Sibyllam Erythræam à loco Originis: Cumæam verò à loco Vaticinij appellatam esse refert, *Iustinum Martyrem dissentire*, utpote qui statuat illam esse Babyloniam Berosi filiam: quam tamen, ut dixi, alij faciunt Sibyllam Persicam.

Egregius est locus apud Justinum in Cohortat. ad Græcos. fol. 27. 28.

Ἔσται δ' ὑμῖν ῥᾳδίως τὴν ὀρθὴν θεοσέβειαν ἐκ μέρους παρὰ τῆς παλαιᾶς Σιβύλλης ἔκ τινος δυνατῆς ἐπιπνοίας διὰ χρησμῶν ὑμᾶς διδασκούσης μανθάνειν ταῦθ' ἅπερ ἐγγὺς εἶναι δοκεῖ τῆς τῶν προφητῶν διδασκαλίας. Ταύτην δὲ ἐκ μὲν Βαβυλῶνος ὡρμῆσθαί φασιν, Βηρώσου τοῦ τὴν Χαλδαϊκὴν ἱστορίαν γράψαντος θυγατέρα οὖσαν. Εἰς δὲ τὰ μέρη τῆς Καμπανίας οὐκ οἶδ' ὅπως διαβᾶσαν, ἐκεῖ τοὺς χρησμοὺς ἐξαγορεύειν ἐν τῇ Κυμᾷ οὕτω καλουμένῃ πόλει ἓξ σημείοις διεστώσῃ Βαϊῶν, ἔνθα τὰ θερμὰ τῆς Καμπανίας εἶναι συμβαίνει. *Perfacilè vobis erit rectam religionem ex parte aliqua, & ea quæ proximè ad prophetarum doctrinam accedunt à veteri Sibylla ex afflatu quodam mirifico per sortes ac responsa vos docente percipere. Hanc Babylone ortam, Berosi qui Chaldaicam historiam scripsit filiam. Quam ad Campaniæ oras nescio, quomodo, pervenisse dicunt, ubi responsa edidit in Vrbe, cui Cumæ nomen est. Sexto à Baiis, qui locus thermas Campanas habet, lapide.* E quibus non infertur, quòd Clarissimus Salmasius quidem autumat: nullam extitisse Cumæam Sibyllam Cume Asiatica Æolide oriundam, sed illam, quæ vel Erythris vel Babylone progenita sit, in Campaniæ urbem Cumas commigrasse, & ibi ob diurnitatem vaticinij Cumanam vel Cumæam appellatam fuisse. In quibus tamen verbis Salmasius ipse certus non est, quando ait: *Vt quidam scripsere.* Nam si sint, qui contrarium scribant, istud fundamentum, cui ipse insistit, certum & firmum non est.

XIII. Ad *Quintum.* Ego non video vim consequentiæ in illis verbis: *Si Cumana Sibylla fuit, quæ libros Sibyllinos obtulit Tarquinio, duas oportet fuisse Sibyllas Cumanas.* Sed hoc sequitur: *Ergo duas oportet*

fuisse Sibyllas, quarum una Cumana, altera Cumaea à priore distincta fuerit. Et quantumvis hæc posterior dici quodammodo Cumana possit, quod eodem in loco, quô altera, & ipsa fuerit vaticinata; attamen propriè à loco Originis eam vocari Cumæam fusius supra est declaratum. An autem ridendi sint pictores, qui tres distinctas Sibyllas Cumanam, Cumæam, & Erythræam depingant, valdè ambigo: quippe qui tanquam in antiquitatis studio parum versati id sequuntur, quod ipsi per traditionem ab alijs accipiunt: ut certè pictores non sint irridendi etiam si istæc sententia de tribus istis distinctis Sibyllis vera non fuerit, Nam hactenus è vetustissimis Scriptoribus Vir magnus non probavit, tres istas Sibyllas esse unam saltem, & diversitatem tantummodò occurrere in nominibus. Interim vix assensum impetrabit Salmasius in eo, quando dicit: à quibusdam Cumæam & Erythræam constitui diversam: sed à nemine Cumæam & Cumanam; nam Varro omnes tres distinguit: distinguit & eas Lactantius, quem Onuphrius Panvinius & alij itidem non infimi ingenij ac Judicij homines sequuntur.

CAPUT. XVII.

DE

PRINCIPIO, VNDE SIBYLLÆ EAM VIM DIVINANDI ACCEPERINT.

I.

Est nonnemo, qui dignum disquisitione hoc esse putat, undenam scilicet istæc divinádi potestas Sibyllis advenerit? Nam ait, vel hoc est natura, vel arte? Et si est ab arte, quibusnam adminiculis & medijs illa acquisita erit? Si est à natura? dubitatur, an illa intra vel extra eas fuerit. Et si intra eas fuerit quare non omnes homines vaticinentur, haut immeritò ambigitur; cùm natura sit communis omnibus. Si extra eas? quæstio est, nunquid à supernis vel inferis partibus illa peritia divinandi profecta sit? Postea, propositis hisce dubitationibus lector remittitur ad quosdam Scriptores, Aristotelem, Platonem, Plotinum, Plutarchum, Jamblichum, Proclum, Porphyrium, Ciceronem, Leonicum, Sirenicum, Thomam, Marsilium, Ficinum, Pompo-

natium

natium, Augustinum Niphum, Avicennam, Averroem & alios non paucos, quorum nomina hic recensere supervacaneum existimo. Descendit tamen Autor iste in eam sententiam; ac si ex terrestribus exhalationibus divinandi facultas Sibyllis contigerit. *Alia* namque, ait, *exhalationes divinos furores inliciunt: alia faciunt vaticinari, uti factum hoc est apud Oraculum Delphicum.* Hinc Cicero ait: *Terra vis Pythiam Delphis incitabat.* Tandem multis interjectis, Autor iste amplectitur sententiam *Iamblichi* statuentis: Sibyllas à Dæmonibus corripi & ad istam vaticinandi artem instrui. Nam ait: *Quando Sibylla mente & Judicio constant, atque sui sunt Iuris, vel nihil, vel parum, vel obscurè præsagiunt. Quando verò corripiuntur Dæmone, tum verè vaticinantur, multarumq; gentium pericula divinitus imminentia certò prævident.* Ubi addit hæc sequentia: *Qui numine afflantur, per id, quò afflati sunt, tempus non vivunt ipsâ animalis vitâ, sed multò angustiore præstantioreq;, quàm esse Dæmonis convenit.* Et tandem concludit è sententia Jamblichi: *Sibyllam, Pythiam, Sacrificulum in Cambalis, vates alios, quando actu fatum canunt, atque prædicant, non vivere vitam humanam aut animalem, quaq; sensibus aut impetu utatur, sed longè nobiliorem & divinam, quasi anima eorum moriatur, & Deus ibi sit pro anima, moveatq; tanquam excellentior anima.* Quinimò addit: *Nisi istac Iamblichi ratio tacito falsem consensu approbetur, omnem gentilium divinationem tolli, tàm illam, quæ fit per contemplationem: quàm illam, qua proficiscitur ex afflatu. Sunt ergò,* inquit *Dæmonia, & per hac divinationes, responsa, Oracula, & vaticinia gentilium.*

II. Dissertationem illam quod attinet, illud extra dubium est non esse artem aliquam divinandi, quæ licitè à malo spiritu possit addisci. Equidem scio, me partim legisse, partim etiam audivisse: non esse peccatum discere illud à Dæmone, quod ab alijs Magistris perdisci planè non possit cùm hic nihil aliud intendatur, quàm cognitio istius, quæ ab alijs comparari nequeat. Apppetitus siquidem humanus discendi cupiditate instructus sæpe ea scire desiderat, quæ ab homine etiam peritissimo cognoscere non potest: unde si illud à causa, quæ humana conditione sit superior, perdiscere satagit, quid in eo peccatum sit, penetrari vix poterit. Pari modo divinandi artem ab hominibus perdisci omni caret absurditate. Ubi lubentes fatentur: homines, quàm sapientes licèt fuerint, ope humanæ sapientiæ tàm peritos haut reddi, ut, Astrologiâ judiciariâ fortean exceptâ,

 peri-

peritiam prædicendi futura alijs communicare queant. Verùm illa opinio de Dæmone licitè consulendo, cùm ab hominibus etiam sapientissimis aliquid perdisci non poterit, nunquam salvo stabit talo. Etenim 1. Quomodo aliquis sibi poterit polliceri veritatem ab eo, qui veritatem non amat, neque in ea subsistit. 2. Exempla sat multa in primo hujus operis libro sunt adducta, unde apertè constat: Oracula & divinatorias istas prædictiones deprehensas fuisse ambiguas, imò planè falsas & illusorias. Aut 3. Si homines à malo Genio artem illam divinandi perdiscant & ipso effectu comprobetur, nihil falsi se didicisse; tamen illa doctrina ipsis non communicatur, nisi interveniente speciali quodam pacto de colendo seu venerando Dæmone. Quod sanè pactum includit renunciationem gratiæ divinæ: & promissionem constanter & perpetuò adhærendi Diabolo. Qualis utique conventio repugnat verbo Dei, bonis moribus, & irreparabile damnum paciscentibus affert, quamdiu ab illo non recedunt. Neque 4. obstat, si quis dicere velit: rem non esse malam, sed potius indifferentem perdiscere artem divinandi: Respondeo si ex principiis rectæ rationis illa descenderet, & ab hominibus sagacissimis vel solius ingenij & rectæ rationis ductu acquiri posset, eam licitè à viris prudentibus, audiri & addisci posse concesserim, sicuti astrologia Judiciaria & ars divinandi è lineis manuum hodie licitè proponitur, & discitur. At quis probabit, ita & artem istam divinatoriam addisci à Dæmone? Quis Princeps, Rex, aut quæ Respublica patitur, ut suis in Scholis publicis ejusmodi doctrina juventuti inculcetur? Quotquot ergo sunt, qui illam callent utique illam à Dæmone quidem assecuti sunt, sed ex arctiore quodam fœdere inter fallacem Magistrum & miserum discipulum contracto, quô hic repudiatis omnibus beneficijs divinis, & ejuratâ clementia Dei, se vivum pariter ac mortuum consecrat, addicit, & mancipat Dæmoni. Hinc 5. experientia edocet: ejusmodi homines, clam consuescere cum Diabolo, clandestinum cum ipso inire pactum: secreta cum eo habere consilia, & ejus manifestatione futura prædicere: occulta pandere: & deperdita indicare. Quæ omnia, 6. si legitimis medijs constarent, aut beneficio sagacis ingenij indagari possent, certè vel alij prudentes, viri honesti, & multarum scientiarum peritissimi similia discerent, & publicè exercerent. Qui tamen tantum abest, ut talia agant, ut potius ea execrentur & omni studio devitent. Interim. 7. nihil negotij mihi est cum illis, qui fanatico errore abrepti ne-

pti neque Deum neque Dæmonem esse credunt, & quæ ab ejusmodi hominibus perpetrari dicuntur, esse meras illusiones phantasiæ, dum putant hoc vel illud se agere, quod tamen non agunt, & in effectu nihil est. Sed, quia de eo alibi actum est, hic filium istius dissertationis abrumpo.

III. Ad primam quæstionem propositam facilè possumus respondere, artem istam divinandi, quâ Sibyllæ fuerunt instructæ, non fuisse à natura seu principio naturali intrinseco, cùm aliàs istæc peritia omnibus hominibus foret communis, quod tamen verum non est. Rectè itaque statuitur: Illam esse à principio externo, ut scilicet à causa quodam extra hominem posita facultas vaticinandi derivetur. Sed ex istis autoribus, ad quas Lector remittitur, veritas hujus rei vix poterit depromi, quippe quorum alij erroneis principijs nituntur, alij ea magis propter autoritatem, quàm veritatem defendunt, alij denique id, quod ipsis probabile apparuit, secuti sunt. Ne nunc dicam, inter istos scriptores, quosdam ab Aristotelis, quosdam verò à Platonis partibus stare, quosdam quoque suis proprijs opinionibus inniti, unde nihil certi colligitur.

IV. Quod autem exhalationibus terrestribus Sibyllæ occupatæ divinaverint, id omni probabilitate caret. Illud quidem evenire potest, ut homines ab istis exhalationibus occupentur velut ebrij, nescientes, quid loquantur: sed ut exinde Spiritum Propheticum recipiant, & futura prædicant, qua ratione illud fiet, aut quomodo hoc peragetur? Quod de Oraculo Delphico è Diodoro Siculo, & Plutarcho de Oraculorum defectu adducitur, quasi deficientibus exhalationibus terrestribus Oracula cessaverint, ad illud *lib. 1. c. 25. p. 211.* & seqq. hujus operis plenius respondi.

V. In eo quidem assentior Jamblicho, quod fundamentum divinationis in Sibyllis arcessendum sit ab afflatu quodam; verùm in modo & qualitate istius afflatus observandum erit aliquod discrimen. Nam illud simpliciter non admitto, per afflatum istum non nisi correptionem aut corporalem obsessionem Dæmonis intelligi, quâ Sibyllæ velut emotæ mentis evaserint, & quidnam vaticinatæ fuerint, planè ignoraverint: quandoquidem illud non semper obtigit, sed, quod non una vice supra plenius expositum est, interdum Sibyllæ protulerunt vaticinia non quidem sine Numinis afflatu, attamen sine corporali obsessione. Unde per Afflatum intelligitur *singularis quædam*

inspira-

inspiratio aut communicatio notitia de rebus futuris, aut absconditis, quam communi & usitato natura more homines habere non possunt: sive subinde homo à Spiritu obsideatur corporaliter sive non, illud ad rem planè non spectat. Nemo est inter pios & credentes, quin concedat: Prophetas divini Spiritus afflatu munitos genti Hebrææ prænunciasse futura, sed nuspiam exstat, illos à Spiritu isto fuisse corporaliter occupatos. Hinc quid obstabit, quominus & Sibylllæ potuerint afflatu suorum Numinum frui, etiamsi ab ijs corporaliter non fuerint obsessæ? Nec me movent recentiorum Scriptorum assertiones, quippe quibus universaliter & simpliciter hoc statuitur, quod tamen recipit restrictionem, uti hactenus diversis testimonijs est probatum.

VI. Verum itaq; non est, quod dicit Jamblichus: *Sibyllas, quando mente & iudicio constant, atque sui sunt Iuris, vel nihil vel parum vel obscurè præsagire: quando verò corripiuntur, tum verè vaticinari.* Etenim quomodo veritas divinandi eis denegari, qui sunt animi defecati, integri, & sibi constantis: illis verò tum demum tribui poterit quando sunt obsessi à Dæmone, rationis integritate destituti, quid agant, vel dicant, planò ignorantes. Extremæ autem dementiæ opus esse existimo Intelligenti denegare, & furenti tribuere vim veritatis & perspicuitatis in vaticinando. Nihil autem obstat, si quis dixerit: vaticinium istud non furenti feminæ sed Dæmoni eam obsidenti attribui, nam hoc est principium petere, cùm non concedatur: semper Sibyllas à Dæmone fuisse correptas tempore vaticinij editi. Deinde si totum illud unicè Dæmoni adscribi debeat, tum nihil Sibyllæ contulerunt ad istum actum, præterquam instrumentum sui corporis. Vt proinde vero videatur similius, etiamsi Sibyllæ quidem afflatum Numinis senserint non tamen propterea semper corporaliter occupatæ, & subinde in furorem actæ fuerint, ut ita nulla appareat causa, quare prophetia requirat in vaticinante mentis alienationem.

VII. Tandem videtur *Iamblichus* statuere, quasi vaticinantes Sibyllæ extra se raptæ & velut ectasin passæ fuerint, atque ita in anima specialis quædam revelatio divina ipsis contigerit. Sed hæc sunt mera verba, quamvis ad hypothesin superstitionis gentilis accommodata. Enimverò quomodo Sibyllæ vitam divinam & vitam animali nobiliorem vivere potuerunt, si à Dæmone corporaliter fuerunt obsessæ, sensuum & rationis usu destitutæ, ut veluti temulentæ ac furiosæ hinc inde raptatæ multa quidem etiam futura dixerint, & prænunciaverint? sed

sed prolata non intellexerint. Aliud tamen in Oraculis accidit, ubi Diabolus ipse vel è corpore Pythiæ respondit, vel Sacerdotibus suam mentem indicavit consulentibus declarandam, vel somnijs aut alia quadam ratione suam voluntatem ijs aperuit, de quibus plenissimè disserit hujus operis liber primus. Parum felix itaque Sibyllarum vita juxta Jamblichi sententiam fuit. Nec quicquam est, si dixeris: Sibyllas fuisse illustratas à vero Deo, quod testentur tot vaticinia de Servatore ab ipsis reddita. Nam 1. inter doctos adhuc decertatur, numquid istæc Sibyllarum carmina de Messia sint genuina, & non potius efficta & supposititia, uti caput. 20. hujus libri indicabit. 2. Jamblichus de istis vaticinijs non cogitavit, neque, si totus locus examinabitur, vel levissimum extabit vestigium, quòd Sibyllæ ideo, quia de Messia ex inspiratione quadam divina vaticinatæ sint, feliciorem vitae tam vixerint. Tantum de hoc discursu.

CAPUT XIIX.

DE

LIBRIS SIBYLLINIS APUD ROMANOS QUONDAM SUMMA CURA ET VENERATIONE CUSTODITIS.

I.

SUperest, ut de Sibyllarum libris vaticiniorum plenis aliquid dicatur. Qui in duplici classe collocati sunt. *Alii namq; in Sacris fuerunt,* summa veneratione à Romanis servati: *Alii verò privatim re'enti* aliorum usibus patuerunt. Illi ideo tanta cura & religione custoditi fuerunt à Romanis, quòd in illis eorum fata, & futuræ mutationes reipublicæ à Sibyllis olim expositæ continerentur. Proinde è salute civitatis suæ esse existimarunt, accuratè istæc volumina servare, & ex illis pro declinandis impendentibus malis, & pro republica tàm illustri & florente in suo statu conservanda idonea remedia petere. Verùm octo isti libri carminum Sibyllinorum, qui adhuc superstites circumferuntur, & in quibus inter alia continentur vaticinia de Messia aut Servatore nostro, publici Juris manserunt, propterea, quòd Romani

mani existimarent, nihil in illis deprehendi, quod ad se suamque rempublicam aut ejus salutem faceret: quodque etiam mysteria istæc de Messia planè non intelligerent, atq; ita istud opus ferè æstimarent nihil. Antoninus Pius tamen primus fuit, qui Anno Christ. 141. quemadmodum Ciceronis libros de Divinatione & Natura Deorum, ita etiam hosce libros legere prohibuit, publicô eum in finem promulgatô Edictô. Causa hujus Edicti prohibitorij fuisse dicitur, quòd in illis Unum Numen statueretur, Gentilium Dijs utpote falsis & effictis penitus rejectis. Præterea homines ad unicum eumque verum Deum colendum invitarentur: à cultu autem Idololatrico multis admonitionibus & argumentis retraherentur. Ne itaque religio hactenus inter Gentiles usitata frequenti carminum Sibyllinorum lectione evilesceret, vel planè destrueretur, ideo, expeditissimum putavit esse remedium, publicô Edictô promiscuam istorum lectionem prohibere. Licèt autem Imperator Antoninus pro conservanda sua religione optimum se consilium invenisse putaverit, quod itidem alij fortassis imitantur, qui, ne falsitas suæ religionis, quâ plebs incauta retinetur suspensa, tandem detegatur, legentium manibus libros de religionis istius erroribus conscriptos publicè excutiant, gravi pœnâ in non parentes statutâ; tamen non obtinuit, quod optavit. Etenim illi clam dicuntur retenti, & per gentiles Romanos translati, & ad hodierna usque tempora conservati. Quam sententiam acriter propugnat *Schmidius in Orat. 2. de Libr. Sibyll. fol. 1501.* Verùm de hisce Octo libris, qui adhuc superstites habentur, agendum erit *in cap. sequente 19.* Hac vice saltem dicam de libris olim à Romanis summa cura custoditis, & è quibus tempore necessitatis ipsi soliti fuerunt quærere remedia salutis.

II. Qui libri in initio ab Homeri & Hesiodi temporibus usque ad ævum Tarquinij fuerunt in obscuro, neque de illis quicquam cœteri homines habuerunt compertum. Sunt nonnulli in ea sententia, ac si Homerus inter Græcos utique Poëtas facilè Princeps primus omnium acceperit Sibyllarum præcipuè verò Erythrææ libros, cùm illud ipsum quoque vel Erythræam ipsam vaticinio quodam diu ante prædixisse vulgatior apud antiquos sit fama. Cui vaticinio vel exinde fides haberi poterit, *quod dictio seu stylus, quô utitur Homerus, non multum sit dissimilis stylo & metro Sibyllarum.* Pari modo quoque inferunt, & Hesiodum carmina Sibyllina legisse, quippe cujus dictio ab Homeri, & quam Homerus imitatur, Sibyllarum ratione loquendi non

ci non admodum recedat. Et fortean ex antiquis Poematibus vix dabuntur carmina, quæ ratione dictionis sibi invicem ut & Sibyllinis sint similiora, quam poemata Homeri & Hesiodi. *Altera ratio*, quâ id probari debet, hæc est, *quòd multa, quæ in Sibyllarum carminibus extant etiam in Homeri & Hesiodi poëmatibus descripta reperiantur.* Imprimis verò illud affatim testantur dogmata de quatuor diversis ætatibus seu seculis, quæ apud Hesiodum leguntur, quæ sanè è Sibyllinis Oraculis de sumta, & in Hesiodi ἔργα translata sunt. Non constat tamen, ante Sibyllas quemquam ex antiquioribus Scriptoribus de quatuor istis seculis quicquam tradidisse, ut proinde à vero non videatur alienum, si dicatur: Hesiodum è carminibus Sibyllarum istam doctrinam mutuasse, eamque suo Operi insertam paulò plenius tradidisse. Inde scribit *Ionas Velisius* acerrimus defensor carminum Sibyllinorum: *Si verum est, uti hucusque tanquam verum supponitur, (quandoquidem ex historiis aliud nondum apparet) ante Sibyllas neminem unquam de quatuor istis ætatibus, seu seculis, in quibus hominum mores à primava integritate magis atq; magis deflexisse, & semper in deterius proruisse perhibentur, scripsisse; sed ipsas primitus istud dogma protulisse, Hesiodum verò ordine istæc secula postea in libris ἔργων repetivisse, tum nihil certius inferri poterit, quàm Poëtam istum ea omnia è carminibus Sibyllinis depromsisse.* Sicuti & Homerus ipse & multa è Sibyllinis libris depromsit. Duo enim de Homero à Sibyllis prædicta erant, scilicet, mendacia eum prolaturum & Sibyllinis versibus in suam utilitatem usurum esse. Quod posterius plurium scriptorum calculis approbatum est. Quibus duo videntur obstare. 1. *Quod carmina Sibyllarum iacuerint in obscuro*, ut ita non immeritò dubitetur, unde illi Poëtæ Sibyllinos versus utpote incognitos acceperint. Quidam simpliciter id se nescire respondent, quomodo Homerus & Hesiodus carmina Sibyllarum cumprimis autem Erythrææ indepti fuerint; quippe quòd antiquorum monumenta de eo taceant Quod tamen alij limitant de illis monumentis, quæ, aut quorum fragmenta adhuc extant: cùm multa olim extiterint, quæ temporum injuria sive casu, sive hominum incuria perierint. Non sum alienus ab eorum sententia, qui statuunt: Sibyllarum famam prorsus incognitam haut fuisse, præcipue doctioribus, & cùm Homerus & Hesiodus tanquam præstantes viri sapientum conversatione usi fuerint, nullum exinde sit dubium, quin ipsi ab ijs tàm illustrium feminarum notitiam acceperint. Et quantumvis non admittam: Erythrææ Sibyllæ carmina

omnia uno volumine comprehensa passim tum temporis usibus eruditorum patuisse; tamen illud firmiter mihi persuasum habeo, in Græcia hinc inde apud diversos fragmenta de Oraculis divinis asservata fuisse, quæ absque dubio prædictis Poëtis tanquam talium rerum curiosis fuerunt communicata. Nam cùm una vel altera, quæ pro antiquis venditantur, vaticinia sua ediderit, licèt in obscuro illa delituerint, nec vulgo hominum cognita fuerint; tamen non fuerunt deperdita, postea siquidem innotuerunt, & multis annorum seculis à posteris custodita fuerunt. 2. Alterum, quod aliquem vellicare possit, hoc est: *Quomodo Homerus Sibyllarum carmina legere potuerit cùm esset cœcus.* Jones enim Cœcos dicere consueverunt ὁμήρυς, quòd indigerent ὁμήρεις, id est, viæ ducibus. Quidam hoc metaphoricè cum *Artemidori lib. 1. ὀνειροκριτικῶν* intelligendum esse opinantur quasi Horus se finxerit cœcum, quòd Poëtæ multâ indigeant quiete. Alij dicunt, figmentum istius cœcitatis inde originem traxisse, quòd Homerus cupiditatis, cuius illecebræ oculis primò omnium insinuantur, sive, quæ per oculos in animum ingreditur, per omnem vitam victor extiterit. Vide *Bœcleri notas ad l. 1. c. 5. n. 4. p. 56. Vellei Paterculi* Alij tamen referunt, Poëtam reapse fuise cœcum, &, qui prius *Melesigene* diceretur, postea vocatum fuisse *Homerum*, idque ideo, quòd *Cumæorum seu Ionum* lingua Homerus cœcum denotet. Non tamen à primis statim nativitatis annis fuit cœcus, nam id qui dicit, eum omnibus sensibus orbum esse scribit *Velleius Paterculus l. 1. c. 5. n. 4.* Pausanias *l. 4. p. 259.* refert: eum morbo quodam oculis suis privatum fuisse. *Iohann. Brodæus l. 5. c. 9. Miscellaneor. pag. 535. in par. 2. Thesauri Critici Gruteri.* existimat, eum in istud infortunium aut morbô aut senectute incidisse. Et ideo, quod revera Homerus fuerit cœcus, *Martianus Capella lib. 1. de Nupt. Philolog.* vocat eum *cœcutientem Mæonium.* Verùm quicquid sit de hac traditione: Si cœcus non fuit Homerus, sed saltem per metaphoram quandam ei cœcitas affingitur, utique cessat dubium. Verùm si reapse cœcus fuit, distingendum est: vel enim à primo statim nativitatis momento fuit cœcus, ita quidem legere non potùit, utpote usu oculorum destitutus, aliorũ tamen opera uti potuit, à quibus ipsi prælegerentur Sibyllarum carmina, quæ ipse hoc modo exactè & perfectè potuit retinere. Natura siquidem, quod in uno detrahit, in altero compensare solet. *Nicasius de VVerda Mechliniæ natus*, sed anno ætatis tertio oculis captus fuit, & ob

& ob id quoque elementa literarum perdiscere non potuit. Postmodum tamen cœcitate non obstante in omni doctrina & humana adeò profecit, ut admirationi omnibus esset, & cum Lovanii gradum Magisterij accepisset, scholisque aliquamdiu Mechliniæ non sine laude præfuisset, Lovanij aliquanto pòst etiam Licentiam in Theologia consecutus esset, Evangelium publicè docuit. Quin & postea Doctor utriusque Juris in Academia Coloniensi renunciatus fuit, ubi in Gymnasio Jura cum stupore omnium docuit, atque libros tàm civilis, quàm Canonici Juris, quos nunqum viderat, multò minus legerat, memoriter recitavit. Mortuus est Coloniæ *Anno 1492. Philip. Camerar. Centur. 1. c. 37. p. 172. operar. Subcisivar.* Pari modo & Homerus aliorum subsidio defectum oculorum sublevare potuit. Quod si verò in adultiore ætate, vel circa senectutem in istud infortunium incidit, tum potuit ipse tempore peregrinationis à viris sapientibus talia Sibyllarum vaticinia cognoscere: vel amicorum ope ab alijs ea impetrare, & posteaex aliorum prælectione vim & mentem talium carminum percipere. Ut ita cœcitas Homero non obstiterit, quominus carminum Sibyllarum notitiam habere potuerit.

III. Verùm ut in eo me non detineam, an Homerus Sibyllarum Oracula legerit ipse, an verò ob cœcitatem ea sibi prælegi curaverit; sufficit, si dicam, ea ipsi incognita haut fuisse: postea autem de illis Oraculis Sibyllinis pauca fuerunt nota, imò in obscuro delituerunt, donec aliquot voluminibus collecta Tarquinio Romanorum Regi oblata fuerunt à Sibylla Cumana, quæ jussit illa diligenter custodire, utpote in quibus fata Romanæ gentis essent descripta. Proinde existimo: illa Oracula Sibyllarum, quæ continent statum & futuros casus Romanorum; & remedia contra eosdem, esse è multis consarcinata, & certis voluminibus comprehensa, & Regi Tarquinio exhibita. Quid enim aliarum gentium casus ad Romanos? nisi illarum infortunia è felicibus fortean Romanorum armis essent subsecutura? Cœterum hanc historiam fusissimè supra *c. 9. n. 5. 6. & 7. pag. 589. & seqq.* exposui, & ostendi, nullam aliam, quàm Cumanam istos libros fatales Regi Romanorum obtulisse. Postquam hæc scripseram, incidi in Tractatum non adeò magni momenti de primis Regibus Romanorum, in quo deprehendi, ideo in dubium vocari, volumina istæc fatalia Romanorum Regi à Sibylla Cumana fuisse exhibita, 1. quod illud non exprimatur ab illis, qui historiam scripserunt 2. quòd post oblationem mulier istæc disparuerit, & ad hoc probandum adducit *Nauclerum*,

non tamen addit, ubi nam propriè Scriptor iste hoc tradat. Verum Resp. ad primum: me loco ante citato satis prolixè de eo egisse, & exinde, quòd Sibylla Cumana non nominetur, sed femina istæc, quæ libros Sibyllinos obtulit, anus hospita dicatur, non satis firmum argumentum necti posse ad negandum: *à Sibylla Cumana volumina istac Oraculorum Sibyllinorum plena Tarquinio fuisse exhibita*, ad oculum monstravisse. Unde talia hic repetere superfluum esse puto. Ad alteram rationem Resp. Quod *Nauclerus Vol. 1. Gener. 52. fol. 223.* eam historiam tractet, eamque concludat his verbis: *Mulier autem postmodum abiens nusquam comparuit.* Dionysius Halicarnass. lib. 4 fol. 259. Antiqu. Roman. dicit: ἐξ ἀνθρώπων ἠφανίσθη: Mox ex hominibus disparuit. *Gellius l. 1. c. 19. p. 86.* ita rem exprimit: *Sed eam mulierem tum à Tarquinio digressam postea nusquam loci visam esse constitit.* Non puto sensum istorum verborum hunc esse, quasi femina istæc post acceptam à Tarquinio pro oblatis libris pecuniam statim evanuerit, instar spectri; quod verbum ἀφανίζω non tantum significet disparere, evanescere; verùm etiam ab aspectu alicujus removere, præsentiam suam subtrahere, abolere aliquid, ita, ut nulla istius amplius extent vestigia: item occultare, celare, supprimere quomodo verbum istud apud Isocratem, Demosthenem, Aristophanem, Aristotelem, & Plutarchum aliosque Scriptores usurpatur passim. Hinc bene dici poterit, quòd Sibylla Cumana, postquam acceptâ pecuniâ à Tarquinio digressa est, ex hominum conspectu sese subduxerit, & ab ijs in posterum videri noluerit, vel in abdito delituerit, aut non ita publicè Oracula ediderit, sed vel cum paucissimis usque ad ultimum vitæ terminum conversata fuerit: vel repudiatâ eorum familiaritate latebras quæsiverit, ibique diem suum extremum clauserit. Vide supra *c. 9. n. fin. p. 610.* Et quod subitò more spectri disparuerit, non est probabile: sive enim à Spiritu S. eam abreptam, sive à Dæmone eam confestim subductam esse aliquis dixerit; tamen suam assertionem nullo testimonio firmabit. Ea propter veritati magis accedit, si dixero: Sibyllam Cumanam egressam esse è conspectu Tarquinij, & in posterum hominibus videndum se non præbuisse; sed se abscondidisse. Cum qua explicatione mea consentit *Rosinus l. 3. c. 34. p. 494. Antiqu. Roman.* qui ait: *Mulier datis libris diligenter eos servare monuit, nec posthac unquam visa est inter homines.* Consentire videtur & *Tholosanus l. 12. c. 12. n. 6. p. 455. de Rep.* quando narrationi adijcit: *Nunquam autem postea anus est visa.* Et sanè *Nauclerus* ab

Autore

Autore dicti Tractat. allegatus, nihil aliud dicit *quàm mulierem post abitum scilicet è conspectu Tarquinii nusquam comparuisse.* Quæ omnia non obstant, quominus Sibylla Cumana libros istos fatales offerre potuerit, aut etiam revera obtulerit Tarquinio.

IV. Libri isti dicti sunt 1. *Sibyllini.* Ita *Livius l. 5. c. 3. fol. 91, Et lib. 41. c. 21. fol. 525.* Senatus decrevit, ut Decemviri *Libros Sibyllinos* adirent. Et *lib. 36 c. 37. fol. 444.* Eorum prodigiorum causa *libros Sibyllinos* ex SCto Decemviri adierunt. *Plutarchus Tom. 1. in vita Fabii Maximi fol. 176.* ἐπισκέψαντο δὲ τότε πολλὰς καὶ τῶν ἀπορρήτων καὶ χρησίμων αὐτοῖς βίβλων, ἃς Σιβυλλείας καλοῦσι. Id est, eodem tempore multos arcanos libros & utiles ipsis consuluit, quos *Sibyllinos* appellant. 2. *Fatales* Ita vicissim *Livius l. 5. c. 14. fol. 91.* ait: in *Libris fatalibus* hoc inventum. *Et cap. 15. fol. 92.* inquit: Sic *libris fatalibus* traditum est. *Libr. 42. cap. 2. fol. 528.* iterum scribit: placuit prodigia expiari, pacemque Deûm peti precationibus quæ editæ *ex fatalibus libris* essent. Deprehendo 3. Libros istos Sibyllinos *κατ' ἐξοχὴν* dici *Libros*, ut cum libri adiri jubentur, nulli alij quàm Sibyllini intelligantur. Insignem locum suppeditat iterum *Livius l. 21. c. 62. f. 206.* Ob cœtera prodigia *Libros* adire Decemviri jussi. Quare autem libri isti ita fuerint appellati, causa non est difficilis. Et quidem Sibyllini dicti sunt, quod vel à Sibyllis sint conscripti, vel à Sibylla venditi. A Sibyllis istæc Oracula esse profecta nullum est dubium. Quinam verò istæc unum in volumen redegerit, illud ab antiquis non memoratur. Fortean una è Sibyllis hoc fecit, vel à peregrinantibus observata, & hinc inde dispersa cujusdam curiosi studio & opera collecta, à Sibyllarum aliqua locupletata fuerunt istæc carmina, donec tandem Cumana (an ipsa istos libros consarcinaverit, pro certo affirmare non potero) volumina Oraculorum Sibyllinorum Tarquinio Romanorum Regi obtulerit. *Libri fatales* appellati sunt, quia in ijs Romani suæ reipublicæ mutationem, variosque casus, remedia contra insolita prodigia varias mutationes, calamitates, aut etiam interitum minitantia descripta habebant. Ut tempore publicæ calamitatis ad libros istos tanquam ad Oracula accedere, & ex ijs futura aut impendentia mala, eorumque declinationem perdiscere potuerint. Fata itaque Romanorum in libris istis descripta dederunt illis hanc appellationem. Quod verò *Libri* in excellenti significatione exprimantur absolutè, illud factum est ideo, quia Romani nullos alios libros habuerunt, quos tempore publicæ necessitatis adire

adire & de futurarum rerum successu consulere potuerunt, quàm Sibyllinos.

V. Libri isti Sibyllini non in chartaceis, sed linteis voluminibus scripti fuerunt, uti illud statuit *Demsterus ad lib. 3. c. 34. fol. 498. Rosini Antiqu. Roman.* Quod ostendere vult testimonio *Claudiani de bello Getico: fol. 23. vers. 40. Edit. Barthianæ.*

Quid meditentur aves? quid cum mortalibus æther
Fulmineo velit igne loqui? quid carmine poscat
Fatidico, custos Romani carbasus *ævi.*

Adducit quoque locum, *è Symmachi lib. 4. Epist. 34. p. 165.* Qui tamen textus, si accuratè examinatur de libris Sibyllinis propriè non videtur loqui. Interim de eo fortean non est dubitandum, quòd libri Sibyllini in linteis voluminibus fuerint scripti, cùm *Lilius Giraldus Syntagm. 3. Deorum.* referat: Et Romanos facta sua linteis libris inscribere solitos fuisse. Nec tantum isti Sibyllini, sed & alijs libri fuerunt lintei. Plinius tradit hoc lib. 13. c. 11. fol. 266. Histor. Natural. *In Palmarum foliis primò scriptitatum, deinde quarundam arborum libris, postea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & privata linteis confici cœpta & cereis.* Taliam linteorum librorum mentio sit apud *Livium, uti lib. 4. c. 7. fol. 69 Et c. 13. fol. 71.* ut & apud *Flavium Vopiscum in Vita Aureliani fol. 209.* ubi Historicus ait: Et si hoc contentus non fueris, lectites Græcos, *linteos* etiam *libros* requiras, quos Ulpia tibi Bibliotheca, cùm volueris, ministrabit. Quales autem fuerint libri lintei, describit *Melchior Guilandinus de Papyro pag. 95*, ubi ita ait: *Erant libri lintei non quales nostri, qui & ipsi sine hæsitatione lintei dicendi sunt, sed in telam lineam descripti, non aliter, quàm hodie à pictoribus varia rerum imagines in linteis seu telis depingi solent, quas & ipsas linteas vocare nihil prohibet.* Interim publica monumenta in linteis libris describi fuisse solita, veluti res gestas Romanorum, observat *Iacobus Gothofredus ad l. 1. Cod. Theod. fol. 189. de aliment. quæ inop. parent.* Similiter typi perticarum seu divisionum & assignationum in linteis libris scribebantur. *Hygin. in lib. de limit. constit. p. 201.* Adde *Salmasium in Notis ad Flavium Vopisc. fol. 355.* Veritati itaque non adversatur, si dixero: Libros Sibyllinos in linteis fuisse conscriptos folijs, tum ob rem maximè arduam, statum scilicet & futura fata Romanorum quæ ipsi continebant: partim quoque, ut istæc Oracula eò diutius perdurare, & posterorum usibus inservire possent.

VI. De numero librorum Sibyllinorum aliquid supra *pag. 618.* allatum

allatum eſt. Quidam novem, quidam verò ſex ſaltem exhibitos fuiſſe Tarquinio contendunt. Inde ſi Cumana Sibyllla binis vicibus quoſdam in conſpectu Regis poſtulatum pretium perſolvere recuſantis incensô igni concremavit, tum vel tres de novem remanſerunt ſuperſtites, vel unus è tribus conſervatus fuit. Illud tamen vero videtur ſimilius, plures unô à Tarquinio fuiſſe emtos. Nam quando in hiſtorijs mentio fit librorum Sibyllinorum, ſemper in numero plurali ſermo inſtituitur. Vti Quindecim viri juſſi ſunt libros Sibyllinos adire: libros fatales inſpicere: libros conſulere è SCto. Quod ſi unus ſaltem liber è tribus manſiſſet ſuperſtes, in ſingulari tanquam de uno libro Hiſtorici fuiſſent locuti. Deinde nullum eſt dubium, quin Romani antiqui deploraverint Tarquinii avaritiam, dixerim, an parſimoniam, quòd libros omnes eodem pretio non redemerit, quô tres reſiduos ſaltem ſibi paravit. Cumprimis ubi intellexerunt: Augures iſtud vitio vertiſſe Tarquinio, tantum theſaurum ab ipſo prætermiſſum, vel neglectum eſſe, è quo tamen ad ſuæ civitatis ſalutem optima remedia ipſis depromere licuiſſet. Procul dubio multa vaticinia in combuſtis voluminibus fuerunt contenta, quæ ſuperſtitioſæ iſti genti potuiſſent cedere in emolumentum ſuæ reipublicæ. Nova tamen eſt ſententia ab antiquis, quantum mihi equidem conſtat, nondum prodita, quam non ita pridem legi, ac ſi Sibyllarum novem libri non fuerint ita diſtincta volumina, ut in ſingulis nova & ſingularia reperta eſſent vaticinia, quæ in reliquis non legerentur: ſed quòd iſtæc tria volumina trinis ſaltem vicibus eſſent deſcripta, & in combuſtis libris non plura, nec alia Oracula haberentur, quàm quæ in coemtis tribus voluminibus fuerint contenta, atque ita Rex iſte nullam jacturam fecerit multorum vaticiniorum Sibyllinorum, cùm nec plura nec pauciora de iſtis Oraculis habiturus fuiſſet, ſi omnes libros novem redemiſſet. Accedit & hoc, ſemper ex illorum trium ſuperſtitum inſpectione, quoties publica neceſſitas eos adire juſſerit, remedium inveniri potuiſſe vel ad placandos Deos, vel ad avertendum imminens infortunium. Reſp. Lubens fateor iſtam opinionem apud antiquos Scriptores hactenus me non deprehendiſſe, ut proinde non immeritò eam pro nova agnoſcam. Et quantumvis illa ſpeciem veri quodammodo præ ſe ferre poſſit; tamen non tàm dicendum eſt, quid quiſque ex ſuo judicio ſtatuat, præcipuè in his, quorum veritas ex antiquitatis teſtimonijs arceſſenda eſt, quàm quod vetuſtis ſententijs firmari, aut in rebus

merè dubijs, convenientiam cum illis, (ponderatis tamen prius diligenter circumſtantijs,) habere queat. Hinc dico (1) Vnde Autor ſciat, in deuſtis ſex libris non plura nec alia Sibyllarum vaticinia deſcripta fuiſſe, quàm quæ in tribus ſuperſtitibus & à Tarquinio grandi ære comparatis voluminibus poſtmodum inventa ſunt? Et (2) quis ex antiquis hoc facilè cognoſcere potuit, niſi Sibylla Cumana illud alijs aperuerit: cùm iſtæc Volumina, prout concinnata, & Tarquinio oblata fuerunt, ab alijs, priuſquam Regi Romanorum oſtenſa ſunt, lecta non perhibeantur. Fieri autem non poteſt, ut quis de argumentis librorum, an in illis idem vel diverſum tractetur, rectè quis judicare queat, niſi iſtos prius legerit, & inter ſe comparaverit. Nec obſtat (3) an ſemper proficuum remedium in illis tribus voluminibus repererint Romani. Etenim hoc pro certo definiri non poteſt. Illud autem eſt certum: Augures exprobraſſe Regi, quod magnam noxiam commiſiſſet, dum non omnes libros emiſſet. *Dionyſ. Halicarn. lib. 4. fol. 259.* Jam quænam noxia dici poteſt admiſſa, aut quodnam damnum datum erit per combuſtionem ſex librorum, ſi in reliquis tribus eadem contenta fuerunt Oracula Sibyllarum, quæ fuerunt deſcripta in ſex prioribus ab ipſa Sibylla in ignem conjectis & abolitis? *Eraſmus Schmidius in orat. 2. de Sibyllis fol. 1499.* ita ſcribit: Iſtis libris tanquam divino munere mirandam felicitatem urbi conceſſam æſtimat Dionyſius lib. 4. *fol. 259.* quòd vel tertia ſaltem pars iſtorum librorum à Tarquinio redemta fuerit; cùm rectius haut dubiè habituræ fuiſſent res Romanæ, ſi reliquorum etiam, quos ipſa Sibylla exuſſerat, copia & uſus urbi contigiſſet. Ego ſanè, ſalvâ diſſentientis autoritate, mihi quàm maximè perſuaſum habeo, in illis combuſtis voluminibus plura, alia, & diverſa deſcripta fuiſſe vaticinia, quæ in tribus reliquis à Tarquinio emtis non extiterint. Illud interea obſcurum eſt, è quarum Sibyllinarum vaticiniis illi novem libri fuerint collecti? Numquid cujuslibet Sibyllæ Oracula ſeorſim collocata, adſcriptô ſubinde cujuſque nomine? an vero confusè & commixtim citra certum ordinem compilata fuerint? atque ita ſpectatum ſit, non à qua Sibylla quicquam provenerit, ſed quidnam de hiſce vel illis caſibus prædictum fuerit? An verò quævis Sibylla ſcripſerit librum, illud antea *c. 11. n. 5. p. 618.* adduxi in medium.

VII. Porro addendum eſt aliquid de loco, ubi libri iſti aſſervabantur. Romani certè οὐδὲν οὕτω φυλάττουσιν, οὔτε ὅσιον κτῆμα.

οὔτε

οὔτε ἱερὸν, ὡς τὰ Σιβύλλεια θέσφατα; id est, nihil tàm religiosum seu sacrum tàm diligenter custodiunt, quàm Sibyllina Oracula. Inde ea in templi Capitolini cella subterranea arcæ lapideæ inclusa asservabantur. *Dionys. Halicarn. l. 4. fol. 260. Antiqu. Roman.* Et hoc itidem procul dubio è Dionysio refert *Onuphrius Panvinius lib. in 2. Descript. civitat. Romanæ.* nisi quod addat: Romanos habere carmina Sibyllina tanquam Oracula divinitus missa. Quò facit, quod scribit *Eduardus Simson in Disquis. de Sibyllin. vaticin. fol. 75.* Postquam Romanis persuasum fuit, divinas quasdam de Romanorum rebus prædictiones Sibyllinis carminibus contineri, summa cura fuit adhibita, ut in loco sanctissimo Capitolio scilicet asservarentur. *Melchior Guilandin. p. 397. de Papyro.* simpliciter dicit: Libri tres in Sacrarium conditi, *Sibyllini* appellati, quod ipse desumsit è *Gellio l. 1. c. 19 p. 86. Noct. Atticar.* Explicatius ex alijs hoc refert *Boissardus in Vita Cumanæ Sibyllæ fol. 231.* Hi libri, inquit, à Tarquinio emti *in Sacrario templi Iovis Optimi Maximi in Capitolio arca lapidea clausi sub terra diligenti cura custoditi sunt postea & libri Sibyllini* vocati. Fuit autem delubrum Junonis, quod erat in Capitolio, in quo libri isti Sibyllini asservabantur. Servius quidem in Apollinis templo hosce libros repositos fuisse scribit: Verùm illud non caret errore. Nam vel memoria lapsus est, vel respexit ad sua tempora. Augustus siquidem postquam alios libros Sibyllinos condidit, eos duobus forulis auratis sub Apollinis Palatini basi reposuit. Qui ipse quoque templum Palatini Apollinis extruxit. Vide *Salmasium in Exercitat. Plinian. ad Solin fol. 78. infra 1. 27.* Locus itaque, in quo libri Sibyllini asservabantur, fuit Capitolium splendidum in honorem Jovis extructum templum. Nomen accepit à capite humano, quod ibidem, cùm fundamenta istius ædis foderentur, fortuitò recens absque omni corruptione inventum est, quod *Tolum* appellatum fuisse dicit *Arnobius lib. 6 p. 194. adversus Gentes. Marc. Porcius Cato lib. Origin. c. p. Elmenhorst. ad lib. 6. Arnob. p. 176.* Adde *Onuphrium Panvinium lib. 1. fol. 67. Descript. Vrb. Romæ Theodor. Canter. lib. 1. c. 11. variar. Lection. p. 722.* Capitis inventio non tantum templo isti dedit nomen, sed etiam isti loco Principatum Italiæ velut læto quodam præsagio portendit. *Dionys. Halicarn. l. 4. fol. 258. Antiqu. Roman.* Hoc templum Jovis Capitolini Tarquinius Demarati filius in bello, quod gessit cum Sabinis, voverat. Id Tarquinius ejus, qui illud voverat, filius vel nepos extruxit quidem, sed non dedicavit. Quinam autem & quando illud dedicaverit,

verit, refert *Plutarchus in vita Poblicolæ fol. 104*: & qui ex illo hoc exſcripſit *Eduardus Simſon. par. 4. fol. 14.* Vide & *Pighium lib. 1. Annal. Romanor. fol. 52.* De iſtius templi amplitudine, magnificentia & ſplendore conſule *Juſtum Lipſium l. 4. c. 5. de Magnitud. Romana. fol. 430. & ſeqq. Tom. 3. oper. & Roſinum l. 2. c. 5. Antiquit. Roman. p. 236.* Interim non immeritò quiſpiam ſollicitus erit, qua de cauſa libri iſti Sibyllini in templo Jovis Capitolini reconditi fuerint? Factum id eſſe arbitror. 1. *Ob loci religionem & ſanctitatem*: cùm enim templum iſtud haberetur ſanctiſſimum apud Romanos, utique conveniens eſſe exiſtimarunt in eo collocare ejuſmodi volumina, quæ eſſent divinis Oraculis plena, ipſiſque tanquam divinus aliquis theſaurus è ſingulari Numinis diſpoſitione vel impulſione conceſſa. Et huc pertinet, quod ſcribit *Stephan. Vinand. Pighius lib. 1. Annal. Roman. fol. 53.* Intellectâ iſtorum librorum religione atque utilitate, veluti ſacratiſſima pignora ex SCto publicè in Jovis Capitolini ſacrario in arca lapidea reconditi fuerunt. 2. *Ob librorum dignitatem & raritatem.* Sibylla enim diſcedens à Tarquinio ſeriò monuerat, ut libros iſtos ſummo ſtudio aſſervaret. Qua admonitione facilè intelligere potuit, talia in libris illis prædici, quæ Romanorum fortunam concernerent. Ea propter enixè dederunt operam, ut illi accuratiſſimè cuſtodirentur, neque ulli fas eſſet eos inſpicere, niſi qui poteſtatem inſpiciendi eſſet adeptus. Et credo, ſi promiſcuus eorum uſus patuiſſet omnibus, facillimè eos omnem autoritatem perdidiſſe. Quod enim vulgo obvium eſt, licèt in ſe utile ſit, tamen, quia eſt omnibus commune, evileſcit. 3. *Ob Numinum præſentiam*, credebant enim Deorum omnium Deum ſeu Jovem ibidem præſidere, vide *Georg. Ambianat in obſervat. ad Apologetic. Tertulliani fol. 200. & fol. 201.* Inde etiam putabant, cùm libros Sibyllinos adirent in tali loco ſacro, ubi Deorum præſentiam crederent, benignum & ſalutare ſe remedium contra calamitates & quoſcunque caſus, unde periculum Urbi imminere poſſet, citra errorem inventuros eſſe.

IIX. Cura horum librorum Sacrorum commiſſa initio fuit *DVVMVIRIS* & quidem ex inſtitutione Tarquinij Romanorum Regis. Illi deligebantur è nobilibus ſeu Patricijs Romanis, quibus additi erant duo miniſtri publici. *Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. 4. fol. 259.* ſcribit: ὁ δὲ Ταρκύνιος τῶν ἀστῶν ἄνδρας ἐπιφανεῖς δύο προχειρισάμενος, καὶ δημοσίους αὐτοῖς θεράποντας παραζεύξας, ἐκείνοις ἀπέδωκε τὴν τῶν βιβλίων φυλακήν. Hoc eſt, *Tarquinius duos è civibus viros illuſtres elegit, additis*

duobus

duobus ministris publicis, quibus istorum librorum custodiam tradidit. Duûmviri antistites erant in sacris faciundis, carminum Sibyllinorum & fatorum populi Romani interpretes ad avertendam & placandam Deorum iram. Confer *Alex. ab Alexandro l. 3. c. 16. fol. 269.* & ibidem *Tiraquellum Genial. Dierum.* Illorum itaque munus fuit, summa fide sacros libros custodire: eos, non nisi Senatus autoritate, quoties opus esset, adire, legere atque intepretari, nec non curare, ut ea, quæ in Sibyllarum vaticinijs jussa essent, strenuè perficerentur. Verùm qua de causa Duûmviris ministri publici additi sunt? Resp. 1. Vt illi Duumviros labore quodammodo sublevarent, & ipsorum loco obirent ministeria. Ne ipsi singula pervolvere, & in perquirendo temporis jacturam ultra, quàm satis esset, perdere cogerentur. 2. Vt Duûmvirorum fidem observarent, numquid & ipsi in secreto retinerent libros, vel alijs communicarent, aut ijs copiam inspiciendi darent. Nefas enim erat vulgo inspicere libros istos sacros. Non tamen accedo cujusdam novi Scriptoris sententiæ, quasi Romani saltem hoc finxerint, aut præ se tulerint, ac si secreta quædam sacra, aut secretos quosdam de voluntate Deorum libros haberent, cùm tamen nulli tales extarent. Ideo autem hoc factum, ut ferente ita rerum necessitate, populo ex ijs persuaderent, placere Dijs, ut hoc vel illud ageretur, aut intermitteretur. Consulti libri, qui non erant, ut populo consuleretur. Voluntas patrum populo exhibita, tanquam illa Deorum foret. Et populus secutus est arbitrium Patrum, cùm Deorum se sequi voluntatem existimaret: quô pactô prætextus divinitatis extorsit obsequium, quod aliàs non potuisset obtineri. Hæc sunt rerumpublicarum præsertim Romanæ arcana, quæ artes potius, *& umbras rerum & simulacra* Tacitus nominavit. In quibus aliud est, aliud videtur: imò hoc ipsum non est, quod plerique credunt. Et fingitur, quod non est, ut sit, quod esse debebat. Quippe ita cum populo est comparatum, ut speciosis nominibus inescatus falso credat, quod non crederet, si verum audiret. Vide *Boxhorn. Zuerium. Quæst. Roman. 41. pag. 126.* Equidem hoc negari non potest multa Romanos etiam in sacris & religiosis finxisse ad fucum populo faciendum. Quippe qui speciosis sæpius delinimentis & ad terrendum compositis, quàm rei veritate flectitur; sed illud de sacris istis Sibyllarum libris minus rectè effertur. Enimvero. (1) fide historicâ ab antiquissimis usque temporibus constat, Tarquinio Romanorum Regi à Sibylla libros istius Reipublicæ fatales

fuisse oblatos, & tertiam saltem eorum partem ab Ipso emtam, reliquis, quòd postulatum pro illis pretium Ipsi videretur iniquum, ab ista venditrice combustis. (2) Eadem fide & hoc nititur, libros istos fuisse accuratè custoditos in loco satis religioso Jovis nimirum Capitolini templo. (3) Certis ad curam istorum sacrorum librorum habendam delectis severè fuisse injunctum, ne cuipiam aliquid de arcanis istis ipsi proderent, neque facultatem inspiciendi vulgo præberent, quòd non licuerit ullum Sibyllinum carmen populo exponere, uti *Dio Caßius retulit pag. 98. lib. 39.* nisi Senatus illud expressè decrevisset. *Et Plutarchus Tom. 1. in vita Fabii Maximi fol. 176.* Quòd ipse scilicet Fabius multos arcanos & utiles libros cosuluerit, quos Sibyllinos appellant. Perhibent, ait, sortes nonnullas ijs libris proditas illius tempestatis fuisse casibus & gestis consonas. *Quod cognitum fuerat ex illis libris, fari ad alios nefas erat.* Et quid dicemus de facto Tarquinij, qui unum è Duùmviris in mare abjici jussit, quod non bona fide rem gessisset. Historiam refert *Dionysius Halicarnassensis lib. 4. fol. 260.* ὧν τὸν ἕτερον Μάρκον Ἀτύλιον ἀδικεῖν τι δόξαντα περὶ τὴν πίστιν καὶ μηνυθέντα ὑφ' ἑνὸς τῶν δημοσίων ὡς κατεργκτότα εἰς ἀσκὸν ἐῤῥάψας βόειον, ἔῤῥιψεν εἰς τὸ πέλαγος. Id est. *horum duumvirorum alterum M. Attilium visum non bona fide rem gerere, & ab uno ministrorum delatum parricidii in bubulum culeum insutum proiecit in mare.* Quam historiam & *Valerius Maximus lib. 1. c 1. n. 12. p. 7.* recitat his verbis: Tarquinius Rex *M. Tullium* (alij *Atilium* legunt) Duumvirum quòd librum secreta civilium Sacrorum continentem custodiæ suæ commissum corruptus Petronio Sabino describendum dedisset, culeo insutum in mare abijci jussit. Idque supplicii genus multò pòst parricidis Lege irrogatum est. Justissimè quidem, quia pari vindicta parentum ac Deorum violatio expianda est. Adde *Onuphrium Panvinium l. 2. fol. 203. in Descript. Civit. Romanæ.* Quibus ita visis quis facilè hoc admittet, libros istos Sibyllinos revera non fuisse, sed Romanos hoc saltem finxisse, ut populo palpum obtruderent. Non credo certè in tanta copia scriptorum fide dignorum ejusmodi quid admitti posse. Quinimò, quod infra latius patebit, Romanos reapse istos libros fatidicos habuisse, & eos tempore publicæ calamitatis consuluisse: Sed vulgus hominum ab eorum aditione & inspectione arcuisse, præter Dionysium, Fenestella, Pomponius Lætus, & alij luculenter tradunt. Illud autem in meris figmentis & arcanis Status consistere, nemo facilè crediderit. Sed pergendum.

IX. Du-

IX. Duumvirorum officium non multum ultra annos septuaginta duos duravit, usque ad mutationem reipublicæ de Regia in Aristocraticam conversa. Postquam enim Collatini uxor Lucretia à Tarquinij superbi filio præter illius voluntatem esset vitiata, ipsaque ob tantum sibi illatum dedecus sponte sua vitæ cursum abrupisset, Regia stirps est ejecta, & civitas se in libertatem vindicavit Regiô vel Tyrannico in optimorum statum mutatô. Vbi igitur COSS. imperare cœperunt, cum civitas curam librorum Sibyllinorum suscepit & nobilissimis & optimis civibus Romanis constituit istorum Oraculorum custodes. Ita *Dionysius Halicarnass. l. 4 fol. 260.* μετὰ δὲ τὴν ἐκβολὴν τῶν βασιλέων ἡ πόλις ἀναλαβοῦσα τὴν τῶν χρησμῶν προστασίαν, ἄνδρας τοὺς ἐπιφανεστάτους ἀποδείκνυσιν αὐτῶν φύλακας, οἳ διὰ βίου ταύτην ἔχουσι τὴν ἐπιμέλειαν, στρατειῶν ἀφειμένοι καὶ τῶν ἄλλων κατὰ τὴν πόλιν πραγματειῶν καὶ δημοσίᾳ αὐτοῖς παρακαθίστησιν, ὧν χωρὶς οὐκ ἐπιτρέπει τὰς ἐπισκέψεις τῶν χρησμῶν τοῖς ἀνδράσι ποιεῖσθαι. *Expulsis postea Regibus civitas susceptâ Sibyllinorum curâ clarissimos viros custodes eorum creat, qui per totum vitæ tempus funguntur eo munere, liberi ab omnibus militaribus & civilibus muniis: & publicè illis addit alios, sine quibus Sibyllinos ab illis inspici non sinit.* E Duûmviris autem facti sunt Decemviri. Et à fide veri non recedit, optimates, exclusis plebeis, istius muneris dignitatem sibi solis retinuisse, & quidem uti nonnulli putant, per annos centum quadraginta & unum: postea verò L. Licinius Calvus, & L. Sextius Lateranus Tribuni plebis ad populum hoc pertulerunt, nefas esse, ut soli Patricij arcana civitatis in Sibyllarum libris descripta scirent, reliqui verò cives de illis nihil nosse; sed istam dignitatem solis optimatibus relinquere cogerentur, cum tamen & ipsi sub communi fato viverent, & non minus adversis rebus calamitatibusque atque illi essent expositi. Isti igitur Tribuni obtinuerunt, ut quinque ex Patribus, quinque verò è plebe Sibyllinorum Oraculorum crearentur custodes. Quod contigit biennio ante, quàm Consulatus cum plebe fuerit communicatus, Anno nimirum Vrbis. 388. ubi quoque L. Sextius primus fuit, qui ex ordine plebeio honores Consulares adeptus est. Vide *Livium l. 6. c. 42. fol. 119. 120.* Et ne quis in nomine aberret, fuerunt hi Decemviri & Oraculorum Sibyllinorum Inspectores, & alijs Sacris peragendis præfecti & exinde appellati sunt *Decemviri Sacrorum* interdum simpliciter, interdū cum apposito. De quibus intelligi videtur locus *Livii*

l. 6, c.

non tamen addit, ubi nam propriè Scriptor iste hoc tradat. Verum Resp. ad primum: me loco ante citato satis prolixè de eo egisse, & exinde, quòd Sibylla Cumana non nominetur, sed femina istæc, quæ libros Sibyllinos obtulit, anus hospita dicatur, non satis firmum argumentum necti posse ad negandum: *à Sibylla Cumana volumina istæc Oraculorum Sibyllinorum plena Tarquinio fuisse exhibita*, ad oculum monstravisse. Unde talia hic repetere superfluum esse puto. Ad alteram rationem Resp. Quod *Nauclerus Vol. 1. Gener. 52. fol. 223.* eam historiam tractet, eamque concludat his verbis: *Mulier autem postmodum abiens nusquam comparuit.* Dionysius Halicarnass. lib. 4 fol. 259. Antiqu. Roman. dicit: ἐξ ἀνθρώπων ἠφανίσθη: Mox ex hominibus disparuit. *Gellius l. 1. c. 19. p. 86.* ita rem exprimit: *Sed eam mulierem tum à Tarquinio digressam postea nusquam loci visam esse constitit.* Non puto sensum istorum verborum hunc esse, quasi femina istæc post acceptam à Tarquinio pro oblatis libris pecuniam statim evanuerit, instar spectri; quod verbum ἀφανίζω non tantum significet disparere, evanescere; verùm etiam ab aspectu alicujus removere, præsentiam suam subtrahere, abolere aliquid, ita, ut nulla istius amplius extent vestigia: item occultare, celare, supprimere quomodo verbum istud apud Isocratem, Demosthenem, Aristophanem, Aristotelem, & Plutarchum aliosque Scriptores usurpatur passim. Hinc bene dici poterit, quòd Sibylla Cumana, postquam acceptâ pecuniâ à Tarquinio digressa est, ex hominum conspectu sese subduxerit, & ab ijs in posterum videri noluerit, vel in abdito delituerit, aut non ita publicè Oracula ediderit, sed vel cum paucissimis usque ad ultimum vitæ terminum conversata fuerit: vel repudiatâ eorum familiaritate latebras quæsiverit, ibique diem suum extremum clauserit. Vide supra *c. 9. n. fin. p. 610.* Et quod subitò more spectri disparuerit, non est probabile: sive enim à Spiritu S. eam abreptam, sive à Dæmone eam confestim subductam esse aliquis dixerit; tamen suam assertionem nullo testimonio firmabit. Ea propter veritati magis accedit, si dixero: Sibyllam Cumanam egressam esse è conspectu Tarquinij, & in posterum hominibus videndum se non præbuisse; sed se abscondidisse. Cum qua explicatione mea consentit *Rosinus l. 3. c. 34. p. 494. Antiqu. Roman.* qui ait: *Mulier datis libris diligenter eos servare monuit, nec posthac unquam visa est inter homines.* Consentire videtur & *Tholosanus l. 12. c. 12. n. 6. p. 455. de Rep.* quando narrationi adijcit: *Nunquam autem postea anus est visa.* Et sanè *Nauclerus* ab

Autore

Autore dicti Tractat. allegatus, nihil aliud dicit *quàm mulierem post abitum scilicet è conspectu Tarquinii nusquam comparuisse.* Quæ omnia non obstant, quominus Sibylla Cumana libros istos fatales offerre potuerit, aut etiam revera obtulerit Tarquinio.

IV. Libri isti dicti sunt 1. *Sibyllini.* Ita *Livius l. 5. c. 3. fol. 91, Et lib. 41. c. 21. fol. 525.* Senatus decrevit, ut Decemviri *Libros Sibyllinos* adirent. Et *lib. 36 c. 37. fol. 444.* Eorum prodigiorum causa *libros Sibyllinos* ex SCto Decemviri adierunt. *Plutarchus Tom. 1. in vita Fabii Maximi fol. 176.* ἐκινήθησαν δὲ τότε πολλαὶ καὶ τῶν ἀπορρήτων καὶ χρησίμων αὐτοῖς βίβλων, ἃς Σιβυλλείας καλοῦσι. Id est, eodem tempore multos arcanos libros & utiles ipsis consuluit, quos *Sibyllinos* appellant. 2. *Fatales* Ita vicissim *Livius l. 5. c. 14. fol. 91.* ait: in *Libris fatalibus* hoc inventum. *Et cap. 15. fol. 92.* inquit: Sic *libris fatalibus* traditum est. *Libr. 42. cap. 2. fol. 528.* iterum scribit: placuit prodigia expiari, pacemque Deûm peti precationibus quæ editæ *ex fatalibus libris* essent. Deprehendo 3. Libros istos Sibyllinos καὶ ἐξοχὴν dici *Libros*, ut cum libri adiri jubentur, nulli allij quàm Sibyllini intelligantur. Insignem locum suppeditat iterum *Livius l. 21. c. 62. f. 206.* Ob cœtera prodigia *Libros* adire Decemviri jussi. Quare autem libri isti ita fuerint appellati, causa non est difficilis. Et quidem Sibyllini dicti sunt, quod vel à Sibyllis sint conscripti, vel à Sibylla venditi. A Sibyllis istæc Oracula esse profecta nullum est dubium. Quinam verò istæc unum involumen redegerit, illud ab antiquis non memoratur. Fortean una è Sibyllis hoc fecit, vel à peregrinantibus observata, & hinc inde dispersa cujusdam curiosi studio & opera collecta, à Sibyllarum aliqua locupletata fuerunt istæc carmina, donec tandem Cumana (an ipsa istos libros consarcinaverit, pro certo affirmare non potero) volumina Oraculorum Sibyllinorum Tarquinio Romanorum Regi obtulerit. *Libri fatales* appellati sunt, quia in ijs Romani suæ reipublicæ mutationem, varioſque casus, remedia contra insolita prodigia varias mutationes, calamitates, aut etiam interitum minitantia descripta habebant. Ut tempore publicæ calamitatis ad libros istos tanquam ad Oracula accedere, & ex ijs futura aut impendentia mala, eorumque declinationem perdiscere potuerint. Fata itaque Romanorum in libris istis descripta dederunt illis hanc appellationem. Quod verò *Libri* in excellenti significatione exprimantur absolutè, illud factum est ideo, quia Romani nullos alios libros habuerunt, quos tempore publicæ necessitatis

adire & de futurarum rerum successu consulere potuerunt, quàm Sibyllinos.

V. Libri isti Sibyllini non in chartaceis, sed linteis voluminibus scripti fuerunt, uti illud statuit *Demsterus ad lib. 3. c. 34. fol. 498. Rosini Antiqu. Roman.* Quod ostendere vult testimonio *Claudiani de bello Getico: fol. 23. vers. 40. Edit. Barthianæ.*

Quid meditentur aves? quid cum mortalibus æther
Fulmineo velit igne loqui? quid carmine poscat
Fatidico, custos Romani carbasus *avi.*

Adducit quoque locum, *è Symmachi lib. 4. Epist. 34. p. 165.* Qui tamen textus, si accuratè examinatur de libris Sibyllinis propriè non videtur loqui. Interim de eo fortean non est dubitandum, quòd libri Sibyllini in linteis voluminibus fuerint scripti, cùm *Lilius Giraldus Syntagm. 3. Deorum.* referat: Et Romanos facta sua linteis libris inscribere solitos fuisse. Nec tantum isti Sibyllini, sed & alijs libri fuerunt lintei. Plinius tradit hoc lib. 13. c. 11. fol. 266. Histor. Natural. *In Palmarum foliis primò scriptitatum, deinde quarundam arborum libris, postea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & privata linteis confici cœpta & cereis.* Taliam linteorum librorum mentio fit apud *Livium, uti lib. 4. c. 7. fol. 69. Et c. 13. fol. 71.* ut & apud *Flavium Vopiscum in Vita Aureliani fol. 209.* ubi Historicus ait: Et si hoc contentus non fueris, lectites Græcos, *linteos* etiam *libros* requiras, quos Ulpia tibi Bibliotheca, cùm volueris, ministrabit. Quales autem fuerint libri lintei, describit *Melchior Guilandinus de Papyro pag. 95*, ubi ita ait: *Erant libri lintei non quales nostri, qui & ipsi sine hæsitatione lintei dicendi sunt, sed in telam lineam descripti, non aliter, quàm hodie à pictoribus varia rerum imagines in linteis seu telis depingi solent, quas & ipsas linteas vocare nihil prohibet.* Interim publica monumenta in linteis libris describi fuisse solita, veluti res gestas Romanorum, observat *Iacobus Gothofredus ad l. 1. Cod. Theod. fol. 189. de aliment. quæ inop. parent.* Similiter typi perticarum seu divisionum & assignationum in linteis libris scribebantur. *Hygin. in lib. de limit. constit. p. 201.* Adde *Salmasium in Notis ad Flavium Vopisc. fol. 355.* Veritati itaque non adversatur, si dixero: Libros Sibyllinos in linteis fuisse conscriptos folijs, tum ob rem maximè arduam, statum scilicet & futura fata Romanorum quæ ipsi continebant: partim quoque, ut istæc Oracula eò diutius perdurare, & posterorum usibus inservire possent.

VI. De numero librorum Sibyllinorum aliquid supra *pag. 618.* allatum

allatum eſt. Quidam novem, quidam verò ſex ſaltem exhibitos fuiſſe Tarquinio contendunt. Inde ſi Cumana Sibyllla binis vicibus quoſdam in conſpectu Regis poſtulatum pretium perſolvere recuſantis incensô igni concremavit, tum vel tres de novem remanſerunt ſuperſtites, vel unus è tribus conſervatus fuit. Illud tamen vero videtur ſimilius, plures unô à Tarquinio fuiſſe emtos. Nam quando in hiſtorijs mentio fit librorum Sibyllinorum, ſemper in numero plurali ſermo inſtituitur. Vti Quindecim viri juſſi ſunt libros Sibyllinos adire: libros fatales inſpicere: libros conſulere è SCto. Quod ſi unus ſaltem liber è tribus manſiſſet ſuperſtes, in ſingulari tanquam de uno libro Hiſtorici fuiſſent locuti. Deinde nullum eſt dubium, quin Romani antiqui deploraverint Tarquinii avaritiam, dixerim, an parſimoniam, quòd libros omnes eodem pretio non redemerit, quô tres reſiduos ſaltem ſibi paravit. Cumprimis ubi intellexerunt: Augures iſtud vitio vertiſſe Tarquinio, tantum theſaurum ab ipſo prætermiſſum, vel neglectum eſſe, è quo tamen ad ſuæ civitatis ſalutem optima remedia ipſis depromere licuiſſet. Procul dubio multa vaticinia in combuſtis voluminibus fuerunt contenta, quæ ſuperſtitioſæ iſti genti potuiſſent cedere in emolumentum ſuæ reipublicæ. Nova tamen eſt ſententia ab antiquis, quantum mihi equidem conſtat, nondum prodita, quam non ita pridem legi, ac ſi Sibyllarum novem libri non fuerint ita diſtincta volumina, ut in ſingulis nova & ſingularia reperta eſſent vaticinia, quæ in reliquis non legerentur: ſed quòd iſtæc tria volumina trinis ſaltem vicibus eſſent deſcripta, & in combuſtis libris non plura, nec alia Oracula haberentur, quàm quæ in coemtis tribus voluminibus fuerint contenta, atque ita Rex iſte nullam jacturam fecerit multorum vaticiniorum Sibyllinorum, cùm nec plura nec pauciora de iſtis Oraculis habiturus fuiſſet, ſi omnes libros novem redemiſſet. Accedit & hoc, ſemper ex illorum trium ſuperſtitum inſpectione, quoties publica neceſſitas eos adire juſſerit, remedium inveniri potuiſſe vel ad placandos Deos, vel ad avertendum imminens infortunium. Reſp. Lubens fateor iſtam opinionem apud antiquos Scriptores hactenus me non deprehendiſſe, ut proinde non immeritò eam pro nova agnoſcam. Et quantumvis illa ſpeciem veri quodammodo præ ſe ferre poſſit; tamen non tàm dicendum eſt, quid quiſque ex ſuo judicio ſtatuat, præcipuè in his, quorum veritas ex antiquitatis teſtimonijs arceſſenda eſt, quàm quod vetuſtis ſententijs firmari, aut in rebus

merè dubijs, convenientiam cum illis, (ponderatis tamen prius diligenter circumſtantijs,) habere queat. Hinc dico (1) Vnde Autor ſciat, in deuſtis ſex libris non plura nec alia Sibyllarum vaticinia deſcripta fuiſſe, quàm quæ in tribus ſuperſtitibus & à Tarquinio grandi ære comparatis voluminibus poſtmodum inventa ſunt? Et (2) quis ex antiquis hoc facilè cognoſcere potuit, niſi Sibylla Cumana illud alijs aperuerit: cùm iſtæc Volumina, prout concinnata, & Tarquinio oblata fuerunt, ab alijs, priuſquam Regi Romanorum oſtenſa ſunt, lecta non perhibeantur. Fieri autem non poteſt, ut quis de argumentis librorum, an in illis idem vel diverſum tractetur, rectè quis judicare queat, niſi iſtos prius legerit, & inter ſe comparaverit. Nec obſtat (3) an ſemper proficuum remedium n illis tribus voluminibus reperint Romani. Etenim hoc pro certo definiri non poteſt. Illud autem eſt certum: Augures exprobraſſe Regi, quod magnam noxiam commiſiſſet, dum non omnes libros emiſſet. *Dionyſ. Halicarn. lib. 4. fol. 259.* Jam quænam noxia dici poteſt admiſſa, aut quodnam damnum datum erit per combuſtionem ſex librorum, ſi in reliquis tribus eadem contenta fuerunt Oracula Sibyllarum, quæ fuerunt deſcripta in ſex prioribus ab ipſa Sibylla in ignem conjectis & abolitis? *Eraſmus Schmidius in orat. 2. de Sibyllis fol. 1499.* ita ſcribit: Iſtis libris tanquam divino munere mirandam felicitatem urbi conceſſam æſtimat Dionyſius lib. 4. *fol. 259.* quòd vel tertia ſaltem pars iſtorum librorum à Tarquinio redemta fuerit; cùm rectius haut dubiè habituræ fuiſſent res Romanæ, ſi reliquorum etiam, quos ipſa Sibylla exuſſerat, copia & uſus urbi contigiſſet. Ego ſanè, ſalvâ diſſentientis autoritate, mihi quàm maximè perſuaſum habeo, in illis combuſtis voluminibus plura, alia, & diverſa deſcripta fuiſſe vaticinia, quæ in tribus reliquis à Tarquinio emtis non extiterint. Illud interea obſcurum eſt, è quarum Sibyllinarum vaticiniis illi novem libri fuerint collecti? Numquid cujuslibet Sibyllæ Oracula ſeorſim collocata, adſcriptò ſubinde cujuſque nomine? an vero confusè & commixtim citra certum ordinem compilata fuerint? atque ita ſpectatum ſit, non à qua Sibylla quicquam provenerit, ſed quidnam de hiſce vel illis caſibus prædictum fuerit? An verò quævis Sibylla ſcripſerit librum, illud antea *c. 11. n. 5. p. 618.* adduxi in medium.

VII. Porro addendum eſt aliquid de loco, ubi libri iſti aſſervabantur. Romani certè οὐδὲν οὕτω φυλάττουσιν, οὔτε ὅσιον κτῆμα,

ὄυτε

ὅτι ἱερὸν, ὡς τὰ Σιβύλλεια θέσφατα; id est, nihil tàm religiosum seu sacrum tàm diligenter custodiunt, quàm Sibyllina Oracula. Inde ea in templi Capitolini cella subterranea arcæ lapideæ inclusa asservabantur. *Dionys. Halicarn. l. 4. fol. 260. Antiqu. Roman.* Et hoc itidem procul dubio è Dionysio refert *Onuphrius Panvinius lib. in 1. Descript. civitat. Romanæ.* nisi quod addat: Romanos habere carmina Sibyllina tanquam Oracula divinitus missa. Quô facit, quod scribit *Eduardus Simson in Disquis. de Sibyllin. vaticin. fol. 75.* Postquam Romanis persuasum fuit, divinas quasdam de Romanorum rebus prædictiones Sibyllinis carminibus contineri, summa cura fuit adhibita, ut in loco sanctissimo Capitolio scilicet asservarentur. *Melchior Guilandin. p. 397. de Papyro.* simpliciter dicit: Libri tres in Sacrarium conditi, *Sibyllini* appellati, quod ipse desumsit *è Gellio l. 1. c. 19 p. 86. Noct. Atticar.* Explicatius ex alijs hoc refert *Boissardus in Vita Cumanæ Sibyllæ fol. 231.* Hi libri, inquit, à Tarquinio emti *in Sacrario templi Iovis Optimi Maximi in Capitolio arca lapidea clausi sub terra diligenti cura custoditi sunt postea & libri Sibyllini* vocati. Fuit autem delubrum Junonis, quod erat in Capitolio, in quo libri isti Sibyllini asservabantur. Servius quidem in Apollinis templo hosce libros repositos fuisse scribit: Verùm illud non caret errore. Nam vel memoria lapsus est, vel respexit ad sua tempora. Augustus siquidem postquam alios libros Sibyllinos condidit, eos duobus forulis auratis sub Apollinis Palatini basi reposuit. Qui ipse quoque templum Palatini Apollinis extruxit. Vide *Salmasium in Exercitat. Plinian. ad Solin. fol. 78. infra 1. 27.* Locus itaque, in quo libri Sibyllini asservabantur, fuit Capitolium splendidum in honorem Jovis extructum templum. Nomen accepit à capite humano, quod ibidem, cùm fundamenta istius ædis foderentur, fortuitò recens absque omni corruptione inventum est, quod *Tolum* appellatum fuisse dicit *Arnobius lib. 6 p. 194. adversus Gentes. Marc. Porcius Cato lib. Origin. c. 9. Elmenhorst. ad lib. 6. Arnob. p. 176.* Adde *Onuphrium Panvinium lib. 1. fol. 67. Descript. Vrb. Romæ Theodor. Canter. lib. 1. c. 11. variar. Lection. p. 72.* Capitis inventio non tantum templo isti dedit nomen, sed etiam isti loco Principatum Italiæ velut læto quodam præsagio portendit. *Dionys. Halicarn. l. 4. fol. 258. Antiqu. Roman.* Hoc templum Jovis Capitolini Tarquinius Demarati filius in bello, quod gessit cum Sabinis, voverat. Id Tarquinius ejus, qui illud voverat, filius vel nepos extruxit quidem, sed non dedicavit. Quinam autem & quando illud dedica-

 verit,

verit, refert *Plutarchus in vita Publicolæ fol. 104*: & qui ex illo hoc exſcripſit *Eduardus Simſon. par. 4. fol. 14.* Vide & *Pighium lib. 1. Annal. Romanor. fol. 52.* De iſtius templi amplitudine, magnificentia & ſplendore conſule *Iuſtum Lipſium l. 4. c. 5. de Magnitud. Romana. fol. 430. & ſeqq. Tom. 3. oper. & Roſinum l. 2. c. 5. Antiquit. Roman. p. 236.* Interim non immeritò quiſpiam ſollicitus erit, qua de cauſa libri iſti Sibyllini in templo Jovis Capitolini reconditi fuerint? Factum id eſſe arbitror, *1. Ob loci religionem & ſanctitatem*: cùm enim templum iſtud haberetur ſanctiſſimum apud Romanos, utique conveniens eſſe exiſtimarunt in eo collocare ejuſmodi volumina, quæ eſſent divinis Oraculis plena, ipſiſque tanquam divinus aliquis theſaurus è ſingulari Numinis diſpoſitione vel impulſione conceſſa. Et huc pertinet, quod ſcribit *Stephan. Vinand Pighius lib. 1. Annal. Roman. fol. 53.* Intellectâ iſtorum librorum religione atque utilitate, veluti ſacratiſſima pignora ex SCto publicè in Jovis Capitolini ſacrario in arca lapidea reconditi fuerunt. 2. *Ob librorum dignitatem & raritatem.* Sibylla enim diſcedens à Tarquinio ſeriò monuerat, ut libros iſtos ſummo ſtudio aſſervaret. Qua admonitione facilè intelligere potuit, talia in libris illis prædici, quæ Romanorum fortunam concernerent. Ea propter enixè dederunt operam, ut illi accuratiſſimè cuſtodirentur, neque ulli fas eſſet eos inſpicere, niſi qui poteſtatem inſpiciendi eſſet adeptus. Et credo, ſi promiſcuus eorum uſus patuiſſet omnibus, facillimè eos omnem autoritatem perdidiſſe. Quod enim vulgo obvium eſt, licèt in ſe utile ſit, tamen, quia eſt omnibus commune, evileſcit. 3. *Ob Numinum præſentiam*, credebant enim Deorum omnium Deum ſeu Jovem ibidem præſidere, vide *Georg. Ambianat. in obſervat. ad Apologetic. Tertulliani fol. 200. & fol. 201.* Inde etiam putabant, cùm libros Sibyllinos adirent in tali loco ſacro, ubi Deorum præſentiam crederent, benignum & ſalutare ſe remedium contra calamitates & quoſcunque caſus, unde periculum Urbi imminere poſſet, citra errorem inventuros eſſe.

IIX. Cura horum librorum Sacrorum commiſſa initio fuit *DVVMVIRIS* & quidem ex inſtitutione Tarquinij Romanorum Regis. Illi deligebantur è nobilibus ſeu Patricijs Romanis, quibus additi erant duo miniſtri publici. *Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. 4. fol. 259.* ſcribit: ὁ δὲ Ταρκύνιος τῶν ἀστῶν ἄνδρας ἐπιφανεῖς δύο προχειρισάμενος, καὶ δημοσίους αὐτοῖς θεράποντας παραζεύξας, ἐκείνοις ἀπέδωκε τὴν τῶν βιβλίων φυλακήν. Hoc eſt, *Tarquinius duos è civibus viros illuſtres elegit, additis duobus*

duobus ministris publicis, quibus istorum librorum custodiam tradidit. Duùmviri antistites erant in sacris faciundis, carminum Sibyllinorum & fatorum populi Romani interpretes ad avertendam & placandam Deorum iram. Confer *Alex. ab Alexandro l. 3. c. 16. fol. 269.* & ibidem *Tiraquellum Genial. Dierum.* Illorum itaque munus fuit, summa fide sacros libros custodire: eos, non nisi Senatus autoritate, quoties opus esset, adire, legere atque intepretari, nec non curare, ut ea, quæ in Sibyllarum vaticinijs jussa essent, strenuè perficerentur. Verùm qua de causa Duûmviris ministri publici additi sunt? Resp. 1. Vt illi Duumviros labore quodammodo sublevarent, & ipsorum loco obirent ministeria. Ne ipsi singula pervolvere, & in perquirendo temporis jacturam ultra, quàm satis esset, perdere cogerentur. 2. Vt Duùmvirorum fidem observarent, numquid & ipsi in secreto retinerent libros, vel alijs communicarent, aut ijs copiam inspiciendi darent. Nefas enim erat vulgo inspicere libros istos sacros. Non tamen accedo cujusdam novi Scriptoris sententiæ, quasi Romani saltem hoc finxerint, aut præ se tulerint, ac si secreta quædam sacra, aut secretos quosdam de voluntate Deorum libros haberent, cùm tamen nulli tales extarent. Ideo autem hoc factum, ut ferente ita rerum necessitate, populo ex ijs persuaderent, placere Dijs, ut hoc vel illud ageretur, aut intermitteretur. Consulti libri, qui non erant, ut populo consuleretur. Voluntas patrum populo exhibita, tanquam illa Deorum foret. Et populus secutus est arbitrium Patrum, cùm Deorum se sequi voluntatem existimaret: quô pactô prætextus divinitatis extorsit obsequium, quod aliàs non potuisset obtineri. Hæc sunt rerumpublicarum præsertim Romanæ arcana, quæ artes potius, *& umbras rerum & simulacra* Tacitus nominavit. In quibus aliud est, aliud videtur: imò hoc ipsum non est, quod plerique credunt. Et fingitur, quod non est, ut sit, quod esse debebat. Quippe ita cum populo est comparatum, ut speciosis nominibus inescatus falso credat, quod non crederet, si verum audiret. Vide *Boxhorn. Zuerium. Quæst. Roman. 41. pag. 126.* Equidem hoc negari non potest multa Romanos etiam in sacris & religiosis finxisse ad fucum populo faciendum. Quippe qui speciosis sæpius delinimentis & ad terrendum compositis, quàm rei veritate flectitur; sed illud de sacris istis Sibyllarum libris minus rectè effertur. Enimverò. (1) fide historicâ ab antiquissimis usque temporibus constat, Tarquinio Romanorum Regi à Sibylla libros istius Reipublicæ fatales

IX. Duumvirorum officium non multum ultra annos septuaginta duos duravit, usque ad mutationem reipublicæ de Regia in Aristocraticam conversa. Postquam enim Collatini uxor Lucretia à Tarquinij superbi filio præter illius voluntatem esset vitiata, ipsaque ob tantum sibi illatum dedecus sponte sua vitæ cursum abrupisset, Regia stirps est ejecta, & civitas se in libertatem vindicavit Regiô vel Tyrannico in optimorum statum mutatô. Vbi igitur COSS. imperare cœperunt, tum civitas curam librorum Sibyllinorum suscepit & nobilissimis & optimis civibus Romanis constituit istorum Oraculorum custodes. Ita *Dionysius Halicarnass. l. 4 fol. 260.* μετὰ δὲ τὴν ἐκβολὴν τῶν βασιλέων ἡ πόλις ἀναλαβοῦσα τὴν τῶν χρησμῶν προστασίαν, ἄνδρας τοὺς ἐπιφανεστάτους ἀποδείκνυσιν αὐτῶν φύλακας, οἳ διὰ βίου ταύτην ἔχουσι τὴν ἐπιμέλειαν, στρατειῶν ἀφειμένοι καὶ τῶν ἄλλων κατὰ τὴν πόλιν πραγματειῶν καὶ δημοσίᾳ αὐτοῖς παρακαθίστησιν, ὧν χωρὶς οὐκ ἐπιτρέπει τὰς ἐπισκέψεις τῶν χρησμῶν τοῖς ἀνδράσι ποιεῖσθαι. *Expulsis postea Regibus civitas susceptâ Sibyllinorum curâ clarissimos viros custodes eorum creat, qui per totum vitæ tempus funguntur eo munere, liberi ab omnibus militaribus & civilibus muniis: & publicè illis addit alios, sine quibus Sibyllinos ab illis inspici non sinit.* E Duûmviris autem facti sunt Decemviri. Et à fide veri non recedit, optimates, exclusis plebeis, istius muneris dignitatem sibi solis retinuisse, & quidem uti nonnulli putant, per annos centum quadraginta & unum: postea verò L. Licinius Calvus, & L. Sextius Lateranus Tribuni plebis ad populum hoc pertulerunt, nefas esse, ut soli Patricij arcana civitatis in Sibyllarum libris descripta scirent, reliqui verò cives de illis nihil nosse; sed istam dignitatem solis optimatibus relinquere cogerentur, cum tamen & ipsi sub communi fato viverent, & non minus adversis rebus calamitatibusque atque illi essent expositi. Isti igitur Tribuni obtinuerunt, ut quinque ex Patribus, quinque verò è plebe Sibyllinorum Oraculorum crearentur custodes. Quod contigit biennio ante, quàm Consulatus cum plebe fuerit communicatus, Anno nimirum Vrbis. 388. ubi quoque L. Sextius primus fuit, qui ex ordine plebejo honores Consulares adeptus est. Vide *Livium l. 6. c. 42. fol. 119. 120.* Et ne quis in nomine aberret, fuerunt hi Decemviri & Oraculorum Sibyllinorum Inspectores, & alijs Sacris peragendis præfecti & exinde appellati sunt *Decemviri Sacrorum* interdum simpliciter, interdû cum apposito. De quibus intelligi videtur locus *Livii*

l. 6. c.

l. 6 c. 42. fol. 19. Ab istis Decemviri supplicationes valetudinis causa factas esse refert *Lib. 40. c. 37. fol. 512.* Quem locum *Iacobus Gutherius l. 1. c. 12. p. 53. de Vet. Iure Pontific.* intelligit non de aliis, quàm de Sacrorum Decemviris. Vnde constare poterit, illos non solùm istis libris Sibyllinis custodiendis, & interpretandis, sed etiam alijs rebus sacris ad avertendam Deorum iram directis præfectos fuisse. Et hi sunt illi, de quibus *Livius lib. 1.* loquitur, *quòd sint carminum Sibyllæ, & fatorum populi interpretes.* Alij Decemviros distinguunt in Sibyllinorum Oraculorum custodes & interpretes: & in sacrorum Decemviros, quippe qui unicè publicam Sacrorum haberent curam, & ea ordinarent, quæ ad avertenda mala, & sopiendam Deorum iram viderentur utilia: ut & in istos Decemviros, qui negotia civilia pariter & militaria subinde curabant. De quibus legi poterit *legi Appianus Alexandrin. lib. 2. de bell. Civilib. fol. 578. ut & Iohann. Rosinus l. 7. c. 19. p. 1132. & sequ. & c. 30. pag. 1146. Antiqu: Roman.* Verùm, ne extra oleas vagari videar, redeo ad institutum. Tempore L. Syllæ cognomento Felicis, cùm ipse esset Dictator, ejus autoritate numerus iste auctus est, ita ut numerus Decem-Virorum in numerum Quindecimvirorum commutatus sit, quod post incensum Capitolium contigit, uti infra dicetur plenius. Illi initio legebantur à collegis, qui eum, quem ipsi dignum esse censebant, in locum demortui jure electionis sufficiebant, uti illud in *Livii Historia* passim observari poterit. Postmodum tamen L. Domitiâ latâ collegis istæc facultas est ademta, ubi QuindecimViri populi suffragio demum sunt electi. *Dio Cassius,* tamen *lib 37 46: fol.* Scribit: Syllam hanc legem abrogasse, sed Cicerone Consule per Labienum eam restitutam fuisse. Hinc quoque *Cælius* ad *Ciceronem lib. 8. Epist. 4. fol. 63,* non sine admiratione scribit, quòd Dolabella factus sit Quindecimvir. Vide *Anton. Augustin. de Legib. pag. 59. & Onuphrium Panvinium l. 2. de Vrb. Romanæ descript. fol. 203.* Quin ne sic quidem populus in isto Quindecimvirorum numero substitit; nam è reipublicæ usu ac commodis visum fuit, plurium fidei libros istos fatales committere. Ideoque populi desiderio satisfactum est, & quadraginta custodes & Inspectores carminum Sibyllinorum constituti id quod olim Duumviri, & postea Decemviri præstabant, itidem perficere obligati fuerunt. Nomen tamen QuindecimVirorum apud illos remansit. Quod *Servius ad lib. VI. Æneid.* observat his verbis: *Primò,* inquit, *fuerunt duo librorum Sibyllinorum custodes, inde decem, inde quindecim usque ad tempora Syllana. Postea crevit numerus usque ad quadraginta, sed*

m, sed remansit Quindecim Virorum vocabulum, qui ordo duravit usq; ad Theodosium Iuniorem. Hinc patet, quòd munus sacerdotis Quindecimviralis durarit usque ad tempora Theodosij Imperatoris, ubi unà cum libris illis Romanorum fatalibus illud planè fuit abrogatum, quod accidit anno Urbis 1152. & Epochæ Christianæ. 3399. Vide *Schmidium Orat. 2. de Sibyllis. fol. 1498.* ut & *Blondellum l. 1. c. 9. p. 39. & seqq. de Sibyllis.* nec non *Pighium*, cujus testimonium infra adducetur.

X. Officium Quindecim Virorum erat. (1) *Libros Sibyllinos exactè custodire*, quandoquidem Romani existimabant, velut singularem, & divinitus sibi concessum se obtinuisse thesaurum, quòd Sibylla Cumana Romanis tum temporis incognita Tarquinio ipsorum Regi istos libros obtulisset. Vnde scribit *Dionysius Halicarn. lib. 4. fol. 260.* Romanos nihil, *quod quidem sit sacrum aut religiosum, tàm sanctè custodire, quàm Oracula Sibyllina.* Idque hoc ex admonitione ipsius Sibyllæ Cumanæ. Discessura siquidem post acceptum pretium, quod postulaverat, monuit Tarquinium, ut summa cura libros istos servaret. Accessit quoque consilium Augurum & Ariolatorum, qui unanimi consensu suaserunt, ut istæc volumina sanctè custodirentur. Duplici itaque causa commotus Rex, &, Regibus expulsis, in republica libera impulsi Romani certorum quorundam fidei custodiam istorum operum Sibyllinorum commiserunt, & sub comminatione mortis injunxerunt, ne cuipiam citra Decretum Senatus copiam inspiciendi ea concederent. Neque credo, id ideo factum esse, ne arcana istæc evulgarentur, & propalata vilescerent; sed ut divinum istum thesaurum tanquam sacrum opus à vulgi inspectione haberent absconditum. (2) *Eos certis temporibus adire.* Quando necessitas efflagitabat pro avertendo malo à civitate consilium divinum quærere, tum Quindecimviri accedebant ad libros istos eosque evolvebant. Neque tamen hoc propria autoritate facere poterant; verùm necessum erat, ut prius SCtum expectarent. Itaque è Decreto Senatus sacros istos libros demum inspicere ipsis licebat. Et enim quando prodigia se exserebant; vel alia signa calamitatem publicam indicantia visebantur, de quibus ut & alijs causis postea agam, Senatus primùm deliberabat, numquid consultum esset libros Sibyllinos inspicere? Et si illud ita commodum videbatur, tum Quindecimviris mandabatur, ut illos adirent. Causa seu finis aditionis erat, in illis inquirere, numquid in illis præsto esset idoneum & salutare remedium, cujus ope impendens malum posset declinari. Hoc enim Roma-

 nis

nis firmiter erat persuasum in libris istis divina contineri consilia, quibus publicæ calamitates, & damna possent evitari; (3) *Senatui renunciare, quid invenissent.* Etenim in pervolvendis libris Sibyllinis vel invenerunt idoneum quoddam remedium, vel non? Si prius, vel hoc erat expressis verbis ibi descriptum, vel conjecturâ indagatum: Vtroque modo hoc deferebatur ad Senatum. Quantumvis sint, qui putent è superstitibus istis libris semper inventum fuisse idoneum remedium pro declinando publico infortunio. Quod nunc quidem latius examinare non est opus. Quod si verò remedium repertum fuerit, & quidem, quod conjectura potius, quàm expressis verbis nitebatur, illud non ex inspicientium arbitrio & autoritate suam recipiebat interpretationem; sed hic publica consultatio requirebatur, nunquid istud inventum Oraculum de præsenti casu esset intelligendum, sicuti & illud, quod expressis verbis reperiebatur descriptum, ad Senatum referre oportebat; cùm fieri possit, ut aliquid rei cuipiam tribuatur, quod tamen ei non competit: & sermo vel sententia ad propositum negotium accommodetur, de quo tamen non loquitur. Hinc Quindecimviri jussi sunt istud remedium, quod se invenisse putassent Senatui referre, ut, publicà prius consultatione habitâ plurimorum judicijs perquireretur, numquid Reipublicæ expediret illud sequi vel illud repudiare & aliam occasionem expectare? (4) *Senatus Decreta ad exitum perducere, & ea omnia peragere, quæ carminum Sibyllinorum jussu facienda erant.* Quodcunque enim ad præviam deliberationem decretum erat à Senatu, illud Quindecimviris ad exequendum injungebatur. Vnde ipsi postmodum summa diligentia procurabant, ut istud remedium, quod ipsi invenissent, & Senatus Decreto approbatum esset, accommodaretur ad effugiendum istud malum, quod reipublicæ videretur impendere. Sicuti hæc apud *Dionysium Halicarnassensem, Livium, Tacitum*, & *Suetonium* sparsim deprehenduntur. Inspectos itaque istos libros vel eam ob causam fuisse patet, quòd crederent Romani, ex illorum aditione & perlustratione certi quippiam prædici potuisse, quod cederet in salutem reipublicæ, quatenus vel iratos Deos placare, vel imminens aliquod factum intervertere, atque ita periculum evitare possent. Quæ omnia tamen hactenus explicata intelligenda sunt de eo casu, cùm respublica adhuc esset libera.

XI. Sunt tamen postea vel ab ipsis Imperatoribus querimoniæ institutæ, quod libri Sibyllini non satis citò essent inspecti; sed Quindecim-

decimviri ita essent cunctati, velut in Christianorum templis sententias esset dicturi. Sicuti illud videre licet apud *Claudium Salmasium in Notis ad Flavium Vopiscum. fol. 363.* cujus verba ita se habent. Miratur Aurelianus tamdiu dubitasse Patres conscriptos de aperiendis libris Sibyllinis, perinde quasi in Christianorum Ecclesia sententias dicerent, non in Deorum omnium templo tot religionibus sacrato. Christianos enim impiorum & ἀθέων numero habebant, qui malè de religionibus sentirent, & nullos Deos colerent, nulla templa in honorem Divorum exstructa haberent. Incusat igitur Senatores Aurelianus eo nomine, quod tamdiu sententijs suis distulerint rem piam, & ad religionem pertinentem, & Deorum honorem cultumque spectantem, librorum nempe Sibyllinorum inspectionem, quid enim aliud agerent Christiani impii illi & athei, & omnium religionum Osores, si de aperiendis libris Sibyllinis in eorum Ecclesia tractaret aliquis, ut ex eorum librorum inspectione ceremoniæ ordinarentur, aut sacrificia celebrarentur, & alia hujusmodi cultum Deorum spectantia, quæ ipsi abhorrent & abominantur? Recusarent nempe, rejicerent & refutarent omnem hac de re tractationem ac disputationem, quod vos facitis in omnium Deorum templo, ubi tot & tantarum religionum reverentia & horror quidam animis incutitur & oculis ingeritur ex Deorum, qui illis sunt, præsentia, & tamdiu dubitatis rem adeò religiosam vestris sententijs sancire, proinde quasi res hæc agatur in templo Christianorum, & Numinibus & Numinum simulacris & religione prorsus vacuo. Hæc pluribus explicavi, quod sciam aliorsum duci horum verborum sententiam ab Annalium conditore, qui rectè vapulat Casaubono ob malè acceptum hujus loci sensum: Christianos autem & impios & ἀθέυς & omnis religionis hostes vulgo tunc temporis audisse notum est.

XII. Neque ipsi saltem Quindecimviri adhibiti fuerunt ad inspiciendos libros Sibyllinos, sed postmodum & Pontifices acciti fuerunt, qui in numerum aut ordinem Quindecimvirorum essent assumti. Et cùm aliqui in numero Quindecimvirorum erant Pontifices, nobiliore nomine Quindecimviri à Vopisco dicti sunt Pontifices, quantumvis hi, non tàm, quòd Pontifices, quàm quòd Decemviri essent, curam inspiciendorum librorum haberent, de quo legi sequentia merentur, quæ habet *Salmasius ad Flav. Vopiscum fol. 362.* (*Agite igitur & castimonia Pontificum*) Pontificibus munus assignat inspiciendorum Sibyllæ librorum, ut & Vlpius Silanus supra. Non Pontificum tamen,

men, sed Decemvirorum primum, mox ampliato numero Quindecim-virorum fuit. nec dicendum est ætate Aureliani id Pontificum fuisse officium, quod olim erat Quindecim-virorum: nam & Constantini Magni temporibus id etiam tum muneris habebant Quindecim-viri, ut scimus testimonio Lactantij, cujus hæc verba sunt: *lib. I. de falsa religione cap. VI.* harum *omnium Sibyllarum carmina & feruntur & habentur, præter quam Cumææ, cuius libri à Romanis occuluntur, nec eos ab ullo nisi à quindecimviris inspici fas habent.* Quid igitur statuemus? an Pontifices heic Quindecim-viri vocantur quod Quindecimviri sacris faciundis præessent, & sic quasi quidam erant Pontifices? non id verisimile arbitror. Illud verisimilius: Pontifices heîc appellari Quindecim-viros, quod multi ex Quindecimviris ijdem & Pontifices erant. Testes possum proferre inscriptiones veteres multas, sed una aut altera ero contentus

PETRONIVS APOLLODORIVS. V. C.
PONTIFEX MAIOR. XV. VIR. SACR. FAC.
item
LVCIO. AVRELIO. AVIANIO. SYMMACHO. V. C.
PONTIFICI. MAIORI. XV. VIRO. SACRIS. FACIVN.
item
M. MÆCIO. MEMMIO. FVRIO. BALBVRIO
CÆCILIANO. PLACIDO. C. V.
PONTIFCI. MAIORI. AVGVRI. *PVBLICO. P. R. QVIRITIVM. QVINDECEMVIRO. SACRIS. FACIVNDIS CORREC.*

Cum igitur in Quindecim-virorum numero multi Pontifices quoque essent nobiliori nomine Pontifices eos vocavit, qui tamen non eo, quod essent Pontifices, curam servandorum & inspiciendorum librorum Sibyllæ habebant; sed quod Quindecimviri. Si cui hæc sententia non placebit, aliam illi per me liceat excogitare. Non possum aliam rationem comminisci, quare Pontificibus tribuat, quod erat Quindecim-virorum proprium. Quibus addi possunt, quæ idem *Salmasius ad Vopiscum fol. 361.* ad illa verba (*Agite igitur Pontifices*) notat. Multa diversa reperio & in hac librorum Sibyllæ inspectione ab ea consuetudine, quam adeundis & inspiciendis ijsdem libris veteres observârunt. Primum non Pontifices, ut heic, sed Decemviri ex Senatus decreto libros Sibyllinos adibant, & illis inspectis renuntiabant, quid facto esset opus

opus, idque fieri jubebat Senatus ex sententia aliquando Pontificum, si quid incideret, quod eorum sententiam requirebat.

XIII. Ulterius videndum est, quando, & quibus de causis inspecti fuerint libri Sibyllini? Ubi singula per partes declarabo. Antequam verò ad ea, quæ fatum urbis simpliciter concernebant, exempla me conferam, tres saltem afferam casus, quorum *Primus* hic est, ex autoritate Sibyllinorum versuum conditum esse oppidum. Sic *Eporedia Salassiorum* Urbs, hodie *Hiaurea* olim ex Sibyllinorum librorum Oraculo à Romanis condita, & ab Eporedicis, quo nomine Galli præstantes equorum domitores sua lingua appellabant, nominata. *Plinius l. 3. c. 17. fol. 25. Natural. Histor.* Inde à quibusdam *Eporedia* dicta est *Sancta*, quippe quæ à Sibyllinis Oraculis tanquam divinis eloquijs suam sortita est originem. *Secundus* est de translatione *simulacri Magnam Matrem repræsentantis.* Nam autoritate Oraculi à Sibylla Cumana prolati simulacrum Magnæ Matris seu Cybeles Pessinunte urbe Phrygiæ à Regibus Attalicis splendidè quondam extructâ translatum est Romam. Quod tradit *Ammianus Marcellinus lib. 22 pag. 236.* Ab oppido *Pessinunte* tempore belli Punici Secundi *carmine Cumano* monente per Scipionem Nasicam simulacrum translatum est Romam. De eo agit itidem *Strabo lib. 12. Geograph. fol. 597.* ubi loquitur de Pessinunte: *Locus sacer*, inquit, *ab Attalicis Regibus magnificè est exornatus templo, porticibusq; albi lapidis: illustre id fanum Romani fecerunt, cùm inde simulacrum Deæ acciverint Sibyllæ Oraculo moniti.* Strabo quidem Sibyllini moniti meminit, sed à quanam Sibylla illud fuerit profectum non addit, secus atque Marcellinus, qui illud Cumanæ Sibyllæ refert acceptum. *Herodianus lib. 1. c. 11. pag. 35. & 36.* prolixè sed egregiè totam rem enarrat. Verba saltem è versione *Angeli Politiani* afferam. *Pessinunte Phryges olim Orgia colebant ad ipsum fluvium Gallum, à quo etiam evirati Deæ sacerdotes cognominantur. Sed ubi res Romana crevit, responsô acceptô, mansurum imperium atque ad summum auctum iri, si Pessinuntiam Deam ad se transferrent. Missi in Phrygiam legati sunt petitum Deæ simulacrum. Quod quidem facilè concessum est consanguineos se dictantibus, atque oriundos ab Ænea Phryge. Quum itaque navigio devectum simulacrum ad ipsas Tiberis fauces appulisset, (quibus tum Romani vice portuum utebantur) confestim divina quadam vi navigium substitit, neque ullis populi Romani certatim trahentis moveri viribus potuit, donec Vestalis Sacerdos adesset. Ea cùm virginitatem perpetuò servandam polluisse falsò argueretur*

 damna-

damnationem metuens supplex petiit à populo, ut Iudicium de se Deæ Pessinuntiæ committerent. *Quô impetratô Zonam recinxit*, eamque proræ injecit, *clarè precata*, ut si intemeratam se esse ac virginem Dea sciret, navim progredi juberet. *Quæ ubi dixit, statim alligatam Zonam manu ductam navis sequi cœpit. Ita sunt pariter Romani manifestam Numinis divinitatem atque innocentiam virginis admirati. Vide Lactantium l. 2. c. 7. pag. 175. Divinar. Institut.* In hac historia refert *Herodianus* Romanos ex accepto quodam responso illam magnam matrem transtulisse Romam. Quo tamen responso aliud intelligi non potest, quàm vaticinium Sibyllinum, cujus autoritate commoti Cybeles simulacrum Romam deducere conati sunt Romani. *Arnobius l. 7. p. 253.* Jussis vatum magnam istam matrem translatam fuisse Romam dicit. Verba ejus hæc sunt. *Sed & magna mater accita ex Phrygio Pessinunte* jussis consimiliter vatum *salutaris populo & magnarum causa lætitiarum fuit.* Ubi Sibyllini Oraculi mentio non fit, neque additur: Quod ad prodigium aliquod Romani libros Sibyllinos adierint; *Livius* tamen, qui *lib. 29. c. 10. fol. 340.* eandem historiam recenset, scribit, prodigio quodam impulsos Romanos fuisse, ut adirent libros Sibyllinos, è quibus demum hoc consilium de magnæ matris simulacro Romam transferendo acceperunt. Verba Livij hæc sunt: *Civitatem eo tempore recens religio invaserat*, inventô carmine in libris Sibyllinis, *propter crebrius eo anno de cœlo lapidatum inspectis. Quandocunque hostis alienigena terræ Italiæ bellum intulisset, eum pelli Italia vincique posse, si mater Idæa Pessinunte Romam advecta esset. Id carmen* ab Decemviris inventum *eò magis Patres movit, quod & Legati, qui donum Delphos portaverant, referebant: & sacrificantibus ipsis Pythio Apollini omnia læta exta fuisse, & responsum Oraculo editum: Maiorem multò victoriam, quàm cujus ex spoliis dona portarent, adesse populo Romano. Vide Vossium l. 2. c. 52. p. 591. & 592. de Origin. & Progr. Idolatriæ. Tertius* est, quòd è libris Sibyllinis Pœnam, quâ virgo vestalis stupri convicta affici debeat, Romani didicerint. De hoc ita scribit *Dionysius Halicarnassensis lib 4. fol. 200.* Supplicium, quo in eas (scilicet Virgines Vestales) animadvertunt Pontifices, ipse *nimirum Tarquinius* videtur invenisse primus; Sive id certo consilio, sive (ut quidam opinantur) in somnijs monitus instituit: quæ post illius obitum inter *Sibyllina Oracula reperta* dicunt *Sacrorum enarratores.* Modus autem supplicij, ait, quô vitiatæ puniuntur, *superiore libro* à nobis indicatus est. *Libro*, inquam, *tertio fol. 127. & 128.* τιμαὶ δ' αὐταῖς

(ζῶπυ

(ἤπου ταῖς παρθένοις τῆς Ἑστίας) ἀποδέδονται παρὰ τῆς πόλεως πολλαὶ καὶ καλαί, δι' ἃς οὔτε παίδων ἐστὶν αὐταῖς πόθος οὔτε γάμων. Τιμωρίαι τε ἐπὶ τοῖς ἁμαρτανομένοις κεῖνται μεγάλαι, ὧν ἐξετασταί τε καὶ κολασταὶ κατὰ νόμον εἰσὶν οἱ ἱεροφάνται, τὰς μὲν ἄλλο τι τῶν ἐλαττόνων ἁμαρτανούσας ῥάβδοις μαστιγοῦντες, τὰς δὲ φθαρείσας αἰσχίστῳ τε καὶ ἐλεεινοτάτῳ παραδιδόντες θανάτῳ. Ζῶσαι γὰρ ἔτι πομπεύουσιν ἐπὶ κλίνης φερόμεναι τὴν ἀποδεδειγμένην τοῖς νεκροῖς ἐκφορὰν ἀνακλαιομένων αὐτὰς καὶ προπεμπόντων φίλων τε καὶ συγγενῶν· κομισθεῖσαι δὲ μέχρι τῆς Κολλίνης πύλης, ἐντὸς τοῦ τείχους εἰς σηκὸν ὑπὸ γῆν κατεσκευασμένον ἅμα τοῖς ἐνταφίοις κόσμοις τίθενται, καὶ οὔτ' ἐπὶ σήματος οὔτ' ἐναγισμῶν, οὔτ' ἄλλου τῶν νομίμων οὐδενὸς τυγχάνουσι. Id est, *Honores autem iis* (nempe Virginibus Vestalibus) *à civitate multi & eximii, propter quosque nec liberorum nec nuptiarum tanguntur desiderio. Pœna quoque delinquentibus graves sunt propositæ, in quas inquirere atque animadvertere Pontifices lex iubet, virgis* cædentes *deprehensas in leviore crimine, stupratas verò miserabili longè fœdißimo tradentes supplicio.* Vivæ enim funebri pompa efferuntur, amicis ac cognatis cum lacrymis lecticam prosequentibus delatæque ad Collinam portam intra muros in subterranea cella cum sepulchralibus ornamentis inhumantur, nec monumento dignatæ, nec parentatione, alijsque solennibus defunctorum honoribus. Addit quoque Dionysius sequentia. *Admissum autem circa sacra piaculum tum aliis prodigiis deprehenditur, tum maximè,* si ignis extinguatur, *quòd formidolosißimum Romanis habetur, ut perniciem civitati minitans quacunque tandem causa acciderit, & post multam procurationem alius ignis in templum adducitur.* Olim alia pœna erat, nempe virgis cæsa virgo vestalis stuprata necabatur, sicuti in *Rhea Sylvia* id videre possumus apud *Dionys. Halicarn. lib. 1. fol. 64.* Judices, ait, postquam intellexerunt mentem Regis implacabilem, eandem & ipsi dixerunt sententiam, ut *iuxta Legem mater ob violatam pudicitiam virgis cæsa necaretur, proles verò abiiceretur in fluvium.* Nunc autem vivæ tales defodi jubentur *sacris legibus.* Vbi per *sacras leges* hoc loco nihil aliud intelligitur, quàm monita, & jussa quæ reperta fuerunt in Oraculis Sibyllinis, quæ postmodum Pontifices & Senatus tanquam Leges observabat. Et possunt dici *sacræ* partim; quòd à divinis vaticinijs traxerint ortum: partim quoque, quòd ad personas & res sacras pertineant. Exemplum habemus *in Opimia* Vestali custode ignis sacri, quæ post amissam pudiciti-

am sacra polluit. Cum autem Pontifices ex quæstionibus & alijs argumentis verum esse criminis indicium cognovissent, *damnatam* demtis è vertice infulis per forum traduxerunt, *vivamq́ in specu subterraneo intra mœnia defoderunt.* Duos vero illos, quos vitium ei intulisse compertum erat, publicè verberatos confestim necaverunt. *Dionys. Halicarnass. l. 8. fol. 556.* Vide & *Iacobum Gutherium l. 2. c. 2. pag. 162. & seqq. de vetere iure Pontific.* egregiè de hoc argumento disserentem. Quantumvis itaque pœna acerba flagellatio scilicet & interfectio in virgines Vestales, quæ se stuprari passæ erant, decreta fuerit, & quidem publica quadam lege; postquam tamen hoc genus supplicij de viva defodienda corrupta vestali in libris Sibyllinis fuit deprehensum, priore modô prætermissô, hunc tanquam divinitus revelatum receperunt, & postmodum observârunt. A quanam verò Sibylla hoc genus pœnæ profectum sit, non memorat *Dionysius*: & dubio procul ipsi inspectores deprehendere non potuerunt ob magnam confusionem carminum in illis voluminibus collectorum, ut difficile fuerit, cuique Sibyllæ sua oracula assignare. De quo alibi actum est.

XIV. Adibant autem libros Sibyllinos ex *SCto*, vel quando seditione turbabatur status Reipublicæ, aut in bello insignis quædam clades accepta erat, aut prodigia quæpiam dubia magnumq́ue aliquod portendentia nata sunt. *Rosinus l. 3. c. 33. p. 494. Antiqu. Roman.* Quo cum consentit *Erasmus Schmidius in Orat. 2. de Sibyll. fol. 1499.* dum sequentia profert: Tarquinius, ait, accedente præsertim Augurum consilio publicæ eos saluti consecravit. Constituit itaque, & post eum Senatus Populusq́ue Romanus perpetuò ratum habuit, *ut in rebus arduis libri Sibyllini tanquam Fatorum futurorum Oraculum quod iam à Sacerdotibus ad hoc destinatis ex SCto adirentur: putà si tetra prodigia apparuissent, aut nunciata fuissent, & Romani scire desiderarent, quid faciendum esset ex aliquo portento, quod difficili coniectura magnum aliquid præsignificare putabatur.* Cùm v. gr. duo Soles visi essent, aut tres Lunæ, & cùm Sol noctu visus esset &c. cum ex cœlo fremitus auditus, & cùm cœlum discessisse visum, atque in eo animadversi globi fuissent, terræq́ue motus extitissent. Rursus si pestis oborta, aut fames grassaretur, aut quæcunque prodigia apparuissent. In hisce & similibus casibus omnibus præeunte SCto libros Sibyllinos à Sacerdotibus adire Romani voluerunt. Atque hæc librorum Sibyllinorum usurpatio non ad breve aliquod tempus, aut rarò, sed sæpe multisq́ue seculis ad mille prope

annos

annos urbem è gravissimis periculis liberasse credita fuit. Hucusque *Schmidius*.

XV. Et 1. Quod tetra prodigia attinet, jubebantur Decemviri Sibyllinos libros adire, eosque inspicere, cùm nunciata essent. *Cicero lib. 1. c. 43. 44. fol. 189. de Divinat.* ubi dicit: Haruspium responsa & Sibyllarum Oracula convenisse. Similiter libros Sibyllinos inspectos fuisse, cùm tetra prodigia essent nunciata, refert *Livius l. 7.* Qu. Fabius Maximus Dictator, quo die Magistratum inijt, vocatô Senatu, ab Dijs orsus, cùm docuisset Patres: plus negligentiâ ceremoniarum auspiciorumque, quàm temeritate atque inscitia peccatum à *C. Flaminio Cos. esse*, quæque piacula iræ Deûm essent. ipsos Deos consulendos esse pervicit, ut (quod non fermè decernitur, *nisi cum tetra prodigia nunciata sunt*) Decemviri *libros Sibyllinos* adire juberentur. *Idem l. 22. c. 36. fol. 210.* ubi ita scribit: Cœterùm prius, quàm signa ab urbe novæ legiones moverent, Decemviri libros adire atque inspicere jussi, propter territos vulgo homines *novis prodigiis*: nam & Romæ in *Aventino*, *& Aricia* nunciatum erat, *sub idem tempus* lapidibus pluisse, & multô cruore, signa in Sabinis cædis, aquas è fonte calidas manasse. Similiter *Livius l. 21. c. 62. fol. 206.* scribit: Ob prodigia *libros* adire Decemviri jussi. Quod autem lapidibus pluisset in Piceno, *novendiale sacrum edictum*, & subinde alijs procurandis prope tota civitas operata fuit. Vide *Godelevaum* ad hunc textum *fol. 193.* qui explicat, quid sit *Procurare prodigia*, *& operari in sacris*. Alium locum habet *Livius l. 22. c. 1. fol. 208.* quô iterum indicatur: *Ob prodigia Decemviros inspexisse libros Sibyllinos.* Illustre quoque est testimonium, quod habetur apud *Livium lib. 40 c. 19. fol. 507.* Prodigia multa fœda, & Romæ eo anno visa & nunciata peregrè. *In area Vulcani & Concordia sanguinem pluit, & Pontifices hastas motas nunciavere. Et Lanuvii simulacrum Iunonis Sospita lacrymasse.* His prodigijs anxij Patres decreverunt, ut & COSS. quibus Dijs videretur, hostijs majoribus sacrificarent, & *Decemviri libros adirent*. Eorum Decreto *supplicatio circa omnia pulvinaria* Romæ in diem unum indictum est. Iisdem autoribus & Senatus censuit, & Consules edixerunt, ut per totam Italiam triduum supplicatio & feriæ essent. *Et c. 45.* ejusdem libri *fol. 515.* Hæc inter prodigia nunciatum & ab *Reate tripedem natum mulum.* Ob ea *Decemviri iussi adire libros*, qui edidere, quibus Dijs, & quot hostijs sacrificaretur: & ab fulminibus complura loca deformata ad ædem Jo-

vis ut ſupplicatio diem unum eſſet. Egregium locum habet *Cenſorinus c. 17. p. 113 de Die Natali.* quem apponere non piget. *Cum multa portenta fierent & murus ac turris, quæ ſunt intra portam Collinam & Eſquilinam de cœlo eſſent tacta, & ideo libros Sibyllinos Decemviri adiſſent; renunciarunt, ut Diti Patri & Proſerpinæ ludi Terentini in campo Marti fierent, & hoſtiæ furvæ immolarentur, atque ludi centeſimo quoque anno fierent.* Interdum quoque propter prodigia, licèt exinde non minima mala metuerent, Decemviri libros Sibyllinos non inſpexerunt, ſed alia remedia ad placandam Cœlitum iram adhibuerunt. *Livius l. 2. c. 42. fol. 36.* Idem *l. 27. c. 4. fol. 298. Lib. 28. c. 11. fol. 321. Lib. 40. c. 2. fol. 502.* Vnum ſaltem ex eodem *Livio l. 40. c. 58. fol. 518. addam*, ubi ait. *Quando Lectiſternium erat, Deorum capita, quæ in lectis erant, averterunt ſe: lanaq; cum integumentis, quæ Iovi appoſita fuit, decidit. De menſa oleas quoque prægustâſſe mures, in prodigium verſum eſt. Ad ea expianda nihil ultra, quàm* ut Ludi inſtaurarentur, *actum eſt.* Hac occaſione pauca dicam *de LECTISTERNIIS & SVPPLICATIONIBVS.* Lectiſternium erat ritus ſupplicandi Dijs frequens apud Romanos, cùm videlicet ſtratis in templo lectis Numina ſibi propitia rebus gerendis expoſcerent, vel avertendi mali cauſa opem quærerent. *Godeleveus ad l 5. c. 13. fol. 373. Livii.* Supplicationes itaque & Lectiſternia, ad templa & pulvinaria Deorum vel ob lætitiam vel ad avertendam Deorum iram peragebantur. In quibus plerumque Senatores ac Patricij cum conjugibus & liberis ad delubra & aras procedebant, nonnunquam omnes tribus & ordines etiam Pontifice Maximo præeunte: ſed & alijs perſæpe modis. In his enim & pueri ingenui, & libertini & virgines ibidem omnes coronati, & lauream præferentes, cum pompa thenſas & fercula Deorum deferentes, tum & ſacro carmine ſupplicare & Deûm pacem expoſcere ſolebant. Lectiſternia verò & pulvinaria juxta Deorum aras ſtatuebantur cum alijs ornamentis: quin & frondes virentes & odoriferæ, ac flores omnis generis & verbenæ ante Deûm ædes & in ipſis templis ſternebantur. Et hæc *pulvinaria apparata Divorum Lectica erant*, in quibus Numina pro Majeſtate juxta aras ſublimia extabant, quibus faſciculi ex verbenis (*ſtruppi* vocati) pro capitibus locabantur. *Servius lib. 3. Georgic.* ait, Pulvinaria pro templis ponimus, cùm ſint propriè lectuli, qui ſterni in quibuſdam templis conſueverant. *Acron in Horat. lib. 1. ad 17. Carmin.* Pulvinaria dicebantur aut lecti Deorùm aut tabulata, in quibus ſtabant

Nu-

Numina; ut eminentiora viderentur. Nam, ut *Tiraquellus* notat ad *l. 5. c. 26. fol. 592. Genial. dier. Alex. ab Alexandro.* solebant Romani vel devictis hostibus, vel quovis alio modo, re publicâ bene gestâ, & periculô propulsatô ad omnia pulvinaria Deorum supplicationem decernere, atque aliquot dies festos lætitia publica celebrandos indicere. *Lilius Giraldus Syntagm. 17. Histor. Deor. fol. 694.* notat: Lectisternium in Capitolio sic celebrari solitum: stratis tribus lectis convivium tribus Dijs apponebatur. *Iovi, Iunoni, & Minervæ. Iovi simulachrum in lectulo reponebatur: Iuno verò & Minerva in sellis, ea ratione, quam alibi attuli locabantur.* Atque ita ad cœnam invitantur Egregiè quoque *Rosinus l. 4. c. 15. p. 645. Antiqu. Roman.* Moris, inquit, apud Romanos erat, ut nonnunquam placandæ alicujus Dei iræ causa convivium in templo illius exhiberetur, Dijsque tanquam epulaturis, aut cubituris lectis sternerentur. Meminit Epuli Jovis *Valerius Maximus l. 2. c. 1. n. 2. p. 48.* Jovis Epulo, ait, ipse in lectulum, Juno & Minerva in sellas ad cœnam invitantur. Huic verò Epulo indicendo Triumviri, vel Septemviri Epulonum præerant, quod testatur *Sextus Pompeius* his verbis: Epulonos dicebant antiqui, quos nunc Epulones dicimus. Datum autem est his nomen quòd Epulas indicendi Jovi cœterisque Dijs potestatem haberent. Hæc Rosinus!

XVI. Deinde & 2. Quando vis morbi, aut ingens pestis grassabatur, Sibyllini libri è SCto à Decemviris aditi, & inspecti sunt. *Livius l. 5. c. 13. fol. 91.* ait: *Gravis pestilénsque omnibus animalibus æstas excepit. Cuius insanabili pernicie quando nec causa, nec finis inveniebatur, libri Sibyllini ex SCto aditi sunt: Duumviri Sacris faciendis, lectisternio tum primum in urbe Romana facto, per dies octo Apollinem, Latonamq; & Dianam, Herculem Mercurium atque Neptunum tribus, quàm amplissimè tum parari poterat, stratis lectis placavere. Privatim quoque id sacrum celebratum est. Tota urbe patentibus ianuis, promiscuoq; usu rerum omnium in propatulo posito, notos ignotosq; passim advenas in hospitium ductos ferunt, & cum inimicis quoque benignè ac comiter sermones habitos, iurgiis ac litibus temperatum: vinctis quoque demta in eos dies vincula: religioni deinde fuisse, quibus eam opem Dii tulissent, vinciri.* Idem *l. 7. c. 27. fol. 119.* refert, quòd exorta pestilentiâ in civitate Senatus imperaverit Decemviris, ut libros Sibyllinos inspicerent; quorum monitu quoque *Lectisternium* indictum fuit. Ita cùm aliquando tanta pestilentiæ vis esset in agris, foris, & conciliabulis, ut *Libitina* tunc vix sufficeret, Decemviri libros adie-

runt. *Livius lib. 40 c. 19. fol. 507.* Dicitur autem *Libitina sufficere*, quando vis magna morientium est. *Cœlius Rhodigin. l. 29. c. 18. fol. 1642. Lection. antiqu.* Libitina siquidem fingebatur Dea, quæ mortuis præsideret: quamvis vox istæc sumatur non rarò pro morte ipsa, aut pro *feretro*, quò mortui exportabantur; Imò pro funebri apparatu, quem libitinarij inusum exequiarum locabant Hinc *porta* per quam funera efferebantur, dicta est *Libitinensis. Iacob. Guther. lib. 1. c. 15. p. 90. de Iure Manium.* Adde *Kirchman. l. 1. c. 9. p. 68. & seqq. Et l. 2. c. 20. p. 262. de Funerib. Romanor.* Egregium quoque est testimonium, quod habetur apud *Livium l. 41. c. 21. fol. 525.* Cum pestilentiæ finis non fieret, Senatus decrevit, ut Decemviri libros Sibyllinos adirent. Vide *Barnab. Brisson. l. 2. p. 204 & 205. de Formulis.*

XVII. Memorabile exemplum 3. exhibet *Dionysius Halicarnassensis lib. 10. fol. 628.* quod accidit, & quidem tale, cui simile nec in publicis monumentis annotatum, nec ulla hominum memoria observatum fuit. Visi sunt fulgores per cœlum discursitantes, ignisque incendia eodem loco consistentia, terræ mugitus tremoresque continui; spectraque mutatis subinde formis per aërem sese ostentantia: voces sunt auditæ humanam mentem territantes, & quæ hujus generis alia contingebant. Et quod hactenus invisum inauditumque plus cæteris omnibus prodigijs terruit, erant nivis in modum copiosè cœlitus demissa carnis frusta majora minoraque, quorum bonam partem in sublimi advolantes omnis generis volucrum greges rostris diripiebant. Reliquum quod in terram decideret, in urbe agrisque sparsum jacebat multo tempore, nec colorem odoremve mutans nec putredine diffluens contra morem veterascentium carnium. Id portentum vates indigenæ interpretari non potuerunt. Tum in *Sibyllinis Oraculis* inventum est, fore, ut in urbem intrantibus hostibus externis magno libertatis periculo dimicaretur; sed externum bellum initium ab intestina seditione sumturum, cujus semina ex urbe exterminanda esse, Dijsque tum votis tùm Sacrificijs placatis averruncanda mala: quod si fieret, certam de hostibus sperandam esse victoriam. Cui jussui si populus fecisset satis, clades tanta non fuisset insecuta; verùm ubi intestina dissidia non tollebantur, sed magis magisque crescebant, insecutum quoque est juxta Sibyllarum prædictionem *Bellum externum*, non sine ingenti civium clade. Cui ferè simile est, quod in eodem libro narrat *Halicarnassensis fol. 634.* his verbis: Vbi *Publ. Valerius Poblicola, & Caius*

Caius Claudius Sabinus Consulum Magistratum inierunt, periculum, quale nunquam ante, ab externis gentibus in urbem incubuit per intestinas seditiones intra mœnia ascitum, ut & libri Sibyllini præmonebant, & signa divinitus edita superiore anno portenderant.

XIIX. Ob terræ motum(4.) libros Sibyllinos aditos & inspectos fuisse refert *Livius lib. 34. c. 45. fol. 416.* Historia ita se habet: *Principio anni, quo L. Cornelius, & Qu. Mutius Consules fuerunt, terræ motus ita crebri nunciabantur, ut non rei tantum ipsius, sed feriarum quoque ob id indictarum homines tæderet. Nam neque Senatus haberi, neque Respublica administrari poterat, sacrificando expiandoq; occupatis Consulibus: postremò* Decemviris adire libros *jussis, ex responso eorum per triduum supplicatio fuit.* Sic ex Oraculis Sibyllinis inventum fuit salutare quoddam remedium, quô istud malum aliàs satis horrendum averteretur.

XIX. Ita Cereri (5) institutum fuit jejunium è Sibyllinis Oraculis, & malum, quod impendebat, declinatum. Tempore Publij Cornelij Consulis boves duo domiti in carinis per scalas pervenerunt in tegulas ædificij, quos vivos comburi, & cinerem eorum in Tiberim conjici jusserunt aruspices. Tarracinæ & Amiterni nunciatum est, aliquoties lapidibus pluisse: Minturnis ædem Jovis, & tabernas circa forum de cœlo tactas esse. Vulturni in ostio fluminis duas naves fulmine ictas conflagrasse. Eorum prodigiorum causa libros Sibyllinos Decemviri cùm adijssent, renunciarunt: *Ieiunium esse instituendum Cereri, & id quinto quoque anno servandum. Et ut unum diem supplicatio esset, coronati supplicarent: & novendiale sacrum fieret: & Cos. Publ. Cornelius quibus Diis, quibusq; hostiis edidissent Decemviri, sacrificaret.* Ad quem locum videri poterit *Guilielmus Godelevaus fol. 408.* Nam uti Decemviri jusserunt, aut potius consuluerunt, omnia remedia ad avertenda mala fuerunt adhibita, uti egregiè illud videri poterit apud *Livium, lib. 43. c. 13. fol. 550.* Qui *lib. 42. c. 20. fol 533.* simile quoq; exemplum affert, de consilio Decemvirorum, quando illi è SCto libros Sibyllinos inspexerunt, & modum placandi Deos proposuerunt. *Adde lib. 45. c. 16. f. 573.*

XX. Magna fuit calamitas apud Romanos, quòd omnes imprægnatæ mulieres immaturos & imperfectos partus ederent. Contigit id anno Vrbis 251. & ante Christi nativitatem 501. Eo siquidem tempore omnes gravidæ mulieres abortu quodam mutilos edebant partus, neque quicquam perfectum pariebant. Poblicola autem ex libris Sibyllinis, placatis Dijs inferis, ludisque ex Oraculo Apollinis instaura-

stauratis, & fiducia divini Numinis erecta civitate jam ad hominum se convertit minas. E quo loco illud licet addiscere, quod etiam alijs præter Decemviros licuerit Sibyllinorum carminum prædictiones ad effectum perducere. *Plutarch. in vita Poblicola fol. 107. & 108.* Ipse igitur ex præscripto Sibyllinorum carminum Ditem placavit & nonnulla jussu Delphici Oraculi addidit Spectacula, atque ita urbem in meliorem de Dijs spem reduxit.

XXI. Belli quoque tempore consultos fuisse libros Sibyllinos deprehendo apud *Plutarchum in Vita Fabii Maximi fol. 176.* Is enim Dictator creatus ut populo vim imperij speciemque illico ostentaret, quô magis obsequentibus & dicto audientibus civibus niteretur, processit cum viginti quatuor fascibus. *Mox ritè à Diis immortalibus orsus, cùm doceret populum, negligentiâ & contemtu ceremoniarum non autem ignaviâ militum à Consule peccatum esse, admonuit, ut hostes non timerent at Deos placarent, colerentq; : non ille quidem, quô superstitione animos implicaret, imò, ut virtutem confirmaret pietate, & spe divinæ opis formidinem eximeret, & elevaret hostilem. Et tum multos arcanos & utiles ipsis libros consuluit, quos* Sibyllinos *appellant. Perhibent sortes nonnullas iis libris proditas illius tempestatis casibus & gestis fuisse consonas.* Aliud exemplum refert *Plutarchus in vita M. Marcelli fol. 299.* & quidem his verbis: Non mediocrem pavorem Romanis suscepturis bellum propinquum & finitimum vicinia & antiqua gloria Gallorum injecit, quos timuisse eos præ cœteris, quod urbem aliquando cæpissent, apparet. Trepidationis argumentum (neque enim tot uno tempore legiones habuisse in armis populus Romanos vel ante, vel post unquam fertur) quâ sacrificia extraordinaria fuere. *Qui cùm ne institutis barbarorum ac immanium gentium essent alienißimi, ac de Diis cumprimis & Græcis piè sentirent, tum bello ingruente ex vaticiniis* librorum Sibyllinorum *Græcum & Græcam, Gallum & Gallam in foro boario, quod vocant, sub terra vivos demiserunt: quibus ad hunc usque diem Græcis & Gallis sacra arcana & nefanda faciunt mense Novembri.*

Sic Maxentius, cum Constantinus urbem Romam obsedisset, & ante eam castra metatus esset, Sibyllina Oracula consuluit teste *Zosimo l. 2. p. 416. Histor.*

Μαξέντιος δὲ ἐναποκλείσας ἑαυτὸν τοῖς θεοῖς ἱερεῖα προσῆγαγε, καὶ τῶν ἱερoσκόπων περὶ τῆς τοῦ πολέμου τύχης ἀναπυνθάνετο, καὶ τὰ Σιβύλλης διηρευνᾶτο

ἐρευνᾶτο καί τι θέσφατον εὑρὼν σημαῖνον ὡς ἀνάγκη τὸν ἐπὶ βλάβῃ πράττοντα, Ῥωμαίων οἰκτρῷ θανάτῳ περιπεσεῖν. πρὸς ἑαυτοῦ τὸ λοιπὸν ἐλάμβανεν, ὡς δὴ τοὺς ἐπελθόντας τῇ Ῥώμῃ καὶ ταύτην διανοουμένους ἑλεῖν ἀμυνόμενος. Ἐξέβη δὲ. ὅπερ ἦν ἀληθές. *Maxentius, ubi se ipsum inclusit, Diis victimas offerebat, & extispices de belli eventu consulebat, & Sibyllina Oracula pervestigabat. Et ubi reperisset Oraculum: quo significaretur, in fatis esse, ut qui ad perniciem populi Romani spectantia designaret, miserabili morte periret. De semetipso id accipiebat, quasi Romam adortos, eamq́; capere cogitantes propulsaret. Eventus autem comprobavit, id quod verum erat.* Etenim, ut hoc obiter saltem attexam, cùm Maxentius copias suas extra urbem produxisset, & pontem, quem ipse junxerat, transijsset, infinita quædam noctuarum multitudo devolans muros complebat. Quô conspectô: Constantinus militibus suis, ut confestim aciem struerent, imperavit. Sed stragem passus Maxentius, fugâ cum reliquis arreptâ, per pontem fluminis ad urbem contendebat; sed cùm tigna pontis tantam vim oneris minimè sustinere possent, adeoque rumperentur, ille unâ cùm reliquâ multitudine fluminis impetu abreptus periit. Insigne exemplum extat apud *Flavium Vopiscum in vita Aureliani fol. 215. Edit. Paris.* de consultis libris Sibyllinis eo tempore, quô Marcomanni erumpebant, & cuncta vastabant. In illo autem timore, quo Marcomanni cuncta vastabant, ingentes Romæ seditiones motæ sunt, paventibus cunctis ne eadem, quæ sub Gallieno fuerant, provenirent. Quare etiam libri Sibyllini noti beneficijs publicis inspecti sunt; inventumque, ut in certis locis sacrificia fierent, quæ Barbari transire non possent. Facta denique sunt ea, quæ præcepta fuerant in diverso cærimoniarum genere: atque ita Barbari restiterunt, quos omnes Aurelianus carptim vagantes occidit. Libet ipsius Senatusconsulti formam exponere, quo libros inspici clarissimorum jussit auctoritas. Die tertio Idus Januarias, Fulvius Sabinus Prætor Vrbanus dixit:

Referimus ad vos, Patres Conscripti, Pontificum suggestionem, & Aureliani Principis litteras, quibus iubetur, ut inspiciantur fatales libri, quibus spes belli terminandi sacrata Deorum imperio continetur. Scitis enim ipsi, quotiescunque gravior aliquis exstitit motus, eos semper inspectos: neque prius mala publica esse finita, quàm ex iis sacrificiorum processit auctoritas.

Tunc surrexit primæ sententiæ Ulpius Syllanus, atque ita loquutus est;

Sero

Serò nimis, Patres Conscripti, de Reipublicæ salute consulimus, serò ad fatalia iussa respicimus; more languentium, qui ad summos medicos nisi in summa desperatione non mittunt; proinde quasi peritioribus viris maior facienda sit cura; cum omnibus morbis occurri sit melius. Meministis enim, Patres Conscripti, me in hoc ordine sæpe dixisse, iam tum cùm primum nunciatum est Marcomannos erupisse, consulenda Sibyllæ decreta, utendum Apollinis beneficiis, inserviendum Deorum immortalium præceptis: recusasse verò quosdam, & cum ingenti calumnia recusasse, cum adulando dicerent: tantam Principis esse virtutem, ut opus non sit Deos consuli; proinde quasi & ipse vir magnus non Deos colat, non de Diis immortalibus speret. Quid plura? audivimus litteras, quibus rogavit opem Deorum, quæ numquam cuiquam turpis est, ut vir fortissimus adiuvetur. Agite igitur, Pontifices, qua puri, qua mundi, qua sancti, quà vestitu animisque sacris commodi, templum adscendite, subsellia laureata constituite, veteranis manibus libros evolvite, fata Reipublicæ, quæ sunt æterna, perquirite. Patrimis matrimisq; pueris carmen indicite: nos sumtum sacris, nos apparatum sacrificiis, nos aris ambarvalia indicemus,

Post hæc interrogati plerique Senatores sententias dixerunt, quas longum est innectere. Deinde alijs manus porrigentibus, alijs pedibus in sententias euntibus, plerisque verbo consentientibus, conditum est Senatusconsultum. Itum est deinde ad templum, inspecti libri, proditi versus, lustrata Urbs, cantata carmina, amburbium celebratum, ambarualia promissa: atque ita sollemnitas quæ jubebatur, expleta. Est epistola Aureliani de libris Sibyllinis; nam ipsam quoque indidi ad fidem rerum:

Miror vos, Patres sancti, tamdiu de aperiendis Sibyllinis dubitasse libris; perinde quasi in Christianorum ecclesia, non in templo Deorum omnium tractaretis. Agite igitur, & castimonia Pontificum, cæremoniisq; solemnibus iuvate Principem necessitate publica laborantem. Inspiciantur libri: quæ facienda fuerint, celebrentur. quemlibet sumtum, cuiuslibet gentes captivos, quælibet animalia regia non abnuo, sed libens offero: neque enim indecorum est Diis iuvantibus vincere. Sic apud maiores nostros multa finita sunt bella, sic cœpta. Si quid est sumtuum, datis ad præfectum ærarii litteris decerni iussi. est præterea vestræ auctoritatis arca publica, quàm magis refertam esse reperio, quam cupio.

Ubi ad illa verba (*Sic apud maiores nostros multa finita bella*) Salmasius *fol. 363.* sequentia commentatur. Quando sic finita bella apud majo-

majores? quando sic cœpta? exemplum sanè non extat in historia Romana. Unicum quidem habetur apud Livium, quod libri Sibyllini, ut inspicerentur, Senatus decrevit, acceptâ ad Thrasymenum clade: quod factum esse instante Fabio Maximo Dictatore refert Livius, cum edocuisset Patres: *plus negligentiâ cerimoniarum auspiciorumq́, quàm temeritate atque inscitia peccatum à C. Flamino esse. Pervicit*, inquit, *ut, quod non fermè decernitur, nisi cum tetra prodigia nuntiata sunt, decemviri libros Sibyllinos adire iuberentur. Pervicit*: illud ostendit, quanta mole ac difficultate id obtinuerit Fabius. *Fermè* autem dicit *Livius*, quod etiam in magna pestilentia libros Sibyllinos consuli moris aliquando esset, alias verò ob causas, quàm quæ ex religione venirent, nunquam illi Sibyllæ libri inspiciebantur. Multò minus ad bella suscipienda conficiendaque sunt inspecti. Extra morem igitur veterum & consuetudinem sub Aureliano adiri libros Sibyllinos decrevit Senatus ad belli Marcomannici, quô premebatur Imperator, felicem eventum à Dijs obtinendum; sed & sacrificia illa ipsa, post inspectionem librorum, non ex more Romano fuisse facta videntur, quæ certis locis, quos Barbari non possent *adire*, facta sunt. Quibus sacrificijs peractis, ita Barbari restiterunt, quasi inligati & irretiti, & monstris quibusdam ac divinarum specierum horrore defixi, quæ omnia ex magicis potius observationibus, & incantationibus barbaricis, & ratione illa telestica, de qua supra diximus, sunt instituta, quàm illo usitato solitoque sacrificiorum more sacrorumque ritu veteribus Romanis usurpato. Et hæc fuisse videtur causa, quare tamdiu distulerit Senatus decernere, ut libri Sibyllini consulerentur, quod ejus rei exemplum non videbat neque apud majores, stante adhuc republicâ, neque sub alijs Principibus, qui ante Aurelianum fuere, qui nunquam ad Sibyllinorum librorum opem decurrere sunt soliti, cum bellis premerentur quà civilibus quà externis æquè magnis atque dubijs, atque hoc Marcomannicum. Quapropter non sine admiratione magna heic video Aurelianum scribere, sic bella apud majores fuisse cæpta, sic finita. Præterea obiter adducendum & illud esse existimo, quod idem *Salmasius ad fol. 361.* & quidem ad illa verba *(Veteranis manibus)* notare voluit, quando ita scribit; Hæc emendationem magis requirunt quàm expositionem: nam, ut Veteranâs manus interpretemur majorum Pontificum manus, & eos solos libris inspiciundis manus admovisse intelligamus, non etiam minores, nescio an alicui probari possit, mihi certè nullo modo probatur. Agamus

mus igitur, quod agendum est, ut quæ explicari aliter non possunt, emenuentur. Verus liber cum veteri editione habet *vetanis manibus*, quod transpositum est pro *venatis* atque id pro *velatis*, sic *prenum* pro *pralum*, uti in veteribus Glossis pro voce *pranum* manifestò legendum est *pralum*: ita hoc loco *venatis manibus* pro *velatis, manibus* scriptum est. Veteres in supplicationibus velatas manus habebant, unde *velatis manibus* scriptum est. Unde *velatis manibus* orare apud *Plautum in AmphithrAone*: de qua emendatione facile mihi assentietur, qui cogitabit aditionem istam & inspectionem librorum Sibyllæ non fuisse citra Supplicationem Nam per eam inspectionem Deorum opem rogabant, & piacula petebant, quibus irati Dij possent placari: idcirco Pontifices velatis manibus templum ascenderunt, & libros evolverunt. Observandum etiam heic, quâ cermoniâ jubentur libros inspicere Pontifices, ut mundi, puri, sancti, velatis manibus templum ascendant, laureata subsellia constituant, libros evolvant; quæ omnia libris illis inspiciendis apud veteres non fiebant, simpliciter enim jubebat Senatus, ut decem-viri libros adirent. Aditis libris supplicationes decernebantur, lectisternia indicebantur, & cœtera id genus ad ceremonias relligionesque pertinentia. Emendationem vero nostram illi soli negabunt esse veram, qui diem meridie lucere negare erunt parati. Atque hæc hactenus. Hisce annecti possunt ea, quæ itidem *Salmasius ad Vopiscum fol. 361.* & quidem ad illa verba (*Agite igitur Pontifices*) affert. Præterea nunquam consulebantur libri, nisi prodigijs nunciatis, ad quæ procuranda jubebat Senatus libros inspici. Livius lib. XXVI. *pervicit, ut quod non fermè decernitur, nisi quum prodigia nuntiata sunt, decem-viri libros Sibyllinos adire juberentur.* Nusquam igitur factum est, ut erumpentibus barbaris, aut Romanum solum vastantibus libros Sibyllinos adire juberet Senatus, heic factitatum esse videmus ad Marcomannorum eruptionem, & clade acceptâ apud Placentiam. Quod nunquam fecisse veteres certum est, ut clade quantumvis magnâ acceptâ & exercitibus ad internecionem cæsis, ob eam rem libri Sibyllini consulerentur, nisi si quando ceremoniarum auspiciorumque negligentia peccatum esse, & aliquid non rite factum, quod ad relligiones pertineret, diceretur. Tunc enim libros consulebant, ad iram Deorum piandam, & de integro faciundum id, quod perperam esset factum. Falsum igitur, quod dixit Prætor Urbanus, cùm ad Senatum referret; semper illos libros inspectos fuisse

fuisse quotiescunque gravis aliquis motus extitisset. Per graviorem enim motum intelligit tumultus hosticos, & gentium barbararum eruptiones, id quàm verum sit, ipse viderit. Nullus potuit gravior motus extare, quàm cum Hannibal esset ad portas, aut Galli adventare nunciarentur. In illis tamen motibus aut tumultibus libros Sibyllæ inspectos non legimus. In magna pestilentia semel inspectos fuisse apud Livium lectum est. Apud Tacitum post magnum incendium, quod pœne totam urbem invaserat, piacula à Dijs petita & Sibyllæ libros aditos legimus lib. xv. Annalium. *c. 44. p. 186.*

XXI. Præterea in arduis negotijs consulta fuisse Oracula Sibyllina è *Ciceronis l. 1. Epist 7. ad familiar. fol. 5. 6.* videtur colligi. Dum scilicet dubitarunt, quid facto opus esset, & quid tandem in re salutem civitatis concernente sequendum esset. Cumprimis si magna esset necessitas, aut calamitas jam immineret, vel contigisset. Cûm aliquando continuis imbribus Tiberis esset auctus, ac plana urbis stagnasset, & relabentem secuta esset ædificiorum & hominum strages: censuit *Asininus Gallus, ut libri Sibyllini adirentur.* Renuit *Tiberius*, perinde divina humanaque obtegens, sed remedium coërcendi fluminis *Ateiô Capitoni & L. Arruntio* mandatum. *Tacitus lib 1. c. 76. p. 36. Annal.* similiter libri isti fatidici consulti sunt tempore gravissimi incendij, quod Romæ extiterat. Ex istis libris *supplicatum Vulcano & Cereri, Proserpinæq; ac propitiata Iuno per matronas primum in Capitolio, deinde in proximum mare.* Unde *haustâ aquâ templum & simulacrum Deæ prospersum est, & lectisternia ac pervigilia celebravere feminæ, quibus mariti erant*, sicuti illud idem *Tacitus lib. 15. c. 44. p. 286. Annal.* refert. Adde *Rosinum l. 3. c. 24. p. 497. & 498. Antiqu. Roman.* Ita Cererem antiquam in re ardua ex admonitione Sibyllinæ Prophetiæ placandam esse suasum fuit apud *Ciceronem Orat. 4. in Verrem fol. 134. c. 49.* Vide *Valer. Maxim. l. 1. c. 1. p. 3.* Elegans exemplum è *Suida* refert *Boissardus fo'. 213.* de Curtio: *Romani, cùm ex Sibyllinis Oraculis cognovissent, coituram esse terram, si rerum humanarum pretiosissima in eam conjicerentur. Alii aurum, alii argentum, alii fruges, alii, quod quisque maximi æstimabat, aggerebant, & se divinis responsis satisfacere arbitrabantur. Sed nihilominus permanente voragine Curtius vir & adspectu pulcherrimus, & animo præstantissimus se, quid Sibylla diceret, rectius a'iis intelligere dixit. Remedium reipublicæ maximi esse pretii virtutem viri, eamq; Oraculo postulari.* Credo eandem esse historiam, quam descripsit *Livius l. 7. c. 6. fol. 122.* quamvis non dicat,

illud remedium è consilio Sibyllino, sed Deorum monitu fuisse profectum, per quod monitum quidam intelligunt Oraculum & potissimùm Delphicum. Quicquid de principio hujus remedii fit, Curtius verissimus istius fuit interpres: postquam enim ipse in istam se voraginem præcipitem egit, tum malum istud cessavit, & Vrbs ab eo fuit liberata. Cæterùm quoniam omnia, quæ huc quidem spectant, afferri non poterunt, remitto lectorem ad duo præclara loca, quæ habentur apud *Procopium lib. 2 c. 5. p. 306. & c. 20. p. 370. & 371. de Bello Gothorum.*

XXIII. Etiamsi Sibyllini libri ordinariè non consulerentur, nisi cùm tetra prodigia nunciata, aut clades insignis accepta esset: factum tamen est, ut libri fatidici adirentur, cùm non aliquid rectè gestum, vel etiam peccatum fuisset. Quod etiam observat *Salmasius ad Vopiscum fol. 361.* Iidem tamen itidem consulebantur, si ceremoniarum auspiciorumque negligentia peccatum esse, & aliquid non rite factum, quod ad religionem pertineret, diceretur. Exemplum supra attuli de Fabio Maximo, qui in religione & ceremonijs peccatum fuisse apertè confessus est, & ideo Sibyllinos libros consuluit. *Schmidius Orat. 2. fol. 1499. & 1500.* de Sibyllis scribit: Factum nonnunquam est, cùm quid non rectè gestum, aut aliquid delictum fuisset, inspectio librorum Sibyllinorum Sacerdotibus mandaretur, ubi itidem exemplum Fabij adducit.

XXIV. Ex inspectione librorum Sibyllinorum Ludi sunt instituti. Qua de re Livius consulendus est, qui *Lib. 25. c. 12. fol. 266 Histor.* rem peregregiè narrat. Locus dignus est, ut hic apponatur. Postero die, postquam scilicet carmen explanârunt, SCtum factum est, ut *Decemviri libros de ludis Apollini req; divina facienda inspicerent. Ea cum inspecta relataq; ad Senatum essent, censuerant Patres, Apollini ludos vovendos, faciendosq;: & quando ludi facti essent, duodecim millia aeris Pratori ad rem divinam & duas hostias maiores dandas.* Alterum SCtum factum est, *ut Decemviri Sacra Graeco ritu facerent, iisq; hostiis: Apollini bove aurato, & capris duabus albis auratis: Latone bove feminâ auratâ. Ludos* Prætor in Circo Maximo cum facturus esset, edixit: ut populus per eos ludos stipem Apollini, quantum commodum esset, conferret. Hæc est origo ludorum Apollinarium victoriæ, non valetudinis ergo, ut plerique rentur, votorum. Factosque populus coronatus spectavit: matronæ supplicavêre. Vulgo apertis januis in propatulo epulati sunt, celeberque dies omni ceremoniarum genere fuit. *Barnab. Brisson. l. 2. p. 205. de Formul.* Consulatur ibidem *Macrobius l. 1. c. 27 p. 237. Saturnal.* Quod ludi isti non

vale-

valetudinis, sed belli causa fuerint instituti, indicat idem *Macrobius d. lib. p. 236.* qui subinde addit *Cornelium Rufum Decemvirum* suasisse, ut tempore belli Punici secundi isti ludi instituerentur; qui propterea, & quod librorum istorum esset studiosissimus, cognomen *Sibylla* accepit; quod per syncopen postea dici cœpit *Sylla*. Verba *Macrobii* hæc sunt: *Bello Punico hi ludi primum sunt instituti suadente* Cornelio Ruso Decemviro, *qui propterea* Sibylla *cognominatus est, & postea corruptô nomine primus* Sylla *capit vocitari.* Eandem historiam in suos Geniales dies transtulit *Alexander ab Alexandro lib. 1. c. 9. fol. 31.* qui itidem si alij Scriptores deficiant, legi poterit. Lex postmodum lata est, ut, cùm ob hos ludos institutos vis maximæ pestilentiæ cessaret, *isti ludi in perpetuum in statum diem voverentur.* Quam legem Prætor urbanus *Licinius Varus* ad populum tulit, teste *Livio l. 27. c. 25. fol. 307.* Perinsignem locum de ludis ex Oraculis Sibyllinis tandem restitutis ac repetitis exhibet *Zosimus l. 2. p. 399. & 400.* qui ita sonat. Μετὰ δὲ ταῦτα νόσων καὶ πολέμων ἐνσκηψάντων, ἔτει μετὰ τὸν τῆς πόλεως οἰκοσμὸν ἐπὶ τριακοσίοις πεντηκοστῷ καὶ δευτέρῳ, λύσιν εὑρεῖν ἡ γερουσία τῶν κακῶν ἐκ τῶν Σιβύλλης βουλομένη χρησμῶν, τοῖς εἰς τοῦτο τεταγμένοις ἀνδράσι τοὺς χρησμοὺς ἀνερευνῆσαι παρεκελεύσατο. τῶν δὲ λοιπῶν παυθήσεσθαι τὸ κακὸν, εὐθύσειεν Ἅδῃ καὶ Περσεφόνῃ προσαγορευσάντων, ἀναζητήσαντες τὸν τόπον, Ἅδῃ καὶ Περσεφόνῃ κατὰ τὸ προσταχθὲν κατήγισαν Μάρκου Πολίτου τὸ τέταρτον ὑπατεύοντος καὶ τῆς ἱερουργίας συντελεσθείσης τῶν ἐπικειμένων ἀπαλλαγέντες, τὸν βωμὸν αὖθις ἐκάλυψαν ἐν ἐσχάτῳ που κείμενον τοῦ Ἀρείου πεδίου· ταύτης ἐπὶ χρόνων τῆς θυσίας ἀμεληθείσης, αὖθις τινῶν συμπεσόντων ἀποθυμίαν; ἀνενεώσατο τὴν ἑορτὴν Ὀκταβιανὸς ὁ Σεβαστὸς προτελεσθεῖσαν μὲν ὄντων ὑπάτων Λουκίου Κενσωρίνου καὶ Γαΐου Σαβίνου, καὶ θεσμὸν Ἀτηΐου Καπίτωνος ἐξηγησαμένου τοὺς χρόνους, καθ' οὓς ἔδει τὴν θυσίαν γενέσθαι καὶ τὴν θεωρίαν ἀναχθῆναι τῶν πεντεκαίδεκα ἀνδρῶν, οἳ τὰ Σιβύλλης θέσφατα φυλάττειν ἐτάχθησαν ἀνερευνησάντων. Hoc est: Secundum hæc morbis & bellis ingruentibus, anno ab urbe condita suprá trecentesimum quinquagesimo secundo, Senatus ijs se malis liberare Sibyllinis oraculis volens: eos, ad quos hæc cura pertinebat, oracula consulere jussit. Illis mali finem fore nuntiantibus, *si Diti patri & Proserpinæ rem sacram fecissent*: perquisitum locum *Diti patri & Proserpinæ*, ceu jussi fuerant, *M. Potito quartum Cos. dedicarunt, & peractô sacrô malis urgentibus liberati.*

ti, rursus aram absconderunt in extremo campo Martio alicubi sitam. Eodem sacrificiô ad tempus neglectô, quum rursus adversi quidam casus accidissent: *Octavianus Augustus ludos renovavit*, factos illos item antè *L. Censorino & M. Manlio Puelio Consulibus*: tunc autem *L. Censorino*, & *C. Sabino* quum *Atteius Capito* leges ludorum exposuisset, ac tempus, quô rem sacram fieri, atque edi spectacula oporteret, *XV viri, ad quos oraculorum Sibyllinorum custodia pertinet, investigaßent.* Qua occasione ludorum rationem ex eodem *Zosimo l. 2. p. 400. 401. & 402.* in gratiam eorum, qui isto Historico destituti sunt, hic apponam. Verba ita se habent: Modus ludorum hujusmodi relatus est in litteras. *Circumeuntes praecones universos invitabant ad spectaculum*, quod neque vidissent antea neque visuri posthac essent. Ipso autem messis tempore perpaucis diebus antequam ludi paragerentur, in *Capitolio temploq; Palatino XV viri sedentes in suggestu lustralia populo distribuebant. Ea sunt faces & sulphur & bitumen.* Nec participes horum servi sunt, sed liberi dumtaxat homines. Posteaquam populus universus in locis ijs, quae diximus, & in templo Dianae, quod est in Aventino colle convenit, *triticum & hordeum & fabas quisque secum fert, ac Parcis nocturnas pervigilationes castè publiceq; agitant*, ubi ludorum tempus adpetijt, *quos tribus diebus totidemq; noctibus in campo Martio faciunt, hostiae propter ripam Tiberis ad Tarentium Diis rem sacram faciunt, videlicet Iovi, Iunoni Apollini, Latonae, Dianae, tum praeter hos Parcis, & Lucinis, & Cereri, & Diti Patri & Proserpinae. Prima nocte spectaculorum ad horam secundam tribus aris in ripa fluminis exstructis Imperator cum XV viris tres agnos caedit, & aris sanguine respersis solidas victimas adolet.* Scena verò sine theatro, structa lumina tum rogis accenduntur & hymnus recens factus canitur, adeoque spectacula consentanea rebus divinis eduntur. Et haec qui peragunt, pro *mercede primitias fructuum, tritici, hordei, fabarum accipiunt.* Nam illae, ceu dictum est, universo populo distribuuntur. Proximo secundum hunc die, conscensô Capitoliô & *Dianae ludos faciunt. Insequenti die matronae nobiles ad horam Oraculo constitutam in Capitolio convenientes, Deo supplicant & hymnis cum fas est, celebrant. Die tertio in Apollinis aede Palatina, ter novem illustres pueri cum totidem virginibus omnes utrinque florentes, hoc est, qui ambos parentes adhuc superstites habent, hymnos & paeanes Graecâ Romanaq; lingua canunt, quibus subiecta Romanis urbes servantur.* Itidem alia secundum praescriptum divinitus modum peragebantur: quae sanè quam diu sunt obser-

observata, nullum respublica Romana detrimentum cepit. Vt autem reapse vera istæc esse credamus, ipsum Sibyllæ Oraculum adijciam, quod de istis ludis & sacrificijs redditum, & ab alijs relatum esse creditur.

Ἀλλ' ὁπόταν μήκιστος ἵκῃ χρόνος ἀνθρώποισι
Ζωῆς, εἰς ἐτέων ἑκατὸν δέκα κύκλον ὁδεύων
Μεμνῆσθαι Ῥωμαῖε, καὶ εἰ μάλα λῆσαι ἑαυτοὺς
Μεμνῆσθαι τάδε πάντα θεοῖσι μὲν ἀθανάτοισι
Ῥέζειν ἐν πεδίῳ παρὰ θύμβριδος ἄπλετον ὕδωρ,
Ὅππῃ στεινότατον, νὺξ ἡνίκα γαῖαν ἐπέλθῃ
Ἠελίου κρύψαντος ἑὸν φάος· ἔνθα δὲ ῥέζειν
Ἱερὰ παντογόνοις Μοίραις ἄρνας τε καὶ αἶγας
Κυανέας ἐπὶ ταῖς δ' εἰλειθυίας ἀρέσασθαι
Παιδοτόκοις θυέεσσιν, ὅπῃ θέμις, αὖθι δὲ γαίῃ
Πληθομένῃ χοῖρός τε καὶ ὗς ἱερεῖτο μέλαινα,
Ζαλευκοὶ ταῦροι δὲ Διὸς παρὰ βωμὸν ἀγέσθων
Ἤματι, μηδ' ἐπὶ νυκτὶ· θεοῖσι γὰρ οὐρανίοισιν
Ἡμέριος πέλεται θυέων τρόπος. ὣς δὲ καὶ αὐτὸς
Ἱερεύειν δαμάλεις τε βοὸς δέμας ἀγλαὸν Ἥρης
Δεξάσθω νηὸς παρὰ σοῦ, καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων,
Ὅστε καὶ ἠέλιος κικλήσκεται ἶσα δεδέχθω
θύματα Λητοΐδης ἀειδόμενοί τε Λατῖνοι
Παιᾶνας κούροις κόραισί τε νηὸν ἔχοιεν
Ἀθανάτων· χωρὶς δὲ κόραι χορὸν αὐταὶ ἔχοιεν,
Καὶ χωρὶς παίδων ἄρσην στάχυς. ἀλλὰ γονήων
Πάντων ζωόντων, οἷς ἀμφιθαλὴς ἔτι φύτλη.
Αἱ δὲ γάμου ζεύγλαις δεδμημέναι, ἤματι κείνῳ
Γνὺξ Ἥρης παρὰ βωμὸν ἀοίδιμον ἑδριόωσαι
Δαίμονα λισσέσθωσαν, ἅπασι θελήματα δοῦναι
Ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξὶ, μάλιστα δὲ θηλυτέρῃσι.
Πάντες δ' ἐξ οἴκοιο φερέσθων ἴσα κομίζειν
Ἐστὶ θέμις θνητοῖσιν ἀπαρχομένοις βιότοιο,
Δαίμοσι μειλιχίοισιν ἱλάσματα· καὶ μακάρεσσιν
Οὐρανίδαις τάδε πάντα τεθησαυρισμένα κείσθω

ὄφρα

Ὄφρα τε θηλυτέρῃσι καὶ ἀνδράσιν ἱδρόωσιν
Ἔνθεν πορσύνης μεμνημένος, ἤμασι δ' ἴσω
Νυξί τ' ἐπασσυβέρῃσι θεοσέπτους κατὰ θώκους
Παμπληθὴς ἄγυρις, σπουδῇ δὲ γέλως τε μεμίχθω
Ταῦτά σοι ἐν φρεσὶν ᾗσιν ἀεὶ μεμνημένος εἶναι
Καί σοι πᾶσα χθὼν Ἰταλὴ καὶ πᾶσα Λατίνη
Αἰὲν ὑπὸ σκήπτροισιν ὑπαυχένιον ζυγὸν ἕξει.

Sed cum longißimum venerit tempus hominibus
Vita ad annorum centum decem circulum means :
Memor sis Romane & non valde obliviscaris eorum.
Memor sis horum omnium, dies quidem immortalibus
Vt sacra facias in campo ad Tiberis immensam aquam
Vbi arctissima nox quando terræ supervenerit
Sole abscondente suam lucem, *hic tu sacrificato*
Omnium generatricicibus Parcis agnos & capras.
Cæruleam posthâc *Lucinam placanto*
Puerpera hostiis, ut fas est itemque Terra
Feraci porcus & sus mactetur nigra.
Candidi tauri verò Iovis ad aram ducantur
De die, non nocte. Dijs namque cælestibus
Diurnus est victimarum modus. *Eadem vero ratione*
Mactentur iuvencæ vaccæ corpus purum Iunonis
Capiat templum à te quoque Phœbus Apollo,
Qui & Sol vocatur, paria recipiat
Sacrificia Latonæ filius : cantantesq;
Pæanas cum pueris puellisq; in æde versentur
Immortalium, seorsim autem puellæ chorum ipsæ habeant.
Et seorsum puerorum masculus ordo : sed parentum
Omnium viventium quibus utrinque virens ad huc sit genus,
At nuptiarum copulis vinctæ, die illo
Flexo genu Iunonis ad aram celebrem sedentes
Divæ supplicent omnibus vota ut perficiat
Viris & mulieribus, maximè verò feminis.
Omnes autem è domo ferant quæcunque ferre
Decet mortales solventes vitæ primitias,
Dijs benignis placamina & beatis

Cæle-

Cœlestibus hæc omnia accumulata jaceant,
Vt tàm feminis quàm viris sacris assidentibus
Illinc præbeas memor. Diebus verò esto
Noctibusque crebris venerandis in pulvinaribus
Frequens cætus: res autem seriæ risusque misceantur
Hæc tibi in animo tuo semper memori hæreant.
Ea tibi omnis tellus Itala & tota Latina
Semper sub Sceptris subditum jugum habebit.

Zosimus p. 405. tamen addit, & istos ludos postmodum per tempus sat longum fuisse neglectos; unde etiam rempublicam ad istam infelicitatem, quâ tum laborabat, redactam fuisse conqueritur his verbis: Jam quòd his omnibus legitimè peractis, sicut Oraculum tradit, & ipsa res exigit, *incolume futurum fuerit imperium Romanum, omnemq́; nobis cognitum (probè dixerim) orbem sub potestate sua perpetuò habiturum: ludis autem neglectis, imperio se abdicante Diocletianô, paulatim quasi defluxerit, tacitéq; redactum sit ad quandam maiori ex parte barbariem,* id quod ipsæ nobis res declarârunt. Eam verò sententiam nostram veram esse de ipsa notatione temporum probare volo. Nam à Consulatu Chilonis & Libonis, quô Severus ludos seculares exhibuit, donec Diocletianus novum, Maximianus octavum Consules facti sunt, centum & unus annus elapsi fuerunt, ac tum quidem privatus ex Imperatore Diocletianus factus est, cujus exemplum Maximianus est secutus. Verùm Constantino & Licinnio tertiùm COSS. centum & decem annorum spatium completum fuit, quô jam ludos consueto more celebratos oportuit. *Eô neglectô ad infelicitatem illam res prolabi necesse fuit, quæ hoc tempore nos urget.*

XXV. Quæ hactenus prolixè sunt proposita, contrahuntur *à Stephano Vinando Pighio lib. 1. Annal. Roman. fol. 53. & 54.* his verbis lectu certè non indignis. Libros Sibyllinos inspicere privatim nemini licebat, ne Duumviris quidem, nisi SCto prius mandatum fuisset. Quod decernebatur plerumque metus publici causa, *cùm vel prodigia, vel pestis, vel seditio civitatem terreret: vel gravis aliqua belli calamitas aliunde imminere videretur.* Tum Duûmviri SCtô jussi libros Sibyllinos *non sine ceremoniis ac sacrificio* publicè adibant; *ex iisq́; Oraculis, velùt è Delphico tripode malorum impendentium causas ac remedia petebant, quibus sacrificiis ludisvé Deorum ira placari, adversitatesq́; impendentes à republica averti possent.* Ex horum deinde relatione ac sententia Senatus vel

Xxxx ludos,

ludos, vel lectisternia, vel sacrificia malorum averruncandorum causa publicè decernebat. Quæ omnia ut rite peragerentur, Duumviris cura incumbebat. De quibus *sua etiam Commentaria conficere solebant, ac in tabulas referre; quibus ritibus sacrificiisq́ casus & prodigia singula rectè vel malè fuissent procurata, ut posteri ex iis discere sacra rerumq́ eventibus prospicere possent. Insuper ut ludi seculares ex Oraculo itidem Sibyllæ primum instituti debitè ac suo tempore pro salute atque æternitate Imperii Romani fierent eorum muneris erat. Præsidebantq́ ipsi ex officio sumtuosissimis ac celeberrimis ludis, & Magistratus exequebantur ex eorum præscriptionibus officia ceremoniarum, ut* autor est *Tacitus lib. XI. p. 174. & 175.* successu tamen temporis & autoritate & numero crevit collegium istud, *cùm illustrissimi quique & ornatissimi cives in istud cooptarentur.* Nam *ex Duumviris* facti postmodum sunt *Decemviri anno Vrbis CCCXXCIII. Lege Sextia Licinia*, cùm in illa dissensione ac solitudine curulium Magistratuum Tribuni Plebis regnarent, cautumque tunc ut partim ex patricijs, partim ex plebe deinceps cooptarentur. Tumque duos Magistros ex senioribus, ni fallor, habere cœpit, unum ex patricijs, alterum ex plebe. Atque *is numerus mansit usque ad L. Sullæ Dictaturam.* Qui cum Rempublicam constitueret, augeretque sacerdotio, quinque alios collegio Decemvirorum adiecit, appellatique cœpere xv. viri Sacrorum vel sacris faciundis. *Et postea nomen mutatum non est, quamvis Cæsarum tempore sæpius auctum fuerit collegium, numerusq́ Sacerdotum excreverit ad sexaginta; Quindecimviri tamen semper sunt appellati*, quemadmodum *Servius Grammaticus* testatur *ad VI. Æneid.* Plura ex isto Scriptore non addam.

XXVI. Illud non est prætermittendum, quòd Augustus magno studio occupatus fuerit in conservandis istis libris, utpote, qui illos vetustate obsoletos iterum voluerit describi. De quo illustre testimonium extat apud *Dionem Cassium lib. 54. fol. 532.* καὶ τὰ ἔπη τὰ Σιβύλλεια ἐξίτηλα ὑπὸ τοῦ χρόνου γεγονότα τοὺς ἱερέας αὐτοχειρίᾳ ἐκγράψασθαι ἐκέλευσεν, ἵνα μηδεὶς ἕτερος αὐτῶν ἀναλέξηται. Id est, quia jam vetustate libri Sibyllini exolescebant, Pontificibus negotium dedit Augustus, ut sua manu eos describerent, ne quis alius eos legeret. Verùm hoc paulo altius est repetendum.

XXVII. Libri isti Sibyllini à Tarquinio emti usque ad tempora Syllana fuerunt custoditi; ubi demum Anno Urbis 671. Capitolium conflagratum est sive ex insidijs invidorum, sive casu quodam

tor-

fortuito, quô incendiô & Oracula Sibyllina sunt combusta. Teste *Solino c. 8. p. 202.* & multa alia donaria Jovis. *Rosinus l. 3. c. 24 p. 494. Antiq. Rom. Eduard. Simson. part. 6. Chron. Univers. p. 46.* Ubi simul officium XV virorum expiravit. L. Cornelius Sylla tamen post conflagrationem templi Capitolini restituit illos, ut, licèt illi Sibyllinos libros utpote igne penitus absumtos, (cùm Romani unicum saltem exemplar haberent, & istæc fatidica carmina ab alijs describi nequaquam paterentur) inspicere non possent; tamen alia sacra procurarent. Postquam verò Capitolium restitutum est, & Romani intellexerunt aliquot Sibyllarum vaticinia passim circumferri; inde istæc Oracula summo studio describenda, & Romam deportanda curarunt. De hoc facto è *Fenestella* refert *Lactantius l. 1. c. 6. p. 37.* Restitutô Capitoliô retulisse ad Senatum *C. Curionem Consulem*, ut legati *Erythras* mitterentur, qui carmina Sibyllæ conquisita Romam deportarent. Itaque missos esse *P. Gabinium M. Octacilium, & L. Valerium*, qui descriptos à privatis versus circa mille Romam deportarunt. Et in lib. de *Ira Dei c. 22. p. 821.* itidem hoc è Fenestella repetit his verbis: *Fenestella verò etiam legatos Erythræ à Senatu esse missos refert, ut hujus Sibyllæ carmina Romam deportarentur, & ea COSS. Curio & Octavius in Capitolio, quod tum erat, curante Qu. Catullo restitutum, ponenda curarent.* Non possum, quin hîc Judicio eruditorum exponam, quæ hac de *Erasmus Schmidius Orat. 2. Sibyllin. fol. 1500.* commentatus est verbis sequentibus: *Anno septimo post exustum Capitolium, hoc est anno Urbis 678. ante Christum 74. Coss. Cn. Octavius & C. Scribonius Curio, cùm, Qu. Catullô curante, Capitolium restituissent, ad Senatum retulere, ut quandoquidem Sibylla Cumana, quæ Tarquinio libros nuper combustos olim vendiderat è Cuma Æolia metropoli oriunda quidem fuisset, frequentatione tamen Erythræarum, Erythræa, quæ de bello Trojano olim vaticinata fuerat, exemplum habuisset: Legati, idcirco Erythras & in vicina loca perq; omnem Græciam mitterentur, qui carmina Sibyllina, quæcunque illi adipisci possent, colligerent, & Romam deportarent, si fortè vel eadem vel similia de fatis Romæ inde cognoscere possent. Missi itaque è Collegio Quindecimvirorum tres fuerunt, P. Gabinius, M. Octacilius & L. Valerius, qui passim à privatis fragmenta descripserunt, & versus circiter mille congesserunt, sub cuiuscunque sanè Sibyllæ nomine venirent. Plurimi enim Græcorum particularia à Sibyllis Oracula partim de privatis, partim de publicis responsa acceperunt, quibus sæpe aditos homines Græcos fuisse ex Phædro Platonis patet, adeò, ut Plato qui ibi sub Socratis per-*

fina loquitur, in hac re omnibus nota operam tempusq; frustra se insumere videri posset, si prolixè de ea agere vellet. Ex iis autem omnibus, quæ à diversis passim in Græcia acceperunt Sibyllina Oracula Legati Romani, illa, quæ magis publica fuerunt visa, diligenter comportarunt. Interea Numine, ut creditum fuit, ita gubernante factum est, ut dum Legati Romani in conquirendis Sibyllinis essent occupati, Erythris templò Apollinis fortè exustô, tres illi libri, quorum exemplum Tarquinius olim acceperat in adyto quodam illius templi, ubi occultati fuerant, denuo invenirentur; quos & ipsos cum cæteris versibus collectis Romam secum deportârunt Legati, & Consulibus tradiderunt; quin Capitoliô iam instauratô eâdem, quâ olim, religione eos asservari, & certis temporibus à Decemviris adiri curârunt. Hucusque Schmidius, cujus mens circa hoc negotium è modò dictis facilè apparet.

XXVIII. Interim, quia Servius refert, libros istos Sibyllinos servatos fuisse in templo Apollinis, annectenda sunt, quæ observat magnus *Salmasius in Exercitationib. Plinianis ad Solinum fol. 78.* Ante Sullam inquit, Sibyllinorum fatorum liber in Capitolini Jovis æde servabatur, in arca lapidea reconditus, ubi & exustus est cum Capitolio Sullanis temporibus. Quid igitur ista sibi volunt apud Servium? *ducitur tamen Varro, ut Erythraam credat scripsisse, quia post incensum Apollinis templum in quo fuerant, apud Erythram in Asia ipsa inventa sunt carmina.* Sanè constat non in templo Apollinis fuisse Sibyllinos libros, sed in Capitolini Jovis, quum Sullæ tempore exusti sunt, Dionysius, Plinius, & alij. Non puto itaque apud Varronem scriptum esse, sed error est Servii, qui ad ætatem suam respexit. Tum enim in templo Apollinis servabantur. Idem Servius postquam recitavit historiam de Sibyllinis libris à Tarquinio emptis, addit: *qui libri in templo Apollini servabantur: nec ipsi tantùm, sed Martiorum, & Bygois Nymphæ quæ artem scripserat fulguritarum arborum apud Tyscos.* Imò in templo Jovis Capitolini: Ibi enim servati sunt usque ad Capitolij conflagrationem, quæ Sullanis temporibus contigit. Martiorum autem fratrum, ut Sibyllarum extabant responsa fatidica. Martij vatis mentio apud Livium scribendum in Servio: Et Bygoes Nymphæ ἡ Βυγόη quæ & Βυγόεια, ut Καλλιόπη, Καλλιόπεια. Hæc est, quæ Vegoia dicitur in fragmentis Agrimensorum. Nam V. in E sæpe mutant Latini, ut Ματτύη, mattea: megalinæ pelles pro mygalinis, fragmentum libri ejusdem ad Arruntem Vertumnum habetur apud Agrimensores, sic enim titulus concipiendus est: Item Vegoia Arrunti vertumno Aruns, nomen Etruscum Vertumnus quoq; numen Tuscum est.

vide

vide Propertium. Fragmentum verò ita incipit: *Scias mare ex ethere remotum, cùm autem Juppiter terram Hetruriæ sibi vindicavit, constituit, jussitq; metiri campos.* Hæc, ut apparet, etiam de terminis scripserat. Ceterùm ut ad rem redeamus, primus Augustus, referente Suetonio, libros *Sibyllinos condidit duobus forulis* auratis sub Apollinis Palatini basi, quum antea in Capitolio servarentur: quinimò jam inde ab Augusto servari cœpta fata Sibyllina. Idem exstruxit Augustus, eoque allusit Poëta apud quem ita Sibyllam alloquitur Æneas in Sexto:

Tum Phœbo & Triviæ solido de marmore templa
Instituam festosq; dies de nomine Phœbi.
Hic ego namq; tuas sortes, arcanaq; fata
Dicta meæ genti ponam.

Heîc in templo Apollinis, quod ad Augustum pertinet, qui & templum illud condidit in Palatio, & sortes Sibyllinas sub Apollinis Palatini basi eodem templo posuit, quæ antea in Capitolini Jovis æde custodiebantur, Servius ad eum locum *ut solet, miscet historiam: nam hoc templum in Palatio ab Augusto factum est; sed quia Augustus cohæret Iulio, qui ab Ænea ducebat originem, ergò vult Augustum parentum vota solvisse.* Quomodo igitur stare poterit, quod idem alibi asserit Servius: Incenso templo Apollinis Sullanis temporibus eodem igne exustos Sibyllinorum libros? Hujusmodi sunt deliramenta veterum Grammaticorum Narrat *Ammianus lib. XXIII.* sub Juliano Apostata templum Apollinis Palatini conflagrasse, & incendio pæne consumta fuisse Cumana carmina. Hoc fortasse Servium decepit. Mirè etiam hallucinatur Exercitator Anglus Exercit IV. sect. V. ubi dicit carmina Sibyllina incendio Capitolij conflagrasse: *nam ibidem* inquit, *Sibyllæ sacellum fuit* & auctorem Solinum citat hoc capite. Non Romæ sed Cumis Sibyllæ sacellum fuisse dicit heîc Solinus: *ab Euboënsibus Cumæ ibidem Sibyllæ Sacellum.* Quid apertius? In Capitolio nullum Sibyllæ sacellum. Sed libri Sibyllini in delubro Junonis in arca lapidea cella subterranea servabantur. Plinius lib. XXXIV. cap. V. Sibyllæ juxta rostra tres statuas fuisse dicit positas Tarquinij Prisci ætate: quod miror, cùm scripserit idem: Sibyllam ad Tarquinium Superbum libros fatidicos attulisse. Sed de his aliàs. Hæc Salmasius. Vide supra *p. 687.*

XXIX. Hac occasione, quòd Erythris inventa legantur Sibyllina Oracula, discursum *Salmasii* contra *Anglum Exercitatorem* institutum prætermittere nequeo, qui habetur in *Plinianis Exercitationib.* *fol. 76.*

fol. 26. & 77. Eô enim integrô visô ad tertium ejus argumentum supra *c. 16. n. 6. p. 668.* allatum, uti promisi *p. 670.* paucis respondebo, Locus ita se habet : Lepidum est porro, quod firmandæ suæ opinionis adducit Anglus Exercitator : exustô Capitoliô, non ulterius Cumanæ Sibyllæ hoc est, Italicæ carmina, sed Asiaticarum Erythris, & aliunde petita asservata esse. Inde poëtam cum de versibus fatidicis illis loquitur, qui in templo Apollinis custodiebantur, Cumæum carmen vocare, & Cumæam Sibyllam, non Cumanam. Hoc ridiculum. Cumana primò volunt fuisse oracula, quia Cumanæ Sibyllæ. His incensis cum Capitolio repente extitisse Cumæa, quare? quia petita ex civitate Cumæa in Asia. Quis hoc dixit aut finxit unquam? post amissionem Sibyllinorum, cùm undique conquirerentur, & describerentur, Sibyllini libri, missis ex Senatusconsulto legatis partim ex Italiæ urbibus, partim ex Erythris Asiæ comportatis exemplaribus sic jacturam priorum sarcierunt. *Dionysius Halicarnasseus lib. IV. fol. 260.* οἱ δὲ νῦν ὄντες ἐκ πολλῶν εἰσὶ σύμφορςι τῶν τόπων, οἱ μὲν ἐκ τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων κομισθέντες: οἱ δ' ἐξ ἐρυθρῶν τῶν ἐν Ἀσίᾳ κατὰ δόγμα βουλῆς ἀποσταλέντων πρεσβευτῶν ἐπὶ τὴν ἀντιγραφήν. Id est, *Qui verè nunc extant è multis locis comportati sunt, partim allati ex Italicis urbibus, partim ex Erythris Asiæ, ex SCto Legatis illuc ad transcribendum missis &c.*

Hæc fatetur ex *libris Varronis* hausisse *rerum divinarum.* Erythras in Asia solas nominat, quibus petita sunt, non *Cymen.* Præterea cùm dicat ex urbibus etiam Italicis allata fuisse Sibyllina, Cumas manifestò inter eas urbes intelligi necesse est : nec verisimile eam omissam urbem, cùm Sibyllina conquirerentur, in qua Sibyllam vixisse & oracula editasse tam celebris erat fama. Sic posteriora Sibyllina Cumana utique etiam fuerint non Cumæa, quia ex Cumis Italicis accersita. Plusquam ergo ridiculum, putare eruditissimum poëtarum distinctionem observasse aliquam inter Cumæum & Cumanum. Græci scriptores Cumas Italicas passim κύμην appellant, & inde ἐθνικὸν Κυμαῖος. Nunquam enim Κυμανόν: licet hoc τύπος sit Italicus, ab urbe Cumis dicunt. Hos Poëtæ Latini sequuntur, & Cumæum pro Cumano semper ferè ponunt. Hinc Cumæa Sibylla Virgilio & Ovidio est Cumana. Est *Cumæa urbs*, Cumæ. Varro eo maximè argumento credidit priora Σιβύλλεια Erythrææ fuisse, quia cum post Capitolij, in quo erant, conflagrationem alia quærerentur, paria prioribus apud Erythras inventa sint.

Duci-

Ducitur autem Varro, ut Erythræam credat scripsisse; quia post incensum Apollinis templum, in quo fuerant, apud Erythras insulam ipsa inventa sunt carmina. Sanè præterquam quòd Aristoteles Erythræam & Cumæam sive Cumanam confundit, paria pæne de Erythrea & Cumana traduntur. Hucusque Salmasius. Vbi quidem nihil, quod ipsum Salmasium & quem sibi elegit adversarium Exercitatorem Anglum concernit, hîc attingam; sed saltem illud, quod est hujus argumenti, breviter dispiciam. Et 1. Nititur Salmasius testimonio *Dionysii Halicarnassensis*, qui expresè inter alia loca nominat Erythras Asiæ, & Italicas urbes, è quibus carmina Sibyllina post deustum Capitolium sunt petita. Sed non video, qua ratione exinde discrimen inter Sibyllam Cumæam & Cumanam tolli queat. 2. Ex Historici testimonio non semper potest accuratum argumentum peti, nisi & alia simul adfuerint, quæ isti Scriptori ea in re adminiculum præbeant. 3. Historicus iste præmittit versus istos è multis locis comportatos fuisse: quam multitudinem locorum non absolvent Erythræ, & aliquot Vrbes Italiæ. Neque ulla firma est consequentia: Hoc in loco aliquid factum fuisse non dicitur, Ergo ibidem illud factum non est: propterea, quod è testimonijs Historicorum in negativis præprimis ita argumentari & concludere non liceat. Et. 4. Si posteriora Sibyllina carmina partim è Cumis Italicis accersita sunt, quomodo tamen inde inferretur, Ergò non fuit discrimen inter Sibyllam Cumæam & Cumanam? 5. *Virgilium* non locutum esse de Cumana Sibylla, quæ Tarquinio Regi obtulit libros, sed de altera antiqua Sibylla, quæ tempore Æneæ & rerum Trojanarum vixit, ad oculum monstratum fuit antea. 6. Salmasij conjectura non usquequaque certa est, quam desumit è verbis Varronis: Nam unde habet hoc, aut qua ratione hoc probavit vel Varro? priora carmina Sibyllina, quæ ante conflagrationem Capitolij servabantur, Sibyllæ Erythrææ fuisse, & alia postmodum apud Erythras prioribus paria carmina fuisse inventa. Certè nullum firmum argumentum est, si ad principia scientiæ rationalis revocatur, unde firmiter id quod intendit Salmasius, colligi queat. Vnde etiam hic subsisto.

XXIX. In ista itaque recollectione fieri aliter non potuit, quin multi parûm genuini & falsi cum veris Sibyllinis versibus confunderentur. Eapropter Augustus Cæsar anno ante Christum XVI cùm multa eo tempore & varia, uti putabatur, vana sub nomine Oraculorum Sibyllinorum circumferrentur carmina, jussit omnia Sibyllina ex illis locis,

locis, ubi Sibyllas quondam vixisse inaudiverat, scilicet Samo, Erythris, Ilio, Africa & Italicis etiam coloniis conquisita intra certum diem Romam ad præfectum urbis adferri, & censuræ Judicioque Quindecimvirorum subijci. Qua de re illustre extat testimonium apud *Tacitum lib. 6. c. 12. p. 152. Annal.* quod præsenti negotio valde inservit, & adscribi hic meretur. *Quia multa vana sub celebri nomine vulgabantur* (scilicet carmina Sibyllina) *sanxisse Augustum, quod à maioribus quoque decretum erat, post exustum sociali bello Capitolium, quæsitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam & Italicas Colonias carminibus Sibyllæ; unà seu plures fuere, datoq; Sacerdotibus negotio, quantum humana ope potuissent, vera discernere. Igitur tum quoque notioni Quindecimvirûm is liber subiicitur.* Insignem quoque locum de repurgatis ab Augusto Sibyllinis carminibus recenset *Suetonius in vita Augusti. c. 31. p. 86. Edit Antverp.* qui hisce verbis continetur: *postquam vero* (Augustus) *Pontificatum Maximum, quem nunquam vivo Lepido auferre sustinuerat, mortuo demum suscepit, quicquid fatidicorum librorum Græci Latiniq; generis nullis, vel parum idoneis autoribus vulgo ferebatur, supra duo millia contracta undique cremavit, ac solos retinuit Sibyllinos. Hos quoque delectu habito condiditq; duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi.* Et non immeritò, ut scilicet is, qui vatibus & vaticinijs omnibus præfuit, subinde esset librorum fatidicorum custos, ceu id notat *Lavinus Torrentius. p 87.* Tiberius quoque Cæsar discrimen fecit inter istæc recollecta carmina, alia enim rejecit, & alia retinuit, & hoc factum fuit occasione cujusdam Oraculi Sibyllini, quod tanquam falsum agnoscere voluit dictus Cæsar. De quo refert *Dio Cassius lib. 57. fol. 615.* Non parum *movit animos hominum Oraculum quoddam pro Sibyllino habitum, nihil quidem ad istæc, sed ad nostra tempora pertinens in hanc sententiam:*

Τρὶς δὲ τριηκοσίων περιτελλομένων ἐνιαυτῶν,
Ῥωμαίους ἔμφυλος ὀλεῖ στάσις, ἃ Συβαρῖτις
Ἀφροσύνη.
Ast ter tercentum revolutis protinus annis
Roma intestina perdetur seditione
Et furor exitium Sybariticus afferet urbi.

Quod carmen Tiberius ut falsum cavillatus, omnes libros, qui aliquid vaticiniorum in se continerent, inspexit, aliosque probavit, & alios rejecit.

XXXI. Tandem autoritas carminum Sibyllinorum duravit usque

usque Theodosium Seniorem Imperatorem, sub cujus imperio melior pars Senatus ad fidem conversus istæc carmina cœpit contemnere: & tandem à Stilicone Honorij Imperatoris Socero penitus abolita sunt. Etenim Stilico seditionem conabatur in generum suum Honorium concitare, ideo, ut occasionem quandam ejusmodi motus suppeditaret, libros istos fatales denuo post incensum Capitolium collectos & recensitos, postmodum vero Quindecimvirorum custodiæ ac fidei commissos curavit aboleri. Unde *Claudianus* canit:

Nec tantum Geticis grassatus proditor armis,
Ante Sibyllina fata cremavit Opis.
Odimus Althaam consumti funere torris
Nysaum crimen flore putantur aves.
At Stilico aterni fatalia pignora libri
Et plenas voluit pracipitare colus.

Postmodum quoque sublatis carminibus Sibyllinis, & subinde à Theodosio Juniore Quindecimvirorum collegium & Sacerdotium abolitum fuit. Vide Boissardum in lib. de Divinat. fol. 233. *Ludovic. Vivem ad l. 18. c. 23. fol. 1803. Augustin: de Civit. Dei. Demsterum ad Rosini lib. 3. cap. 24. p. 499. & p. 500. Antiqu: Roman.* Et ita oracula Sibyllina, ad quæ tot annorum decursu Romani in casibus dubiis confugere fuerunt soliti, etiam sua extrema fata subierunt. Nunc de de alijs Sibyllinis carminibus dicendi locus superest.

CAPUT XIX.

DE

CARMINIBVS SIBYLLINIS, QVATENVS A QVIBVSDAM HABENTVR PRO GENVINIS.

I.

HVc usque copiosè actum est de primo librorum Sibyllinorum genere, in quibus fata reipublicæ Romanæ continebantur, quique non passim omnium usibus erant expositi; sed velut thesaurus quispiam divinus in loco sacro reconditi asservabantur. Ordo itaque postulat, ut de

ut de secundo voluminum Sibyllinorum genere itidem aliquid in medium proferatur. Illa siquidem à Romanis tàm arctè non sunt custodita, sed publico civium usui fuerunt permissa. Partim quòd crederent ea, quæ in illis continerentur, fata Urbis Romanæ non respicere: nec in illis haberi remedia salutis pro declinando malo civitatis, & promovendo ejus bono: Partim quòd non intelligerent vaticinia à Sibyllis de mundi Redemtore edita. Ea autem est hominum consuetudo, ut quæ animo ab ipsis comprehendi nequeunt, non curentur tanquam parum utilia & proficua. Planè ut hodie multi Scientias, quæ illorum captum superant, perperam negligunt tanquam ad se & sua studia nihil pertinentes. Qui tamen error ipsis ignosci facilè posset, nisi ad eum accederet contemtus. Idem accidisse Romanis nonnulli putant, ut, cùm illi argumentum in Sibyllinis istis oraculis celatum animo assequi haut possent, istas prædictiones nihil æstimarent, atque ita eorum promiscuam lectionem vulgo concederent. Quod durasse creditur usque ad ævum *Antonii Pii*, quem solenni Edicto istorum lectionem prohibuisse refert Baronius in Annalibus, de quo paulò post aliquid dicetur.

II. Non parum tamen animos eorum, qui Sibyllina Oracula tanquam vera & genuina statuunt, hactenus excruciavit, unde octo isti libri, qui adhuc hodie extant, provenerint, aut à quonam fuerint compilati? cumprimis, quòd non pauci iique inter eruditiores eximii reperiantur, qui illos sublestæ fidei accusent, eosque à quibusdam recentioribus confictos esse acriter contendant Quidam, qui pro autoritate ut & veritate carminum istorum Sibyllinorum pugnant, eam fovent opinionem, ac si eo tempore, quo Sibyllina Oracula aucta sub censuram vocata fuerunt, QuinDecemviri illa octo libris comprehenderint, & quidem eo ordine, prout vel hodie conspiciuntur, ut ita compilatio librorum Sibyllinorum suam originem QuinDecemvirorum collegio debeat. Ita *Schmidius Orat. 3. de Sibyllis fol. 1506.* autumat, quando ita scribit: *De illis octo libris, quorum fragmenta tempore Augusti Imperatoris Paulò ante natum Christum præcipuè ex Samo, Erythris, Ilio, Africa, & Italicis Coloniis, imò passim è toto mundo & locis quibuscunque jussu Cæsaris intra certum diem Romam comportata, ad Præfectum Urbis perlata, & censura judicioq; Quindecimvirorum, ut Tacitus lib. VI. Annal. c. 12. p. 152 scribit, subjecta, & haut dubiè ab iisdem Quindecimviris in eum ordinem, quô hodie legimus, digesta fuerunt.* Cujus sententiæ assensum suum accommodat *Ionas Velisius*, qui & alios antiquos pariter & recentes Scriptores ad hanc opinio-

opinionem stabiliendam longa serie adducit, quos exscribere operæ fortean pretium haut fuerit. Alij quoque, quos inter est *Augustinus*, in carminibus istis compilandis & rectè concinnandis occupati fuerunt. Divus istePater scribit *l. 18 c. 23 fol. 1191. de Civit. Dei. Lactantius*, inquiens, *carptim per intervalla disputationis suæ, sicut ea* (scilicet Sibyllina carmina) *poscere videbantur, quæ probare intenderat, adhibuit testimonia Sibyllina quæ nos nihil interponentes, sed in unam seriem connexa ponentes, solis capitibus, si tamen Scriptores deinceps ea servare non negligant, distinguenda curavimus.* Quô è loco perspicuum redditur: Augustinum ea serie, quæ sibi aptissimè visa fuerit, carminum Sibyllinorum libros contexere, & certis capitibus distinguere, ut opus istud non amplius tanquam confusa quædam moles subsisteret, sed conveniente quodam ordine & serie instructum consurgeret, in meliorem & utiliorem formam redigere voluisse.

III. Hi octo Sibyllinorum carminum libri incusantur partim ob *imperfectionem*, partim ob *confusionem*: qui duo defectus multis præbuerunt ansam dubitandi, nunquid libri isti octo essent genuini? Etenim cùm Sibyllæ commendentur à prudentia, utique juxta ductum naturæ non confusè, sed ordine quodam adhibitô istæc carmina confeceri nt, præcipuè, quòd contineant tàm ardua vaticinia de futuro totius orbis Servatore & Judice. Equidem supra *cap. 3. n. 11. p. 527. & 528.* hujus libri è *Ludovico Vive* & *Suida* unam & alteram rationem attuli, quare libri isti sint imperfecti, & carmina, quæ ibidem reperiuntur parum inter se cohæreant? ut ita necessum haut sit, plura de isto quidem dubio hîc apponere. Interim tamen, quia *Erasmus Schmidius*, qui accerrimè propugnare nititur: *Octo istos libros esse genuinos*, idem dubium resolvit *in Orat. 2. de libr. Sibyllinis fol. 1502.* ideo istum locum hîc transscribam. Verba ita se habent. Imperfectionis igitur causam quod attinet, libet eam *Suidæ*, qui ante annos 360. circiter floruit, verbis exponere. Sic autem ille, si Græca in Latina vertamus, scripsit: *Quod in Sibyllinis versus aliqui imperfecti & vitiosi reperiuntur, non Prophetidum culpa est; sed Notariorum, qui orationis impetum assequi non potuerunt, aut indocti etiam fuerunt, & Grammatices imperiti. Unà enim cùm ἐνθυσιασμῷ seu afflatu, etiam illorum, quæ ab eis dicta essent, memoria desinebat; & idcircò versus imperfecti reperiuntur, & sententia alicubi claudicans.* Hanc unam causam Suidas profert. Cui facilè astipulabuntur illi, qui ea, quæ nostra ætate de *Paulo Secundo Grebnero* homine fatidico innotuêre,

meminerunt, aut quæ ante biennium Stolbergæ Hermundurorum, ex puella quadam simili ἐνθουσιασμῷ correpta à diversis personis diversis temporibus, excepta fuêre noverunt. Sed præter hanc, addit *Suidas* & aliam, quam tamen cum subdubitatione recenset. *Fortasse*, inquit, *certô Dei consilio hoc evenit* (*inveniri scilicet in carminibus Sibyllinis multos defectus*) *ne ab indignis hæc oracula legerentur & profanarentur.* Quam ob causam sanè alia quoque oracula tàm sacra quàm profana obscuriùs edita multis videntur, ut de majore diligentia & veneratione Lectores monerentur.

Addit autem *Suidas* & *tertiam causam scilicet Temporis diuturnitatem*, quâ multa ex varia ἀφορμῇ corrumpi posse imò corrupta fuisse, Criticorum monumenta hodiè abundè testantur. Ex ἀφορμαῖς autem pluribus, Suidas duas tantùm nominat: vel, quia per se oracula ista obscura fuerunt ante impletionem, quapropter quilibet pro suo sensu ea illustrare voluit, sed inscius nonnunquam magis obscuravit: Vel quia crebra descriptione interdum vocabula quædam ab imperitioribus vel negligentoribus corrupta sunt, ut quando ἔκθετο scriptum fuit ἔνθετο, & κάββαλεν pro κἄκβαλεν. Rursus σὺν ἐμῷ πόσει καὶ δαίερον, pro ἀμ' ἐμῷ πόσει ἠδὲ δαέρων: σαφῶς pro ἀσαφῶς, γὰρ pro δέ: μυρίων pro μιαρῶν: ἐκ δεκάτης duabus dictionibus, vel ut alioqui benè sibi legere videntur, ἐνδεκάτης quum legi debeat ἐννεάτης: quando item πρέψιμον pro τέρψιμον à describentibus positum fuit: ut de alijs infinitis taceam. *Quò difficilius autem istæc carmina intelligi à legentibus potuêre: eò faciliùs corruptiones ejusmodi irrepsisse verisimile est: præsertim in barbarie ista seculorum superiorum, ex qua tanquam ex profundo quodam cœno defossa hæc & similia erui necesse fuit.* Quo circa nostra hodie ætate longè adhuc mendosiora, quàm ante 360. annos ætate Suidæ fuerint, carmina Sibyllina haberi nemini mirum esse debet. Nolo jam de pluribus ἀφορμαῖς, ut de tineis, & quibuscunque alijs aliquid afferre. Satis enim eas, quas *Suidas* annotavit, cuivis facere autumo.

Quod verò ad *Confusionem* attinet, causa ejus ex supradictis vel mediocriter attendenti patuit. Quia enim post libros illos priscos tres à Prisco Tarquinio emtos, & temporibus Syllanis cum Capitolio combustos, ex tota passim undecunque Græcia, Asia, Africa, Italia, & unde non? denuo quædam Sibyllina Oracula comportata; & postea sub

ſub Auguſto magno numero ſine diſcretione & mentione ac nomine Sibyllarum autorum aucta, & non ex ipſarum Sibyllarum pronunciato, ſed ex XVvirùm judicio digeſta fuerint, nemo niſi cæcus non videt, ſeriem veram *turbatam, & antecedentia ſequentibus alicubi poſtpoſita, hac contra illis prapoſita, utraque ſibi invicem interpoſita, atque inde σύγχυσιν quandam ortam fuiſſe.* Quam auxit, quòd omnes iſti octo libri ſub unius nullô tamen cognomentô determinatæ Sibyllæ nomine venirent, quum eſſent plurium & diverſarum: niſi quantum aliqua indubitatò Erythrææ, cujus nomen exprimitur, aſſignari poſſunt. In cujus cauſæ aſſignatione facilè cum Lactantio acquieſcendum cenſemus. Sed & de confuſionum cauſa ſatis. Hæc ita Schmidius. Poſtea incidi in locum Juſtini Martyris, qui habetur in *Cohort. ad Gracos fol. 28.* qui cùm ſit propoſito argumento accommodatus, meretur huc adſcribi. Quin ipſi quoque, ait, cùm in urbe ea eſſemus, indicibus, qui hoſpites ad ea, quæ viſenda ſunt, ducere ſolent, oſtendentibus, qui nobis loca etiam in quibus illa eſt vaticinata, commonſtrarunt. Vidimus loculum quendam ex ære elaboratum, ubi reliquias ejus ſervari dicebant. Inſuper inter alia omnia, quæ Indices iſti expoſuerunt, illud quoque fuit: A majoribus ſe audiviſſe, quod qui reſponſa ab Oracula excipipiebant, quia tum ab eruditione alieni fuiſſent, multoties in accuratiore numerorum obſervatione erraverint: & proinde iſtam illi carminum quorundam inconcinnitatis attulerunt cauſam, quod cum vates ipſa mentis emotione & afflatu libera dictorum ſuorum memoriam non retinuerit: tum, qui Oracula ſcripto mandabant, propter imperitiam numerorum obſervandorum accurrata ratione exciderint. *Quapropter Platonem in Sibylla Oracula innuentem de vatibus hac dixiſſe conſtat, ita ſcribentem: Cum multas magnaſq́ res rectè & verè dicunt, nihil tamen eorum qua loquuntur, intelligunt.* Porro cùm non in Poeticis numeris neque in ea, quæ apud vos clara habetur, eruditione, Viri Græci, res veri cultus Dei ſint ſitæ: relicta deinceps carminum & Orationum exquiſita ratione, ad dicta Sibyllæ citra contentionis ſtudium animum advertite.

IV. Multa autem & varia in libris iſtis vaticinorum plenis continentur, quæ poſſit aliquis non immeritò vocare argumentum librorum Sibyllinorum. Etenim triplex in illis deprehenditur argumentum, & quidem 1. *Civile ſeu Politicum.* Non pauca enim ibi habentur de Regnis & Rerumpublicarùm mutationibus, quæ licèt diu ante fue-

fina loquitur, in hac re omnibus nota operam tempusq; frustra se insumere videri posset, si prolixè de ea agere vellet. Ex iis autem omnibus, quæ à diversis passim in Græcia acceperunt Sibyllina Oracula Legati Romani, illa, quæ magis publica fuerunt visa, diligenter comportarunt. Interea Numine, ut creditum fuit, ita gubernante factum est, ut dum Legati Romani in conquirendis Sibyllinis essent occupati, Erythris templò Apollinis fortè exustô, tres illi libri, quorum exemplum Tarquinius olim acceperat in adyto quodam illius templi, ubi occultati fuerant, denuo invenirentur; quos & ipsos cum cæteris versibus collectis Romam secum deportârunt Legati, & Consulibus tradiderunt; quin Capitoliô iam instauratô eâdem, quâ olim, religione eos asservari, & certis temporibus à Decemviris adiri curârunt. Hucusque Schmidius, cujus mens circa hoc negotium è modò dictis facilè apparet.

XXVIII. Interim, quia Servius refert, libros istos Sibyllinos servatos fuisse in templo Apollinis, annectenda sunt, quæ observat magnus *Salmasius in Exercitationib. Plinianis ad Solinum fol.78.* Ante Sullam inquit, Sibyllinorum fatorum liber in Capitolini Jovis æde servabatur, in arca lapidea reconditus, ubi & exustus est cum Capitolio Sullanis temporibus. Quid igitur ista sibi volunt apud Servium? *ducitur tamen Varro, ut Erythraam credat scripsisse, quia post incensum Apollinis templum in quo fuerant, apud Erythram in Asia ipsa inventa sunt carmina.* Sanè constat non in templo Apollinis fuisse Sibyllinos libros, sed in Capitolini Jovis, quum Sullæ tempore exusti sunt, Dionysius, Plinius, & alij. Non puto itaque apud Varronem scriptum esse, sed error est Servii, qui ad ætatem suam respexit. Tum enim in templo Apollinis servabantur. Idem Servius postquam recitavit historiam de Sibyllinis libris à Tarquinio emptis, addit: *qui libri in templo Apollini servabantur: nec ipsi tantùm, sed Martiorum, & Bygois Nymphæ quæ artem scripserat fulguritarum arborum apud Tuscos.* Imò in templo Jovis Capitolini: Ibi enim servati sunt usque ad Capitolij conflagrationem, quæ Sullanis temporibus contigit. Martiorum autem fratrum, ut Sibyllarum extabant responsa fatidica. Martij vatis mentio apud Livium scribendum in Servio: Et Bygoes Nymphæ ἡ Βυγόη quæ & Βυγόεια, ut Καλλιόπη, Καλλιόπεια. Hæc est, quæ Vegoïa dicitur in fragmentis Agrimensorum. Nam V. in E sæpe mutant Latini, ut Ματτύη, mattea: megalinæ pelles pro mygalinis, fragmentum libri ejusdem ad Arruntem Vertumnum habetur apud Agrimensores, sic enim titulus concipiendus est: Item Vegoia Arrunti vertumno Aruns, nomen Etruscum Vertumnus quoq; numen Tuscum est.

vide

vide Propertium. Fragmentum verò ita incipit: *Scias mare ab hetere remotum, cùm autem Iuppiter terram Hetruriæ sibi vindicavit, constituit, jussitq́; metiri campos.* Hæc, ut apparet, etiam de terminis scripserat. Ceterùm ut ad rem redeamus, primus Augustus, referente Suetonio, libros *Sibyllinos condidit duobus forulis* auratis sub Apollinis Palatini basi, quum antea in Capitolio servarentur: quinimò jam inde ab Augusto servari cœpta fata Sibyllina. Idem exstruxit Augustus, eoque allusit Poëta apud quem ita Sibyllam alloquitur Æneas in Sexto:

Tum Phœbo & Triviæ solido de marmore templa
Instituam festosq́; dies de nomine Phœbi.
Hic ego namq́; tuas sortes, arcanaq́; fata
Dicta meæ genti ponam.

Heîc in templo Apollinis, quod ad Augustum pertinet, qui & templum illud condidit in Palatio, & sortes Sibyllinas sub Apollinis Palatini basi eodem templo posuit, quæ antea in Capitolini Jovis æde custodiebantur, Servius ad eum locum *ut solet, miscet historiam: nam hoc templum in Palatio ab Augusto factum est; sed quia Augustus cohæret Iulio, qui ab Ænea ducebat originem, ergò vult Augustum parentum vota solvisse.* Quomodo igitur stare poterit, quod idem alibi asserit Servius: Incenso templo Apollinis Sullanis temporibus eodem igne exustos Sibyllinorum libros? Hujusmodi sunt deliramenta veterum Grammaticorum Narrat *Ammianus lib. XXIII.* sub Juliano Apostata templum Apollinis Palatini conflagrasse, & incendio pæne consumta fuisse Cumana carmina. Hoc fortasse Servium decepit. Mirè etiam hallucinatur Exercitator Anglus Exercit IV. sect. V. ubi dicit carmina Sibyllina incendio Capitolij conflagrasse: *nam ibidem* inquit, *Sibyllæ sacellum fuit* & auctorem Solinum citat hoc capite. Non Romæ sed Cumis Sibyllæ sacellum fuisse dicit heîc Solinus: *ab Euboensibus Cumæ ibidem Sibyllæ Sacellum.* Quid apertius? In Capitolio nullum Sibyllæ sacellum. Sed libri Sibyllini in delubro Junonis in arca lapidea cella subterranea servabantur. Plinius lib. XXXIV. cap. V. Sibyllæ juxta rostra tres statuas fuisse dicit positas Tarquinij Prisci ætate: quod miror, cùm scripserit idem: Sibyllam ad Tarquinium Superbum libros fatidicos attulisse. Sed de his aliàs. Hæc Salmasius. Vide supra *p. 687.*

XXIX. Hac occasione, quòd Erythris inventa legantur Sibyllina Oracula, discursum *Salmasii* contra *Anglum Exercitatorem* institutum prætermittere nequeo, qui habetur in *Plinianis Exercitationib.*

fol. 26. & 77. Eô enim integrô visô ad tertium ejus argumentum supra *c. 16. n. 6. p. 668.* allatum, uti promisi *p. 670.* paucis respondebo, Locus ita se habet: Lepidum est porro, quod firmandæ suæ opinionis adducit Anglus Exercitator: exustô Capitoliô, non ulterius Cumanæ Sibyllæ hoc est, Italicæ carmina, sed Asiaticarum Erythris, & aliunde petita asservata esse. Inde poëtam cum de versibus fatidicis illis loquitur, qui in templo Apollinis custodiebantur, Cumæum carmen vocare, & Cumæam Sibyllam, non Cumanam. Hoc ridiculum. Cumana primò volunt fuisse oracula, quia Cumanæ Sibyllæ. His incensis cum Capitolio repente extitisse Cumæa, quare? quia petita ex civitate Cumæa in Asia. Quis hoc dixit aut finxit unquam? post amissionem Sibyllinorum, cùm undique conquirerentur, & describerentur, Sibyllini libri, missis ex Senatusconsulto legatis partim ex Italiæ urbibus, partim ex Erythris Asiæ comportatis exemplaribus sic jacturam priorum sarcierunt. *Dionysius Halicarnassens lib. IV. fol. 260.* οἱ δὲ νῦν ὄντες ἐκ πολλῶν εἰσὶ σύμφορηι τῶν τόπων, οἱ μὲν ἐκ τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων κομισθέντες: οἱ δ' ἐξ ἐρυθρῶν τῶν ἐν Ἀσίᾳ κατὰ δόγμα βουλῆς ἀποσταλέντων πρεσβευτῶν ἐπὶ τὴν ἀντιγραφήν. Id est, *Qui verè nunc extant è multis locis comportati sunt, partim allati ex Italicis urbibus, partim ex Erythris Asiæ, ex SCto Legatis illuc ad transcribendum missis &c.*

Hæc fatetur ex *libris Varronis* hausisse *rerum divinarum.* Erythras in Asia solas nominat, quibus petita sunt, non *Cymen.* Præterea cùm dicat ex urbibus etiam Italicis allata fuisse Sibyllina, Cumas manifestò inter eas urbes intelligi necesse est: nec verisimile eam omissam urbem, cùm Sibyllina conquirerentur, in qua Sibyllam vixisse & oracula editasse tam celebris erat fama. Sic posteriora Sibyllina Cumana utique etiam fuerint non Cumæa, quia ex Cumis Italicis accersita. Plusquam ergo ridiculum, putare eruditissimum poëtarum distinctionem observasse aliquam inter Cumæum & Cumanum. Græci scriptores Cumas Italicas passim Κύμην appellant, & inde ἐθνικὸν Κυμαῖος. Nunquam enim Κυμανὸν: licet hoc τύπος sit Italicus, ab urbe Cumis dicunt. Hos Poëtæ Latini sequuntur, & Cumæum pro Cumano semper ferè ponunt. Hinc Cumæa Sibylla Virgilio & Ovidio est Cumana. Est *Cumæa urbs*, Cumæ. Varro eo maximè argumento credidit priora Σιβύλλεια Erythræ fuisse, quia cum post Capitolij, in quo erant, conflagrationem alia quærerentur, paria prioribus apud Erythras inventa sint.

Duci-

Ducitur autem Varro, ut Erythræam credat scripsisse; quia post incensum Apollinis templum, in quo fuerant, apud Erythras insulam ipsa inventa sunt carmina. Sanè præterquam quòd Aristoteles Erythræam & Cumæam sive Cumanam confundit, paria pæne de Erythrea & Cumana traduntur. Hucusque Salmasius. Vbi quidem nihil, quod ipsum Salmasium & quem sibi elegit adversarium Exercitatorem Anglum concernit, hîc attingam; sed saltem illud, quod est hujus argumenti, breviter dispiciam. Et 1. Nititur Salmasius testimonio *Dionysii Halicarnassensis*, qui expreßè inter alia loca nominat Erythras Asiæ, & Italicas urbes, è quibus carmina Sibyllina post deustum Capitolium sunt petita. Sed non video, qua ratione exinde discrimen inter Sibyllam Cumæam & Cumanam tolli queat. 2. Ex Historici testimonio non semper potest accuratum argumentum peti, nisi & alia simul adfuerint, quæ isti Scriptori ea in re adminiculum præbeant. 3. Historicus iste præmittit versus istos è multis locis comportatos fuisse: quam multitudinem locorum non absolvent Erythræ, & aliquot Vrbes Italiæ. Neque ulla firma est consequentia: Hoc in loco aliquid factum fuisse non dicitur, Ergo ibidem illud factum non est: propterea, quod è testimonijs Historicorum in negativis præprimis ita argumentari & concludere non liceat. Et. 4. Si posteriora Sibyllina carmina partim è Cumis Italicis accersita sunt, quomodo tamen inde inferretur, Ergò non fuit discrimen inter Sibyllam Cumæam & Cumanam? 5. *Virgilium* non locutum esse de Cumana Sibylla, quæ Tarquinio Regi obtulit libros, sed de altera antiqua Sibylla, quæ tempore Æneæ & rerum Trojanarum vixit, ad oculum monstratum fuit antea. 6. Salmasij conjectura non usquequaque certa est, quam desumit è verbis Varronis: Nam unde habet hoc, aut qua ratione hoc probavit vel Varro? priora carmina Sibyllina, quæ ante conflagrationem Capitolij servabantur, Sibyllæ Erythrææ fuisse, & alia postmodum apud Erythras prioribus paria carmina fuisse inventa. Certè nullum firmum argumentum est, si ad principia scientiæ rationalis revocatur, unde firmiter id quod intendit Salmasius, colligi queat. Vnde etiam hic subsisto.

XXIX. In ista itaque recollectione fieri aliter non potuit, quin multi parûm genuini & falsi cum veris Sibyllinis versibus confunderentur. Eapropter Augustus Cæsar anno ante Christum XVI cùm multa eo tempore & varia, uti putabatur, vana sub nomine Oraculorum Sibyllinorum circumferrentur carmina, jussit omnia Sibyllina ex illis locis,

locis, ubi Sibyllas quondam vixisse inaudiverat, scilicet Samo, Erythris, Ilio, Africa & Italicis etiam coloniis conquisita intra certum diem Romam ad præfectum urbis adferri, & censuræ Judicioque Quindecimvirorum subijci. Qua de re illustre extat testimonium apud *Tacitum lib. 6. c. 12. p. 152. Annal.* quod præsenti negotio valde inservit, & adscribi hic meretur. *Quia multa vana sub celebri nomine vulgabantur* (scilicet carmina Sibyllina) *sanxisse Augustum, quod à maioribus quoque decretum erat, post exustum sociali bello Capitolium, quæsitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam & Italicas Colonias carminibus Sibyllæ; unà seu plures fuere, datoq; Sacerdotibus negotio, quantum humana ope potuissent, vera discernere. Igitur tum quoque notioni Quindecimvirûm is liber subiicitur.* Insignem quoque locum de repurgatis ab Augusto Sibyllinis carminibus recenset *Suetonius in vita Augusti. c. 31. p. 86. Edit. Antverp.* qui hisce verbis continetur: *postquam vero* (Augustus) *Pontificatum Maximum, quem nunquam vivo Lepido auferre sustinuerat, mortuo demum suscepit, quicquid fatidicorum librorum Græci Latiniq; generis nullis, vel parum idoneis autoribus vulgo ferebatur, supra duo millia contracta undique cremavit, ac solos retinuit Sibyllinos. Hos quoque delectu habitô condiditq; duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi.* Et non immeritò, ut scilicet is, qui vatibus & vaticinijs omnibus præfuit, subinde esset librorum fatidicorum custos, ceu id notat *Lavinus Torrentius. p. 87.* Tiberius quoque Cæsar discrimen fecit inter istæc recollecta carmina, alia enim rejecit, & alia retinuit, & hoc factum fuit occasione cujusdam Oraculi Sibyllini, quod tanquam falsum agnoscere voluit dictus Cæsar. De quo refert *Dio Cassius lib. 57. fol. 615.* Non parum *movit animos hominum Oraculum quoddam pro Sibyllino habitum, nihil quidem ad istac, sed ad nostra tempora pertinens in hanc sententiam:*

Τρὶς δὲ τριηκοσίων περιτελλομένων ἐνιαυτῶν,
Ῥωμαίους ἔμφυλος ὀλεῖ στάσις, ἃ Συβαρίτις
Ἀφροσύνη.

Ast ter tercentum revolutis protinus annis
Roma intestina perdetur seditione
Et furor exitium Sybariticus afferet urbi.

Quod carmen Tiberius ut falsum cavillatus, omnes libros, qui aliquid vaticiniorum in se continerent, inspexit, aliosque probavit, & alios rejecit.

XXXI. Tandem autoritas carminum Sibyllinorum duravit usque

usque Theodosium Seniorem Imperatorem, sub cujus imperio melior pars Senatus ad fidem conversus istæc carmina cœpit contemnere: & tandem à Stilicone Honorij Imperatoris Socero penitus abolita sunt. Etenim Stilico seditionem conabatur in generum suum Honorium concitare, ideo, ut occasionem quandam ejusmodi motus suppeditaret, libros istos fatales denuo post incensum Capitolium collectos & recensitos, postmodum vero Quindecimvirorum custodiæ ac fidei commissos curavit aboleri. Unde *Claudianus* canit:

Nec tantum Geticis grassatus proditor armis,
Ante Sibyllinæ fata cremavit Opis.
Odimus Althæam consumti funere torris
Nysæum crimen flore putantur aves.
At Stilico æterni fatalia pignora libri
Et plenas voluit præcipitare colus.

Postmodum quoque sublatis carminibus Sibyllinis, & subinde à Theodosio Juniore Quindecimvirorum collegium & Sacerdotium abolitum fuit. Vide Boissardum in lib. de Divinat. fol. 233. *Ludovic. Vivem ad l. 18. c. 23. fol. 1803. Augustin: de Civit. Dei. Demsterum ad Rosin. lib. 3. cap. 24. p. 499. & p. 500. Antiqu: Roman.* Et ita oracula Sibyllina, ad quæ tot annorum decursu Romani in casibus dubiis confugere fuerunt soliti, etiam sua extrema fata subierunt. Nunc de de alijs Sibyllinis carminibus dicendi locus superest.

CAPUT XIX.

DE

CARMINIBVS SIBYLLINIS, QVATENVS A QVIBVSDAM HABENTVR PRO GENVINIS.

I.

HVc usque copiosè actum est de primo librorum Sibyllinorum genere, in quibus fata reipublicæ Romanæ continebantur, quique non passim omnium usibus erant expositi; sed velut thesaurus quispiam divinus in loco sacro reconditi asservabantur. Ordo itaque postulat, ut de

ut de secundo voluminum Sibyllinorum genere itidem aliquid in medium proferatur. Illa siquidem à Romanis tàm arctè non sunt custodita, sed publico civium usui fuerunt permissa. Partim quòd crederent ea, quæ in illis continerentur, fata Urbis Romanæ non respicere: nec in illis haberi remedia salutis pro declinando malo civitatis, & promovendo ejus bono: Partim quòd non intelligerent vaticinia à Sibyllis de mundi Redemtore edita. Ea autem est hominum consuetudo, ut quæ animo ab ipsis comprehendi nequeunt, non curentur tanquam parum utilia & proficua. Planè ut hodie multi Scientias, quæ illorum captum superant, perperam negligunt tanquam ad se & sua studia nihil pertinentes. Qui tamen error ipsis ignosci facilè posset, nisi ad eum accederet contemtus. Idem accidisse Romanis nonnulli putant, ut, cùm illi argumentum in Sibyllinis istis oraculis celatum animo assequi haut possent, istas prædictiones nihil æstimarent, atque ita eorum promiscuam lectionem vulgo concederent. Quod durasse creditur usque ad ævum *Antonii Pii*, quem solenni Edicto istorum lectionem prohibuisse refert Baronius in Annalibus, de quo paulò post aliquid dicetur.

II. Non parum tamen animos eorum, qui Sibyllina Oracula tanquam vera & genuina statuunt, hactenus excruciavit, unde octo isti libri, qui adhuc hodie extant, provenerint, aut à quonam fuerint compilati? cumprimis, quòd non pauci iique inter eruditiores eximii reperiantur, qui illos sublestæ fidei accusent, eosque à quibusdam recentioribus confictos esse acriter contendant Quidam, qui pro autoritate ut & veritate carminum istorum Sibyllinorum pugnant, eam fovent opinionem, ac si eo tempore, quô Sibyllina Oracula aucta sub censuram vocata fuerunt, QuinDecemviri illa octo libris comprehenderint, & quidem eo ordine, prout vel hodie conspiciuntur, ut ita compilatio librorum Sibyllinorum suam originem QuinDecemvirorum collegio debeat. Ita *Schmidius Orat. 3. de Sibyllis fol. 1506.* autumat, quando ita scribit: *De illis octo libris, quorum fragmenta tempore Augusti Imperatoris Paulò ante natum Christum præcipuè ex Samo, Erythris, Ilio, Africa, & Italicis Coloniis, imò passim è toto mundo & locis quibuscunque jussu Cæsaris intra certum diem Romam comportata, ad Præfectum Urbis perlata, & censura iudicioq; Quindecimvirorum, ut Tacitus lib. VI. Annal. c. 12. p. 152 scribit, subiecta, & haut dubiè ab iisdem Quindecimviris in eum ordinem, quô hodie legimus, digesta fuerunt.* Cujus sententiæ assensum suum accommodat *Ionas Velisius*, qui & alios antiquos pariter & recentes Scriptores ad hanc opinio-

opinionem stabiliendam longa serie adducit, quos exscribere operæ fortean pretium haut fuerit. Alij quoque, quos inter est *Augustinus*, in carminibus istis compilandis & recte concinnandis occupati fuerunt. Divus istePater scribit *l. 18 c. 23 fol. 1191. de Civit. Dei. Lactantius*, inquiens, *carptim per intervalla disputationis suæ, sicut ea* (scilicet Sibyllina carmina) *poscere videbantur, quæ probare intenderat, adhibuit testimonia Sibyllina: quæ nos nihil interponentes, sed in unam seriem connexa ponentes, solis capitibus, si tamen Scriptores deinceps ea servare non negligant, distinguenda curavimus.* Quò è loco perspicuum redditur: Augustinum ea serie, quæ sibi aptissimè visa fuerit, carminum Sibyllinorum libros contexere, & certis capitibus distinguere, ut opus istud non amplius tanquam confusa quædam moles subsisteret, sed conveniente quodam ordine & serie instructum consurgeret, in meliorem & utiliorem formam redigere voluisse.

III. Hi octo Sibyllinorum carminum libri incusantur partim ob *imperfectionem*, partim ob *confusionem*: qui duo defectus multis præbuerunt ansam dubitandi, nunquid libri isti octo essent genuini? Etenim cùm Sibyllæ commendentur à prudentia, utique juxta ductum naturæ non confusè, sed ordine quodam adhibitô istæc carmina confecerint, præcipuè, quòd contineant tàm ardua vaticinia de futuro totius orbis Servatore & Judice. Equidem supra *cap. 3. n. 11. p. 527. & 528.* hujus libri è *Ludovico Vive & Suida* unam & alteram rationem attuli: quare libri isti sint imperfecti, & carmina, quæ ibidem reperiuntur parum inter se cohæreant? ut ita necessum haut sit, plura de isto quidem dubio hîc apponere. Interim tamen, quia *Erasmus Schmidius*, qui accerrimè propugnare nititur: *Octo istos libros esse genuinos*, idem dubium resolvit *in Orat. 2. de libr. Sibyllinis fol. 1502.* ideo istum locum hûc transscribam. Verba ita se habent. Imperfectionis igitur causam quod attinet, libet eam *Suidæ*, qui ante annos 360. circiter floruit, verbis exponere. Sic autem ille, si Græca in Latina vertamus, scripsit: *Quod in Sibyllinis versus aliqui imperfecti & vitiosi reperiuntur, non Prophetidum culpa est; sed Notariorum, qui orationis impetum assequi non potuerunt, aut indocti etiam fuerunt, & Grammatices imperiti. Unà enim cùm ἐνθουσιασμῷ seu afflatu, etiam illorum, quæ ab eis dicta essent, memoria desinebat; & idcircò versus imperfecti reperiuntur, & sententia alicubi claudicans.* Hanc unam causam Suidas profert. Cui facilè astipulabuntur illi, qui ea, quæ nostra ætate de *Paulo Secundo Grebnero* homine fatidico innotuêre,

sub Augusto magno numero sine discretione & mentione ac nomine Sibyllarum autorum aucta, & non ex ipsarum Sibyllarum pronunciato, sed ex xvvirûm judicio digesta fuerint, nemo nisi cæcus non videt, seriem veram *turbatam, & antecedentia sequentibus alicubi postposita, hac contra illis præposita, utraque sibi invicem interposita, atque inde σύγχυσιν quandam ortam fuisse.* Quam auxit, quòd omnes isti octo libri sub unius nullô tamen cognomentô determinatæ Sibyllæ nomine venirent, quum essent plurium & diversarum: nisi quantum aliqua indubitatò Erythrææ, cujus nomen exprimitur, assignari possunt. In cujus causæ assignatione facilè cum Lactantio acquiescendum censemus. Sed & de confusionum causa satis. Hæc ita Schmidius. Postea incidi in locum Justini Martyris, qui habetur in *Cohort. ad Græcos fol. 28.* qui cùm sit proposito argumento accommodatus, meretur huc adscribi. Quin ipsi quoque, ait, cùm in urbe ea essemus, indicibus, qui hospites ad ea, quæ visenda sunt, ducere solent, ostendentibus, qui nobis loca etiam in quibus illa est vaticinata, commonstrarunt. Vidimus loculum quendam ex ære elaboratum, ubi reliquias ejus servari dicebant. Insuper inter alia omnia, quæ Indices isti exposuerunt, illud quoque fuit: A majoribus se audivisse, quod qui responsa ab Oracula excipiebant, quia tum ab eruditione alieni fuissent, multoties in accuratiore numerorum observatione erraverint: & proinde istam illi carminum quorundam inconcinnitatis attulerunt causam, quod cum vates ipsa mentis emotione & afflatu libera dictorum suorum memoriam non retinuerit: tum, qui Oracula scripto mandabant, propter imperitiam numerorum observandorum accurrata ratione exciderint. *Quapropter Platonem in Sibylla Oracula innuentem de vatibus hæc dixisse constat, ita scribentem: Cum multas magnasq; res rectè & verè dicunt, nihil tamen eorum quæ loquuntur, intelligunt.* Porro cùm non in Poeticis numeris neque in ea, quæ apud vos clara habetur, eruditione, Viri Græci, res veri cultus Dei sint sitæ: relicta deinceps carminum & Orationum exquisita ratione, ad dicta Sibyllæ citra contentionis studium animum advertite.

IV. Multa autem & varia in libris istis vaticinorum plenis continentur, quæ possit aliquis non immeritò vocare argumentum librorum Sibyllinorum. Etenim triplex in illis deprehenditur argumentum, & quidem 1. *Civile seu Politicum.* Non pauca enim ibi habentur de Regnis & Rerumpublicarùm mutationibus, quæ licèt diu ante fuerint

rint prædicta, eventus tamen postmodum cum probavit: non vana Sibyllarum fuisse Oracula. Quod certè latere illos non potest, qui solerti historiarum indagatione institutà Sibyllarum prædictiones cum rerumpublicarum fatis, quæ postmodum ipsæ sunt passæ, bene compararunt. 2. *Morale*, dum homines ad studium pietatis admonentur, à peccatis & delictis, quibus ipsi dediti sunt, seriò & monstratâ gravi tàm temporali quàm æternâ pœna retrahuntur: &ad mutuum inter se amorem, & præstationem officiorum accenduntur. Vbi simul futurorum seculorum pravi mores prædicuntur, fortean ut ex istis vaticiniis homines occasionem consequantur fugiendi teterrima & maximè detestanda flagitia, ob quæ ab irato Numine integræ fermè regiones & provinciæ sunt eversæ. 3. *Divinum*, idque vel *simpliciter tale*, vel etiam *mysticum*. Simpliciter divinum à quibusdam vocatur, quô homines ab Idololatria, cui crimini gentiles olim erant & adhuc sunt dediti, revocantur ad veri Dei cultum; ut scilicet eum Vnicum cœli ac terræ Conditorem colant ac venerentur, falsa autem ac fictitia istæc Numina improbent ac fugiant. Cujusmodi varia carmina Sibyllarum supra à me sunt adducta. *Mysticum* verò argumentum in Oraculis Sibyllinis illud dicunt, quod habetur de futuri Messiæ nativitate, persona & officio, utpote, qui redemturus sit sua passione ac morte omnes homines, eosque tandem in fine dierum omnium sit judicaturus, ut boni æternum præmium reportaturi; mali verò perpetuos & nunquam desituros cruciatus sint perpessuri. Plura non attingam, quæ tamen istis in libris conspiciuntur.

V. Quæ omnia tamen ostendunt libros istos Sibyllinos à Christianis legi posse tanquam pulcherrimarum admonitionum, & rerum sacrarum plenos; & olim quoque ab istis sedulò eos fuisse lectos & usurpatos ostendit cognomentum istud *Sibyllistarum*, quo Christianos dedecorare voluerunt Gentiles. Etenim cùm Christiani frequenter testimonijs Sibylllarum uterentur ad redarguendam Gentilium impietatem, & demonstrandam fidem illam veram jam tum à Sibyllis esse patefactam; inde per contemtum, teste *Origine lib. 5. contra Celsum.* Christiani ab ipsis appellati sunt *Sibyllistæ*. Vide *Leonhard. Coqnaum* ad *lib. 18. c. 23. fol. 1192.* Idem recenset etiam *Iohannes Chockier. lib. 1. Fac. Histor. c. 97. fol. 162*, quando scribit: Christianos ludibrij causa vocabant *Sibyllistas*, propterea quod adversus Ethnicos Sibyllarum testimonijs pro Christiana religione utebantur. Certum itaque est, quoniam veteres Patres Sibyllas

byllas appellârunt Gentilium Prophetidas, earumque testimonijs depromtis fidem Christo adstruxerunt, inde factum est, ut propter crebram Sibyllarum, & vaticinorum ab ijs editorum mentionem Christiani per contemtum dicerentur *Sibyllistæ. Menoch. l. 3. c. 14. n. 12. fol. 315. ad Repub. Hebræor.* Ex hoc patet. 1. Ludibrij causa Christianos *Sibyllistarum* cognomento infamatos fuisse, qui cùm nullam aliam probandi rationem firmiorem haberent in promtu, quâ Etnicos à sua falsaque religione retrahere posse confiderent, quam dictis & testimonijs Sibyllinis, utique eos Sibyllistas proclamarunt, tanquam qui nihil aliud scirent, quàm Sibyllarum testimonia urgere. 2. Creduntur primi Christiani. Apostolis tamen exceptis, utpote de quibus tale quippiam in antiquis Historijs non legitur, autoritatem Oraculorum Sibyllinorum strenuè ursisse; partim ut veritatem fidei suæ illis commonstrarent; partim quoque ut Ethnicis ostenderent, se novam doctrinam illis non proponere, verùm eam, quam gentilium Prophetissæ ipsis jamdudum proposuissent, renovare. Colligo itaque geminum finem Christianis propositum fuisse in adducendis Sibyllarum testimonijs 1. Ut probarent veritatem suæ fidei contra Ethnicos. 2. Vt ostenderent ipsis, se non novam religionem hactenus excogitatam ipsis proponere, verùm talem, quàm ipsæ Sibyllæ celebres quondam apud Ethnicos Prophetissæ fuerint professæ. Præclara hæc sunt, modò sint vera. Quandoquidem ea ratione fortius argumentum ad hominem habuerunt primi Christiani ad convertendos Gentiles è propriarum Prophetissarum testimonijs; quàm hodie è verbo revelato nos habemus, utpote quòd erudiendi prius sint infideles illud ipsum esse supremi Numinis verbum & hominibus patefactum, unde omnium salus & felicitas æterna dependeat, quàm illud totum, quod inde concluditur, admittant. Verùm missis istis.

VI. Dicendum, quid de istis Oraculis & carminibus Sibyllinis judicent alij, numquid genuina istæc sint, an supposititia? Nam in diversas sententias hîc itum est: alij enim ea tanquam vera admittunt & defendunt: alij verò ea tanquam efficta & nunquam à Sibyllis prolata agnoscunt. *Lactantius lib. c. 15. p. 339. 340. ait: Hisce testimoniis quidam revicti, solent eò confugere, ut aiant, non esse illa carmina Sibyllina, sed à nostris conficta atque composita. Quod profectò non putavit, qui Ciceronem, Varronemq; legerit, aliosq; veteres, qui Erythream Sibyllam cæterasq; commemorant. Quarum ex libris ista exempla proferimus, qui autores ante obierunt, quàm Christus*

stus secundum carnem nasceretur. Interim ab utraque parte non desunt argumenta, quibus utriusque intentio probari debeat. Et certè non infimæ sortis homines, sed inter eruditos optimi inter se decertant de Oraculorum Sibyllinorum autoritate & veritate. Ipse quid sentiam hac de re, apertè quidem non exprimam; prudens tamen Lector ex illis, quæ allaturus sum, facilè colliget, quam sententiam ipse debeat eligere. itaq; hoc capite potissima argumenta exhibebo ad illorum opinionem stabiliendam, qui dicunt: *Carmina Sibyllina, quæ in octo istis libris continentur*, esse vera & genuina: Aliorum autem argumenta, quibus ipsi acerrimè propugnant: Oracula Sibyllina esse efficta atque commenta piorum Christianorum, utpote qui voluerunt istis suppostitijs ostendere, non novam & vanam esse doctrinam, quam ipsi profiteantur; sed antiquam, & ab ipsis Sibyllis Gentilium quondam vatibus & Prophetissis dudum prædicatam, capite sequente proferam.

VII. Baronius ex Edicto Antonini Pij, quô Is lectionem carminum Sibyllinorum prohibuit, vult probare, vaticinia istæc Sibyllarum esse sincera & genuina. Et hanc sententiam desumsit procul dubio è *Justini libr. 2. Apol.* ubi vir sanctus dicit: operâ malorum Dæmonum esse factum, ut pœna capitis statueretur in eos, si quis *Sibyllæ* aut Prophetarum libros legeret. Quo è loco aliquis ita facilè inferet: si Imperatoris Edicto prohibitum fuit Christianis legere Oracula Sibyllarum, quæ tum temporis promiscuo omnium usui erant exposita, utique Imperatori interdicenti non fuit incognitum istæc vaticinia esse genuina, eaq; convenire cum doctrina Christianorum, quæ Gentilium religioni esset adversa. Nam si Imperator scivisset, aut credidisset ea esse falsa, quid opus fuisset eorum lectionem peculiari quodam Edicto prohibere? Noluit autem Cæsar impostérum Sibyllarum carmina passim extare, & à Christianis legi, ne paganorum doctrina in illis ferè damnata detrimentum caperet, & vel ex ipsis gentilium monumentis tandem convinceretur falsitatis. Intellexit enim Cæsar vulgus hominum in diversas partes facilè trahi posse, utpote quod ad credendum sit facile. Inde si diserti quidem oratores accederent, & vanitatem religionis ethnicæ non tantùm è principijs rectæ rationis ostenderent; verùm etiam ex ipsis Gentilium scriptis monstrarent, & subinde illis explicarent, eandem illam fidem, quam ipsi Christiani profitentur, & publicè docent, veram esse divinamque doctrinam non ab ipsis noviter repertam, sed ante tot seculorum decursum à Vatibus paganorum jam-

tum

tum inculcatam, & scriptis comprehensam: utiq; nihil facilius fieri posset, quàm ut tota paganorum religio destrueretur, & tantum non omnes inciperent Christianorum doctrinæ adhærere.

VIII. Non levibus tamen argumentis pugnant, qui dicunt: Sibyllina carmina esse genuina. Et quidem. 1. Adducunt Lactantij & Eusebii autoritatem, qui provocant ad Oracula Sibyllina, utpote quorum frequenti lectione ipsi tum utebantur. Et quod Lactantium attinet, is utique passim utitur testimonijs Sibyllarum, cumprimis ad confirmandam Christi divinitatem, miracula, passionem, mortem, resurrectionem, & Judicium universale, quò omnes homines sistendi sunt coram justissimo Judice audituri sententiam sive ad bonum, sive ad malum. Eusebius in Constantini Oratione *c. 19. fol. 593.* valdè illustre & apertum habet testimonium, quò ostendi poterit, quantum ab ipso tribuatur Sibyllarum oraculis. *Suspicantur*, inquit, *à quodam ex nostra religionis hominibus Poëticæ artis non ignaro, eos versus esse confictos, & falsò ac supposititio titulo Sibyllæ adscribi: cùm sententias contineant vitæ humanæ admodum utiles, quibus & voluptatum effrenata licentia comprimitur, & via sternitur ad modestiam & temperantiam. Sed veritas ipsa in propatulo est omnibus: cùm hominum nostrorum diligentia temporum seriem adeò accuratè collegerit, ut iam nemo suspicari possit, post adventum & condemnationem Christi carmen illud esse compositum, falsóq; divulgari, quasi Sibylla hos versus diu ante vaticinando composuerit. Quippe inter omnes constat, Ciceronem cùm hoc carmen legisset, Latino sermone illud interpretatum esse, ac suis operibus inseruisse.* Verùm non Lactantius saltem & Eusebius; sed etiam alij Patres Ecclesiæ ad Sibyllarum testimonia provocant. *Justinus in Cohortat. ad Græcos fol. 27.* ait: ἔςαι δ' ὑμῖν ῥᾳδίως τὴν ὀρθὴν θεοσέβειαν ἐκ μέρους παρὰ τῆς παλαιᾶς Σιβύλλης ἔκ τινος δυνατῆς ἐπιπνοίας διὰ χρησμῶν ὑμᾶς διδασκούσης μανθάνειν, ταῦθ' ἅπερ ἐγγὺς εἶναι δοκεῖ τῆς τῶν προφητῶν διδασκαλίας, Id est, *perfacilè vobis erit rectam religionem ex parte aliqua, & ea, quæ proximè ad Prophetarum doctrinam accedit, à veteri Sibylla ex afflatu quodam mirifico per sortes ac responsa vos docente percipere.* Et fol. 28. sequentia profert verba: εἰ τοίνυν ὦ ἄνδρες ἕλληνες μὴ περὶ πλείονος ἡγεῖσθε τῆς ὑμῶν αὐτῶν σωτηρίας τὴν περὶ τῶν μὴ ὄντων θεῶν ψευδῆ φαντασίαν, πείσθητε, ὥσπερ ἔφην, τῇ ἀρχαιοτάτῃ καὶ σφόδρα παλαιᾷ Σιβύλλῃ, ἧς τὰς βίβλους ἐν πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ σώζεσθαι συμβαίνει, περὶ μὲν τῶν λεγομένων θεῶν, ὡς μὴ ὄντων, ἀπό τινος δυνατῆς ἐπιπνοίας διὰ

χρησμῶν ὑμᾶς διδασκούσῃ. Hoc est: *Itaque ô Viri Græci, si falsam de illis Diis, qui tamen tales non sunt, imaginationem salute vestra antiquiorem non habetis, credite antiquissimæ & priscæ admodum Sibyllæ, cuius libri in universo extant orbe de illis diis, qui tales dicuntur, sed non sunt, mirifico quodam præpotentis Numinis afflatu sortibus datis vos docenti: de futuro autem Servatoris nostri Iesu Christi adventu ac de rebus ab eo gerendis liquidò & apertè vaticinanti.* Et cùm tanta perspicuitas testimoniorum de fide Christianorum in illis lateret, aliquando, (quod etiam supra indicatum est) interdictum fuit Oracula Sibyllarum legere; quamvis interdictum istud suam vim & effectum non obtinuerit. Qua de re etiam egregius locus est apud *Iustinum Apolog. 2. pro Christian. fol. 64.* qui ita se habet. κατ᾽ ἐνέργειαν δὲ τῶν φαύλων δαιμόνων θάνατος ὡρίσθη κατὰ τῶν τὰς Ὑστάσπου, ἢ Σιβύλλης, ἢ τῶν προφητῶν βίβλους ἀναγινωσκόντων, ὅπως διὰ τοῦ φόβου ἀποστρέψωσιν ἐντυγχάνοντας τοὺς ἀνθρώπους τῶν καλῶν γνῶσιν λαβεῖν, αὐτοῖς δὲ δουλεύοντας κατέχωσιν. Opera & *instinctu malorum Dæmonum mortis supplicium adversus librorum Hydaspis, aut Sibyllæ, aut Prophetarum lectores constitutum est, ut per timorem homines ab illis, quo minus scripta ea legentes rerum bonarum notitiam percipiant, sed in servitute eorum retineantur, absterreantur, quod certe quidem efficere, & ad finem suum perducere nequiverint.* Inde etiam addit, quòd Christiani Doctores non tantum scripta istæc legant; verùm etiam alijs ea ad inspiciendum offerant, sic namque scribit: ἀφόβως μὲν γὰρ οὐ μόνον ἐντυγχάνομεν αὐταῖς, ἀλλὰ καὶ ὑμεῖς ὡς ὁρᾶτε εἰς ἐπίσκεψιν φέρομεν, ἐπιστάμενοι πᾶσιν εὐάρεστα φανήσεσθαι. Κἂν ὀλίγους δὲ πείσωμεν τὰ μέγιστα κερδήσαντες ἐσόμεθα. ὡς γεωργοὶ γὰρ ἀγαθοὶ παρὰ τοῦ δεσπόζοντος τὴν ἀμοιβὴν ἕξομεν. *Non enim absque timore tantùm huiusmodi scripta legimus, verùm etiam vobis ad inspiciendum, quæ in eis traduntur, uti videtis, afferimus, grata acceptaq; omnibus fore scientes. Atque hoc etiam, si paucis persuaserimus, maximum tamen inde feremus lucrum, nam ut boni agricolæ ampliam à Domino capiemus mercedem.* Ita & *Theophilus Antiochenus lib. 2. ad Autolycum* multa habet contra calumniatores Christianæ religionis, & vanitates Ethnicorum testimonio Sibyllæ Erythreæ velutî suo ipsorum gladio retundit. *Clemens Alexandrin. lib. 5. Stromat.* ait: Græcos libros sumite, Sibyllas agnoscite, quomodo Deum unum significent, & ea, quæ futura sunt, *Invenietis in eis Filium Dei clarius & apertius scriptum.*

IX. Quæ

XI. Quæ claritas testimoniorum facit Oracula Sibyllina suspecta, quasi non sint genuina, sed efficta saltem â Christianis: quomodo namq; Deus apertius fidem de Christo manifestasset Gentibus, & feminis istis fatidicis, quàm populo Hebræo ejusque Prophetis. Absurdum est putare, cœcas gentes & in tenebris oberrantes majori luce de Messia & Christianæ fidei mysterijs fuisse divinitus illustratas, quàm populum Israeliticum, quem in proprium peculium sibi Deus elegerat. Siquidem Sibyllina hæc Oracula longè apertius omnia prædicant de Christo, quàm à Prophetis factum fuit. Vt cum *Iesaias* contentus sit dicere *Virginem parituram*, Sibylla vocat eam virginem *Mariam*: & cum *pueri* nomen prætereat Propheta, Sibylla exprimit nomen *Iesu*, quod ipsa mater Domini non nisi jam desponsata ab Angelo didicit. Nec ullus Propheta prædixit Christum esse baptizandum in Jordane. At Sibylla non tantùm hoc dicit; sed etiam addit fore, ut ibi ἐπιφάνεια fiat totius Trinitatis. Suntque plura id genus: cujusmodi mysteria si Deus gentibus revelavit, longè major ijs lux affusit, quàm populo Dei electo, qui promissionem habuit venturi Messiæ. *Deinde Sibyllina gentium Oracula intricata erant & perplexa: hic contrà, si paucula exceperimus, omnia sunt liquida apertaq;. Videlicet hæc ordine & tàm perspicuè omnia enarrant, ut historia non vaticinia videantur. Quàm verò gentilium illa fuerint intellectu difficilia, ex eo est cognoscere, quòd dicerent perplexa quæque esse* folijs Sibyllæ obscuriora. Et hoc est argumentum *Iohan. Gerardi Vossii in lib. de Poëtis Græcis cap. 1. p. 2. & 3.* Verùm Schmidius *Orat. 3. de Sibyllis fol. 1508. & 1509.* ad illam objectionem respondet, atque dicit: quòd tàm clara in Oraculis Sibyllinis reperiantur testimonia, illud nobis, qui in Christiana religione sumus informati, ita apparet, postquam istæc omnia, quæ ab illis antea sunt prædicta, postmodum evenerunt: sed ante eventum illa non fuerint clara. Verùm ipsa Shmidij verba videamus. *Fateor*, inquit, *sunt quædam ita clara, ut clariora vix esse poßint*, v. g. de Christo ex virgine nasciturо: de eodem satiaturo quinque millia hominum quinque panibus & duobus piscibus, & similia: *Verùm enimverò tanta claritate opus erat miseris Gentilibus, qui sedebant in tenebris ignorantiæ de vero Deo. Et vel inde etiam elucescit Dei bonitas, seriaq; voluntas, ut omnes sese ad filium suum converterent.* Vnde enim alias scire Gentes potuissent: Virginem aliquando parituram? nisi tam clara vaticinia habuissent: Nam quod apud Esaiam Prophetam Judaicum est de *ALMA* paritura, id Gentibus ferè ignotum fuit,

 imò

imò vix ab ipsis Judæis in dubium non vocatum. Vnde aliàs *Ovidius* (ut de *Virgilio* hîc non dicam) felicitatem Augusti Cæsaris descripturus, & de ea quasi vaticinaturus, scribere potuisset, *quòd Augustus Cæsar, sub quo Christus ex virgine natus est, sit visurus prolem sanctâ de virgine natam, ferre simul nomenq; suum?* nisi ex *Sibyllinis hausisset.* Ac licet ea de Tiberio Liviæ filio, quem Augustus adoptavit, vult intellecta; non tamen aliunde quàm ex Sibyllinis sunt desumta, quæ per ea tempora Christum ex virgine nasciturum cecinerunt. *Quam rem non intelligentes Poëtæ, quæcunque de Christo & ejus temporibus dicta erant, ad Augustum & ipsius felicitatem retulerunt*, quod & *Virgilius in quarta Ecloga fecit.* Adde quòd *nobis iam post eventus omnia sint clara, quæ ante eos intelligi non potuerunt*; ut quæ Virgilius & Ovidius de statu spirituali regni Christi ad statum terrestrem Imperij Augusti transtulerunt; quæ nos, Christô jam exhibitô, & regnô ipsius hactenus tamdiù in Ecclesia administratô, facilè intelligimus. Sic quando Sibylla cecinit: *Venturum de Cælo Regem, qui præter alia miracula, etiam quinque millia hominum quinque panibus & duobis piscibus sit satiaturus*, vel ut ipsa loquitur: ἥξει οὐρανόθεν βασιλεὺς &c. Et postea.

> Ἐξ ἄρτων ἅμα πέντε καὶ ἰχθυδίοις διοσοῖσι
> Ἀνδρῶν χιλιάδας ἐν ἐρήμῳ πέντε κορέσει.
> Καὶ τὰ περισσεύσαντα λαβὼν ἅμα κλάσματα πάντα
> Δώδεκα πληρώσει κοφίνους εἰς ἐλπίδα κλαῶν.
> *I. e. E cælo veniet Rex tempus in omne futurus:*
> *Panibus is quinque, & binis ex piscibus olim*
> *Millia quinque virûm in desertis exsaturabit.*
> *Quin & fragmentis collectis relliquiarum*
> *Bis senos cophinos, ut sit sperare, replebit.*

Hæc nemo ante eventum satis intellexit, aut fortasse possibilia credidit. Postquam autem à Christo fuerunt præstita, utique turbæ haud dubiè ex Judæis & Gentibus sparsim permixtæ, hujus & similium vaticiniorum, quæ Judæis non ignota fuisse, ex Josepho l. v Ant. judic. c 6. colligi potest, recordatæ exclamarunt. Joh. 6. οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ προφήτης ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον, & mox consultârunt, quomodo eum sibi Regem facerent, quoniam Regem eum nominatum meminerant. ἥξει οὐρανόθεν βασιλεὺς pro Regno Christi Spirituali Regnum mundanum arripientes. Etsi ergò in nonnullis intellectus hodiè est clarus: *is tamen*

& tamen ita comparatus est, ut juxta Prophetiarum consuetudinem ante eventum fuerit obscurus & latens, post eventum autem facilè elucescere & patere potuerit. Ideò & ipsa Sibylla lib. 3. dicit, & si tum suo tempore μαινομένη καὶ ψεύστειρα habeatur; ubi tamen eventus responderit, tunc se non ampliùs insanam aut mendacem, sed magnam prophetidem habitum iri.

Quæ omnia quum ita se habeant, atque ita obstacula sint remota: causam jam ampliùs superesse non arbitror, cur Libros Sibyllinos, quos hodiè habemus, suppositítios, aut à Christianis ex eventibus conscriptos & tanquam antiqua oracula Gentibus obtrusos statuere debeamus, quùm certum sit prius Sibyllina inter Gentes & Judæos, quàm inter Christianos fuisse, & Christianos ea Gentibus non Gentes à Christianis accepisse; nec opus esse ad docendum verbum Dei mendacijs, quum illud sibi sufficiat, Siracide teste. Hæc ita Schmidius! Et huc pertinet, quod dicitur; *Omnis prophetia, priusquam habeat effectum, ænigmata & ambiguitates sunt hominibus.* Vide *Ambianatem ad c. 11. Tertulliani de Scorpiaco. observ. 2. fol. 165.*

X. (2) Dicunt, Summam esse impudentiam dicere: aliquid extare in libris Sibyllinis quod non esset. Certè antiquiores Christiani incorruptis moribus præditi, & in simplicitate fidei subsistentes, nefas esse putarunt, *mentiri*: aut provocare ad testimonia Sibyllarum, quæ non essent ab illis prolata, sed ficta. Neque itidem tàm imprudentes fuerunt, ut sibi ejusmodi Oracula recenter excogitata sub nomine Sibyllinorum vaticiniorum passi fuissent obtrudi. Quis igitur tam audax erit, qui velit pijs istis Doctoribus & impudentiam pariter atque imprudentiam tribuere: quorum prius tamen ab ipsorum honestis & infucatis moribus; alterum verò ab ipsorum scientia & eruditione fuit alienum. Et quantumvis tàm scrupulosis & subtilibus indagationibus fortean se non macerârint sacri isti viri, ut hodie fit, ubi sæpe non est finis superstitiosè inquirendi in verba, literas, & syllabas vocum, nec non in veritatem testimoniorum: tamen tàm indocti non fuerunt, ut si Sibyllina Oracula nec antiqua nec vera fuissent, sed suppositítia & à Christiano quodam efficta, illi hoc non animadvertere potuerint, & ita falsa pro veris, suppositítia pro genuinis ex errore vel inscitia quadam attulerint; & ita tam sibi, quàm alijs fraudi fuerint. Egregium locum habet *Richardus Montacutius*, quem adscribere operæ pretium esse puto, quando contra *Casaubonum* ita insurgit: *Nusquam*

legisse memini, apud antiquissimos Ecclesiæ Proceres officiosum aliquod mendacium excogitatum vel adhibitum fuisse ad bonum finem. Addit, *Eos qui in suis adversus Paganos disputationibus ad Sibyllas provocârunt, summa prudentiæ laudem promeruisse.* Et hinc probari posse existimat, *non esse Sibyllina Oracula conficta à Christianis, quòd veteres illi Athletæ contra paganos decertaturi non aliunde adduxerint libentius testimonia, quàm ex Oraculis Sibyllinis.* An illos arbitramur fatuos fuisse, cum quibus confligebant Patres? Erant autem cumprimis nasuti & intelligentes, Philosophi, Rhetores, artium humanarum Professores, in republica versati, ac summis plerumque honoribus functi. *Nusquam verò objectum est à quoquam illorum, testimonia Sibyllarum conficta fuisse à Christianis. Responsio certè facilis & proclivis fuisset, quâ auditâ, obmutescerent Christiani fraudis suæ conscii.* At non est responsum ad hunc modum, ne quidem ab ingeniosissimis & infestissimis adversarijs. *Nam noverant Oracula illa restatissima.* Romanos sciebant tanquam præsens quoddam Numen veneratos in rebus arduis consulere solitos fuisse.

XI. (3) Christiani utendo Oraculis Sibyllinis tanquam effictis & fucatis obfuissent suæ causæ. Etenim facilè illud ab acutis & ingeniosis hominibus potuisset animadverti: qui si deprehendissent Christianos niti falso fundamento in probanda sua doctrina & adstruenda hac ratione, ac si inter Pagnos extitissent quondam feminæ fatidicæ, quæ illam doctrinam suo tempore essent professæ, quàm nunc traderent ipsi, utique nullam amplius ipsis habuissent fidem. Nam quid credendum homini falsa alleganti? Certè si potuissent Ethnici Christianis ad Sibyllina vaticinia provocantibus objicere, falsa istæc esse Oracula, nunquam à Sibyllis talia fuisse prædicta; verùm illa esse in speciem piæ cujusdam fraudis excogitata, nunquam istud fuisset silentio involutum; sed potius istud fuisset à Scriptoribus observatum, traditum, & in usum posterorum ad enervandam istorum Oraculorum autoritatem in historijs annotatum. Quod tamen factum haut esse constat omnibus, qui antiquitatis non sunt imperiti. Ea propter non immeritò statuendum erit, Oracula Sibyllina nequaquam esse supposititia, sed vera & genuina.

XII. (4) Consensus multorum eventuum cum istis vaticinijs testantur sinceram istorum carminum indolem. Istos siquidem eventus nemo tempore primitivæ Ecclesiæ ante Lactantium & Augustinum sine

ſine peculiari divina revelatione vel ſomniare potuit. Quod argumentum valdè urget *Schmidius in orat. 3. de Sibyllis fol. 1510.* Ubi & hoc addit: *Non dicam prædictionem de Stella non multum ante extremum diem fuiſura, quando nimirùm lib. 2. pòſt magnam in orbe terrarùm miſeriam & corruptiſſimum in Eccleſia Chriſti ſtatum, quem allegoricè Sibylla deſcribit, & inter alias calamitates etiam enumerat* πολλὴ ἐλευθεροπρασίας ſeu *frequentem libertatis venditionem, per quam* Papalium indulgentiarum nundinationes *intelligit.* Quod tamen verum eſſe non credo. Et certè nemo, qui affectibus deditus non eſt, ſed adhuc ſincero utitur judicio, iſtæc verba ad Indulgentias in Catholica Eccleſia receptas temerè accommodabit. Multa interdum per vim detorquentur in talem ſenſum, quem Autor vaticinij, vel prædictionis nunquam intendit. Interea illud non malè procedit: Si prædictiones ex eventibus, qui poſtmodum ſubſecuti ſunt, recipiunt interpretationem, quòd vaticinia, quæ præceſſerunt, de illis futuris eventibus, quando poſtea contigerunt, non immeritò ſint intelligenda.

XIII. Non tamen videtur illis obſtare, quod à quibuſdam ſolet inferri: Scilicet, ſi Sibyllina carmina & vaticinia fuiſſent vera ac genuina, non fuiſſent ab antiquis neglecta, ſed accuratius cuſtodita? Nam 1. nulla eſt conſequentia: hoc eſt neglectum, vel non accuratè cuſtoditum, Ergo non eſt verum & genuinum. Quid fiet de S. Scriptura, quæ longo tempore non ſine Chriſtianorum dedecore jacuit in obſcuro, ita, ut ferè nemo iſtius habuerit curam, numquid propterea inferre licet; quòd S. Scriptura non ſit verum verbum Dei? Abſit. Quandoquidem ex hominum negligentia vel accurata cuſtodia non ſemper judicandum eſt de veritate rei; cùm ſæpe homines id quod inſigne eſt, negligant: & quod nullius ferè pretij eſt, ſummo ſtudio curent & obſervent. 2. Quod Oracula Sibyllina primitus non fuerint accuratè obſervata, vel melius cuſtodita cauſa non eſt, ac ſi illa non ſint genuina: ſed quod tum temporis non ſint intellecta. Quæ verò non intelliguntur, ea parum æſtimari ab hominibus ſolent. Vaticinia autem Sibyllarum non fuiſſe in principio intellecta, extra dubium eſt: cùm ne Prophetarum quidem prædictiones à populo Hebræo clarè fuerint intellectæ. Et quantumvis. 3. hæ à gente ſacra fuerint cuſtoditæ; tamen hoc exinde provenit, quoniam de Prophetarùm & vocatione & certitudine divinæ inſpirationis ipſi conſtitit, & potiſſimùm quòd iſtæc vaticinia dirigerentur vel in ipſum populum Hebræum, vel ejus vicinos aut hoſtes. At Oracula Sibyllina

lina latius se extenderunt, & cùm Romani in ea inciderent, eorum tamen sensum non perciperent, nec ad suam rempublicam ea pertinere existimarent, inde ea in initio sunt neglecta, & promiscuo plebis usui concessa, donec tandem innotesceret, quid in illis esset absconditum. Quod antea pluribus est declaratum.

XIV. Quod istæc carmina fuerint genuina, nonnulli ostendere volunt (5) carmine Erythrææ, quod *Acrostichis* dicitur. Istud namque carmen in literis initialibus exhibet Servatoris nostri nomen & officium, de quo vel *Cicero* testatur, quod non sit è furore scriptum, sed ab homine sanæ mentis editum. Locum istum in vita Erythrææ supra attuli. Et sanè carmen istud magnum in se continet artificium, ob connexionem versuum, & quod literæ *Nominum* peculiaris cujusque versus initium constituant. Quod sanè non furentis & insani, uti Sibyllæ à quibusdam habentur, sed prudentis est opus, ut & ejus, qui summam adhibet diligentiam. Vide *Anton. Guibertum in Apologet. p. 108. & sequ.* ut & *Ludovic. Vivem ad lib. 18 c. 23. fol. 1808. August. de C. D. Edition. Paris.* E quo firmiter ita concluditur: Si Ciceroni lectum fuit carmen, quod de Christo cecinit Sibylla Erythræa, utique illud non potuit effictum esse à Christiano quodam; ratio certissima est, quia Cicero vixit jamdiu antequam Christiani cœperint esse. Et si hoc de Sibyllæ Erythrææ vaticinio, quod Acrostichis dicitur, verum est, quare idem & de aliis carminibus Sibyllinis illud verum esse non debeat, causam vix aliquis videre poterit. Inde vir quidam magnæ autoritatis scribit: *Equidem sæpius dubitavi de genuina Sibyllinorum Oraculorum ratione; verum perlectâ acrostichi Erythrææ, quæ ad manus Ciceronis venit, talis, inquam, hominis, qui mortuus est, antequam Christianorum nomen unquam est natum, cœpi aliter judicare; ita ut nunc certissimè persuasus sim, Sibyllarum carmina de futuri Messiæ nativitate, passione, morte, resurrectione, & Judicio ab ipso instituendo universali non à Christianis efficta, sed ipsarum Sibyllarum genuina esse Oracula.* Addit Vir iste, se in sua opinione itidem confirmatum fuisse autoritate *Eusebii*, qui *lib. 5, c. 18. de Vita Constantini fol. 592.* scribit: *Hæc cùm aliquando in adyta importunæ superstitionis irrupisset, divino planè Spiritu impulsa, cuncta, quæ eventura erant de Deo, vaticinari versibus cœpit: primis versuum elementis, (quod genus* Acrostichis *vocatur) historiam adventus Iesu Christi apertissimè declarans.* Quam quoq; beatam prædicat *Eusebius in fine dicti cap. 18.* μακαρίαν δ' αὐτὴν ἡγοῦμαι ἐκείνην, ἣν ὁ Σωτὴρ ἐξελέξατο προφῆτιν τῆς ἑαυτοῦ περὶ ἡμῶν προμηθείας.

Ego

Ego verò illam beatam indico, quam Deus (Servator) *nuncium suæ erga nos providentiæ delegit.* Istam sententiam, quòd Sibylla Erythræa salva facta sit, sequitur itidem *Augustinus l. 18. c. 23. fol. 1101. de Civ. Dei.* Hæc autem Sibylla, inquit, sive Erythræa sive, ut quidam magis credunt, Cumana ita nihil habet in toto carmine suo. (cujus exigua ista particula est,) quod ad Deorum falsorum sive factorum cultum pertineat; quinimo ita etiam contra eos, & contra cultores eorum loquitur, *ut ipsa in eorum numero deputanda videatur, qui pertinent* ad *civitatem Dei.* Ad civitatem Dei autem beati perveniunt. Sed Augustinus in hac opinione non videtur fuisse constans, inde in libro *de Quinque hæresibus* ex aliorum judicio de Sibyllarum salute loquitur. Arbitrati sunt aliqui, *alias etiam Sibyllas esse salvas,* quæ de Christi divinitate simul & humanitate sunt locutæ & de ejus morte & resurrectione, propter earum fidem in Christum venturum. Idem *lib. XIII. contra Faustum c. 15.* ita scripsit: *Sibylla porrò, vel Sibylla, & Orpheus, & nescio quis Hermes, & si qui alii vates, vel Theologi, vel sapientes Gentium de Filio DEI, aut de DEO Patre vera prædixisse vel dixisse perhibentur, valet quidem aliquid ad paganorum vanitatem convincendam, non tamen ad ipsorum autoritatem amplectendam,* cùm illum Deum eos non colere ostendimus, de quo nec illi tacere potuerunt, qui suos cogentes populos ad Idola & dæmonia colenda partim docere ausi sunt, partim prohibere ausi non sunt. Et inferius pergit: *Quantum distat de Christi adventu inter* prædicationem *Angelorum, & confessionem dæmonum, tantum inter Autoritatem Prophetarum, & curiositatem* SACRILEGORUM. Diversimodè itaque loquitur Augustinus, ut dubitare liceat, numquid ipse constanter asserere voluerit: Sibyllam unam vel plures salutem æternam consecutas fuisse. *D. Thomas* tamen *in Secunda Secunda Qu. 172. art. 6.* ex aliorum quoque judicio putat maximè Erythræam fuisse salvam factam. *Prophetæ Dæmonum, ait, non semper loquuntur ex revelatione Dæmonum, sed interdum ex inspiratione divina, sicut dicitur de* Balaam *cui Deus est locutus, licèt esset* Propheta Dæmonum: *quia Deus utitur quoque malis ad utilitatem bonorum. Et ideo sunt qui putant, inter eas* maximè Erythræam fuisse consecutam salutem *in nomine Christi venturi, cùm de illo prænunciaverit, & quod esset omnia Verbo agens, & omnem infirmitatem curans, & quòd ab ipso esset mortuorum resurrectio.* Sunt tamen alij qui apertè negant, Sibyllas factas fuisse salvas, quòd Augustinus

stinus illas vocet *Sacrilegas*, & quandoque etiam *Idolorum & Dæmonum cultrices*. Deinde quòd Sibyllæ quidem futura præscire potuerint de Messia, non tamen exinde inferri queat: *Eas ad salutem pervenisse*, cùm alibi non appareat: Eas fide Christum apprehendisse, sine qua nullus salvari possit. Vide *Marquard. de Susanis. par. 3. c. 1. n. 50. p. 427. 428. de Iudæis*: Verùm illæ rationes non concludent. Non *prior*, quoniam Augustinus de Sibyllis diversimodè loquitur. Non *posterior*; nam quis hoc dicere poterit, si Deus Sibyllis Messiæ personam & officium tàm perspicuè revelavit, quòd non simul veram fidem in ipsum illis donârit, quâ ipsæ salutem æternam invenire & reapse impetrare potuerint. Dicis: Illud non apparere ex antiquis monumentis; attamen id simpliciter in illis etiam non negatur. Ex his elucere poterit, quid sentiendum sit de illis, quæ commentatus est *Leonhardus Coquæus ad lib. 10. c. 23. fol. 1192. de Augustini Civ.* verbis sequentibus: Id *quidem suadere videntur tot manifesta Oracula Sibyllarum de Filio DEI, ut videantur divinitus inspirata, & fide in Christum, sine qua nunquam salus contigit, divinitus illustrata; nec tamen id convincit: Sibyllas huiusmodi ad civitatem Dei pertinuisse, ut nec impius ille Balaam, qui de futuris temporibus & de Christo Domino multa vaticinatus est, quem tamen minimè pertinuisse ad civitatem Dei certò constat. Longè enim aliter Prophetæ apud Hebræos & Balaam ille, aut etiam Sibyllæ apud Gentes de Christo prænunciarunt futura. Illi nimirum, quæ vaticinabantur, intelligebant: isti minimè intellexisse putandi sunt, & velut arreptii loquebantur.* Sic Coquæus. Quem locum si quis examinaverit diligenter, deprehendet: minus rectè Coquæum argumentari? Nam, quod supponitur: Si Sibyllæ fide in Christum divinitus illustratæ sunt, quare ad civitatem Dei non pertineant? Exemplum de Balaam parum aptè adductum est. Is enim dicitur *Impius*: cujusmodi homo, quamdiu talis manet, destituitur verâ fide, & consequenter ad civitatem Dei non pertinet. Reliqua, quæ censuram non levem merentur, cùm ad propositum propriè non faciant, lubens prætereo. Revertar itaque ad id, à quo digressus sum.

XV. Non leve quoque argumentum (6) esse volunt, quod desumitur à ritu antiquo apud Christianos usitato circa exequias defunctorum: nam ibi soliti fuerunt rythmum canere, & in eo ad vaticinium Sibyllæ respicere, utpote quæ visa est clarè & disertè de Christi judicio extremo loqui, unde colligitur: Ecclesiam multum tribuisse

buisse divinis istis Sibyllarum prædictionibus. Rythmus iste ita se habet;

Dies iræ, Dies illa
Solvet Sêclum in favilla
Teste David cum Sibylla.

Notat *Iohannes Stephanus Menochius lib. 3. c. 14 fol. 315. de Republ. Hebræor.* quòd prædictio Sibyllæ, si Davidis prædictioni non adæquetur, saltem eidem adjungatur tanquam ea, quæ multum ponderis habeat. Inde sequitur quòd si Ecclesia multum tribuit Sibyllinis prædictionibus in tantum, ut in solennibus & sacris rythmis defunctorum ad eas respiciat, & ipsius Sibyllæ mentionem faciat, vaticinia istæc non pro supposititijs & effictis, sed pro veris & genuinis habuerit. Falsa enim quæ scimus, allegare non solemus. Quod multò magis erit dicendum de antiqua Ecclesia à morum integritate in omnibus ferè sacris historiis commendata. Cui non absimile est, quod legimus, antiquos Doctores ad convincendam obstinatam Iudæorum pertinaciam hoc dicto usos: *Si non suis vatibus* (Prophetis ad ipsos speciali mandato divino missis) *credant saltem vel gentibus vel Sibyllinis versibus,* uti illud observat *Iacob. Spregelius ad Hymnum Prudentii ad omnes horas p. 216.* Quid aliud hinc elici poterit, quàm Ecclesiæ autoritate prædictiones Sibyllarum fuisse comprobatas? Quod nunquam fuisset factum, si illarum veritas saltem suspecta, aut falsitas nota fuisset.

XVI. Vlterius & (7) Eclogam Virgilij Quartam, quæ è Sibyllinis petita est, aliter quam de Christo intelligi non posse dicit *Schmidius. Orat. 3. de Sibyllis. fol. 1509.* Dubio procul legit *Eusebium, qui in Constantini Orat. ad Sanctorum cœtum c. 19. & c. 20. fol. 593. & seqq.* totam istam Eclogam mysticè interpretatur de Christo, unde etiam Possevinus explicationem suam supra *c. 9. huius libri p. 604. & seqq.* adductam desumsit; & *Boxhornius in Histor. Universſ. à p. 20. usque p. 24.* eam itidem exhibet. *Augustinus l. 10. c. 27. de Civit. DEI. fol. 622.* quoq; illam Eclogam de Christo intelligit, quam Poëta è Sibyllinis vaticinijs desumsit, & contra Porphyrium disputat. & ex ipsius confessione eum convincit: *Quod & Oracula gentilium sanctum & immortalem Deum confessa sunt,* qualia Oracula *lib. 19. c. 23. fol. 1318. & seqq. de C. D. adducit Augustinus.* Et negari nequit Dæmones Christo adhuc in terris degenti testimonium sanctitatis perhibuisse. Notabilis est

locus apud *Eusebium l. 2. c. 50. de Vita Constantini fol. 487.* *Apollinem ipsum* ex antro quodam & tenebricoso recessu & non è sacerdotis ore hac oraculum edidisse: *Iustos, qui in terris versabantur* (quo nomine Christi cultores intellexit) *impedimento ipsi fuisse, quominus vera loqueretur, & propterea falsa Oracula ex Tripode edita fuisse.* His præmissis Augustinus sternit viam ad hoc, ut rotundè fateatur, quòd ea, quæ Poëta nobilissimus in alterius adumbrata persona dixit (*scilicet in quarta illa Ecloga*) meritò ad Christum referri. Vbi notat *Coquaeus fol. 623.* Virgilius hæc è Sibyllinis versibus cecinit. *Verùm nesciens mysteriorum, quæ de Christo è virgine nascituro, cuius adventus tempora propinqua erant, longè ante prædicta fuerant, ea tribuit Salonino filio Pollionis.* Hic dubio procul secutus est *Ludovicum Vivem ad dictum cap. Augustini. fol. 1999*, qui ita scribit. *Tota illa Ecloga sumta est de carminibus Sibyllinis, quæ cum essent de Christo dicta, tempusq; esset ænigmatis quibusdam subsignificatum, eaq; intelligeret Virgilius, & videret adventare, de aliquo ex Principibus Romanis existimabat esse dicta, & huius Pollionis filio Salonino attribuit.* Similiter *H. Grotius lib. 4. c. 9. de Verit. relig. Christian. fol. 1664. in Tom. IX. Critic. Sacror.* eandem sententiam sequitur, dum ita scribit: *Quæ apud Maronem extant in Ecloga quarta ex Sibyllinis carminibus depromta, quibus ille id nesciens Christi adventum & beneficia nobis depingit.* Ita & *Philippus Mornæus in lib. de verit. religion. Christiana. c. 31. p. 521. & 522.* idem statuit: Virgilius Eclogam scripsit, quæ mera Sibyllæ translatio est, quo loco beatitudinem singularem per Christum Dei filium humano generi pollicebatur. Sed *quia ulterius non penetrabat, in gratiam Augusti Salonino. Oraculum accommodat,* uti Romani Vespasiano Imperatori oraculum illud Syriæ celeberrimum: *Ex Iudæa Dominum orbis proditurum* quondam acccommodabant. Insigne testimonium hujus interpretationis apud *Anton. Guibertum in Apologetico p. 114. & 115.* reperitur, quod cùm Autor non omnibus sit obvius, hic apponam. Quid? inquit, nonne hoc versu:

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas

Virgilius jam advenisse docet, quæ Sibylla Cumæa de Christi adventu prædixerat? sed proh Deûm ac hominum fidem, de qua mortalium sobole hi versus intelligi possunt?

Aggredere ò magnos aderit jam tempus honores
Chara Deûm soboles magnum Iovis incrementum:
Aspice convexo nutantem pondere mundum,

Aspice

Aspice venturo lætentur ut omnia sêclo.

Quis enim dixerit vel Cæsarem ipsum Sobolem Dei esse? hoc amplius, Iovis accretionem? Etiam tropis omnibus perpensis, quibus Poëta utitur, *non nisi de Christo intelligi is locus potest.* Valeant igitur illi, qui non tàm audacter, quàm falsò de quodam Salonino Pollionis filio Virgilium loqui dictitant, de quo ne præfata quidem fuerat Sibylla, ex cujus vaticinio totam illam Eclogam Virgilius deprom sit. Meminit ne unquam illius Salonini Virgilius? Scribit utique, quòd de felici & fausto magni, admirabilis, & immortalis pueri ortu vaticinata fuerat Sibylla, Consule Pollione eventurum, at eô patre non item: Iam enim instare illius felicitatis tempus ex Sibyllinis vaticinationibus perspectum habebant. *Sed admittamus de filio Pollionis loqui Virgilium, nihil propterea efficitur: quandoquidem de illo non prælocuta fuerat Sibylla, cujus vaticinium Virgilius eò loci describit. Cur ergo Salonini adumbravit personam? nimirum, ut populo & scenæ, ut dicitur, serviret. Adde quod eum latebat, quinam esset admirabilis ille puer, quem Sibylla prædixerat illis temporibus nasciturum. Itaque Virgilius* (licèt parum appositè & congruenter) *ad filium Pollionis transfert & accommodat, quod de Christo apertissimè præfata fuerat vates.* Hæc Guibertus. Illorum versuum lectione multos Ethnicos factos esse Christianos tradunt, *Schedius de Dis Germanis. c. 13. p. 250.* dum intellexerunt, ea, quæ Virgilius è carminibus Sibyllinis refert, mero homini, quàm potens & illustris etiam ille fuerit, non posse accommodari. Tria autem circa hanc Eclogam Virgilij observavi. (1) *Originem istius*, quòd desumta vel transcripta sit è versibus Sibyllinis. In eo enim ferè omnes conveniunt: Poëtam istud aliàs non indoctum carmen ex Oraculis Sibyllarum desumsisse. (2) *Ignorantiam Virgilii*, quòd ille verum istius Oraculi sensum non perceperit, unde quæ Sibylla de Messia vaticinando prædixit, ea ipse filio Pollionis applicavit, quòd reconditum sensum, & diviniorem mentem in istis versibus latentem absque speciali vel revelatione vel informatione suopte Marte studio absque industria privata non potuerit assequi. Itaque quod de sobole cœlesti Christo erat dictum, illud ipse accommodat mero hominis filio. (3) *Conversionem Gentilium*, quibus cùm verus Oraculi Sibyllini sensus esset expositus, & subinde ijsdem declaratum, quòd carmen istud è prophetia Sibyllarum depromtum non de simplici homine loqueretur, neque de eo intelligi posset; sed aliud & qui-

dem grande mysterium in eo lateret, inde istud secum perpendentes ad veram fidem de relictis paganismi tenebris se converterunt. Sed tantùm quoque de Virgili Ecloga.

XVII. Alij (8) hoc & argumento nituntur, quòd nonnulli lectis Oraculis Sibyllinis, repudiatâ superstitione Idololatricâ ad Christum se converterint: ea propter etiam factum, ut primi Patres seu DoctoresEcclesiæ eos, qui fidem Christianam reijciebant, vel libros Christianorum recipere & legere recusabant, ad Sibyllina Oracula remiserint, ut quam fidem ab illis discere nollent, à suis vatibus eandem publicè quondam professis addiscerent. Qua de re insigne extat testimonium apud *Philippum Mornæum in lib. de Verit. Religion. Christianæ. c. 3. p. 522.* ubi ait: *Secundianum virum sub Deciano insignem, & Verianum pictorem & Marcellinum Oratorem, dùm hæc Oracula legunt & comparant, Christum amplexos legimus*; quô fit, ut primi illi Scriptores apud Christianos, *Iustinus, Origines, Clemens, & alii nonnulli* Gentiles, quia nostros libros ejurabant, *apud Sibyllarum tribunal reos citent*, ut & cujusdam Hystaspis, cujus prophetia ea ætate passim legebatur: *Fore ut Filius DEI in mundum veniret, & in eum, ejusq́; eius Sectatores coniuraturos quidem omnes Reges & Principes, sed ipsum tandem victoria potiturum.* Et quantumvis sint, qui mirentur, quare Deus voluerit Gentilibus per istas feminas fatidicas media salutis æternæ tàm perspicuè & apertè manifestare, cùm tamen tàm claræ prophetiæ apud gentem Hebræam in vetere Testamento non extent: Tum Respondet Mornæus dicto loco: *Quòd imprimis gentium saluti singulari cura providerit Deus, dispersis per omnes orbis angulos Iudæis ipsis, seu potius Israëlitis, eorumq́; Prophetiis; cùm certè nullam aliam gentem seu prosapiam integris documentis & libris suis, integro nominè, integris originibus disseminatam unquam legamus, nempe ut essent apud gentes adventantis Mediatoris præcones, & antiquitatis, veritatis, sinceritatis Prophetiarum nostrarum amplissimi testes; quamvis effectibus ipsarum omnibus viribus reluctarentur. Etenim quos locupletiores testes habituri aut optaturi erant gentiles? Quatenus videlicet, qui Iesum & Apostolos morti tradiderant, pro veritate & integritate librorum, in quibus promissus, prædictus, nunciatus ab omni tempore dicebatur Christus, occumbere parati erant.* Fundamentum itaque suæ sententiæ unà cùm aliis ponit Mornæus in providentia divina, quòd Deus voluerit & inter gentes aperta de Messiæ persona & officio extare testimonia, quibus ipsæ ad

agni-

agnitionem veritatis, & tandem ad salutem æternam perduci possent. Et licèt Deus ad Gentiles non æquè atque ad populum Hebræum miserit suos Prophetas, quippe qui gentem Israeliticam elegerat præ cæteris; voluit tamen apud eos itidem extare luculentissima testimonia, ut non minus & ipsis media perveniendi ad salutem suppeditarentur: tùm quòd homo ex se & viribus suis ad Deum se simpliciter convertere nequeat; tum etiam, ut omnis ratio excusandi, quasi media istæc salutis per meritum Servatoris obtinendæ ipsis nunquam fuissent revelata, ea tamen è principiis rectæ rationis cognosci haut possent, planè ipsis essent ademta vel præcisa. Hinc dictum est. *Quod natura ignorat, Sibylla aperit: Quod ratio tacet, Sibylla dicit. Quod homini ignotum, Sibylla ostendit, canit & profert.*

XIIX. Atque hinc proditum est, quòd Sibyllæ spiritu divino afflatæ ea pronunciaverint, quæ ad hominum salutem pertinerent, loquente per os earûm Spiritu S, ut Gentes ad unius veri Dei cognitionem adducerent, & ita homines redderentur inexcusabiles, cùm per suos Prophetas & vates instituerentur demonstrantes digito eorum Idololatriam & profanos errores: dicerentque iram Dei summi exarsuram in omnes falsorum Deorum cultores & sceleratos. Quibus verbis nihil aliud indigitatur, quàm Sibyllas ex inspiratione Spiritus S. fuisse vaticinatas, & ea prædixisse, quæ aliunde, quàm è communicatione divina scire & proferre non potuerint.

XIX. Sunt tamen alii, qui affirmant: Sibyllas non tàm ex immediata Spiritus S. inspiratione, quàm ex Hebræorum librorum lectione ejusmodi vaticinia protulisse. Ita *Gregorius Nazianzenus* in carmine ad *Nemesium* ait: *Hermem Trismegistum & Sibyllam quæcunque de Deo prædixerunt, non divinitus afflatos prædixisse, sed ex sacris Hebræorum libris, quos obiter perlegerant, ea accepisse.*

οὐ θεόθεν βίβλων δὲ παραβλέψαντες ἐμεῖο

Vide *Henric. Vallesium ad c. 18. Eusebii in Orat. ad Sanctor. Cœtum fol. 265.* Quam opinionem & recentiores nonnulli secuti sunt, scilicet, quòd Sibyllæ è communicatione quam habuerunt cum Hebræis talia didicerint: vel motu aliquo divino incitatæ eadem subobscuris tamen verbis prædicaverint, ut coram Dei judicio redderentur inexcusabiles, proponentes Christum Mediatorem venturum, qui genus humanum reconciliaret. Cùm quibus conveniunt ea, quæ

docet

docet *Ianus Boissardus in Tract. de Devinationib. p. 287.* dum ita scribit: *Verisimile est*, inquit, *Sibyllas depromsisse hanc doctrinam è sacris literis Israelitarum; credendumq́; est, eas communicasse cum Hebræis AEgypto Assyrieq́; vicinis: à quibus plurima potuerunt perdiscere, vel nonnunquam instinctu Spiritus S. multa pronunciasse, quæ non intelligerent. Vnde constat, omnes Phœbadas post excessum Enthusiasmi, quô corripiebantur, non habuisse notitiam eorum, quæ pronunciassent: imò plura dicere cogebantur, quæ nollent.* Vti Balaam, qui ad maledicendum populo Israelitico conductus benedixit.

XX. Verùm si hanc dissertationem paulò plenius consideraverimus, non pauca dubia ibi occurrent. Nam. 1. Quomodo dici poterit, Sibyllas ex Hebræorum lectione istam notitiam sibi parasse, ut tantum mysterium suis Gentilibus prædicerent & quidem tam clarè ac perspicuè, ac si jam tum contigissent ea, quæ prius fieri debuerunt. Nullibi in antiquo Federe tàm evidens extat testimonium de persona & officio Christi, quàm in Oraculis Sibyllinis reperitur. Quomodo itaque tàm claram Prophetiam Sibyllæ è scriptis Hebræorum depromere potuerunt, quæ in illis non habetur. Monstretur saltem unum dictum vel è Mose, Psalmis, aut Prophetis quod tàm perspicuè testificetur de Christi persona, officio, & miraculis, quàm è Sibyllinis Oraculis illud probari queat. Multorum Patrum dicta, si necessitas ita postularet, facilè coacervarem, quibus ostendi deberet: hominibus in Vetere Testamento mysterium de Messia ejusque miraculis tam apertè haut innotuisse, quàm Christianis in N. Testamento. Pervolvat aliquis omnes Prophetas Hebræorum, inquit *Alphonsus Tostatus*, sanè *nunquam deprehendet, tàm clarum in illorum dictis de Christo vaticinium, prout in Oraculis Sibyllarum, quæ causa fuit, ut à quibusdam haberi cœperint suspecta, utpote quòd credere nequeant, Deum voluisse apertius Gentilibus, quàm electo suo populo Hebræo Messiam revelare.* In Oraculis Sibyllinis omnia sunt detecta, perspicua, & prout ab ipso Christo sunt perfecta & impleta: in Prophetarum vaticiniis, licèt itidem præclara reperiantur dicta de Messiæ nativitate & officio, tamen tam aperta non sunt, ut explicitè proponant singula, sicuti faciunt carmina Sibyllæ. Quinimò sunt nonnulli, qui expresse statuunt, Patres in V. T. explicitam cognitionem de Messiæ conditione statu, & munere non habuisse, uti nos in Novo Federe eam adepti sumus. Sed

per umbram saltem inspexisse in istud mysterium, nisi illud singulari gratia ipsis per Spiritum S. fuerit manifestatum. Inde scribit *Bonaventura*: Fides Mediatoris haberi potest dupliciter, videlicet Implicitè, & Explicitè. *Explicitè, ut si quis crederet Filium Dei assumturum nostram humanitatem, nasciturum de Virgine, passurum in cruce, resurrecturum tertia die, & hoc modo explicitè credere non erat omnibus opportunum, sed his solum, quibus erat à Deo revelatum.* Verùm ejusmodi explicita doctrina de Messia habetur in Oraculis Sibyllarum: & quod à Christo, dum in terris esset, factum, manifestatum & prædicatum est, illud à Sibyllis antea prædictum est, non aliter ac si ipsæ interfuissent Messiæ nativitati & passioni, vidissent ejus miracula, & gloriosæ ejus resurrectionis testes fuissent oculares. Ut ita Gentilibus æquè manifestè, ac Christianis in Novo Testamento doctrina de Christo fuerit perspecta & cognita.

XXI, Deinde. 2. positô quòd cum Ægyptijs communicaverint, non video tamen qua ratione Sibyllæ ab ipsis potuerint tàm perfectam & accuratam notitiam de Christo sibi parare. Ægyptus fuit regio multis superstitionibus magicis dedita, quæ de futuro Messia ejusmodi cognitionem de ipsius Persona & officio non potuerit Sibyllis instillare. Fuit enim Ægyptus Idololatriæ, Gentilium & Hebræorum Deorum seminarium. Videamus quid incomparabilis scientiæ variæ & eruditionis *Pater Athanasius Kircherus Tom. 1. Syntagm. 5. c. 1. fol. 397. Oedipi Ægyptiaci* scribat. *Ægyptiorum exemplo*, inquiens, *cuncta Idolis repleri invenias, nihil divinorum mysteriorum in sacris voluminibus contineri, quod in contemtum Dei animarumq; perniciem Simia Dei Diabolus de sanctis venerandis Prophetarum Oraculis assumtum ad contaminatissima sui furoris scelera non transtulerit.* Quinimò superstitio Ægyptiorum vicinas & remotas gentes infecit, ita, ut vix populus fuerit, in quo non fanatica superstitionis Ægyptiacæ cernerentur deliramenta. Et certè refert modò laudatus *Kircherus Tom. 3. Syntagm. 18. c. 2. fol. 515. Oedipi Ægypt.* Ægyptum suscepisse fidem post Christi passionem & resurrectionem, ideo antea ipsa Regio tenebris Paganismi immersa, & Idololatriæ varijs horrendisque superstitionibus implicita non potuit Sibyllis communicare tantam eamque explicitam doctrinam de Messia. Et si fortean quis excipiat de Sibylla Ægyptia, quæritur unde illa istam fidem acceperit, an per inspirationem divinam, an per communicatio-

nem cum alijs Sibyllis. Vt ſanè hoc, quod ſic aſſeritur, ſit ſatis incertum.

XXII. Præterea (3) vix quiſpiam capere poterit, quomodo Sibyllæ ex inſtinctu Spiritus S. pronunciaverint, quæ tamen non intelligerent. Vndenam aſſertoribus hujus ſententiæ de eo conſtat? Cùm de hoc taceant antiqui Annales. Et quænam erit cauſa, quare non intelligerent, quæ è ſuppoſito Spiritus S. afflatu vel inſtinctu pronunciabant: *vel defectus fuit in verbis*, quod videlicet linguæ iſtius, in qua Deus iſtius myſterii notitiam inſpiravit, non intellexerint: *vel defectus iſte fuit in rebus ipſis*, quas animo ſuo aſſequi non potuerint. *Prius* non eſt probatum, nec de Deo ita ſentire licet: quippe qui non ſimulatè agit cum hominibus in revelanda ſua voluntate. *Poſterius* quoque non poteſt admitti. Num quidne ſtatuendum, quòd Prophetæ ea, quæ è revelatione divina acceperunt, non intellexerint? nemo facilè, ut equidem credo, illud admittet. Ita cauſa non apparet, quare cum Spiritus S. elegiſſet iſtas feminas fatidicas, illiſque aperuiſſet myſterium de Meſſiæ perſona ejuſque officio, nihilominus intellectum tantæ rei iſtis ſubtraxiſſet, quominus vim illius perciperent. Perinde enim eſſet, ac ſi myſterium iſtud illis planè non fuiſſet manifeſtatum.

XXIII. Sed alia cauſa (4) affertur, quòd Sibyllæ Enthuſiaſmum paſſæ ſint, & durante illo quidem locutæ ſint, quid verò tum dixerint, planè non intellexerint. Planè uti Pythia apud Oraculum Delphicum, quæ velut furibunda, dum à Deo illo obſidebatur, conſulentibus quidem reſpondit; ignara tamen eorum, quæ ipſa proferebat. Sanè hæc cum prioribus non cohærent. Afflatus Spiritus S. non inducit Enthuſiaſmum. Legamus revelationes varias Prophetis factas, quibus certè Spiritus S. futurorum notitiam inſpiravit; at ubi dicitur, quòd vates iſti ſanctiſſimi in Enthuſiaſmo vaticinia iſtæc acceperint ac iterum populo retulerint. Phœbadas, quas Sibyllas dicimus, interdum furore quodam divinô correptas nonnulla prædixiſſe, non negavi: at (loquor ex hypotheſi) quòd eo tempore, quô afflatum S. Spiritus ipſæ ſenſerunt, & ipſis myſterium de Meſſia revelatum fuit, Enthuſiaſmum habuerint, aut tempore iſtius affectus iſtud myſterium verſibus ſuis panderint, fidem veritatis excedit. Exemplum Pythiæ Sacerdotis Delphicæ non facit ad rem: nam illa corporaliter à Dæmone obſeſſa tanquam inſa-

na è

na è suggestione mali Spiritus Oracula dabat consulentibus, quid interea loqueretur, nescia. De quo libro. 2. actum est fusius. Hinc dico Enthusiasmus iste, vel est à Deo, vel à Dæmone. *Prius* non potest probari; Spiritus S. siquidem non habuit istum morem futura manifestandi sacris vatibus, ne dum tale mysterium, in quo cardo salutis æternæ vertitur, ipsis revelandi mediante Enthusiasmo, prout vox istæc hodie sumitur. Sed si verum est, quod de Sibyllis dicitur, tum Spiritus S. ipsis mysterium istud & alia miracula, quæ Christus quondam facturus esset, per immediatam & extraordinariam gratiæ divinæ operationem cognoscenda & prædicenda communicavit. Quod si autem Sibyllæ interpretatæ sunt istæc omnia carminibus, necesse est, ut intellexerint ea, quæ ipsis fuerunt revelata, aliàs non fuissent Prophetissæ hac in re, sed saltem videntes. Vide *Iacob. de Valentia Tract. 2. Prologu. super Psalmos*, ubi de requisitis Prophetiæ agit. Interim in revelatione *à parte hominis* elevatio ac perfectio mentis: *à parte DEI* verò modus aut forma revelationis vel *per visionem* vel *per ecstasin* (quæ tamen non est Enthusiasmus) vel *per somnia* vel per aliam quadam rationem deprehenditur. Quod itaque à Deo revelatum est, si è peculiari motu Spiritus S. alijs communicatur, Prophetia fit. Et si illud contigit Sibyllis, utique communicata ipsis est futurorum notitia à Spiritu S. absque Enthusiasmo. *Posterius* non est verum, quomodo enim Sibyllæ à Dæmone tanti mysterij ut & miraculorum, quæ Messias patraturus esset quondam, notitiam sibi acquirere potuerunt, quam ipse non habuit. Nam, quod alibi ostendi, certissimus sum: Diabolum exactam scientiam de Christi persona, officio, & miraculis antea non habuisse, imò, si negarem ipsum ante Filij DEI incarnationem verâ notitiâ tàm sublimis mysterii & futurorum miraculorum planè fuisse destitutum, non errarem. Quod si igitur Dæmon istam notitiam non habuit, quomodo illam inspirare Sibyllis potuit intervenIente licèt Enthusiasmo? ita, ut manifestata ipsæ quidem eloquerentur, quid verò illis contineretur, vel sub ijs lateret, non intelligerent.

XXIV. Sed non comprehendo, quinam istorum verborum verus sit sensus: Multa Sibyllæ dicere sunt coactæ, quæ nollent. Nam si hæc intelligenda sunt de communicatione revelàti mysterii de Messia, tum nullibi extat: coactas fuisse Sibyllas ad loquenda ea,

quæ nollent: & ita apud eas defectus fuisset non in scientia, sed in voluntate. Coactio namque ad loquendum id, quod quis dicere renuit, supponit scientiam in loquente. Quod si verò iste verborum sensus esse debet, quasi Sibyllæ in Enthusiasmo jacentes, vel etiam tanquam furore sacrô correptæ velut insanæ, aut mentis parum compotes dicere coactæ sunt, quæ aliàs nollent, tum principium petitur. Hoc enim est, quod in divina ipsis facta revelatione negatur. Exemplum Bileami parùm aptè adducitur. Nam 1. Bileam, qui tum temporis habitus fuit tanquam Somniorum interpres, & ænigmatum explicator, ad quem Reges undique literas darent, & in omnibus obscurissimis rebus eum interrogarent, à Rege Moabitarum Balack vocatus est ad maledicendum populo Israëlitico, qui in procinctu erat, ut terram promissam occuparet. Et scribit *Stenchus ad ad c. 22. n. 5.* Numeror. & ex eo *Fagius* ad dictum. *vers. fol. 1050. in Tom. 1. Critic. Sacror.* quòd Bileam fuerit Prophete eo modo, quô & Mercurius Trimegistus apud Ægyptios, & Sibyllæ apud alias nationes. Qui tametsi pleraque vera cecinerant; Idololatræ tamen, & Dæmonum cultores fuerunt. 2. Missi sunt ad eum non exiguæ sortis homines, sed Senes, id est, sapientes & Principes Moabitarum, qui pretium divinationis secum portabant. Quantumvis alij istæc verba interpretentur de *instrumentis divinationis necessariis*, quæ curiositas humana adinvenerat. Vnde omnem apparatum, qui vati putabatur necessarius, nempe *sedem & sortes* istis verbis exprimi contendunt. Vti apud *Euripidem in Phœnissis de Tiresia v. 844. & seqq. p. 213.* scribitur: *Præcedito, ne impingamus, imbecillis est pater tuus, serva mihi tabellas sortium virginea manu, quas accepi servans auguria avium in sacris sedibus ubi vaticinor.* Alij inter Hebræos simpliciter illa verba exponunt de Divinatoribus, quos missi isti sapientes & dubio procul in arte vaticinandi exercitati secum habebant, ne ipsos fallere posset *Bileam*, si fortè vel tempus, vel diem, vel horam aut aliud tale quid prætendere vellet, quasi modò non esset opportunum uti divinationibus, ut statim illi contrarium ipsi ostendere possent per suos Divinatores, quos secum adduxerant, & ita verba ejus retunderent. Verùm missis istis, simpliciter per *INCANTATIONES* hoc loco intelligimus aut pretium ipsum quod pro incantatione dandum erat, aut id, quod erat incantandum, id est, rationem atque ordinem quo uti deberet ad populum

male

male dicendum. Vide *Vatabl. ad c. 22. Numeror. v. 7. fol. 1052. Tom. 1. Criticor. Sacror.* Porro 3. Jussus quidem est Bileam aliter loqui, ac volebat: nam honore, quô afficiebatur à Rege Moabitarum Balaack, & tàm magnis donis, quibus inescabatur ad maledicendum, maluit utiq; Regis desiderio quidem facere satis, quàm populo benedicere; Verùm, ut ipse fatetur, voluntati & præcepto divino non potuit contravenire. Attamen, ubinam extat, quod Bileam ignoverit ea, quæ debuerit loqui: aut quod in Enthusiasmo verba benedictionis protulerit? Iam verò exemplum Bileami propriè eum in finem adducitur, ut ostendatur: Sibyllas divino afflatu correptas nescivisse, quid dixerint: & coactas fuisse id eloqui, quod noluerint. Igitur deficit applicatio hujus exempli ad propositam assertionem de Sibyllis. Vlterius 4. vaticinatus est, & quantumvis fuerit Propheta improbus; nihilominus tamen Deus eidem manifestavit tum quæ ad futuram Israëlitarum felicitatem spectant; tum quoq; quę ad potentiam & Regnum Messiæ pertinent, quippe qui per Stellam orituram in Iacob, & sceptrum exsurrecturum in Israël indicatur. An illam Prophetiam intellexerit, vel non, equidem non disputabo. Id tamen probabile est, eum non ignorasse istius vaticinij vim & mentem. Nam *v. 15. & 16. c. 24. Numeror.* ait Bileam: *Dixit Biliam filius Beor: dixit homo, cujus obduratus est oculus: dixit auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam Altissimi, & visiones omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos.* Quæ verba innuunt, novisse Bileamum mentem Dei omnipotentis, cùm tamen ille dicatur impius vates. Putant autem interpretes, isti per somnium à Deo tale quid revelatum esse: hoc enim verba Hebræa sibi volunt, *qui dormitat, & tamen habet oculos mentis revelatos,* quibus innuit vates: hæc sibi dormienti & in somnis revelata fuisse, nullius autem Enthusiasmi, vel furoris divini, aut inscitiæ ejus, quod prædicere debuit, simul ibidem fit mentio. Ea propter ita concludo: Si Bileamo, qui habetur pro improbo Propheta, ariolatore, & Dæmonum cultore, Deus aliquid revelavit, quod is manifestaret Balaaco, ita ut absque Enthusiasmo & furore sacro sciens & intelligens eorum, quæ diceret, istud vaticinium dicto Regi communicaret: utique idem & Sibyllis fieri potuit, utut feminæ fuerint falsi Numinis cultui deditæ. Interea 5. facili conjectura assequi licet, quod Bileami intentio fuerit lucrum aliquod captare: Nam *Petrus Apostolus Epist. 2. c. 2,*

2. c. 2. v. 15. *scribit: Eum mercedem iniquitatis amâsse.* Suaserat enim stupra: quandoquidem cùm maledicere non auderet populo Hebræo consilium dedit Regi Balack, ut Moabitarum & Midianitarum filiabus scortari permitteretur cum Israëlitis, sic fore, ut non opus esset maledictione, utpote cùm propter istud facinus Deus iram erga populum suum jamtum concepturus eumque deleturus esset. Istius consilij fit mentio *Numeror. c 31. v. 16.* Vbi autem venit ut peteret fructum consilij sui, interfectus est. Vide *Grotium ad c. 31. v. 8. Numer fol. 1110. Tom. 1. Critic. Sacror. Et ad 2. Petri. 2. v. 15. fol. 4593. Tom. VII. Critic. Sacror.* Verùm hic subsistendum.

CAPUT XX.

DE

JUDICIO ET ARGVMENTIS EORVM, A QVIBVS CARMINA SIBYLLINA HABENTVR PRO SVPPOSITITIIS.

I.

ANte quam ordine progrediar in recensendis argumentis, quæ contra Sibyllina Oracula ad infringendam eorum autoritatem adduci solent, paucis apponam *ex Orat. 3. Erasmi Schmidii de Oracul. Sibyllinis fol. 1504.* opinionẽ, ut & rationes istius, quem sibi dictus Schmidius fecit adversarium, utpote qui dicta Sibyllina Oracula tanquam suspecta habet. Verba Oratoris ita sunt comparata. Inveni, inquit, multa lectu dignissima de creatione Mundi, Lapsu hominis, humani generis propagatione, Imperiorũ summorum successionibus & mutationibus, de Diluvio, de vero Deo, de Christo, de Antichristo, ejusq; tyrannide in Ecclesia, de ejus sede Roma, de ejusdem interitu: de die novissimo, & mundi per ignes abolitione, de resurrectione mortuorum, de extremo Iudicio: peræque ad amussim Sacris Scripturæ historijs & oraculis respondentia, nonnulla longè clariora. Quæ res etiam fecit, ut dubitare inceperim, utrum Oracula illa, prout ea hodie habemus, Sibyllis feminis illis inter gentes fatidicis verè sint tribuenda, an verò pro supposititijs & à quodam vel quibusdam Christia-

Christianorum ad Ethnicos Sibyllinorum oraculorum autoritate ficta facilius Christo lucrifaciendos concinnatis, & gentilitati obtrusis æstimanda?

Equidem si in memoriam mihi revoco, quæ in antiquioribus, qui ante & circa natum Christum vixerunt, Scriptoribus inveniuntur & leguntur, præsertim *Platone*, *Aristotele*, *Dionysio Halicarnasseo*, *Strabone*, *Varrone*, *Livio*, *Cicerone*, *ceteris*; iis etiam, quorum scripta ad nos non pervenerunt olim lecta & inventa fuerunt, ut apud *Euripidem in prologo Lamiæ Nicanorem*, qui Alexandri Magni res gestas scripsit, *Chrysippum* de divinatione, *Nevium* de bello Punico, *Pisonem* in Annalibus, *Eratosthenem* & alios, quos Lactantius ex Varrone allegat, non possum non statuere: *Sibyllas tales fatidicas fuisse, & scripta etiam quadam fatidica post se reliquisse.* Quando verò Carmina Sibyllina, quæ hodie eo nomine veniunt, excutio & qualitatem eorum expendo, *non satis mihi persuadere possum, ut credam, ea ipsa à Sibyllis istis conscripta, & nobis relicta fuisse.* Etenim, ut ex omni numero Sibyllarum unam mihi proponam, si ipsam personam respicio, *Sibylla quæ vulgò Erythræa habita & omnium nobilissima fuit, seipsam profitetur lib. 1. & in fine tertii Noha nurum, seq; tempore Diluvii, cum suo marito & leviris, ipsorumq; uxoribus, socero item socruque i. e. Noha & uxore ejus, in Arca servatam, & αἰπὺν ὄλεθρον effugisse scribit.* Atqui quomodo illa Græcæ linguæ tàm egregiè gnara esse potuit? *cum tempore Diluvii*, & posteà etiam ante turrim Babylonicam, quæ post multiplicatum demum rursus genus humanum ædificare cœpit *unica lingua in terris fuerit, non Græca aut alia, sed Hebræa. Cur non Hebraico idiomate vaticinia sua conscripsit?*

Præterea sunt qui eam Trojana tempora attigisse credant, & Græcis Ilium petituris expugnationem pollicitam fuisse, deque Homeri mendacijs prædixisse; imò & Æneam Trojanum exciso Iliô in occidentem navigare jussisse, signumque terræ fatalis inventæ mensas esu absumtas indicasse. Et palam est, quòd in scriptis suis *Ilii, Spartæ, Romæ, Hectoris, Achillis, Priami, Peleï* & aliorum nomina habeat, quorum tamen exædificationem vel ætatem attingere potuisse non videtur. *Quin & circa tempora Romuli eam vixisse Eusebius & Augustinus non negare videntur.* Imò hanc ipsam Erythræam Tarquinio Prisco libros fata Romæ continentes venales obtulisse *Volaterranus* notavit. *Ponamus nunc eam tempori Diluvii, quod incidit in annum*

num mundi millesimum sexcentesimum quinquagesimum sextum fuisse annorum 50: Excidium Troiæ anno mundi 2767. factum in annum Sibyllæ 1161. incidisset: Romulus in annum eiusdem 1591. Tarquinius Priscus libros fatidicos ab extremè decrepita vetula 1754. ad minimum annorum emisset. Quis unquam tantam ætatem ullius hominis affirmare ausus fuit? Mathusalem in sacris omnium maximè longævus commemoratur: nondum tamen millenarium attigit, quum anno ætatis 969 in vivis esse desierit. Moses, vir Dei, jam sua ætate vitæ humanæ spatium ad summum 40. annorum periodo communiter definivit. *At hæc nurus Nohæ non tantùm omnium aliorum hominum vitæ annos superasset, sed eo etiam tempore superasset*, quo *jamdudum vitæ duratio intra limites angustiores fuit conclusa. Vixisset enim post Mosen ultrà 867. annos, eô nimirum tempore, quô ad summum 80. anni vitæ humanæ communiter relicti erant. Quis hoc credat? quis non meritò hæc omnia suspecta habeat?*

Accedit *tertium*, ipsa videlicet vaticiniorum non tantùm materia, sed & *perspicuitas*. Vt enim non dicam, quòd tam crebra sit Sibylla in vaticinijs de Christo & Antichristo: *tantum hoc me offendere dico, quòd vaticinia illa sint tàm clara*, tamque *aperta, ut ferè omnium Prophetarum in populo Dei oracula superare, & magis de exhibito quàm de exhibendo Christo loqui videantur.* Non est autem verisimile, extra Ecclesiam Dei vaticinia de Christo & Antichristo clariora fuisse, quàm in Ecclesia & populo Dei.

Quæ omnia dum expendo, videor mihi totus in eam ire debere sententiam quam *Iohannes Iacobus Grynæus*, & alij de libris *Sibyllinis* tulerunt: *Esse videlicet eos suppositicios conscriptos à nonnullis Christianis, & ab iisdem Ethnicis pro vere Sibyllinis obtrusos ut vel hac ratione eo facilius Christo illos lucrifacerent. Ideoq; non ita vetusta hæc carmina esse existimo, ut vulgò putatur; sed circa tempora Adriani Imperatoris ante ætatem Lactantii & Augustini efficta, quandoquidem l. 5. ubi literæ initiales aliquot Imperatorum Romanorum recitantur, in Adriano finis constituitur: haud dubiè, quia de præteritis Imperatoribus ista scribi potuerunt, de futuris autem res fuit impossibilis.*

II. Verùm relictô istô Schmidii fictô an verô adversariô, Iosephus Scaliger primùm deprehendit, Oracula Sibyllina non esse genuina, sed supposititia, & à Christiano quodam efficta, quod etiam postea in publicum produxit, & potissimùm in Epistola ad Casaubonum scripta, quæ est numero. 115. lib. 2. suum judicium de illis

inter-

Interposuit his verbis: *Quid PseudoSibyllina Oracula, quæ Christiani Gentibus obiiciebant, cùm tamen è Christianorum officina prodiissent, in Gentium autem Bibliothecis non reperirentur?* Ex quo tempore dictus Casaubonus non tantùm Scaligeri sententiam & judicium de Oraculis Sibyllarum probavit; verùm etiam aliquot argumentis eam confirmavit. Quæ continentur in Exercitat: I. ad Apparat. Annalium Baronij. N. 18. p. 66. & 67, & ordine sed breviter hîc apponuntur. (1) Videtur verbo divino contrariari, existimare imò docere, profunda fidei mysteria, uti sunt Sacro Sancta Trinitas, Nativitas Christi, ejus passio, mors, & resurrectio Gentibus fuisse proposita clarius, quàm populo Hebræo, quem tamen Deus sibi præ omnibus elegit, eumque sua & Prophetarum suorum ad ipsum toties missorum voce erudijt. Certè multa testimonia, quæ in S. Scriptura Novi Testamenti deprehenduntur de salute generis humani, de Incarnatione, (quippe quæ fuerit mysterium à Seculis & generationibus absconditum) stare non poterunt, si verum est, pleraque & quidem præcipua doctrinæ Christianæ mysteria etiam ante Mosem paganis fuisse proposita. Cui argumento hoc poterit opponi: Si Deus Gentibus istæc summa mysteria de salute omnium hominum longè clarius paganis, quàm electo suo populo Hebræo manifestavit, quòd tum potius Ethnicorum quàm Iudæorum curam habuerit, ut illi præ hisce beati efficerentur. Nam illud extra dubium est, longè clariora esse Oracula Sibyllarum de mysterio incarnationis & redemtionis, quàm sunt testimonia à Prophetis in antiquo Federe descripta. Verùm quis facilè affirmaverit: Deum hoc subtraxisse suæ genti, quod paganis non invidit: & sanctis Prophetis tàm apertè non manifestasse, quòd tamen revelavit feminis fatidicis, Sibyllis Gentilium Prophetissis, & Idololatriæ deditis. Jam verò Deus ex animo detestatus est idololatriam, ita, ut propter istud crimen Judæos non una vice acerrimè puniverit, unde etiam ejusmodi peccatum in Sibyllis non probavit; sed eas tanquam falsorum Numinum cultrices à facie sua abiecit. Hinc inferat aliquis, an sit rectæ saltem rationi conveniens, ut Deus clarius media salutis illis offerret, qui essent ipsius inimici, à vera fide & pietate deviantes, quàm Judæis, quos tamen ipse sibi elegisset tanquam singulare quoddam & sacrum peculium. Quando autem Oracula Sibyllina comparantur cum testimonijs & dictis Prophetarum, constabit: longè manifestiora esse vaticina Sibyllarum, quàm Prophetarum dicta aut Oracula, quæ tamen Genti Deo tum amicissimæ

sunt annunciata. Cùm autem hoc à rectæ rationis principijs videatur abhorrere, utique vero consentaneum erit: istæc Sibyllina carmina à pijs quibusdam hominibus in bonum finem fuisse efficta.

III. (2) Quædam Sibylla se antiquiorem facit Mose, utpote quæ sit Noæ nurus, vel filia, quod antea fusius est declaratum, quæque fuerit in arca tempore universalis diluvii: inde longo tempore ante, quàm Lex per Mosem fuit electæ genti Hebrææ tradita, religionis Christianæ arcana Gentilibus fuerunt patefacta, & quidem ijsdem ferè verbis, quibus postmodum in Novo Testamento fuerunt expressa. Non est autem verosimile, voluisse Deum doctrinam Evangelii, & tanta mysteria Ethnicis & Idololatris prius revelare, antequam suæ genti tradidisset Legem: cùm tamen agnitio peccati, quæ fit per Legem, præcedere debeat gratiam salutis, quæ habetur ex Evangelio. Equidem hic alij respondent: Quòd Sibylla istæc, quæ se profitetur Noæ nurum, non fuerit Idololatriæ crimini dedita, sed à Patre suo Noa mysterium de Messia didicerit, deinde è peculiari revelatione Spiritus S. plura cognoverit. Verùm qui à partibus Casauboni stant, respondent, id quidem se facilè concedere: Sibyllam, quæ Noæ nurus fuerit, Idololatriæ peccato non fuisse contaminatam, at verò illam à patre suo Noa tàm perspicuè fuisse eruditam, vel ipsi specialiter istud mysterium tàm clarè fuisse revelatum, dubium est, partim, quòd ipse Noa tàm explicitam de Messia cognitionem habuisse non legatur: partim quòd de singulari revelatione Sibyllis facta nullibi constet: partim quoque, quòd ijsdem ferè verbis istæc Oracula Sibyllarum sint expressa, quibus in scriptis Novi Federis declarantur. Quod indicium est talium Oraculorum eum demum esse autorem, qui N. Testamentum legerit & Sibyllarum nomen ad antiquitatis autoritatem illis conciliandam adhibuerit.

IV. (3) Quod apud Platonem, Aristotelem, Theophrastum & tot alios è Paganis curiosissimos omnium disciplinarum scrutatores, eorum, quæ hodie apud Sibyllas miramur, nullum penitus extet vestigium. Nam si Sibyllæ tàm vetustæ sunt, ut vulgo dicitur, & tàm celebres ob vaticinia: utique & illius doctrinæ de salute per Messiam reparanda isti præstantissimi Scriptores in suis libris fecissent mentionem. Verùm de ea nihil quicquam in illis extat: quod videtur sufficiens esse argumentum dubitandi de veritate & genuina in-

na indole talium vaticiniorum. Nec fortè quicquam juvabit, si quis dixerit: Sapientes istos Gentiles non curâsse istæc Oracula, utpote, quòd istorum vim mente sua assequi haut possent, nec intelligerent historiam de lapsu primi hominis in peccatum, quod ad omnes nasciturs esset propagandum, non autem nisi mediatore quodam redimendum. Sed 1. hoc est principium petere. Vnde namque ostenditur: Sapientes istos Paganos istæc carmina non æstimâsse, sed neglexisse. 2, Licèt nolim repugnare, ab ipsis istæc Oracula non fuisse intellecta nam hoc non est in quæstione; sed quod istorum in suis scriptis non meminerint, illud demum est, quod occasionem dubitandi præbuerit. 3. Plato certè & Aristoteles de Sibyllis loquuntur, at nullibi tradunt, talia mysteria ab istis esse patefacta, ad quæ cognoscenda sublimior requireretur intellectus. Quinimò 4. dicerem Philosophos istos tàm solertes arcanorum naturalium indagatores non prætermisisse rationem inquirendi in verum illorum Oraculorum Sibyllinorum sensum, si illa habuissent aut legissent. Aut 5. Si eum eruere non potuissent, illud vel leviter attigissent. Et Aristoteles commodius facere haut potuisset, quàm in libro XI. Metaphysicorum, vel in libro de Mirabilibus Auscultationibus; sed nihil horum ibi legitur. Plato quoque. 6. de Sibyllinis carminibus uti dixi, mentionem fecit, verùm de istis Oraculis nihil ne verbum quidem tradit.

V. (4) Dicit Casaubonus, ipsum hoc potissimùm movere, quòd videat primis Ecclesiæ temporibus quàm plurimos extitisse, qui facinus palmarium judicabant, cœlestem veritatem figmentis suis iri adiutum, quô facilius videlicet nova doctrina à Gentium Sapientibus admitteretur. Officiosa hæc mendacia vocabant bono fine excogitata. Quo ex fonte dubio procul sunt orti libri sexcenti, quos illa & proxima ætas viderunt ab hominibus minimè malis (nam de hæreticorum libris non loquimur) sub nomine etiam Domini Iesu & Apostolorum aliorumque sanctorum publicatos. In quorum censum refert & libros Sibyllinos, & miratur, eos tanta facilitate esse receptos. Verùm quid huic argumento reponatur in præcedenti capite videri potest. Cui illud additur: quòd longè dispar sit ratio Scriptorum recens effictorum à Christianis, quippe quæ à Patribus prudentibus & eruditis nunquam pro genuinis recepta, agnita, nec ad probandam doctrinam fidei allegata

 fuerunt,

fuerunt. Aliud tamen sentiendum de Oraculis Sibyllarum, quibus usi sunt Doctores nonnulli ad redarguendam Gentilium impietatem, & ad convertendos eos ad veram illam religionem jamdudum à Sibyllis Paganorum Prophetissis traditam. Quorum spuriam indolem facilè deprehendissent, & propalassent, si dubitassent saltem: ea non esse genuina.

VI. Heribertus Rosvveidus Casaubono sese opposuit, & pro autoritate carminum Sibyllinorum pugnavit, cui contradixit *Iacobus Cappellus l. 1. c. 11. p. 19. & 20. in Vindic. Isaaci Casaub. contra Rosvveidum*, cum ita scribit: *Supersunt Sibyllæ, quibus an aliquid sit affictum, nec ne, non profiteris, sed hoc ipso, quod temerarium videri vis Casauboni suspicionem, satis innuis, non tantùm fuisse Sibyllas aliquid vaticinatas etiam de Christo; sed iis verè tribui, quæ tum olim eorum nomine citata sunt à Patribus, tum hodie circumferuntur libris octo comprehensa cum acrostichibus quibusdam, quæ omnia versibus Latinis à Castalione donata sunt. Igitur quicquid in genere de Sibyllis pertendas, apertè cum Casaubono profiteor, mihi videri Græcos octo libros, qui dicuntur carminum Sibyllinorum, esse* opus hominis otio suo abutentis. Deinde carmina istæc non esse genuina vult ostendere duobus argumentis. 1. *Quod Autor illorum fuerit Hebrææ linguæ ignarus, & cum Sibyllam, quæ Noæ nurus esse debeat, loquentem introducit, tamen Græcè scribat.* Unde vult colligere: Si Sibylla est Noæ nurus, quo tempore non nisi una lingua, nimirùm Hebræa fuit in usu, Græca siquidem post confusionem linguarum circa extructionem turris Babylonicæ demum orta est, utique illa non Græcè, sed Hebraicè locuta est. Quod verò Autor illorum carminum fuerit linguæ Sanctæ ignarus, illud aliquot exemplis illustrat, & inter alia adducit & illud, quia audivit vel etiam legit: Deum passim vocari *Deum Sabaoth*, putavit *Sabaoth* esse nomen DEI in hoc versiculo.

ὄλβιοι ἀνέρες οἷς Σαβαὼθ νόον ἐσθλὸν ἔδωκε.

Beati viri quibus Sabaoth bonam mentem dedit.

Quem errorem itidem errârunt *Ascodrutæ*, qui docebant *Sabaoth* esse Judæorum Deum, Diaboli patrem apud *Theodoretum de Hæresibus lib. 1. fol. 89.* Cum tamen nomen *Sabaoth* non sit nomen DEI proprium: Sed quando Sanctissimum Numen vocatur *Deus Sabaoth*, idem est, atque *Exercituum*, eò quòd in cœlestem ac terrestrem omnem militiam, id est, in omnem creaturam, imperium ac potentiam suam exercet, stultæ verò nationes ei creaturæ, quam pro summo Numine haberent putà

Soli co-

Solicœloque hoc nomen tribuerunt. Quinimò nomen istud Sabaoth ne quidem inter epitheta Dei referri poterit: sed semper conjunctim effertur *Iehova Sabaoth*, Dominus exercituum, copiarum aut militiarum. Vide *Drusium ad c. 5. v. 4. Iacobi. fol. 4439. in Tom. 7. Criticor. Sacror. & H. Grotium ad c. 9. v. 29. Epist. ad Roman. fol. 2707. id eod. Tom.* Paulus retinuit vocem Hebraicam, eamque putavit non esse mutandam, idque ideo, quia latet in ea aliquid mysterij, quod aliena lingua tàm emphaticè exprimi non potest. 2. *Quod dictus iste autor in rebus ipsis suam prodat ignorantiam.* Nam (1) dicit Noam per dies XLI. mansisse in arca, cùm tamen ibi manserit menses amplius tredecim. Deinde (2) quod illud intelligi nequeat, quando scribit: Deus in ultimo judicio perdet omnes Hebræos τοὺς μετ' ἠρεμίας (3) *Rancidas* Poetarum de Saturno, Rhea, Jove, Junone, Titanibus fabulas ita narrat, ac si verissimæ sint historiæ. (4) Vbi de Augusto agit, malè Alexandriam designet Memphis nomine. (5) Tiberium perperam ait aggressum Babylonias, Persas & Medos, qui ex quo imperium adeptus est, fuit Cæsarius; sed ne vivente quidem Augusto populis illis bellum intulit, imò nec Augustus, nec Tiberius, ipsi vel per legatos quicquam tale moliti sunt. (6) Iniquè *Hadrianum* vocat πανάριστον optimum: *Antoninum Pium* οἰκτρότατον valdè miserabilem, cùm tamen ille vitiosissimus fuerit, hic autem illô tàm *Felicis*, quàm *Pii* nomine dignior (7) Perspicuum est illum fuisse millenarium, qui error à *Papia* proseminatus tum obtinebat. (8) Habet aliquid de Angelorum nominibus *Vriel, Romiel, Samiel, Azael*, quæ hausit è lacunis Judæorum, quibus plurimum favet. Quibus ita adductis pergit idem *Capellus lib. 2. c. 5. p. 36. & 37. advers. primum librum Andreæ Eudemon: Iohannis.* narrare, quod carmina Sibyllina non sint vera & genuina, perinde uti liber quartus Esdræ non est Canonicus, ubi ait: suspicari me fateor, libros Sibyllinos non magis à Sibylla scriptos, quàm ab Esdra librum illum, qui vulgo dicitur *quartus Esdræ*, quemque nec pauciores fortè, nec minus vetusti patres sub Esdræ nomine citant.

VII. Similiter ex istis ferè rationibus (quòd quædam Sibylla fuerit in arca Noæ, tam clarè & perspicuè de Christo & ejus baptismo nec non futuris miraculis vaticinata fuerit) *Gallæus ad lib. 1. c. 6. Lactant. p. 31. & 32.* propugnat, carmina istæc Sibyllarum esse spuria & non genuina: & inter alia illud quoque urget, quod *Iacobus Cappella* locô ante citatô contra Rosvveydum urgebat, dicta Sibyllina Oracu-

la, scilicet, non esse genuina, verùm falsa & supposititia, quæ suam debent originem figmentis Christianorum. Verba ejus merentur adscribi. *De Sibyllis earumq; scriptis multa olim gentiles & Christiani memoriæ prodiderunt; quid de iis statuerunt non est hujus loci, nec nunc vacat referre. Hoc dicam, me nullo modo adduci posse ut credam illa genuina esse, quæ nunc illarum nomine circumferuntur carmina: quis enim credat, gentiles voluisse in prophetissarum numerum admittere, quæ se scortum ac prostibulum fuisse fatetur lib. VII. in fine:*

Μύρια μέν μοι λέκτρα, γάμος δ' οὐδεὶς ἐμελήθη.
Πᾶσι δ' ἐγὼ πανάπυστος ἐπήγαγον ἄγριον ἔργον, &c.

Talis si paganorum fuisset Sibylla, non adeò fuisset inter illos laudata & decantata, quippe qui fornicationem & adulterium summopere execrabantur. quid quod plena sint mendaciorum hæc spuria Sibyllina oracula, & S. Scripturæ contradicant. Moses narrat Noachum in arca degisse annum integrum, Sibylla illa fictitia dicit illum degisse tantum per XLI. dies in arca. Sic canit lib. 1.

—— —— Νῶε δικαιότατος ἀνθρώπων
Ὄγδοος ἐξῆλθεν, δὶς εἴκοσι καὶ μίαν ἠῶ
Πληρώσας ὑδάτεσσι, &c.

Etiam ἀλλόγραφον *est quod dicit de monte Ararat illum in Phrygia situm esse, eumq; primum post diluvium emersisse. falsum est quando dicit, se cum Noacho marito suo, cum socero socruq; in arca fuisse tempore diluvii, ut testatur & affirmat illud lib. 1. circa finem;*

Ὦ γενεῆς ἔκλης πρῶτον γένος, ὦ μέγα χάρμα,
Ἧς ἔλαχον μετέπειτ' ὅτε ἔκφυγον αἰπὺν ὄλεθρον
Πολλὰ κλυδωνισθεῖσ' ἅμ' ἐμῷ πόσει, ἠδὲ δαέρεσσιν,
Ἠδ' ἑκυρῷ θ' ἑκυρῇ, ὁμονύμφοισιν τε παθοῦσα.

Si verum hoc, oportet Mose illam priorem extitisse, quod mihi videtur non posse conciliari cum illis versibus, quos reperio lib. IIX. in fine:

Τοὔνεκ' ἄρ ἡμεῖς καὶ ὁσίης Χριστοῖο γενέθλης
Οὐρανίης πεφυῶτες, ἐπικλεόμεσθα συναίμοι,

Si Christianus est auctor hic quomodo cum Noacho fuerit in arca? auctorem autem horum carminum fuisse vel Christianum, vel saltem Christo posteriorem, hinc patet, quod multa narret quæ nonnisi post Christum natum contigêre: dicit falsa hæc Sibylla se vidisse alterum ædis Vestalis incendium, at verò illud

rò illud contigit sub Imperio Commodi, ut præter Eusebium testatur etiam Herodianus in eius vita. hic autem omnibus incommodus Commodus regnavit anno post natum Christum CLXXXI. aut circiter, dicit etiam lib. II. circa finem, damnatos liberandos postquam pœnas infernales per aliquot secula erunt perpessi. quæ Originis fuisse sententia perhibetur, & ignota ante Christi tempora. Meminit etiam ludorum Iselasticorum, qui Trojani tempore demum innotuere, teste Plinio Secundo. impingit etiam contra veram & puram Theologiam quando sic canit,

Τότε ὁ Θεσβίτης ἀπὸ ὀρανῦ ἅρμα πτάζων
Οὐρανίοιν, γαίῃ δ' ἐπιβὰς, τότε σήματα τρισσὰ
Κόσμῳ ὅλῳ δείξει, &c.

Hoc etiam mihi suspecta reddidit hæc carmina, ut statuam non à paganorum Sibyllis profecta, siquidem illa clarius enunciat futura de Christo, quàm ipsi Prophetæ. Esaias dixit virginem parituram, Sibylla hæc ficta, Maria virgo pariet Iesum in Bethlehem. Prophetæ non notarunt tàm exactè omnes circumstantias, nomina propria personarum, de quibus vaticinantur, quæ Sibylla tamen indicat tàm exactè, ut nullus dubitem, quin auctor hic, quisquis ille fuerit, vel suo tempore viderit, vel ex aliis audiverit, aut in Evangeliis legerit: quomodo enim prædixisset de baptismo Christi in Iordane: & descensu Spiritus S. sub forma columbæ, quæ ne Prophetæ quidem prædixere, Sibylla tamen illa vaticinari vult videri lib. VI.

—— προχοαῖς δ' ἀπολουσάμενος ποταμοῖο
Ιορδάνε, ὃς φέρεται γλαυκῷ ποδὶ κύματα σύρων.

Et paulo post:

—— —— ὅστε καὶ ἤδη
Πνεῦμα λεύσσοιτο φερόμενον λευκαῖς πτερύγεσσι πελείης.

Possem hic Sibyllæ huius ineptas etymologias recensere; sed sufficit mihi hæc paucula notasse, ut rationes meæ innotescant, quare hæc Sibyllina oracula notha & spuria mihi videantur aliàs fortè de his plura dicturo. Pari modo & Betuleius ad eundem Lactantium in lib. de Ira Dei. c. 22. p. 821 Ætate tàm longa Sibyllæ à quibusdam præcipuè ab Ovidio narrata offenditur, quô minus credere queat: vera istæc esse, quæ de Sibyllinis carminibus venditantur. Ita autem commentator iste scribit: Obstitit primùm incredibilis Sibyllæ, quam èx multis unam facit, longævitas, à Diluvio nimirum usque ad Tarquiniorum tempora: quod spacium complectitur annos circiter 1770. Et quanquam Sibyllæ vivas in-

vacitas olim in proverbium abiit, fidem tamen excedit ætas ita prodigiosa, ut à nullo scriptore tanta commemoretur. Esto, vixerit Ovidiana illa mille annis, sed adhuc 700, & amplius supersunt. Inde obstat nominum varietas, non ex gentibus variis variantium, sed propriorum maximè. Postremò adduci vix potero, ut credam, Noæ nurum græcè scripsisse, & quidem numeris heroicis, tam facilè ad Homeri vel Hesiodi (vel si mavis antiquioris Orphei) suavitatem fluentibus. Hæc profectò faciunt, ne concedam prorsus in hominis charissimi sententiam. Et ut facilè credo, decem non extitisse Sibyllas: ita malim subscribere illis, qui duas solùm posuerunt, aut quatuor. Sed nolo de his in præsentiarum pluribus agere, ne quid nimis, præsertim cùm ipse Castalio fateatur aliquando multas extitisse, victus fortassis circumstantiarum ratione.

IIX. Sed hisce alij reponunt 1. Licèt una Sibylla perhibeatur Noæ nurus fuisse; hoc tamen veritati nihil derogat, quòd Græcâ linguâ ediderit Oracula: utpote cùm illa vixerit post confusionem linguarum, & dispersionem gentium, adeoque & ipsa Græcæ linguæ postmodum ita appellatæ non potuerit esse ignara, & cùm apud gentes Græcas viveret, in lingua ipsis cognita voluerit vaticinari. Non enim credendum est, quòd statim à tempore egressus ex arca conservationis ipsa vaticinata sit, sed ubi in Idololatras incidit, cumq; ijs habitavit, eo ævo, quô verbum Dei fermè fuit extinctum, tum demum cœperit media salutis per Messiam recuperandæ hominibus exponere. 2. Quod Hebræam linguam non intellexerit Autor, uti perhibetur, istorum carminum, id dubium est. Namquidam existimant, istæc carmina à Quindecimviris collecta, & in istud opus, quod adhuc extat hodie, redacta fuisse. Itaque una saltem ex istis Sibyllis utpote quæ se prædicat Noæ nurum, Hebrææ linguæ perita fuit: reliquis ejusmodi ignorantia non poterit esse fraudi. At Noæ nurus non Hebraicè sed Græcè vaticinia de Christo expressit. 3. Non validè inferri, ex illis carminibus elucere inscitiam Hebrææ linguæ, & ignorantiam ipsarum rerum. Etenim uti audacter scribitur: Istæc carmina esse efficta; eadem audacia regeri poterit, quosdam istæc carmina interpolasse, & nonnulla falsa & imperitiam autorum significantia illis inspersisse, ut ita illis omnem detraherent autoritatem, eaque tanquam suspecta & spuria sisterent erudito orbi, quæ tamen in primitiva Ecclesia Sancti Patres pro veris & genuinis agnoverunt.

IX. Quibus ita positis, & aliorum scriptorum judicia de hisce carminibus Sibyllinis sunt adducenda, è quibus patebit: partim iisdem

fere,

ferè, partim novis ipsos usos fuisse argumentis. Et primò quidem adducam, quæ profert *Boxhornius in Histor. Univers. p. 11.* quando scribit: Sibyllas nonnullas de Christo esse vaticinatas, tradunt multi è Patribus, neque nos, ut cum *Casaubono* hîc viro maximo loquar, planè factum negamus: Sed *Augustum* aliquid certi præsertim *de Rege Messia ex illarum versibus cognovisse, nedum ipsius adventum habuisse compertum neque aliquis Patrum dixit, & in magno errore versantur, qui hoc credunt.* Addit Boxhornius: *Christi discipuli, qui prædictiones de Messia in Synagogis sæpius exponi à Scribis aliisq; Doctoribus audiverant,* & ipsi *Sacras literas legerant, ne tum quidem, quando vivebant cum Domino nostro, simile tamen unquam sunt suspicati.* Præterea quando *Johannis Baptistæ discipuli ab ipso Christo informati, quis nam ille esset, manserunt increduli, quò pactò poterimus credere: Paganos homines à Sibyllis suis edoctos tantum mysterium cognovisse?* Proinde divinis Oraculis & verè θεοπνεύστοις Sibyllina carmina exæquanda, vel, quod fortean nefas dictu fuerit, anteponenda erunt. *Esaiam* propter aliquanto clariores de venturo Messia prædictiones quidam gravissimi Theologi non malè appellârunt *Prophetam Evangelicum. Verùm in tota Prophetia Esaiæ nihil eiusmodi, & tàm perspicuè legitur, uti in libris Sibyllinis.* Porrò ait Scriptor, è Sibyllinis Oraculis Cæsari Augusto omnia quæ de nativitate, rebusque Domini ac Servatoris nostri nota esse potuerunt, si ea Oracula Sibyllarum legerit, quæ extant hodie & celebrantur, & à quibusdam Patribus Christianis quondam laudata sunt. *In iis enim de Domini IESV exordiis & munere seu officio apertissimè omnia, certè apertiora, quàm quæ à Prophetis in Vetere Testamento prodita sunt, traduntur.* Et *hinc Deo is absque dubio facit iniuriam, qui credit ea esse Sibyllarum.* Injuria autem in eo erit posita, ut dicamus, minus à Spiritu S. Prophetis fuisse manifestatum, quàm Sibyllis, utpote in quarum carminibus omnia deprehenduntur apertiora, quàm in Prophetarum vaticinijs. Quomodo enim Deus gentilibus & Idololatris manifestius mysterium de redimendo humano genere per Incarnationem Filij SVI quàm Prophetis ad electum populum missis manifestasset? Et ea ratione minus θεόπνευστοι Evangelici Prophetæ fuerunt, quàm Sibyllæ, utpote, quæ longè clariora de Christo prodiderunt. *Quàm vera itaque ea sunt, quæ de Christo reperiuntur in Oraculis Sibyllinis, tàm verum est ea ab homine Christiano conficta nentiquam verò à Sibyllis inter paganos tantopere celebratis profecta esse.* Vl-

terius conficta illa oracula, & Sibyllis attributa fuisse, ita vult ostendere, quòd una inter illas de Mose vaticinetur, & diluvium istud universale prædicat. Imò addit se in arca cum Noa mariti sui patre tempore inundationis istius servatam fuisse. *Ante diluvium igitur eam vixisse necessum est. Quod dixisse modò sufficit, adeò id pluribus refellere non est necesse. Si verò post diluvium, de præteritis, quod, nisi fallor, quivis gestarum rerum gnarus potest, carmina cecinit, & oracula edidit. At nihil stultius est, quàm vaticinia de factis gestisq; iam rebus tribuere, quæ de futuris tantum vaticinatæ dicuntur: & dubio procul eas tantummodò prodere debuerunt, si velint nomen vatum tueri.* Inde concludit p. 15. Plurima ex istis, quæ hodie hoc nomine circumferuntur, Oraculis longè post adventum Domini scripta esse, nemo, qui inspexerit modò, poterit ambigere. Pag. 25. & 26. dicit: *Illa esse Prophetarum divinitus ipsis inspirata Oracula, quòd cùm gentes à Iudæis accepissent, ignara, quorumnam illa vaticinia essent, tum illa suis vatibus cumprimis verò Sibyllis tribuerunt. Itaque non Sibyllarum, sed Prophetarum ea fuerunt; non divinitus Sibyllis, & aliis eiusmodi inter gentes vatibus inspirata, sed Prophetis: ex quibus cognita de adventu Regis ac Domini Messiæ Iudæi per gentes sparsere; gentes autem, cùm Prophetas alios non agnoscerent, à Sibyllis istæc vaticinia prodita crediderunt.* Proinde Prophetica haut dubiè origine sunt, non Sibyllina, quæcunque de venturo Domino ac Rege, qualis Messias fuit, prædicta ab ijs leguntur. *Aut igitur nihil de Christo prædixerunt gentium vates & Sacerdotes, aut si quid prædictum ab iis possit videri, iam ante prædictum à Prophetis, & per manus quasi Iudæorum sibi traditum prodidere.* Iam verò post vates alios, & ex vatibus alijs de re eventura proferre eadem, non tàm vaticinari est, quàm aliorum tantùm vaticinia, quod quivis potest, referre. Et tandem concludit: *Nihil falsum magis videri potest, quàm credere illa tàm vera & certa, quæ de Rege Messia pronunciata Sibyllis tribuuntur, à Iudæis eas non accepisse. Habuerunt igitur à Iudæis Sibyllæ, quæ de Christo edixisse dicuntur, Prophetarum ea Oracula sunt, non Sibyllarum.* Ita procedit Boxhornius.

X. Quàm prolixè illa à Boxhornio sunt prolata, tàm multa poterunt illis ex aliorum judicio quoque opponi. Nolo tamen hic omnia rimari, sed saltem ostendere, quid alii dubio procul ad istæc essent responsuri. Et (1) inter eos, qui Sibyllina vaticinia tanquam suspecta accusant, inter se non videntur concordes esse. Nam

Casau-

Casaubonus non negat, Sibyllas etiam de Christo aliquid vaticinatas fuisse, quod etiam fatetur *Iacobus Capellus l. 1. c. 11. Vindic. Isaaci Casauboni. fol. 20.* adversus *Rosvveid.* Sed saltem dicit: *Multa fuisse carminibus Sibyllinis inserta ad veritatis Christianæ confirmationem.* Verùm *Iohannes Hoornbeck. l. 2. c. 3. de Convers. Indorum p. 103.* recedit ab illa sententia, & dicit *totum illud scriptum*, quod quidem hodie extat, & in eruditorum manibus versatur, *esse suppositititum, sub Sibyllarum nomine ab aliquo quamvis vetusto & Christiano Autore male consarcinatum, editumq́ ex pia, uti volunt, fraude pro causa Christianæ religionis quô apud Gentiles autoritate Oraculorum quæ semper summæ venerationis fideiq́ iis fuerunt, potentius commendaretur, sed consilio pessimo, neque enim ulla vel minima falsi species probari aut persuaderi amat.* 2. Nulla videtur consequentia: Patres non dicunt, Augustum lectis Sibyllarum carminibus de Messia aliquid certi cognovisse, nedum ipsius adventum habuisse compertum, Ergo illa carmina non sunt genuina, sed supposititia. Nam quòd Princeps iste tale quid non cognoverit, causa non est, ac si vaticinia istæc sint ficta & supposititia, sed quòd illa non intellexerit. Et quomodo Prophetia perfectè intelligi potest antequam illa compleatur? 3. Exemplum de Christi ut & Iohannis Baptistæ disculis nihil videtur ad rem facere, utpote, quorum animis infixa erat opinio de Messiæ Regno terrestri, unde non potuerunt ea penetrare, quæ de Christi officio ipsis inculcabantur. Nec tamen 4. sequitur: Sibyllas Prophetis adæquandas, vel præferendas esse. Enimverò Prophetæ fuerunt illuminati viri specialiter missi ad gentem à Deo peculiari Iure electam, cui Deus partim per Sacrificia, aliosque typos, partim quoque per revelationes futurum Messiæ officium annunciari voluit. Et licèt omnes perfectè istas prophetias non caperent; nullum tamen est dubium, quin aliquibus istud mysterium fuerit cognitum. Sibyllæ verò an istæc omnia vaticinia plenè intellexerint, à quibusdam dubitatur. Positô autem ipsas istæc omnia assecutas fuisse, non tamen illi, quibus istæc prædicta sunt, aut qui postmodum istæc legerunt, plenè & explicitè apprehenderunt: Quod nondum Gentilibus esset patefactum, de quonam istæc vaticinia essent accipienda. Inde manet divinorum Prophetarum autoritas præ gentilium vatibus nimirum Sibyllis. 5. Non obstat: *Esaiam* dici *Prophetam Evangelicum*: quoniam hic præ cœteris Prophetis V. T. apertè de Christi nati-

vitate & passione vaticinatus est. Clariora tamen in Sibyllarum vaticiniis reperiri testimonia nihil derogat Esaiæ Prophetiis, quandoquidem in sacra illa gente fuerunt Interpretes, qui Oracula Prophetarum publicè exponerent, & ita eam ex parte erudire possent de Messiæ persona & officio. Deinde debuit Christus in carne se conspiciendum Iudæis præbere, eos erudire & docere veram salutis viam, quam tamen ipsi non agnoverunt, sed eâ repudiatâ, Regem suum cruci affixerunt, ut proinde majore luce ipsis haut fuerit opus. Verùm quòd probè notandum est, licèt hodie istæc Sibyllarum testimonia videantur nobis apertiora vaticiniis Prophetarum; tamen illud simpliciter & à principio dici non potuit. Quamdiu enim non fuerunt adimpleta Oracula Sibyllina, affirmari nequivit: Ea fuisse Prophetarum vaticiniis clariora. Neque 6. animo comprehendere licet, quare DEO fiat injuria, si quis credat carmina Sibyllina esse aperta, & manifestò de Messiæ adventu, Persona, officio & Iudicio testari: Quin dicere aliquis possit, hoc in summam DEI gloriam ad ostendendam ejus misericordiam tendere, quòd voluerit mysterium Redemtionis etiam ante Incarnationem sui Filij notum fieri Gentibus. Vbi tamen 7. nihilominus verum manebit: Iudaicum populum singulari amore fuisse à cæteris gentibus separatum, nec Deum taliter fecisse omni nationi, etiamsi Sibyllis istud magnum de redemtione humani generis mysterium revelaverit. Electio istæc potissimùm in eo vertitur, non quòd DEVS Gentiles noluerit æternæ salutis fieri compotes; sed quod præ omnibus dictum populum sibi obedientem habere, suam legem, ritus & ceremonias Sacrorum per Mosem ei manifestare, & in terram promissam eum deducere voluerit, ut cùm omnes ferè gentes Idololatræ, & falsorum Numinum cultores existerent, Iehovah haberet peculiarem populum, à quo & ipse coleretur. E quo nihil absurditatis infertur, si dicamus: Sibyllis doctrinam de Messia fuisse revelatam, ut & Gentilibus constarent media consequendi æternam salutem. Voluit siquidem Deus omnium & ita etiam Gentilium misereri, sicuti etiam efficacissimam suam voluntatem erga ipsos reapse ostendit. 8. Illud autem videtur parum vel nihil concludere, quòd cùm Sibylla agat de Diluvio, ipsa ante illud vixerit. Agit etiam in libro I. de creatione mundi & hominis, Ergo sequetur, quòd ante jacta mundi fundamenta vixerit.

xerit. Distinguenda namque sunt ea, quæ narrantur tanquam præterita ab ipsis vaticiniis quæ sunt futurarum rerum. Narrationes itaque præteritorum pro vaticiniis non habentur. Proinde illud argumentum nihil facit ad rem. 9. Ex hactenus dictis itaque non sequi videtur istæc conclusio, quòd Carmina Sibyllina sint efficta, & quidem post adventum Messiæ: rationes siquidem hucusque allatæ talem conclusionem efficaciter non producent. Verùm 10. unde illud probari debet: Sibyllas istæc carmina accepisse à Iudæis. *Boxhornius* inter alia & hoc argumentum adducit, quô vult probare, carmina Sibyllina esse suspecta, quòd in illis longè clariora reperiantur vaticinia, quàm in Prophetarum Oraculis. E qua sententia hoc validissimè sequitur: aut Sibyllina vaticinia non à Iudæis accepta esse: aut Prophetias Vatum in V. T. fuisse æquè claras. Ratio est, quia Boxhornius vult, Sibyllina Oracula esse clariora Oraculis Prophetarum. Sed unde istis major claritas aut perspicuitas accessit? Deinde in Sibyllinis vaticiniis exprimitur Messiæ nomen, mater, unum & alterum miraculum, de quo in Prophetarum vaticiniis nihil deprehenditur. Vnde Boxhornii argumentatio claudicat. Ne nunc dicam: Illum nihil probare, sed Oratoris instar istæc saltem probabiliter afferre, vel Historici in morem narrare, quod tamen ad probationem rei controversæ efficaciter nihil valet.

XI. Relictô Boxhorniô, videndum ulterius, quomodo se gerat *Gisbertus Voëtius part. 2. Disput. Theologic. in Dissert. de Gentilismo & vocat. Gentium p. 612. Qu. .8* Is statuit. 1. Oracula Sibyllina non magis nos movere debere quàm Oracula Apollinis. Ea enim aut ex Prophetis magnam partem descripta sunt, aut supposititia & conficta, uti ex professo disputat *Obsopæus in prolegom. ad Oracula Sibyllina*, in cujus, ut & *Casauboni, Capelli Matthiæ Martinii & Scaligeri in notis ad Eusebium fol. 17.* judicio & antehac se acquievisse ait. 2. De Systemate octo librorum, in quibus carmina Sibyllina continentur, cum Capello & Martinio judicat illud ab aliquo *esse suppositum*, & per consequens *Patres nonnullos parum prudenter ad Oracula illa promiscuè provocâsse.* Quamvis. 3. omnia Sibyllarum oracula tanquam supposititia dicere nolit. Quippe quòd confarcinator illorum versuum, quisquis tandem ille fuerit, nonnulla fragmenta genuinorum inserere potuerit, quod eum quoque fecisse, notent

notent dicti Autores. 4. Absurdum erit, *si Satanæ Oracula, seu potiùs Oraculorum divinorum expositiones à Sathana è Prophetis collecta ipsa vaticinia Prophetarum perspicuitate superent.*

XII. Fortean Schmidius Voëtio regereret. (1) Quod parùm rectè inter Oracula Sibyllarum, & Oracula Apollinis institueretur comparatio. Apollo enim quis fuerit constat, ementitus aliquis Deaster, sub cujus nomine Dæmon consulentibus olim respondit de futuris, de quibus interrogabatur. At verò istius farinæ non erunt vaticinia Sibyllarum, quippe quæ è Spiritus S. revelatione ipsis sunt communicata, potissimùm ea, quæ de Messia agunt. (2) Quòd hæc è Prophetarum vaticiniis desumta non sint, antea *num. 10.* est ostensum: ea autem esse supposititia & conficta dicunt quidem adducti Autores; imò una vel alterâ conjectura nituntur, nihil certi tamen probant. Nam si è conjecturis semper agere liceret, multa in dubium vocari possent, quæ tamen tanquam certa habentur, & pro talibus habenda sunt. (3) Poterit quidem aliquis in alterius judicio acquiescere, de quo tamen adhuc dubitatur, an illud verum sit. Vnde licèt Voëtius velit admittere judicium illorum, qui dicunt: Systema octo librorum Sibyllinorum esse supposititium: nunquid exinde res ita se habet aut nunquid propterea quicquam derogatur veritati? (4) Patres interea parum prudenter ad testimonia Sibyllina provocâsse, unde hoc probabitur? Augustinus, Iustinus Martyr, & alii temerè alicujus imprudentiæ non erunt accusandi, quòd ad Oracula Sibyllina provocarint. Certè si de eorum veritate tum temporis fuisset dubitatum, nunquam ipsi ea adduxissent, aut alios ad ea remisissent. Vlterius (5) si nonnulla fragmenta illius carminibus sunt inserta: Quænam illa sunt? si dixerit Voëtius: Illa, quæ apertè de Christo ejusque miraculis agunt. Sed ea ratione committit petitionem principii. Nam hoc alii volunt, ob tàm clara & perspicua de Christo ibi deprehensa testimonia istæc Oracula Sibyllina esse suspecta, & ejusmodi fragmenta esse illis inserta. Verùm unde hoc probatur? Licèt enim quidam Autores id ita notaverint; hoc tamen nondũ est probatum. Sola autoritas id quod est dubium, non probat: nec verum infringit: nec falsum aut incertum stabilit. Tandem (6) supponit *Voetius* Sibyllarum Oracula esse è Prophetijs divinis à Dæmone collecta, & tamen perspicuitate superare Prophetarum vaticinia. Sed illa suppositio est nulla: nam quomodo

Diabo-

Diabolus è Prophetarum Oraculis clariora vaticinia de Messia subministrare potuit Sibyllis; quæ tamen in ijsdem nec deprehenduntur, nec ipsi Diaboli sunt revelata specialiter? Quinimò is doctrinam de Messia cum omnibus circumstantijs, prout continetur in Oraculis Sibyllinis, ne quidem antea habuit cognitam & perspectam.

XIII. *Henricus Vallesius in Annotation. ad Eusebium fol. 265.* itidem est in ea sententia, ac si carmina Sibyllina ab otiosis hominis conficta sint, & circa tempora Cæsaris Hadriani edita, quod exinde vult probare, quia ante Iustinum nemo earum fecit mentionem. 2. dicit: *Celsum* qui sub *Principatu M. Antonini vixit*, affirmare, quòd Christiani multa falsò inseruerint carminibus Sibyllis, uti illud *Origines lib. 7.* adducit. 3. Quod si Sibylla tàm clarè de Christo vaticinata est, ejus Oracula pro veris & genuinis habita sunt, utique & *Paulus Apostolus in suis Epistolis*, cùm ad Græcos verba faceret, illius testimonijs fuisset usus, sicuti testimonia Poëtarum *Arati & Menandri* adduxit. Certè si ea fuissent genuina, dubio procul ubi cum Græcis convertendis ipsi erat negotium, Gentilibus ostendisset, se eandem doctrinam ipsis inculcare, quam antehac Sibyllæ vates ipsorum fuissent professæ. Vti cùm deprehendisset aram, cui inscripta erant hæc verba: *IGNOTO DEO*, occasionem sumsit prædicandi istum Deum, cui ipsi Athenienses ignorantes sacra facerent. *Act. 17. v. 23.* Vlterius. 4. Si Sibylla istam de Christo scripsit Acrostichidem, nihil causæ est, quare illam inter Prophetas & quidem primo loco recensere dubitemus: quandoquidem *nemo inter antiquos Hebræorum Prophetas tam clarè ac disertè scripsit de Christo, quàm sunt hæc à Constantino prolata Sibyllæ carmina.* Verùm nec Origines nec ullus aliquis inter Patres concessit, ut Sibyllæ in numerum Prophetarum haberentur: imò eos, qui illud ita crediderunt, Hæreticos esse existimârunt, & *Sibyllistas* appellarunt. Ita *Origines lib. 5. contra Celsum.* ubi respondet Celso, qui Christianos varias in sectas divisos esse objecerat; alios scilicet esse *Psychicos, alios Spirituales, alios Iudæorum Deum colere: alios non item: alios Sibyllistas esse.* Hinc non malè colligi poterit: si Sibyllina Oracula 1. sunt genuina, 2. clariora vaticinijs, quæ habentur apud Hebræorum Prophetas, nulla causa impedit, quominus Sibyllæ in Sacrorum vatum censum referendæ sint.

XIV. Hæc quæ *Valesius* profert argumenta, licèt ex parte ab alijs

aliis quoque sint prolata non minimam veri speciem præ se videntur ferre, itaut & ipse in ijs facilè possem acquiescere. Verùm poterit istis aliquid reponi. Et quidem. (1) Quod ante Iustinum nemo Sibyllina carmina allegaverit, id fortean à fide historica recederet, cùm Cicero istius solennis carminis, quod dicitur *Acrostichis*, mentionem fecerit. Et si illud de Patribus Ecclesiæ saltem intelligendum erit; tamen ne sic quidem illa argumentatio vim quandam habebit. Etenim Iustinus voluit Gentiles ex ipsorum quoque principijs convincere, ideo ad retundendam eorum impietatem & incredulitatem usus fuit Sibyllarum Oraculis, ut ex illis partim Idololatriæ detestandum scelus ijs ob oculos poneret: partim quoque veram de salute æterna consequenda viam ijs commonstraret. Deinde non omnibus hi vel isti modi argumentandi contra alios placent. *Iustino* visum fuit, utile esse ex hoc Oraculorum Sibyllinorum principio contra Græcos disputare: quod alijs ita commodum fortean visum non fuit, utpote, qui aliam rationem cum Gentilibus agendi elegerunt. Quamvis aliàs non videatur consequentia firma: Iustinus primus ad Sibyllina carmina provocavit, Ergò illa recenter sunt excogitata, ita ut illis, qui ante Iustinum vixerunt, nihil de ijs constiterit. (2) Origenes hoc, quod adducitur, non admittit, sed illud pernegat, & Celso affirmanti, *multa falsa fuisse Sibyllarum carminibus inserta* opponit: *Debuisse illum antiquiora Sibyllinorum carminum exemplaria proferre, in quibus versus illi, quos à Christianis intrusos esse dicebat, minimè legerentur.* Efficaciter itaq; infertur: Si Sibyllinis carminibus alia falsò sunt immixta, dubio procul, quæ pro stabilienda Religione Christiana faciunt; tùm producenda sunt antiquiora Sibyllarum exemplaria, in quibus monstrari possit, quænam demum illa sint, quæ proferantur falsò istis carminibus inserta fuisse à Christianis. (3) Quare S. Paulus non provocaverit ad Sibyllina Oracula in ijs casibus, ubi ipsi erat negotium cum Græcis, de eo alij nihil certi quidem proferre sciunt; Illud tamen certum est, ipsam ad doctrinam fidei confirmandam seu in rebus fidei nunquam adhibuisse testimonia Gentilium. Inde insignis *Theologus Evangelicæ Ecclesiæ in Orat. adversus superstitiosam quorundam sanctitatem*, & indevotum Iudicium *de non legendis Gentilium libris* pag. 21. ita scribit: *Ipse S. Apostolus Doctor Gentium non dedignatus est Poëtarum Gentilium Arati & Menandri testimonia adducere, non quòd illis indigeret, sed saltem ut ostenderet, nec illicitum nec impium esse è Gentium scriptis id,*
quod

quod bonum est assumere, præcipuè in illis, quæ ad cognitionem Dei naturalem, & morum integritatem spectant. Non tamen ad confirmanda fidei dogmata Gentilium dictis usus est: nec potuit commodè, quia in vera fide ipsi non fuerunt instituti; sed cæci. Sed dicas: Mirum quare ad illustria Sibyllarum Oracula non provocaverit? Verùm paucis, salvâ aliorum sententiâ, me expediam. Si verum est, quod de Sibyllis, earumq; vaticiniis circumfertur, Paulus dubio procul ea non legit. Fuit enim ante suam conversionem Iudæus & quidem de Secta Pharisæorum, quibus nefas erat attendere ad alia vaticinia, quàm quæ à Prophetis populo Hebræo essent edita. Igitur, si audivit quicquam de illis, non tamen ausus fuit ea evolvere & ita quædam ex illis ad confirmandam fidem, quam Gentibus proponebat, postmodum adducere nequivit. Hæc ille. Dispar tamen, ut existimo, erit ratio cum eo, quod de *IGNOTO DEO* opponitur. Nam Paulus cum Atheniensium simulacra contemplaretur, deprehendit aram, cui inscripta erant hæc verba θεῷ ἀγνώστῳ, *Deo igneto*, ideo sumsit occasionem explicandi, quisnam esset iste Deus? Verus scilicet, conditor cœli & terræ, & omnium, quæ in ilis sunt, quem ipsi quidem colerent; ipsum tamen ignorarent. Quare autem aræ isti inscripta fuerint hæc verba, diversimodæ referuntur causæ. Ajunt nonnulli, eo tempore, quò Persæ in Græciam movebant exercitum, quendam Philippidem ab Atheniensibus ad Lacedæmonios missum fuisse pro ineunda societate. Cui Legato in Parthenio monte spectrum occurrisse dicitur, *PANIS*, uti volunt, magni istius apud Gentiles quondam Dei, qui questus est, cùm Athenienses tot Deos colerent, *SE* tamen ab illis *NEGLIGI*, pollicitus interim est, se illis opem & auxilium laturum. Reportatâ victoriâ isti Deo templum erexerunt, eidemque construxerunt aram; ne igitur ipsi in posterum tale quid paterentur, & Deum aliquem, quem ipsi ignorarent, temerè prætermitterent, aræ isti inscripserunt hæc verba ἀγνώστῳ θεῷ. *Ignoto Deo.* Alij verò istam horum verborum aræ isti inscriptorum proferunt causam. Aliquando Athenienses gravi peste correpti sunt, quâ tantum æstum concipiebant, ut ne tenuissima quidem lintea ferre possent. Et licèt ipsi consuetos Deos invocarent & colerent; tamen nihil iuvabantur. Cogitârunt itaque fortean esse Deum aliquem, quem ipsi non colerent, nec debito eum honore prosequerentur, à quo horrenda istæc lues esset invecta. Consiliô itaque habitô altare erexerunt, eique insculpserunt hæc verba: *IGNOTO DEO*, eique immolârunt, & statim à dira pestilentia libera-

berati sunt. Quæ verba ubi vidit Apostolus, egregiam nactus est occasionem prædicandi Atheniensibus, quisnam ille sit DEUS, quem ipsi non nossent, & tamen eum colerent. Annotat *Daniel. Heinsius in Exercitat. Sacris lib. 5. c. 10. fol. 308.* sequentia: Hinc occasio, inquit, quâ usus est Apostolus, apparet. *Cum enim beneficium experti* (*scilicet* Athenienses) *cœci atque amentes cui deberetur; ignorarent, ideoq; ignotum Deum colerent, eiq; supplicarent, occasione hac ad virum omnis boni fontem ac autorem beneficii, haut aliter quàm manu eos ducit. Cum itaque Ignoto Deo aram gens imprimis superstitiosa consecrâsset; neque alius sibi Ignotus Deus præter verum esset, nemo dubitare potest, quin sic optimè DE EO disserendi oblata fuerit occasio.* Et ut hoc obiter attingam, Hieronymus in cap. 1 Epist. ad Titum refert, inscriptionem istius aræ ita fuisse: *DIIS ASIÆ ET EUROPÆ, ET AFRICÆ, DIIS IGNOTIS ET PEREGRINIS*: Paulum verò ex Dijs Ignotis fecisse *DEUM IGNOTUM*, cœteris amissis, ut istæc verba commodius detorquere posset ad exordium prædicandi Christum. *Erasm. in Annotat. ad c. 17. v. 23. Actor. fol. 2334. in Tom. VII. Criticor. Sacror.* Sed videamus ipsius Hieronymi verba: *Inscriptio autem aræ non ita erat, ut Paulus asseruit, IGNOTO DEO; verum quia Paulus non pluribus Diis indigebat ignotis, sed uno tantùm Ignoto DEO; Singulari verbo usus est, ut doceret*, Illum suum esse Deum, *quem Athenienses in ara titulis prænotâssent, & rectè eum scientes colere deberent, quem ignorantes venerabantur, & nescire non poterant.* Hinc existimant nonnulli: Paulum pia quadam fraude usum, quod nonnihil mutavit in titulo, non pauca quoque omisit ad arripiendam occasionem Atheniensibus annunciandi verum Deum, quem ut *IGNOTUM* venerarentur. Verùm *Iohannes Drusius ad c. 17. v. 23. Actor. fol. 2341. Tom. VII. Criticor. Sacror.* putat: Inscriptionem fuisse in numero singulari. Quam suam sententiam vult firmare *Scholiis Græcis*, & deinde autoritate *Luciani*, qui in *Philopatride p. 472. & 479.* bis meminit θεῦ ἐν Ἀθήναις ἀγνώςυ *Dei Athenis ignoti.* (4) Quis dubitabit de Acrostichide Sibyllæ Erythrææ, utpote quam *Cicero* diu ante, quàm Christiani nomen inter gentes cœperit esse notum, legit, ejusque in suis scriptis fecit mentionem: quod argumentum non leve est, quô hucusque Schmidius uti voluit. Verùm exinde non sequitur, ac si primum in ordine Prophetarum Sibylla mereatur locum ob claritatem vaticinij de Christo editi: supra namque

 indica-

judicatum est: istæc Oracula ante eventum seu factam adimpletionem ita manifesta non fuisse, sed perspicuitatem tantam ijs accessisse, postquam istæc omnia completa sunt, quæ Deus ipsis revelavit. Inde Oracula istæc considerantur ex eventu, quæ tamen consideranda erant ratione originis suæ. Illud quidem non controvertitur: an Sibyllæ istud mysterium intellexerint, quippe quòd Deus, qui ipsis illud manifestavit, ipsis quoque potuerit elevare intellectum ad percipiendum tantæ rei sensum. At ea propter nondum inter Prophetas Sanctos referendæ sunt Sibyllæ. Earum quippe officium à Deo peculiari ratione quidem non fuit electum ad hoc, ut sacra fidei dogmata, & tàm ardua mysteria hominibus annunciarent. Prodiderunt quidem vaticinia more Prophetarum, sed eorum vitam & munus non videntur secutæ. Qui illam opinionem sequuntur, quòd Sibyllina Oracula non sunt genuina, comparant feminas istas fatidicas cum Bileamo, qui itidem erat Propheta, sed à Deo non missus: licet supremum Numen ipsi in somnijs multa manifestaverit: nam perstitit in sua improbitate, & cùm maledicere non auderet populo Israëlitico; suppeditavit tamen Bileamo consilium, quomodo absque sua maledictione gens istæc deleri posset. Pari ratione quantumvis Spiritus S. afflatu istæ Phœbades Oracula de futuri Messiæ statu, conditione & officio protulerint; Prophetârum tamen divinorum munus non sunt consecutæ, relictæ enim moribus suis hucusque manserunt gentiles, superstitionibus deditæ, ut exinde etiam contra Augustinum & alios disputatum sit, illas non fuisse salvas factas. Quapropter argumentum ab officio vaticinandi, & claritate Oraculorum non est efficax ad concludendum hoc, quòd Sibyllæ primum locum inter Prophetas obtinere debeant. Non prius: quoniam non constat, illas ad officium Propheticum singulari ratione à Deo fuisse electas, etiamsi Deus ipsis tum gentilium vatibus istud mysterium de æterna salute per Messiam obtinenda revelaverit: Non posterius, cùm claritas seu perspicuitas istorum Oraculorum nobis post eorum adimpletionem demum pateat; antea verò tàm perspicua non fuerint uti illud fusius supra expositum est. Quare autem Christiani dicti sint Sibyllistæ, itidem jam tum declaratum. Proinde ab hisce ulterius deducendis manum abstinebo. Ita è principijs Schmidij, quæ tamen hucusque tanquam mea non agnosco, poterit quodammodo defendi,

Sibyllina carmina esse genuina, neutiquam verò efficta & excogitata à quodam Christiano ad gentiles ab erroribus & immani superstitione ad veritatem doctrinæ de Christo reducendos.

XV. *Iohanes Hoornbeckius lib. 2. c. 3. p. 108. & 109. de Conversione Indorum* itidem propugnat hanc sententiam, qua statuitur, quòd Sibyllina Oracula non sint genuina, sed fucata, supposititia, & potissimùm divinitus non inspirata. *Primum* argumentum desumtum est *à correptione Dæmonis*, quòd nimirum malus Genius Sibyllas agitaverit, & vehementer jactaverit: nam si Dæmon istas feminas fatidicas corripuit, quomodo tum è Spiritus S. inspiratione tanti mysterij, unde salus nostra dependet, cognitio ipsis potuerit communicari? Quoniam itaque Sibyllæ à Spiritu actas se jactant vehementer, adeò, ut extra se positæ sui ultra non fuerint compotes, neque mens & sensus ipsis constiterit, aut ipsę sciverint, quid proferrent, tum hoc certum & infallibile est indicium, earum dicta ex inspiratione Spiritus S. non fuisse profecta, quippe qui non privat Prophetas sensuum aut rationis consueto usu; sed potius est documentum raptus maniaci vel Diabolici, atque ejus, qualem in prophetijs & ectasibus Montani hæretici suorumque vetus Ecclesia olim condemnavit; de cujus errore legi poterit *Martinus Schoockius in lib. de Ecstasi p. 114. & 115.* Interim *Hoornbeckius* affert propriam Sibyllæ de isto Enthusiasmo confessionem ex initio libri secundi.

Corpore tota stupens traher huc, ignara quid ipsa
Eloquar: ipse sed hæc mandat Deus omnia fari.

Nunquam verò Deus ita corripit vates suos, ut mens turbetur. Corripit quidem, ut mens elevetur ad contemplanda cœlestia & divina: sed Prophetæ tamen semper intelligebant, quid agerent, & sæpe ad objectas vel visiones, vel Dei effata, dum Spiritus patiebantur inspirationem optimè sui compotes ad singula respondebant. Contrarium est hominum œstro furentium, & insensatorum, qui à Dæmone turbantur & rapiuntur extra se & mentis sensuumque suorum usum. Ipsa quoque se insanam & fatuam habitam ab omnibus hominibus lubens fatetur. Quinimo in libro tertio ipsa precatur Deum, ut paulùm temperet à vi, quæ ipsi fiebat, dum à Numine agitabatur.

Ut mihi divino requieta à carmine mens est
Orabam magnum Genitorem, vis ut abesset
Sed mihi suggessit vocem sub pectora rursum,
Perque omnes terras præcepit vaticinari.

Secun-

Secundum argumentum petitum exinde est, quòd Sibyllæ sibi tribuerint, quæ nec vates, nec ullus homo sibi arrogare ausus fuerit. *Deinde*, ait, *probo non divini Spiritus esse nostra Sibyllina, quia non solùm nimis crebrò jactant divinam inspirationem, quâ concussæ fuerint, sanè multô crebrius, & maiore cum fastu anxia videlicet, ne fidem impetrarent, quàm unquam hoc egerunt veri Dei Prophetæ*: quin addit, & sibi adscripsere, quæ nec vates nec homo ullus sibi tribuere ausit, videlicet rerum ferè omnium notitiam usque ad numerum hominum, arborum, foliorum, astrorum, piscium etiam arenarum, quem se exploratum habere splendidè & crassè mentiuntur. In libro autem octavo ita loquitur:

Novi ego arenarum numeros mensumq; profundi
Tellurisq; sinus, tenebrosaq; tartara novi,
Quot fuerint homines, quot deinde futuri
Astrorum numeros, stirpes frondesq; quot usquam
Quot sint quadrupedes, quot pisces, quotve volucres.

Quæ allegata notitia *Hoornbeckio* ita suspecta est, ut totam istam Sibyllarum prophetiam falsitatis, seu suspicionis arguat, quasi vaticinia istæ non à divina inspiratione fuerint profecta. *Tertium* argumentum deductum est exinde, quòd in illis inmisceantur multa profana, & quæ veteris Idololatriæ sint. Verba ejus ita se habent. *Quomodo divini illi libri habeantur, qui immiscent multa profana, & veteris Idololatriæ & superstitionis nomina, sermonem, ritus, adeoq; formam exprimunt?* Unde passim hic legas multa de Jove, Junone, Marte, Neptuno, Plutone, Erebo, Erynni, Mercurio, Phœbo, Nymphis, Vulcano, Acheronte, campis Elisijs, de bello Titanum contra *Saturnum. lib. 3. Quartum* argumentum tractum est exinde, quasi in Sibyllarum vaticinijs non pauca contineantur, quæ adversentur Theologiæ, & religioni Christianæ. Sic in libro primo, quod est valdè horrendum, Deus constituitur *Autor mali*, quasi ab ipso malitia inter homines derivetur.

Postremò longe peiorem condidit, atque
Planè illaudatam Stirpem Deus, atque malorum
Artificem, multò illis intolerabiliorem
Scilicet horrendos, fontes infanda, gigantes.

Libro secundo ponitur reditus Eliæ Thisbitæ in mundum, & dicitur, quòd Angeli Vriel, Saniel, & Azaël sistere coram judicio debeant omnes illos, qui scientes mala perpetrarunt. Porro etiam de igneo fluvio, qui erit tempore istius judicij, quem omnes ingredi debent, & quò alij

purgabuntur, alij discruciabuntur, igni primùm, tum rota flammea, & quod

Ter tantum solvent, quantum fecere malorum.

Quæ tamen omnia sunt falsa, partim, ficta & ementita. Sed quis ejusmodi Oraculis, in quibus talia immiscentur, fidem habebit, aut credet, ea divinitus Sibyllis fuisse inspirata? *Quintum* argumentum arcessitum est ab absurdis, futilibus, & ineptis, quibus libri isti octo Sibyllini referti sunt; quæ sanè Spirito divino, & humana sapientia prorsus sunt indigna. Sic libr. 1. Ἅδην appellatum esse dicitur, quasi eò primus descenderit Adam, quod sanè est ineptissimum. nam vox *Adam* juxta originem suam est Hebraica: vox Ἅδης verò purè Græca, & significat in Scriptura N. Testamenti, vel *Infernum. Matth. 16. 18. Luc. 10. 15. 16. & 23.* vel *sepulchrum* seu statum mortuorum ad conservanda eorum corpora. *Blondellus l. 2. c. 9. p. 165. de Sibyllis.* Deinde in libro Secundo de *Oracul. Sibyllin.* hæc verba leguntur:

Nimirum Deus is finxit tetragrammaton Adam,
Qui primus fictus fuit, & qui nomine complet
Ortus, occasus, austrum, boreamq; rigentem.

Quasi in Hebræo, uti in Græco, ad cujus literam hic attenditur, esset tetragrammaton. Atque illa satis ostendunt, non esse Scripta Sibyllina θεόπνευστα, detrahendamque ijs speciosam istam vestem esse, quâ imponunt, dum pro divino scripto, quod inspirationis atque Autoritatis supra humanam sit, veneunt & commendantur.

XVI. Istæc quidem argumenta non confutabo, quippe qui sciam ipse, quantum autoritatis deferendum sit vaticinijs Sibyllinis. Posset tamen aliquis, qui diversam sequitur sententiam nonnihil respondere, & quidem ad. 1. Quod simpliciter quidem non negetur, Sibyllas interdum à Dæmone correptas fuisse & ipsis ab eodem inspiratam fuisse de futuris rebus notitiam, ipsasq; itidem in ejusmodi conditione constitutas vaticinia reddidisse; Verùm de eo non est quæstio; nam illud controvertitur, numquid istæc Oracula Sibyllina falsa sint & suspecta, propterea quòd illæ interdum & correptæ & subinde conquestæ sint de obsessione. Illud extra dubium est, (1) eô tempore, quô Spiritus S. illis revelavit tàm ardua mysteria, ipsis non fuisse occupatas à Spiritu, & quidem non à Spiritu S. utpote qui Prophetas suos non corripit, ut eorum mens turbetur, neque à Spiritu malo, nam hic neque talia

Oracula ipsis suggerere potuit, neque reapse suggessit, licèt aliàs interdum illarum corpora occupaverit, & turbatâ illarum mente, futurorum notitiam illis suppeditaverit. (2) Distinguendum est, quòd antequam à Spiritu S. ipsis revelata sint illa mysteria, ejusmodi obsessionem passæ sint interdum: postea verò itidem à Dæmone obsessas fuisse, unde probabitur. Fieri potuit, si ostendi queat, illas ad veterem superstitionem gentilium & Idololatriam revertisse: fieri potuit, dum Dæmon eas postea gravissimè tentavit, & anxiè persecutus est, ut illæ opem divinam contra tàm gravem vim coactæ fuerint implorare. Et (3) etiamsi ponamus Sibyllarum impietatem, & consortium cum malo Genio; tamen nunquid ne Deus potuit & impijs, superstitiosis & Idololatris aliquod mysterium, quod eos perducere queat ad salutem, manifestare? Bileam habetur ab omnibus pro improbo; & tamen præclarum edidit vaticinium de Christo, quod propterea, quia ipse fuit malus & improbus Propheta, non tanquam falsum aut suspectum incusari potest. Tres isti Magi, qui venerunt in urbem Hierosolymorum, ut quærerent recens natum Judæorum Regem, fuerunt Idololatræ, licèt sapientes, & astrologiæ peritissimis & improbis moribus non præditi. Nihilominus tamen illi neque è proprijs viribus neque ex apparitione novæ stellæ, sed unicè è singulari Dei providentia, & quidem per internam quandam revelationem excitati fuerunt, ut itinere tàm longinquo in se susceptô ad Messiam inquirendum & adorandum abirent. Vide *Frideric. Spanheim. par. 2. dub. 27. p. 380. & seqq. Dubior. Evangel.* qua de re fusissimè egi in Annotationibus ad Nativitatem Christi. Sed nunquid ne habetur hoc pro falso? Ex hac itaque ratione, uti apparet, validè inferri non potest, falsa aut supposititia esse illa carmina Sibyllina, quæ istis vatibus à DEO speciali quadam revelatione de Messiæ persona, officio & miraculis sunt manifestata.

XVII. Ad. II. fortean poterit responderi, ibidem latere αὔξησιν Rhetoricam, quâ res quadantenus supra veritatem extollitur: & Sibyllæ notitiam accipi pro eximia, & notitiam humanam excedente scientia, quod videlicet istæ Phœbades superaverint eximiam rationem scientiæ, ad quam homines communiter ascendere solent. Equa certè hyperbole non licet argumentari ad falsitatem vaticiniorum Sibyllinorum. Ad III. Quod in istis libris Sibyllinis contineantur multa profana, illud non ipsis Sibyllis imputandum est. Enimverò illæ non congesserunt sua carmina in istud, quod hodie adhuc habetur, volumen: Sed illud factum esse à

se à Quindecimviris supra docuit *Schmidius.* Quoniam verò Sibyllæ fuerunt Gentiles, & gentilium quoque religionem antea secutæ sunt, quid mirum, si ex illorum fide in suis carminibus talium Deorum meminerint? An verò post factam revelationem in suis Oraculis ad istos Deos provocaverint, aut de illis quicquam retulerint, illud indiget probatione. Præterea, quia Quindecimviri tanquam Pagani non potuerunt istæc omnia discernere; ideo quæcunque repererunt carmina sub Sibyllarum nomine, ea in unum opus redegerunt. Videat itaque aliquis, numquid vis sit in illo argumento: In libris octo Sibyllinis, quos Romanorum Quindecimviri ita ordinarunt, mentio fit falsorum Deorum, Ergò Oracula Sibyllina de Messia sunt falsa & supposititia, seu à pijs quibusdam Christianis ad convertendos eò facilius paganos efficta.

XIIX. Ad. IV. Quod Sibyllæ Deum faciant autorem mali, ab eodem principio gentilismi videtur dependere. Interim res poterit ad bonum sensum trahi, Deum esse Autorem mali non per se; sed quia subjectum istud, in quo formaliter malum culpæ residet, & à quo malum committitur, & ad alios propagatur, à Deo est creatum. Et hoc præ se ferunt adducti versus, quâ sanè ratione adversus Theologiam non peccatur. Deinde, quod reditum *Eliæ Thisbitæ* in mundum attinet, multi sunt, qui statuunt: Sibyllas communicâsse cum Hebræis, apud quos certa erat fides, Prophetam istum reversurum: quæ sententia quoque tum temporis cùm Christus in terris degeret, obtinebat. Putabant enim Hebræi è malè intellecto vaticinio Malachiæ *c. 4. v. 5.* Eliam, qui in corpore assumtus erat, etiam in corpore ante Messiæ tempora rediturum. Existimabant namque Judæi: *Messiam ungi debere ab Elia*, hoc est, uti interpretatur *Grotius ad c. 4. v. 5. Malachiæ. fol. 7064. in Tom. IV. Critic. Sacror.* in possessionem muneris sui introduci, quod olim per unctionem fiebat. Ob quem errorem, si Sibyllæ cum errârunt, & isti versus non inspersi sunt ab alijs, Oracula de Messia pro suspectis & falsis haberi nequeunt. Nam cum Deus suis & sanctis, aut alijs quippiam è singulari sua gratia revelat, non subinde omnes opiniones, quas antea foverunt, aufert: cumprimis, quando illæ non cedunt in subversionem salutis. Similiter, quod igneo fluvio affertur, quis poterit affirmare, illud à Sibyllis profectum, aut ab alijs Sibyllinis versibus non inspersum fuisse? Ad. V. Ex ipsa inspectione verborum patet, hîc non nisi in originatione vocis peccari; Et quis

scis

scit; an non Sibyllæ ab alijs istam derivationem vocis ᾅδης audiverint? Sanè Adam de terra factus est, & in terram reverti debuit, sicuti post eum omnes homines: vocem ᾅδης verò accipi pro sepulchro, quod in terra est, *Blondellus* rectè dixit *l. 2. c. 9. p. 165. de Sibyllis*. Sed quid inde? ponamus hîc errorem commissum esse, numquid ne exinde falsitas Oraculorum Sibyllinorum coarguetur? Consideret saltem aliquis hanc consequentiam: Sibylla dixit vocem ᾅδης ideo dictam, quia Adam eò primus descenderit, Ergo Sibyllæ vaticinium de Messia est suspectum. Sanè contradictorium consequentis non repugnat antecedenti, quod est indicium satis firmum: alterum ex altero non sequi. Ita existimo posse ab alijs Domini Hoornbeckij argumentis occurri: ipse interim nihil de meis addo, quin potius hîc acquiesco.

XIX. David Blondellus quatuor capitales errores impingit libris Sibyllinis, unde colligere licebit, illos non esse genuinos, sed suspectos, & supposititios. I. Primus error est *Descensus & detentio omnium animarum in inferno usque ad diem resurrectionis*. Omnes homines, qui in terris vivunt, coguntur inferni domos adire, & ibi commorari ad tempus resurrectionis usque. Tractat *Blondellus* hoc dogma *l. 2. c. 9. p. 166. & seqq. de Sibyllis*. Cui opinioni videtur addictus *Tertullianus in lib. de Anima, c. 7. fol. 740.* Post divortium corporis anima ad inferna transfertur, ibi detinetur, & in diem Iudicij illic reservatur. Sicuti & Christus moriendo descendit ad animas Patriarcharum. Et *cap. 9. fol. 749. ait*: Animæ martyrum sub altari esse intelliguntur. Plura loca adducit Blondellus quæ apud eundem legi poterunt. II. *Purgatio bonorum in combustione mundi*: nam Sibyllæ combustionem mundi ultimo die futuram faciunt velut purgatorium pro animabus pariter & corporibus Sanctorum. Quam opinionem & aliquot Patres Ecclesiæ videntur secuti, uti illud *Blondellus l. 2. c. 10. p. 173. & seqq. de Sibyllis* ostendit, quòd scilicet animæ etiam piorum in ultimo isto die lustrari debeant igni. III. *Regni temporalis erectio*, quòd Christus unà cum martyribus & Sanctis post resurrectionem per mille annos regnaturus sit in terris. Etenim in Jerusalem complebitur gloria Domini, & postquam Filij Dei descenderunt de Cœlis, firmabit regnum mille annorum, qui pleni erunt delicijs sensu percepibilibus unà cum summa fertilitate, & miraculosa abundantia bonorum corporalium. De hoc errore tractat *Blondellus l. 2. c. 12. p. 187. de Sibyllis*. Ut & de hisce tribus erroribus agunt *Dallæus lib. 4. c. 7. p. 498. & seqq. de Pœnis & satisfaction*: nec non *Heideggerus in Anatome Concilii Tridentini*,

 p. 1079.

p. 1079. n. 10. Vide de eodem argumento *Iohannem Forbesium lib. 13. c. 9. fol. 659. & c. 10. fol. 676. Instruct. Historico-Theologic.* ubi copiosè istam materiam pertractat. IV. *Reductio hominum post resurrectionem ad locum Paradisi.* Etenim post mortem, ubi resurrectio mortuorum facta est, Sancti reducendi sunt ad habitationem Paradisi, unde Adam & Eva propter inobedientiam eorum ejecti sunt. Quam Sibyllæ sententiam sequitur quoque *Lactantius lib. 2. c. 12. p. 209. 210. Divin. Institut.* quando ita scribit: Deus ejecit hominem de Paradiso, sententiâ in peccatores latâ, ut victum sibi labore conquirerent: ipsumque Paradisum igni circumvallavit, ne homo posset accedere; donec summum judicium faciat in terra; & justos viros cultores suos NB in eundem locum revocet morte sublata; sicut Sacræ literæ docent, ut & Sibylla Erythræa, cum dicit.

Οἱ δὲ θεὸν τιμῶντες ἀληθινὸν ἀέναόν τε
Ζωῆς κληρονομοῦσι τὸν αἰῶνος χρόνον αὐτοὶ
Οἰκοῦντες παραδείσου ὁμῶς ἐριθηλέα κῆπον. Id est,

Qui verum & æternum Deum colunt, illi consequentur vitam perpetuam simul inhabitaturi valdè virescentem hortum Paradisi. Quamvis tamen isti versus non extent in libris Sibyllinis, sed, uti monet *Isæus ad Lactantium d. l. p. 210.* reperiantur apud Theophylum ad Autolyc. lib. 2. *Tertullianus in Apolog. c. 47. fol. 386.* dicit, *Et si Paradisum nominemus locum divinæ amœnitatis recipiendis sanctorum Spiritibus destinatum maceria quadam igneæ illius Zonæ à notitia orbis communis segregatum, Elysii campi fidem occupaverunt.* E quo loco patet, quod Ethnici de Paradiso & de vita meliore post hanc mortem audiverunt, sed veritatem converterunt in fabulas, & pro Paradiso, in quem animæ defunctorum transferuntur, substituerunt campos Elysios. Subinde etiam in eo videre licet, quid ipse statuat de situ & conditione Paradisi. Thomas putavit, Paradisum situm esse sub Zona torrida, ideoque eam hominibus inaccessum esse, quoniam receptâ opinione Zona torrida ob nimium æstum putata est inhabitabilis, quæ tamen opinio per experientiam nostrorum temporum satis confutatur. Ambrosius existimavit: Deum hîc ante Paradisum construxisse purgatorium ignem, per quem post consummationem seculi omnes fideles Paradisum ingressuri transeant. Plura vide apud *Blondellum dicto cap. 2. p. 182. & seqq. de Sibyllis.*

XX. Non

XX. Non possum Blondello obloqui, quo minus istæc dogmata ab ipso recensita habita sint & hodie à quibusdam habeantur pro erroribus sat spissis & grandibus. Verùm alij fortean patrocinium Sibyllarum in se susciperent, dicerentque. 1 Istas sententias Sibyllas partim à Iudæis, partim ex aliorum traditione hausisse. Nam constat & Iudæos de purgatorio, & Paradiso, nec non de Regno Messiæ docuisse talia, quæ ab hisce Sibyllinis non longè recedunt: sicuti apud *Hoornbeckium. l. 8. c. 7. de convers. Iudæorum* videre licet. 2. Quòd istæc vaticinia, quæ ex aliorum traditione trahunt originem, & immeditate in revelatione divina non fundantur, propriè vaticinia non sint, nisi secundum quid, respectu scilicet eorum, qui de ista traditione nihil antea sciverunt. Hinc Vaticinium dupliciter consideratur. (1) Absolutè, & ita consistit in prædictione eorum, quæ immediatè à Supremo Numine sunt alicui manifestata: Vti si quis aliquid futurum prænunciet, quod ipse scire non potuit, nisi per revelationem immediatè sibi à Deo factam. Et hoc sensu prædictiones Sibyllarum de Messia propriè loquendo sunt vaticinia, quia neque à Iudæis, neque ab alijs ipsæ tales circumstantias de ejus officio, nativitate, & futuris miraculis cognoscere potuerunt, quàm per solam revelationem divinam. Nam quod *Boxhornius* putat, istæc Oracula Sibyllarum de Messia esse ipsorum Prophetarum vaticinia, illud nihil est, cùm ejusmodi circumstantiæ in libris Prophetarum non inveniantur, à Dæmone autem, utpote qui illas ignoravit, ipsis etiam communicari non potuerunt. (2) *Certo respectu & secundum quid*, ut quod à principio quidem à superiore manifestatum ipsi tamen vaticinanti non immediatè à DEO revelatum; sed ab alijs per traditionem acceptum est, atque ita tanquam futurum alijs istam rem ignorantibus itidem manifestatur. Proinde hoc dicitur vaticinium potissimùm ratione illorum, qui hoc ignorant, quibusque illud prædicitur: uti siquis apud Barbaros prædiceret certissimum orbis exitium jam imminere, & non adeò prolixum superesse tempus, quô tota hæc mundi machina sit dissolvenda, is quidem vaticinatur barbaris, non tamen propriè per revelationem sibi à DEO immediatè factam, sed alijs quondam manifestatam, & sibi jam tum ex aliorum doctrina & traditione notam. Quô referendæ sunt prædictiones, quæ è principijs naturalibus deduci possunt: quæ vaticinij ratione veniunt illis, qui-

bus aliquid, quod ipsi ignorant, tanquam futurum annunciatur. Et hac ratione Sibyllarum prædictiones istæ, uti produntur tanquam erroneæ, dici possunt vaticinia. 3. Licèt Sibyllæ istos errores foverint, & tanquam divinam revelationem portenderint; illud tamen non videtur derogare veritati Oraculorum de Christo, quæ è revelatione immediatè ipsis facta est. Quandoquidem istæ circumstantiæ de Messia ipsis non sunt communicatæ à Prophetis, utpote in quorum vaticinijs illæ non habentur: neque sunt ipsis patefactæ à Dæmone, quippe qui eas ignoravit: neque è principijs rectæ rationis peti potuerunt, cùm istud mysterium rationis captum planè excedat, hinc sequitur: quicquid de Christo, ejus nativitate, persona, officio, passione, resurrectione, miraculis, & Iudicio universali ab ipso in fine seculorum instituendo ipsæ prædixerunt, illud eas non nisi è divina revelatione cognoscere potuisse. 4. Quis scit DEI consilium, quare feminis istis fatidicis, ut ut ipsæ unum vel alterum errorem erraverint, tantum mysterium revelare voluerit? Et quid opus est omni conatu veritatem destruere ejus, quod reipsa ita se habere tot viri docti, tot Sancti Patres, & tot antiqui Scriptores communi velut calculo probârunt. 5. Addi potest, ab antiquo quodam istorum Sibyllinorum Oraculorum Osore fortean istos versus errorem continentes fuisse inspersos ad imminuendam eorum autoritatem, vel etiam ad stabiliendos suos errores ob antiquitatem; quasi istæc sententia jamdudum à Sibyllis fuerit agnita. Et si quis dicat: Vnde hoc probetur? Responderi poterit, eadem facilitate illud dici & affirmari quâ asseritur, carmina Sibyllina de Christo esse suspecta. Verùm subsisto.

XXI. Vlterius *Hoornbeckius dicto cap 3. p. 110. & seqq.* vult ostendere, quod Oracula Sibyllarum, quæ hodie extant, cum antiquis, quorum Gentiles & potissimum Romani adeò religiosi custodes & cultores fuerunt, non sint eadem. Quod quatuor argumentis vult probare. (1) *Quia octo isti Sibyllini libri è manifesta æmulatione summam tàm veteris, quam Novi Testamenti complectuntur.* Quod tamen ijs non videtur convenire, quia sub V. T. ea erat Iudæorum prærogativa, & περισσὸν super alias nationes; quòd illis essent credita Dei eloquia. *Primus Sibyllinorum carminum liber historiam sacram persequitur usque ad destructionem Ierusalem. Secundus commentatur diatyposin Extremi Iudicii. Reliqui ferè repetunt eadem, vel magis*

magis explicant, & variis commentis nugisq; interpolant. Plurima vel citantur ex Scriptura S. vel etiam retinent verba cum illa eadem. (2) *Quia dogmata & mysteria nostræ religionis difficillima apertius & explicatius in libris Sibyllinis continentur, quàm in Propheticis Scriptis Veteris Testamenti.* Nemo tamen credet, Deum voluisse, ut Gentilibus & per feminas ejusmodi fatidicas sacra veritas, quæ à seculis multis dicitur abscondita fuisse in N. T. certius ampliusque fuisset proposita, quàm suo populo, quàm fidelibus & pijs, quamque ipsis adeò Patriarchis & Prophetis. *Sane*, inquit, *quicquid est vel Christi, de utraque ejus natura, incarnatione, passione, vel de Deo, & SS. Trinitate, vel de tota Novi Testamenti historia, longè clarius hoc exponitur & docetur in scriptis Sibyllinis, quàm Propheticis*: neque Apostoli ipsi tàm exploratam & distinctam semper & initio habuerunt cognitionem omnium de Christo, quàm libri produnt Sibyllini, quod aliquot exemplis illustrat. (3) *Vti Iudæis, & dignitati gentis illius adversum est, quod ante tempora Novi Testamenti Deus Gentilibus non modò æquè atque illis, sed & supra eos revelâsset fidei & religionis mysteria; ita nec convenit cum illo Gentilium statui, qualem eorum fuisse Scriptura declarat, quando de Gentilibus ante tempus Evangelii loquitur, quòd sine Deo, & exsortes testamentorum promissionis fuerunt in mundo.* Ephes. 2. v. 12. (4) *Et illud fidem librorum Sibyllinorum convellit, quod vaticinari volunt de rebus pluribus, & significantius evidentiusq;, quàm Scriptura ipsa*: quô non solùm suos homines, quibus indultæ videlicet ejusmodi Sibyllæ sint, digniores Israëlitis facit Sibyllinorum autor, verùm & libros suos divinis Veteris Novique Testamenti scriptis docet anteferendos. Vlterius *p. 111. & seqq.* vult ostendere: Oracula Sibyllina antiqua cum illis, quæ hodie extant, non convenire: & ita frustra credita hæc Sibyllina Oracula esse ea ipsa, quæ Gentilitas quondam suspexit. Et quidem primum argumeutum petit *à materia* librorum Sibyllinorum. Nam antiqui Sibyllarum libri tum à Romanis, tum quoque ab alijs gentibus custoditi promtuarium fuerunt superstitionis & Idololatriæ, cui gentiles erant quàm maximè dediti: & nihil ferè continuerunt, quàm effata Dæmonum, de nominibus, ritibus & cultu Numinum, vel si quid ex ipsorum decreto in Republica cum superstitione novandum aut firmandum erat, si placandus Deus aliquis, si mactanda ei hostia ex humanis erat, si instituenda supplicatio, aut quod offerendum sacrificium, aliudve, quod religionem eorum concernebat,

nebat, ex Sibyllinis secreta civilium sacrorum continentibus petebatur. Verùm libri Sibyllini, qui hodie extant, nihil tale continent. Equidem Idolorum Gentilium nomina & Numina commemorant; & Idololatrica nonnulla; non tamen fœda, superstitiosa, & sacrilega, vel immania illa docent, quæ veterum Romanorum Oracula nonnunquam præscribebant. Imò hosce libro Sibyllinos, qui apud nos extant, si unquam Romani, aut alij Geniles consuluissent, nihil prius in illis deprehendissent, quàm condemnatam suam Idololatriam, & prostituta Numina eorumque simulacra. *Pag. 115. contra Grotium* disputat; quod tamen hic non apponam. *Alterum argumentum* desumit ab interitu Carminum Sibyllinorum: nam ubi Capitolium conflagravit, unà & istæc Oracula Sibyllarum ibidem asservata perierunt. Ideo istæc vaticinia, quæ hodie extant, non sunt illa, quæ antiquitus extabant: postea enim è diversis locis petitum fuit, quicquid esset Sibyllinorum carminum, quod supra fusissimè est expositum. *Tertium argumentum* trahit ab *usu Græcæ linguæ*, qui non est ita antiquus, ut à Noachi tempore ejus nurus Sibylla, non Græcè tantùm locuta, sed carmine quoque sua Oracula cantare atque celebrare potuerit. *Quartum argumentum* derivat *à vetusta signorum cœlestium nomenclatura*, quæ in Sibyllinis occurrit, uti *lib. V*, Leo, Capricornus, Taurus, Orion, Virgo, Aries. *Quintum argumentum* est, quomodo isti libri Sibyllini potuerint in Christianorum manus pervenire, qui tàm arcta & religiosa custodia à Quindecimviris semper fuerunt custoditi? Certè in annalibus annotatum fuisset tempus, quando Christiani à Gentilibus istum thesaurum accepissent. Hinc concludit, *istos octo libros Sibyllinos non esse illos, quos Romani habuerunt, & superstitiosè venerati fuerunt.*

XXII. Ad istæc Hornbeckii argumenta, quæ mihi videntur satis ingeniosa, fortean ex sententia aliorum sequentia opponi poterunt. 1. Quod negetur: libros istos Sibyllinos ex æmulatione summam V. & N. Testamenti complecti. Nam quod antea ostensum est, Sibyllæ cum Iudæis communicârunt, itaque quæ in V. T. extabant, mediante traditione scire poterant; sicuti etiam Iudæis doctrina de extremo Iudicio non fuit incognita; quam & ipsæ ab illis dubio procul acceperunt, ut ita constare nequeat, quare propter istam opinionem Oracula Sibyllarum de Christo non sint vera & genuina. Ad. 2. supra responsum est. Ad 3. Quis potest

Deo præscribere modum, quomodo aut quibus hominibus voluntatem suam de redimendo humano genere debuerit aut voluerit manifestare. Interea nihilominus mansit secretum dogma, ut ut paucis Sibyllis illud manifestatum fuerit, quippe quod Gentiles ipsi ignorarent & animo non comprehenderent, interim apud ipsos documentum extaret de vero modo perveniendi ad æternam salutem. Ad 4. quoque luculenter supra responsum est. Vlterius quod attinet materiam librorum Sibyllinorum, qui olim custoditi fuerunt à Romanis antea dictum est, istos planè diversos fuisse à nostris: & subinde tempore conflagrati Capitolij unà periisse. Nostros autem Sibyllarum libros, qui hodiè adhuc habentur, consarcinatos fuisse è receptis & è variis locis desumtis & Romam transportatis carminibus Sibyllarum: quare non mirum, si à prioribus, quoad argumentum, sint diversi. Nam in illis continebantur Reipublicæ Romanæ fata, quos libros Sibylla post factam venditionem summo studio servari atque custodiri jussit. Quicquid autem in illis fuerit contentum, à nobis certò sciri hactenus non potuit, utpote quòd Romani illos religiosè & sanctè tanquam thesaurum quendam divinitus ipsis oblatum servarent, & nemini, nisi certis ad istud officium sub fide jurisjurandi ordinatis copiam inspiciendi eos suppeditarent. Interim quantum ex annalibus antiquorum conjicere licet, verosimile est, talia, quæ commemorat *Hoornbeckius*, istis in libris fuisse descripta. At illi, qui hodie à Christianis habentur libri Sibyllini, curæ Quindecimvirorum non fuerunt commissi, sed cujusvis usibus, quod capite præcedente copiosius est declaratum, relicti. 2. Conceditur hodiernos Sibyllarum libros in quibus vaticinia de Christo habentur, non esse illos, qui ante Capitolii conflagrationem à Romanis consulebantur, incendio siquidem isti perierunt. Quod verò istæc Sibyllina Oracula non servata fuerint vel Gentilibus vel Christianis, etiamsi *Stilico* quicquid Sibyllinorum superfuerit, penitus concremaverit, illud non videtur sequi: cùm istæc vaticinia de Messia, aut hi libri octo, in quibus ea leguntur, non fuerint Quindecimvirorum fidei ac studio commendati, sed communi omnium usui relicti, unde alter ab altero istæc describere, & propagatâ verâ Ecclesiâ Christianis, qui cum Gentilibus tum conversari non dedignati sunt, communicari, & sic ad posteros transferri facilè potuerunt. Et hac

ratione

catione subinde ad quintum argumentum responsum esto. De tertio dictum est in priori ut & in hoc capite. Quartum quod attinet, nomenclatura Signorum cœlestium sat antiqua est, ut à Sibyllis potuerit adhiberi: Iobi historia testari de istius antiquitate poterit. Proverbium istud: *Ne move Camarinam*, non esse antiquum, quis hoc dicit? Istius meminit *Virgilius Lib. 3. v. 700. & 701. AEneid.*

—— —— Et fatis nunquam concessa moveri

Apparet Camarina procul.

Erasmus illud quidem in *Adagiis fol. 489.* explicat; sed an illud Sibyllis sit recentius vel antiquius non simul addit. Camarina est palus juxta oppidum ejusdem nominis, quæ cum olim siccata pestilentiam creasset, homines consuluerunt Oraculum, an non penitus desiccanda esset? Vetuit Deus *Camarinam moveri*. At illi eam exsiccarunt non obtemperantes Oraculo: & cessavit quidem pestilentia, sed per eam ingressis hostibus pœnas dederunt neglecti Oraculi. Confer quæ notavit *Ludovic. de la Cerda ad l. 3. v. 701. Virgil. AEneid. fol. 268.* Similiter & *Sardonium risum* esse proverbium antiquum, & jam tum Homeri temporibus notum apud *Erasmum* legi poterit *fol 622. in adag.*

XXIII. Vlterius inquirere cœperunt nonnulli in istud tempus, quô istæc Oracula efficta sunt. *Iohannes Dallaeus lib. 1. de Pseudepigraphis Apostolicis c. 16. p. 177.* putat: carmina Sibyllina annis triginta octo post mortem Apostolorum ficta esse his verbis: *At carmina illa, quæ Sibyllarum nomine circumferuntur, clarum certumq; est, Antonio Pio & M. Aurelio imperantibus (hoc est, annis post omnium Apostolorum mortem minimum triginta octo) ficta primum & in lucem edita fuisse.* Itaque Clemens Romanus, cujus mors in annum Christi centesimum incidit, affert quidem Phœnicis narrationem, quæ *in lib. 1. carmin. Sibyllinor.* habetur, ad confirmandum resurrectionis mysterium; *Sibyllinorum verò versuum nullus meminit, quod ipsius scilicet ætate nondum natum esset illud Sibyllis postea affictum opus.* Hæc Dallæus.

XXIV. *Iohannes Gerard. Vossius in lib. de Poëtis Græcis c. 1. p. 3. 4. 5. 6. & 7.* ex ipso opere Carminum Sibyllinorum vult ostendere, quando autor istorum vixerit, vel vixisse se dicat. Ac *primi quidem libri autor idem videtur ac ille libri secundi*, propterea quod secundus persequatur id, quod in calce primi promittitur. Fuerit autem ille temporibus diluvij universalis; imò nurus Noachi, si de se scribenti

bendi credimus: Ait siquidem se cum marito & Noe, affinibus atque eorum uxoribus fuisse in arca tempore diluvij, cujus historiam, uti & eorum, quæ contigêre ab origine mundi, eodem libro enarrat. *Alter locus* est libro tertio, cujus autor plurimis seculis recentior fuit. *Nam, ait, ab initio Regni Græcorum effluxisse annos mille quingentos.* Quod tamen quadrifariam intelligi potest pro quadruplici initio imperij Græcanici. *Primum* est ab *Ægialeo*, quô nihil antiquius habent res Græcorum, teste *Pausania*. Nempe is est, qui condidit imperium Ægialeæ seu Sicyonis. *Alterum initium* est *ab Inacho*, qui condidit Regnum Argivorum, quô nihil vetustius Græcis post Ægialeum. *Priscum* ideo vocat *Horatius lib. 2. Od. 3. Ac libro 3. Od. 19.* opponit *Inachum & Codrum*, illum, ut Regem Argivorum primum, qui multò antiquiores Atticis: hunc, ut è Regibus Atheniensibus ultimum. Inachus incidit in tempora Isaaci Patriarchæ quasi quinquennio à morte Abrahami. Dependet namque ejusce rei notitia ex γενεαῖς, quas veteres constituunt inter Inachum & excidium Romanum. Sed de istoc potius audiendi Africanus & Eusebius, quàm Tatianus, Clemens Alexandrin. lib. 1. Stromat. & Origenes lib. 4. contra Celsum Aliquanto enim juniorem faciunt Inachum, quàm oportet. *Tertium initium* est ab *Ogyge*, à quo Eleusis in Attica est condita. Ab hoc enim antiqua omnia dixere Ogygia. Ejus etiam tempore memorabile in Attica diluvium contigisse dicitur. Atque etiam hoc tempus incidit in ætatem Isaaci, sed senis. *Quartum initium* est à *Cecrope* primo Atheniensium Rege, sive secundo, si ante eum, uti vult *Pausanias*, imperavit *Actæus*: sic cœpit imperium Græcorum temporibus *Mosis*: nempe anno Mosis trigesimo quinto secundum *Eusebium*: ante excidium Trojæ annis trecentis septuaginta quinque. *Pro tam vario initio variat etiam tempus, quô vixerit is scriptor. Si annos illos* CIↃ IↃ *ab Ægialeo numeremus, fuerit libri tertii scriptor tempore captivitatis Babylonicæ. Si ab Inacho, vixerit tempore Ochi Persarum Regis, & Philippi Macedonis Amyntæ filii. Si ab Ogyge, æqualis fit eorum Duorum, qui inter se partiti sunt imperium Alexandri M. Sin à Cecrope incipiendum, incidet ætas eius in tempora Cæsaris Augusti.* Atque hæc de Autore libri tertij. Super est *tertius locus*, qui est libro quinto, ubi Autor se vidisse incendium secundum templi Vestæ dicit, *quod contigit temporibus Commodi Imperatoris, nempe anno urbis conditæ* IↃ. CCCC XLIV. *Caßio Aproniano, & M. Attilio Metilio Bradua II. Coss. quando non modò ædis Vestæ, sed palatium etiam, & magna Urbis pars in-*

 cendio

cendio absumta est; uti est apud *Herodianum lib. 1. At prius ædis Vestæ incendium fuit anno urbis quingentesimo decimo tertio A. Manlio Torquato, & Qu. Lutatio Cerco Coss. Eo Pontifex Maximus erat L. Cæcilius Metellus, qui Pii nomen sortitus ob ea, quæ oculis ambustis brachio semiustulato tum temporis perpessus, dum Palladii ac Senatus secreta imperii pignora, incendio eripuit.* Quibus ita præmissis, colligi posse putat Vossius: *Non unum sed tres minimum esse horum Oraculorum Autores.* Quod ubi se fecisse arbitratus est, porro ostendere vult: *Nullum esse ex iis, qui bona fide scripserit, sed omnes scientes volentesq; fucum fecisse lectori.* Nam 1. Quis ita stultè sapit, ut sibi persuadere queat, *primum & secundum librum scriptum esse ab aliqua jam ante diluvium nupta quæ cum Noacho fuerit in Arca?* nonne id si esset, aliquis ante Christum, vel proximis à Christo seculis rei tàm mirandæ meminisset? Et quando ista scripsit? *num antequam Babel conderetur*, ac gentes dispergerentur? *At tum una omnium hominum lingua erat*, quæ sanè Græca non erat? *An postea scripsisse dicemus?* Atqui ut Græca fuisset lingua, talis tamen non erat, qualis horum librorum dictio est. Multis enim seculis volutis alia esse lingua solet ab ea, quæ fuerat prius. At dictio hæc est, non cujusmodi Homeri, aut Hesiodi ætate erat; multo minus, cujusmodi mille annis ante fuerat: Sed est, qualis erat aliquanto post Christi tempora; totis bis mille annis à diluvio, imò aliquot seculis amplius. *Quid quod Iustinus Martyr, Tatianus, Clemens Alexandrinus, Eusebius, ac tot alii ex Sanctis Patribus apertè aiunt, nullam è Sibyllis esse Mose antiquiorem.* Hoccine, inquit, dicturos fuisse putemus, si eorum temporibus ea extitissent? Quamobrem aliud statuere non possum, quàm *autorem eum vel consarcinatorem post Constantini M. tempora vixisse: nempe post excessum Patrum, quos antea commemoravi.* Porrò inquit, *videamus de scriptore eo, qui ait esse annos mille quingentos ab initio regni Græcorum. Quod tempus si ab Ægialeo ordiamur, incidit in captivitatem Babylonicam. Quomodo igitur Sibylla hæc potuit vaticinari illa de Mose ac Regno Salomonis, quæ eodem libro tertio leguntur?* nam multis illa seculis captivitatem Babylonicam antecedunt: vaticinia autem non sunt de præteritis, sed de futuris. Superest *tertius locus*, qui est *libro V.* unde colligi dicit: *scriptorem istum vixisse temporibus Commodi Cæsaris. Et* sanè ibi geminum tempus assignatur. Quod etiam firmatur loco alio, ubi mentio fit *agonis Iselastici, qui ut & Plinio* constat, *institutus fuit tempore Trajani. Idem eò evincitur quod*
quia

quindecim tantùm Imperatorum gesta describantur, at post Hadrianum tres secuturi dicantur, Antonini duo & Commodus. Siquidem meritò suspectum est, quòd non ultra progrediatur Autor. Nempe eo usque procedere ausus fuit, quia præterita tutò poterant referri: in sequentibus ars sua impostorem destituit, quòd nondum ea evenissent. *Quam suspicionem non leviter firmat, quòd demum Antoninorum & Commodi temporibus citari Sibyllina Oracula cœperint. Insuper, quòd opiniones hic inveniantur circa ea demum tempora exorta.* Vti improbos post secula aliquot æterno tandem liberandos supplicio quod Origenes sensit. *Item Neronem suo tempore occultatum esse denuo producendum, atque hunc fore AntiChristum, quod ex eo multi, Augustino teste, colligebant, quia dicat Apostolus Paulus: Mysterium iniquitatis iam nunc operatur.* Denique hisce temporibus inveniebantur non pauci, qui bene se putarent mereri de religione Christiana, si libris etiam suppositi-tijs gentiles adducere possent ad religionem Christianam. Vnde tot libri, aliqui etiam Apostolorum nominibus insignes, qui postea à Gelasio & concilio Romano inter apocrypha sunt relati. Quales non semper hæreticos, sed & homines pios habuere autores. Sanè *Tertullianus* testis est in libro *de Baptismo*, fuisse in *Asia Presbyterum, qui scripturam de Tecla construxerit, quasi titulo Pauli de suo cumulans: atque eum convictum atque confessum, id se amore Pauli fecisse, & locô decessisse.* Ex hisce tandem p. 8. concludit. *Sibyllina Oracula quæ hodieq; octo libris collecta supersunt conficta esse & supposititia: vel si quæ in iis genuina supersint, saltem iis vetera mirificè esse interpolata, aliis mutatis, aliis additis; præsertim istis, quæ clarius multò nobis religionis mysteria & Evangelicam historiam describunt, quàm à Prophetis factum erat.* Et hucusque Vossius.

XXV. *Blondellus l. 2. c. 7. p. 161. & seqq. de Sibyllis.* nominat duos, quibus vel alterutri saltem istæc carmina Sibyllina ex multa & magna suspicione seu potius conjectura adjudicat. Prior est *Hermas* frater Pij Romani quondam Episcopi seu Pontificis qui anno centesimo & quinquagesimo vixit. Scripsit librum, cujus titulus fuit *Pastor*, qui liber olim valdè fuit celebris, dum & publicè in Ecclesia legi, & passim à Patribus allegari solebat. Refert autem *lib. 1. visione*, anum quandam sibi multa & quidem in visione revelâsse, tradidisseque libellum, qui monita quædam pœnitentiæ contineret, hac conditione, ut istum populo exhiberet. Putavit autem

anum istam fuisse Sibyllam. Liber autem iste, qui inscribitur Pastor, est aprocryphus, hæresibus & fabulis oppletus, quem Gelasius in Concilio Romano inter aprocrypha scripta abiecit, ut ait, *Johannes Maria Magister S. Palatii in Indice. Expurgat. Tom. 1. fol. 171.* Vide *Robertum Cocum. in Censura quor. Scriptor. veter. p. 24. & 25. Et Iohannem Hoornbeck. l. c. c. 3. p. 118. 119. de Convers. Indor.* Istum *Hermam* existimat Blondellus esse autorem, qui carmina Sibyllina effinxerit, eum in finem, ut pagani isto Scripto possent convinci non novam & insolitam, sed dudum ab ipsorum Prophetissis propositam fuisse doctrinam, quæ nunc proferatur. *Posterior*, quem Blondellus conijcit esse Oraculorum Sibyllinorum autorem, est *Montanus* Prophetijs & Ectasibus celebris, à quo ejus sectatores dicuntur *Montanistæ*. Ratio, quare existimet Montanum Autorem esse talium vaticiniorum, est, quia Autor Sibyllinorum carminum frequens est in laudanda gente Phrygia; è qua natione ipse erat oriundus. Quoniam quoque in Sibyllinis vaticinijs mentio fit mille annorum, intra quorum spatium Regnum Christi post resurrectionem mortuorum cum sanctis duraturum sit, ideo non nemo arbitratur, quòd *Papias Johannis Apostoli auditor*, & postmodum *Hierapolitanæ in Asia Ecclesiæ Episcopus*, autor Sibyllinorum Oraculorum fuerit, utpote qui præcipuus opinionis Chiliasticæ patronus extiterit. Cœterùm posito, veram hanc esse hypothesin, quòd Oraculorum Sibyllinorum octo libri sint supposititij & efficti; tamen sentio cum *Clarissimo Hoornbeckio l. 2. c. 3. p. 117. de Convers. Indæor.* difficile esse in tanta Apocryphorum copia, quis istorum Sibyllinorum fortè autor haberi possit, augurari. *Familiam eius, aut sectam*, inquit, *credo deprehendemus, sed an ipsum quoque autorem, valdè ambigo.* Putat eum autem è *Gnostorum* hæresi fuisse, quod è duobus vult coniectare. (1) quòd hujus mentionem faciat, quæ se fingit Sibyllam. *Lib. 3. me dicent Patre Gnosto Sibyllam.* (2) quod sibi arroget tantam rerum omnium scientiam, quantam cuiquam præter Deum tribuere nefas est; omnium stellarum, arborum, piscium, arenarum, & quicquid futurum est. Quæ ipsissima κρίσις est *Gnosticorum* à vana & arroganti rerum omnium præcipuè divinarum cognitione ita appellatorum. Quibus addi poterunt. 3. *Millenarii seu Chiliastæ*, cujus sectæ plurimi in vetere Ecclesia fuerunt, & non exiguus promotor, quisquis tandem fuerit, Sibyllinorum autor. Non video tamen, an illæ rationes suffecerint, istæc Oracula non esse genuina, sed efficta, & autorem istorum esse Gnosticum vel Chiliastam. E supra

dictis

dictis ad hasce rationes patebit ex parte responsio. An Vossij argumenta firmiter concludant, prudens Lector æstimabit: in illis namque examinandis certis de causis me non detinebo, cum partim sint longius petita; partim non concludant; partim quoque supra quomodo ventilata inveniantur.

XXVI. Super est, ut tandem videamus, quidnam à defensoribus istius sententiæ, quasi Oracula Sibyllina planè sint fictitia, ad unum vel alterum ab oppositæ opinionis asseclis allatum respondeatur. Etenim quantumvis luculentæ fuerint Augustini, Eusebij, Possevini, & Schmidij assertiones in adstruenda sententia de veritate Oraculorum Sibyllinorum; nihilominus tamen alij contrarium tueri, & priorum Doctorum fundamenta convellere conati sunt. Uti fieri solet, quandoquidem hi sunt hominum mores, ut à sua semel concepta opinione non facilè desistant; nec alijs licèt non falsa dicentibus nisi ægrè assensum accommodent, partim ne videantur inferiores: partim quoq; ne opinionem hactenus improbatam amplecti & defendere teneantur. Quod licèt de Casaubono, Valesio, Blondello, Hoornbeckio, & alijs affirmare nolim; attamen illud saltem de ijs judicare potero, quòd hactenus suæ quam publicè propugnârunt sententiæ de falsitate Oraculorum Sibyllinorum, firmiter inhæserint. Ea propter videndum est, quid illi adversariorum fundamentis reponant.

XXVII. Quod *Baronius* è Justino adducit de Edicto prohibitorio, ne Prophetarum, & Sibyllarum libri sub pœna capitis legerentur, ad id Respondet *Casaubonus*: Baronium scilicet malè intellexisse mentem *Iustini*, nam quod hic in genere quidem dixit de omnibus; θάνατος ὡρίσθη κατὰ τῶν ἀναγινωσκόντων, *decretum est, ut capite luerent; si qui legerent*: non tamen dixit, *Si qui Christiani legerent*, uti locum istum accipit *Baronius*. Certè si propriè ad Christianos illa prohibitio pertinuisset; non est existimandus Justinus tàm malus Orator futurus, ut de lectione Sibyllinorum Oraculorum apud ipsum Imperatorem gloriaretur. Interim quòd libros Prophetarum & Sibyllinos conjungat *Iustinus*, videtur pius martyr propterea id fecisse: quia nactus quædam vaticinia Sibyllarum vera an falsa, de Christo putavit totum volumen carminis Sibyllini, quod tanto studio Romæ servabatur, & à cujus lectione omnes arcebantur præter Quindecimviros, ejusdem esse argumenti. Jam verò nihil unquam ex istis libris prolatum, quô gentium error, & ille insanus Dæmonum cultus, non con-

firmaretur, aut etiam nova accessione impietatis non augeretur. Vbi è *Livio* unum & alterum adducit, quod capite præcedente quoque allatum est, quo vult ostendere: Talia semper fuisse omnia Quindecimvirorum responsa, postquam Sibyllinos libros consuluissent. Quod si *Iustino* homini *Syro-Palæstino* hoc fuisset compertum, neque Sibyllina Oracula cum Propheticis conjunxisset; *neque ante Diaboli factum dixisset, ut lege tàm severa eorum lectio prohiberetur*: quòd metueret, ne qui eos legerent, ad notitiam pervenirent τῶν καλῶν, id est, veræ pietatis: hoc enim de propheticis quidem scriptis verissimum est; de Sibyllinis verò tàm falsum, quàm quod falsissimum. Hæc Casaubonus. Vnde facilè apparet, è quonam principio disputet insignis istæ Exercitator. De Justino nihil dicendum; ejus verba de prohibita Lectione Oraculorum Sibyllinorum sunt clara, loquuntur ferè Vniversaliter, quibus verbis itidem & Christianos includi quis dubitabit. Quod si universale illud Edictum fuit; non malè *Baronius* statuit, & Christianis lectionem Oraculorum Sibyllinorum fuisse interdictam. Reliqua quod attinet, numquid libri Sibyllini, de quibus *Iustino* est sermo, illi sint, qui à Quindecimviris olim ante incendium Capitolij sunt asservati, illud ex ante dictis poterit quodammodo dijudicari, quapropter illis ulterius deducendis non immorabor.

XXVIII. Quoniam & acrostichis Sibyllæ Erythrææ, quæ *IESV CHRISTI* nomen præfert, ex Eusebio allata fuit, quæque & Ciceroni lecta dicitur, ad eam nihil aliud *Casaubonus Exercit. 1. num. 18. p. 68. ad Annal. Baronii.* respondet, quàm hoc: *Cui persuadebit Eusebius, illam Acrostichidem, quæ Iesu Christi nomen præfert, visam Ciceroni fuisse, & in suos libros translatam.* ? nisi putamus, homini pagano, Idolis servienti ante adventum Christi fuisse revelatum mysterium, *quod discipulis ipsis Servatoris nostri, qui tertium jam annum illi operam dederant, institutiq; ab ipso fuerant, paucis diebus ante Domini mortem erat occultum & ignotum.* Verùm causa, quare Discipuli isti licèt toties à Magistro suo de Messiæ passione, morte & resurrectione essent informati, non comprehenderint istud redemtionis mysterium, antea est exposita, quippe quod ipsi in isto communi Judæorum errore versarentur de Regno Christi mundano hisce in terris instituendo, ubi, profligatâ Romanorum potestate, & restitutâ Judæorum libertate, ipsi in ejus aula præclara officia essent subituri. Inde contra-

contrariam de spirituali Regno à suo Magistro perceptam doctrinam animo comprehendere nequiverunt.

XXIX. *Henricus Valesius in Orat. Constantini ad Sanctorum cœtum. c. 19. fol. 266.* ait: *Locus Ciceronis à Constantino designatus extat in lib. 2. de Divinat.* ubi is versuum quorundam Sibyllæ & acrostichidis mentionem facit. *Verùm acrostichidem illam, de qua loquitur Cicero, hanc ipsam esse, quam protulit Constantinus, nulla ratione probari potest. Imò è Ciceronis verbis contrarium elicitur. In illa enim acrostichide à Cicerone memorata monebantur Romani, ut Regem aliquem eligerent, si salvi esse vellent,* ut Cicero ibidem testatur. *Itaque prima versuum illorum litera Iulii Cæsaris nomen, ut credibile est, prænotabant. Sed in hac acrostichide à Constantino prolata nihil extat ejusmodi.* Quare putat *Valesius omni dubio carere, quòd Cicero diversam ab hac intellexerit acrostichin licèt aliter senserit Sebastianus Castalio.* Vlterius itidem pro falso habet, *quòd Cicero dictam acrostichin è Græco in Latinum sermonem transtulerit.* Verum enim verò (1) ex allatis percipi nequit, quòd Cicero hanc acrostichidem Erythrææ non legerit: quin potius, illud carmen ab illo lectum fuisse (2) exinde patet, quòd judicaverit: illud non furentis, sed maximè intelligentis esse opus, & hoc ob prima versuum elementa, utpote quorum literæ initiales integra verba bene inter se connexa, & commodum sensum exprimentia constituant. (3) Valesius & alij cum eo non negant quidem, Ciceronem legisse Sibyllæ acrostichidem, neque etiam illud differri potest ob apertam istius confessionem: at aliam acrostichidem & diversam ab hac, de qua est quæstio, à Sibylla confectam, & illam demum esse eam, quam Cicero intellexerit, unde & qua ratione hoc debet probari? Interim *Sebastianus Castalio* (4) urgebit, quoniam alia acrostichis in collectis Sibyllarum carminibus non extat, quàm hæc, quæ in dubium vocatur: Cicero autem *acrostichidis* disertis & claris verbis meminit, tamdiu veritas pro ipsius sententia militabit, donec probabitur, aliud esse carmen ad quod Cicero respexit, quàm illud, quod ipse & alij defendunt. (5) Non legi in dicto loco *Ciceronis* nempe *lib. 2. c. 54. de Divinat. fol. 207.* quòd ipse testetur, in illa acrostichide moneri Romanos, ut si ipsi salvi esse vellent, Regem aliquem eligerent. Sed hoc scriptor iste dicit, Sibyllinorum versuum interpretem in Senatu habitum fuisse, tanquam ipse falsa dicturus esset, ut Romani eum, quem Regem haberent, etiam Regem appella-

pellarent, si salvi esse vellent. De cujus tamen interpretationis veritate non tantùm dubitat Cicero; sed etiam istum sensum carminis planè respuit. Verùm videamus ipsius Ciceronis testimonium. *Sibyllæ versus*, inquit, *observamus, quos illa furens fudisse dicitur.* Quorum interpres nuper falsa quædam hominum famâ dicturus in Senatu *putabatur, eum*, quem revera Regem habemus, *appellandum quoque esse Regem, si salvi esse velemus. Hoc si est in libris, in quem hominem, & in quod tempus est? callidè enim, qui illa composuit, perfecit, ut quodcunque accidisset, prædictum videretur, hominum & temporum definitione sublatâ.* Deinde hoc carmen, unde talis prædictio ab Interprete desumta videri debebat, Cicero distinxit ab acrostichide in verbis sequentibus: *Non esse autem illud carmen furentis*, cum ipsum poëma *declarat*, (*est enim magis artis & imitationis, quàm incitationis & motus*) tum verò ea, quæ *ἀκροστιχὶς dicitur, cùm deinceps ex primis versus literis aliquid connectitur, ut in quibusdam Ennianis. Id certè magis est attenti animi, quàm furentis.* (6) Quod primæ aut initiales literæ in ista acrostichide apud Ciceronem memorata JULII CÆSARIS nomen contineant, neque est probabile, neque ulla conjectura quodammodo firmari poterit. Sanè è Cicerone tale quid colligere neutiquam licet, utpote qui interpretationem carminis Sibyllini de appellando Rege, quem reapse Regem habebant Romani falsitatis arguit: & ab isto carmine acrostichin distinguit. Interim (7) in eo facilè Valesio cedent alij, quod Cicero acrostichidem Sibyllinam è Græco non converterit in Latinum sermonem: aliàs ipse istius vel meminisset, vel etiam translatum carmen dubio procul exhibuisset. Quæ *Blondellus lib. 1. c. 12. p. 54. 55. & 56.* opponit, in antecedentibus jam tum maxima ex parte sunt discussa, ut diutius huic argumento de Acrostichide Sibyllina insistere opus haut sit.

XXX. Super est unicum de Quarta Ecloga Virgilij, quæ à quibusdam uti supra dictum est, mysticè de Christo declaratur. *Ludovicus Vives* de ea ita scribit: *Asinius Pollio bellum gessit cum Illyriis. Quo verò tempore cœpit Salonas, natus est ei filius, quem ideo Salonium appellavit.* Virgilius cùm in versibus Sibyllinis legisset, *nasciturum per illa tempora admirabilem quendam puerum, qui orbem renovaret, vaticinium accommodavit puero: nam ex aliis gentibus non arbitrabatur futurum propter magnitudinem Imperii Romani. Sed* puer *iste in tenera ætate mortuus est, omnia itaque de Christo intelligenda, de quo & nos interpretabimur, & vendicabimus suo Domino possessionem. Taceant impii*, inquit, *nam vel simplici verborum sensu absque*

ullis

illis omnino allegoriis de nullo prorsus alio potest intelligi. De Sibyllis autem pergit: diximus fusè in Augustinum. *Adventus Domini nostri tanta res fuit, ut prænunciari convenerit Iudæis & gentibus, ut priores expectarent, præsentes reciperent, posteri crederent. Ideo sicut apud Iudæos fuerunt Prophetæ; ita apud Gentiles Sibyllæ dictæ quasi conscia divini consilii.* Vaticinij autem tempus adventare colligebat Virgilius, quod Sibyllarum multa carmina ita erant composita, ut primis versuum literis, aut postremis personam vel tempus designarent, ut *Cicero in libris de Divinatione* docet, & apud *Eusebium* est vaticinium Sibyllæ de Iudicio Christi postremo ad eundem modum, quod *Augustinus citat libro de Civit. Dei. XVIII.* Ad illa verba (*Iam redit & virgo*) scribit: Dixerat aliquid forsan Sibylla de Diva Virgine, *Id Poëta ad virginem Iustitiam transfert:* Aut fortean de ingenti Iustitia Christi, & aureo seculo, quod etiam describit *Esaias Propheta cap. 9.* Ad verba (*Saturnia regna*) addit: In quibus magna cum quiete & pace vivebatur in æqualitate omnium sine superbia, iracundia, & invidia, qualis esset indubiè populus, qui Dei jussis pareret. Ad verba (*Iam nova progenies*) dicit: *Non potuit ab homine Christiano disertioribus verbis explicari descensus Filii DEI ad nos.* Ad verba) *Tuus iam regnat Apollo*) Lucina est Diana dicta à ferenda luce nascentibus. Apollo est ejus frater. Orat Poëta Dianam, ut faveat puero nascenti, id est, sit ei libens ac propitia, nempe in Regno fratris sui Apollinis. Augustus existimatus est Apollinis filius, postmodum etiam Apollo nominatus. Ad verba (*TE CONSVLE INIBIT.*) Pollio Asinius Consul fuit cum Cn. Domitio Calvino in Triumviratu Anno V. C. 714. ante Christum natum. 37. Ad verba (*TE DVCE*) Peccatum originis, inquit *Vives*, delebitur virtute Christi, ut in baptismo per fiduciam erga illum. Bene expressit vestigia sceleris. Nam originis scelus vestigium est à parentibus transmissum in posteros. Ad verba (*Solvent formidine*) Fiducia erga illum, qui est Deus, omnem excludet timorem supplicij ob culpam sive propriam sive hæreditariam. Ad verbum (*perpetua*) scribit: Quàm benè? *nunquam enim intermittebatur, quin nos vexaret.* Et hos versus ad eundem modum interpretatur *D. Augustinus in civit. Dei.* Ad verba (*Ille Deûm vitam*) dicit: *Pueri divinam vitam vivet, & videbit Heroas, & Semideos suos, quos ille constituet: & ipse ab eis non non corporis modò oculis videbi-*

tur, sed, quod potius ac beatius est, mentis. *De quibus est: Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.* Ad verba (*Pacatumq; reges*) *Data,* inquit, *omnia Filio in manus à Patre frequens est sermo in sacris carminibus, & alijs libris mysticis, & patrem subijcere omnia filio.* Ad verba (*At tibi prima puer*) describit in hisce Virgilius cursum Ecclesiæ Christi, id est, Regni Christi in terris. Regnum Dei in Evangelio inter cætera Ecclesiam quoque significat. In nascente Ecclesia nullo cultu, sed opere Spiritus Dei nata sunt dona dulcissimi & suavissimi odoris, tot Apostoli, discipuli, martyres. Bonus odor Domino in omni loco. Ad verba (*nec magnos*) Neque grex Christi metuet Principes & Monarchas minantes & frementes. Inter ipsos autem erat incredibilis concordia, pax, nullum invidiæ aut superbiæ venenum. Ad verba (*Iam simul Heroum*) *Sequente ætate, instituta doctrinâ Dei, exemplis Christi, disciplinâ Apostolorum, extendet se pietas latissimè: non jam ad munuscula & res minutas, sed ad colligendam messem, vindemiam, mel. Ingredientur Iudæi, & magna multitudo Gentilium. Flavescet paulatim arista gentilis tenera, & in spinis humanæ contumaciæ colligetur uva suavis, & in dura ignorantia nascetur dulcedo mellis.* Ad verba (*Pauca tamen suberunt*) Non ita, inquit, poterit induci Christianismus in animos hominum: quin multa etiamnum remaneant vestigia veterum errorum, diffidentiæ, inimicitiarum, belli, crudelitatis, ambitionis, arrogantiæ. Hinc nascetur studium navigandi, & commutandi merces ad quæstum, hinc mœnia urbibus ex simultate & diffidentia: hinc agricultura sollicita. Hæc enim per se mala non sunt, sed pravus noster affectus est in illis. Ad verba (*alter erit*) scribit: Redibunt pristina incommoda navigationum & bellorum, unde mala tàm multa in genere humano. Ad verba (*Hinc ubi firmata virum*) commentatur *Vives*: Vel de cœlesti beatitudine, vel de perfectis Christianis id dicitur à Sibylla: in quorum animis est tranquillitas incredibilis, & ætas aurea. Neç ad cupiditates exercebunt res naturales, sed ad necessitates inevitabiles: quemadmodum Paulus scenas faciebat, & Patres in Ægypto exercebant humum. Nec erunt de ijs rebus vilibus solliciti, sed eorum conversatio erit in cœlis, contenti ad usum rebus qualibuscunque obvijs, facileque parabilibus. Quò fiet, ut copia sit rerum omnium, unoquoque ad suos usus sumente non trahente ad impro-

improbas cupiditates. Ad verba (*Talia sęcla suis*) Vel hoc dixerunt fata ex votis hominum; ut talia essent secula: vel ipsa id jusserunt. Regnum enim Christi Regnum omnium seculorum, nec unquam sumet finem. Fatum enim voluntas est, & jussum Dei. Ad verba (*Concordes stabili*) Fortasse, inquit, minimùm curiosum videri posset, si per hasce Parcas concordes Numine & voluntate fatorum intelligi Sibyllam voluisse diceremus, tres Personas in Divinitate. Sed hæc ne attingamus, ne obtundamur vel impiorum, vel morosorum vociferatione ac quiritatione. Ad verba (*Aggredere ò magnos*) Optat juxta *Vtvem* Virgilius initium tantorum operum, & dicit instare tempus, sive tempus hoc est prænotatum à Sibylla, sive occasio rerum gerendarum, quæ ex qualitate negotiorum nascitur. Ad verba (*Chara Deûm Soboles*) notat: *nihil apertius de Christo dici, quàm chara Dei soboles, & patris incrementum. De quo enim mortali dici potest, quod sit incrementum Iovis? quis potest Deo dare incrementum? At Christus Deus Dei filius gloria est Patris: quia Sapientia & virtus illius.* Ad verba (*Aspice venturo*) Vt non solùm homines, ait, sed & Angeli, & ipsæ res mutæ exhilarentur adventu Christi. Nam ipsa Vniversitas mundi, ut inquit Paulus, liberabitur à servitute corruptionis. Ad verba (*O mihi tàm longè*) *Infinita, inquit, sunt acta Christi & ineffabilia: longissima vita opus esset ad ea explicanda. Vtinam tamdiu vivam, dum tua facta cecinerim, vel optat sibi longam vitam, ut talem possis materiam scribere. At ea est de ingenio tuo confidentia?* Respondet; *Non me carminibus*, &c. quasi dicat: *Eiusmodi materiam cantantem nec vincet Orpheus, nec Linus, nec Pan. Quid enim sunt, quæ illi canunt, præ his ipsis? Fiducia est ergo in materia non in ingenio.* Ad verba (*Incipe parve puer*) notat: Illa quidem olim futura certa & indubitata: nunc verò incipe exhilarare matrem risu tuo, ne des ei fastidium tua tristitia, satis sit fastidiorum exhaustum decem mensibus, quibus te utero gestavit. Menses hi Lunares sunt, non civiles. Ad verba (*Cui risere*) Grammatici de his versibus sat multa disserunt, & nos in *Augustinum*. Sed breviter, mea sententia: Per Deum intelligi convenit *Genium*, cui mensa parabatur, unde *Genio indulgere*. Et per Deam, *Iunonem* cui sternebatur lectus, cum ablactabatur infans. Significat periculum esse vitæ in puerili tristitia, quòd ijs Dij infantium tutelares non foveant. Quod ita accidit: nam & puerulus hic celeriter

 riter

riter est extinctus, *nec passus est Deus illum vivere in quem Poëta magnæ autoritatis transtulisset, quæ Propheta dixerat de Filio Dei.* Atque hos versus postremos suspicor à Virgilio additos post mortem pueri. E quibus notis Ludovici Vivis absque omni difficultate intelligere possumus, quòd non indoctus Commentator totam Virgilij Eclogam quartam ad mysticum sensum trahat, eamque ita interpretetur, quasi Sibylla, cujus carmen Poëta imitatur, locuta si non de Salonio Pollionis filio, sed de Filio Dei, qui à Virgine Maria nasci debuerit homo.

XXXI. Verum enim verò, ut ingenuè fatear; istæc mystica Eclogæ Virgilianæ interpretatio, si non contorta; altè tamen petita est. *Ludovicus de la Cerda* licèt non neget Poëtam imitatum fuisse carmen Sibyllæ; attamen à tali interpretatione alienus est. Ipse etiam Poëta mente non comprehendit, si quid mysterij de articulo isto Incarnationis in Sibyllæ versibus latuerit, illud de Servatore mundi intelligendum esse; aliàs dubio procul id clarius proposuisset. *Valesius ad c. 19. & fol. 266. & 267. Eusebii Orat. ad sanctor. cœtum* dissentit à tali interpretatione, quam Constantinus ipse admiserat & probaverat. *Blondellus lib. 1. c. 14. p. 65. & c. 15. p. 75.* totus in eo est, ut ostendat, quod Virgilij mens & sententia in istâ Ecloga quarta numquam fuerit, quæ ei ab Interpretibus affingitur. Adducerem locum integrum, sed, cùm finis operis tandem desideratur, non immeritò subsisto. Exhibui benevolo Lectori in re tàm dubia & obscura diversas de Oraculis Sibyllarum sententias: ut verò meum hic interponam judicium, nemo desiderabit, vel jure à me reposcet. Et sicuti ego cuipiam liberum relinquo, quam opinionem is velit amplecti de autoritate carminum Sibyllinorum: ita quilibet mihi ignoscet, si meam animi sententiam non explanaverim, nec disertè exposuerim, an Sibyllina Oracula tanquam genuina venerer: an verò ea velut suspecta & supposititia cum alijs Criticis repudiem.

FINIS.

SEQUI-

SEQVITVR
TRACTATVS ONVPHRII PANVINII DE SIBYLLIS.

ONVPHRII. PANVINII. VERONENIS FRATRIS EREMITAE AVGVSTINIANI. DE. SIBYLLIS. ET. CARMINIBVS SIBYLLINIS

AD. ACHILLEM. MAFFEVM. CIVEM. ROMANVM. LIBER.

QVVM in tractatione ludorum sæcularium, Achilles vir optime, tàm Sibyllæ quàm carminum Sibyllinorum sæpe mentionem fecerim, atque de ijs disputare in priore præfatione constituerim, res ipsa nunc postulare videtur, ut absolutâ de Ludis secularibus disputatione, nunc ea, de quibus verba facere pollicitus sum, persequar, atque de ijs, quæ apud veteres Scriptores extare vidi ad hoc potissimum argumentum pertinentia disseram, præsertim, quùm res quamquam à plerisque tractata sit, non admodum tamen accuratè ab ullo, quod sciam, fuerit explicata. Sibyllæ igitur, à quibus Sibyllina Oracula tradita sunt, *Varrone* in libris rerum divinarum: *Diodoro Siculo Librô. V.* & *Lactantio* primô divinarum institutionum autoribus, mulieres dicebantur Deo plenæ, quarum pectora, quùm divinum numen recepissent, vaticinabantur, appellatæ, ut idem Lactantius, ex Varrone & Servius super IV. Æneidos tradunt, à consilijs Deorum nuntiandis. Æoles enim σιὺς Deos dicunt, & βυλὴ consilium, sive sententiam. Ergo Sibyllæ quasi Sibyllæ dictæ, id est, quæ Dei consilium mortalibus enunciant. Hieronymus contra Iovinianum: Quod si Æolici (inquit) sermonis genere Sibyllæ θεοβυλαι appellantur, rectè consilium Dei sola scribitur nosse virginitas. Sunt qui Sibyllas omnes ab unius Delphidis nomine vocatas dicunt, ea

verò à Deorum consilijs nominata est. Suidas Romana voce eam Prophetissam, hoc est, vatem interpretari posse scribit.

Quæ aut quot, quibusve temporibus, aut locis Sibyllæ fuerint, magna inter veteres scriptores dissensio est. Alij enim tantum unam; alij duas: alij tres: alij quatuor: alij decem aut etiam plures Sibyllas fuisse dixêre. Quidam etiam Græcorum conati sunt ex Sibyllis facere, quòd de Iovibus, Herculibus, Minervisque, & aliis Deis fecerunt, qui quum multi fuissent; unum tantùm prodidere, ut auctor est M. Varro. Atque de ea variè scribunt multumque inter se tum de patria discrepant. Alij enim Apollinis & Lamiæ filiam existimant: alij Aristocratis & Hydoles, alij Crinagoræ, alij Theodori. De patria quoque non minus inter se dissident. Nonnulli eam Erythræam fuisse tradunt, quidam Siculam, alij Sardinicam, alij Gergethicam, alij Rhodiam, alij Libycam, alij Leucanam, alij postremo Samiam. Quæ omnia magna ex parte de Erithræa opinati sunt. Quidam etiam eam ante Trojana tempora fuisse: quidam ipsius Trojæ excidio, Græcisque vaticinatam Ilium periturum. Alij verò longè pòst vixisse scribunt, ita ut cui potissimùm credendum, ambiguum sit. Hanc opinionem rejicit M. Varro in libris, quos rerum divinarum scriptos reliquit, qui quum de xv. viris sacris faciundis loqueretur, Sibyllinos libros ait non fuisse unius Sibyllæ; sed appellari uno nomine Sibyllinos, quòd omnes feminæ vates Sibyllæ sint à veteribus nuncupatæ. Martianus Capella duas tantùm Sibyllas fuisse refert, & non plures Erophilen Trojanam Marmesi filiam, quam eandem putat esse cum Phrygia & Cumæa; alteram Symmachiam Hipocrensis filiam, quæ Erithre nata etiam Cumis vaticinata est.

Plinius libro XXXIIII. Cap. V. auctor est Romæ in foro juxta rostra trium Sibyllarum fuisse statuas ceteris minores: ex his unam Pacuvius Taurus Ædilis plebis instituit: duas verò reliquas M. Valerius Messalla augur. Quarum nomina Solinus Cap. VII. Polyhistoris refert. Una enim ex his Cumana erat, quæ Cumis Olympiade quinquagesima vaticinata est, ubi ejus sacellum usque ad nostra tempora fuit, quod incendio Puteolano anno salutis MDXXXIX. terra obrutum est. Hæc libros L. Tarquinio Superbo Romano Regi attulit, cujus sepulchrum in Sicilia diu mansit. Altera Delphica, quæ ante Trojana tempora vixit, atque ut Boethus per-

perhibet, ejus plurimos versus Homerus operi suo inseruit. Tertia porrò Heriphilis Erythrea, quæ post Trojana bella vixit, atque inter alia Lesbijs vaticinata est, eos maris imperium amissuros, multò antequam id accideret.

Ælianus autem libro XII. Variæ historiæ quatuor Sibyllas asserit, Erithream, Samiam, Æpyptiam & Sardianam. His alii duas Iudæam, & Cumeam adjungunt, ut sint sex, quibus quidam alias præterea quatuor addunt, earum verò nomina non referunt. M. Varro, ut est apud Lactantium libro primo, quô nemo unquam doctior, ne apud Græcos quidem nec apud Latinos vixit in libris rerum divinarum, quos ad C. Cæsarem Pontificem Maximum scripsit, Sibyllas decem numero fuisse refert, easque omnes enumerat cum auctoribus, qui earundem gesta monumentis literam consignarunt. Quas non eo ordine, quô Lactantio digeruntur, enumerabo, qui nec temporis, nec Sibyllarum rationem habet: Sed quum ab antiquissimis ad recentiores devenero, eis præterea addam, quæ à veteribus Græcis & Latinis Scriptoribus de ijsdem Sibyllis & carminibus earundem notata sunt.

De Sibylla Delphica

Prima igitur ex his Sibyllis, quas Varro inter decem enumerat, omnium quæ vetustissima, Sibylla DELPHICA fuit. De qua Chrysippus loquitur in eo libro, quem de divinatione composuit, quam quidam Artemin vocatam scribunt, Delphisque ortam cujus plurimos versus Homerum operi suo inseruisse plerique tradiderunt. Eam Diodorus Siculus libro 5. Daphnem Tiresiæ filiam fuisse refert, quam Argivi, quum Thebas vicissent, Delphos misere votum reddituri. Quæ prius quum divinandi artem patre Tiresia edocta fuisset, Delphis manens vaticinandi peritior Apollinis vi facta est, Deique responsa consulentibus edebat: idcirco ante omnes Sibylla est ab omnibus vocitata, ut auctor est Varro. Hinc omnes mulieres divinandi peritæ, ut quidam tradiderunt, Sibyllæ dici ceptæ sunt. De hac Solinus Cap. VII. Polyhistoris, & Plinius libro XXXIIII. Cap. V. mentionem faciunt. Fertur & Daphne altera Ladonis Arcadis filia ab Apolline adamata, quæ in laurum est versa cùm Deum aversaretur & fugeret. Fabulam narrat primo Metamorpho seos Ovidius. Porro autem ante hanc nullam mulierem vaticinatam fuisse legitur.

De Sibylla Erythrea

Altera Sibylla fuit Erythrea dicta, quam Apollodorus Erythreus affirmat suam fuisse civem, eamque Graijs Ilium petentibus vaticinatam, perituram esse Trojam, & Homerum mendacia scripturum. Hoc autem vaticinium integrum extat in libro, qui vulgo circumfertur, oraculaque Sibyllina octo libris digesta continet, in lib. tertio. Hanc vulgatior opinio est, fuisse ante bellum Iliacum. Eusebium verò in Chronicis eam in primam ætatem orbis Romæ regnumque Romuli refert. Strabo autem duas ponit Erythreas Sibyllas, hanc priscam, & aliam recentiorem nomine Athenaim, quam Alexandri temporibus fuisse scribit. Lactantius verô Sibyllam Erythream Babylone natam esse ait, & sese Erythream appellari maluisse. Hanc Solinus Cap. VII. Polyhistoris Heriphilem appellatam, pauloque post Trojana tempora floruisse scribit, de qua supra dixi. Hujus etiam Ælianus libro variæ historiæ XII. & Marcianus Capella mentionem faciunt.

De Sibylla Cumæa.

Tertiam autem Sibyllam CVMÆAM fuisse existimo, de qua Nævius in libris, quos de primo bello Punico scriptos reliquit, & L. Piso Censorius in annalibus mentionem faciunt. Hæc in Italia vaticinata est. Paulò post excidium Iliacum, ut quidam tradunt, quam Italicam multi vocant ex Cimmerio Campaniæ vicino Cumis oppido oriundam. Sunt qui scribunt, hanc esse, ad quam Æneam Ilio profugum divertisse Virgilius fingit libro. IV. Deiphobe appellata. De hac Marcianus scribit.

De Sibylla Samia.

Quarta porrò Sibylla SAMIA fuit, de qua in antiquis Samiorum annalibus mentionem fieri Eratosthenes vetustus auctor scripsit, Phyto vocata. Hujus meminit Ælianus libro XII. variæ historiæ, Hanc Numæ Pompilij temporibus fuisse circa XVI. Olympiadem Eusebius scribit in Chronicis, Hippomeme Athenis principe, Heriphilemque appellatam.

De Sibylla Cumana.

Quinta Sibylla CVMANA fuit nomine Amalthea, quæ ab alijs Demo-

Demophile, vel Herophile nominatur, Suidas Hierophilem dicit. Fuit autem hæc quæ novem, vel ut alijs placet, tres libros Sibyllinorum Oraculorum ad Tarquinium Superbum detulit, de qua re latius paulò post dicam. Hanc Solinus cap. VII. Polyhistoris quinquagesima Olympiade floruisse scribit, atque eam post Delphicam & Erythræam vaticinatam fuisse tradit, cujus sepulchrum sua ætate in Sicilia mansisse refert. Eam verò non Eriphilem vocat, hac enim appellatione Erythræam afficit, quam hac Cumanâ antiquiorem fuisse opinatur, Eusebius verò nec Erythream nec Cumanam, sed Samiam Herophilem vocatam scribit, quam Numa Romanorum Rege vivente floruisse refert. Cumana autem Sibylla, si modò verum est, eam fuisse, quæ Superbo libros obtulit, vixit Olympiade quinquagesima quinta.

De Sibylla Hellespontica.

Sexta Sibylla HELLESPONTICA fuit, in agro Trojano, vico Marmisso nata circa oppidum Gergithium, quam scribit Heraclides Ponticus, Solonis & Cyri fuisse temporibus, vixit autem Olympiade IX.

De Sibylla Libyca.

Septima Sibylla LIBYCA fuit, Cujus meminit Euripides in Lamiæ prologo. Hanc autem ante Olympiadem octuagesimam vaticinatam fuisse ex hoc satis liquet, quod Euripides, qui ea ætate vixit, eam commemorat.

De Sibylla Persica.

Octava post supra dictas Sibylla PERSICA fuit, cujus mentionem fecit Nicanor, qui res gestas Alexandri magni Macedonum Regis conscripsit. Hanc ipsam Chaldæam vocat Justinus martyr in admonitorio ad gentes libro, atque eam ex Babylone profectam, ejus Berosi, qui tribus libris Chaldaicam scripsit historiam, & Erimanthæ nobilis mulieris filiam fuisse tradit. Berosus autem Babylonius fuit, Belique in Babylone sacerdos, ut refert Assyrius Tatianus in oratione contra Græcos, qui eundem Alexandri magni ætate vixisse, & Antiocho post Alexandrum tertio Chaldaicam historiam, Regumque gesta tribus libris digesta obtulisse scribit. Sunt qui hanc Sibyllam Hebræam, ejusque proprium nomen Sambetha Noe fuisse tradunt ex quadam urbe prope rubrum mare ortam. Hujus libri fuerunt quatuor ac viginti, in quibus de Christo Deo & ejus adventu innumera cecinit. Hujus versus

sus (ut tradit Iustinus) passim legebantur imperfecti & interdum parùm cohærentes, non quidem vatis, sed exscribentium festinanter vitio, ita, ut multa conjectura opus esset, quòd non sine manifesto Dei consilio accidit, ne egregia vaticinia ab indignis intelligerentur. Vixit autem Olympiade cxx. Justinus in libro gentium admonitorio hanc ipsam Cumanam etiam appellat, eamque ex Babylone Cumas Italicas profectam tradit, ubi consulentibus Dei jussu Oracula reddebat, ita ut Erythræa, Persica, & Phrygia, Sibyllæ Cumeæ & Cumanæ aliquando dictæ sint.

De Sibylla Phrygia.

Nona vero Sibylla fuit PHRYGIA, quæ vaticinata est Ancyræ, quam idcirco nono loco posui, quum quod tempus, quo vixerit, reperire non potui: tum etiam quod Lactantius, & eo longè prior Varro eam nono loco numeraverunt. De hac Marcianus Capella scribit, quam eandem cum Cumæa esse arbitratur in agro Trojano natã.

De Sibylla Tiburtina.

Eadem ratio est de loco decimæ Sibyllæ, quam TIBURTINAM vocant nomine Albuneam, quæ Tibure ut Dea ad Anienis ripas colebatur. Cujus in gurgite simulachrum ejus inventum esse dicitur tenens in manu librum cujus sacra Senatus in Capitolium transtulit. Has decem Sibyllas tradit ex Varrone Lactantius libro primo contra gentes. cap. vi.

De reliquis Sibyllis.

Fuerunt & aliæ pleræque extra decem numerum Sibyllæ, ut COLOPHONIA, quæ dicta est Lampusia Calchantis sacerdotis peritissimique auguris filia, cujus vaticina & responsa carmine olim legebantur. Fuit & alia Sibylla nomine ELISSA, quæ & ipsa carminibus vaticinabatur. Referri quoque potest in numerum Sibyllarum CASSANDRA Priami filia, quæ patriæ excidium præcinuisse fertur, consulentibusque responsa dedisse, de qua Virgilius libro ii. Æneidos sic scribit:

Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora dei jussu non unquam credita Teucris.

Fuit etiam Sibylla EPIROTICA Thesprotiæ nata, quæ oracula scripsit, Item THESSALICA MANTO Tiresiæ vatis Thebani filia.

filia, quæ fatidica Virgilio appellatur. Poteft etiam Sibylla dici CARMENTA mater Evandri Arcadis, multa enim vaticinatam fuisse ferunt. Et FAVNA vel FATVA Fauni Italiæ Regis foror & conjunx; quæ Bona Dea postea dicta est Dubitavit Didius Grammaticus an SAPHO Sibylla dici possit; ut est apud Senecam in ſtudijs liberalibus, & si alij eo loco non Sibyllam, ſed publicam legant. Omnium etiam Sibyllarum antiquissima dici poteſt DELBORA uxor Lapidoth mulier Hebræa, de qua legitur Iudicum libro capite IV. Cui addi poteſt is MARIAMME foror Mosis & Aaron, ut legitur in Exodo capite xxii. & poſtremò OLDA Sellemi uxor, de qua Paralipom. II. cap. xxxiii. verſic: 22. multa leguntur ſub Rege Iudæorum Iosia.

Harum ferè omnium Sibyllarum carmina circumferri & legi ætate ſua refert Lactantius præter Cumanæ, cujus libri à Romanis occulebantur: nec eos ab ullo niſi à xv. viris inſpici fas erat. Erantque ſingularum ſinguli libri, qui quia Sibyllæ nomine inſcribebantur, unius eſſe ſemper crediti ſunt, erantque confuſi ſimul ac immixti, nec diſcerni, aut ſuus cuique Sibyllæ aſſignari poterat liber præter Erythreæ, quæ & nomen ſuum carmini verum inſeruit, & Erythream ſe nominatam iri prælocuta eſt. Nunc quidam liber Græcus Sibyllinorum Oraculorum circum fertur octo libris digeſtus, quem eum eſſe exiſtimo, de quo plura Lactantius excepit, quum præſertim omnes ferè eos verſus, quos de Christo citat Sibyllinos, in eo reperiri conſtat. Extant quoque Sibyllæ Erythreæ ejus generis verſus quidam, qui acroſtichis vocantur. Hi ſunt apud Euſebium Græcum libro v. de vita Conſtantini Imperatoris, iidemque Latini facti apud divum Auguſtinum libro. xviii. de Civitate Dei cap. xxiii. In quorum ſingulis capitibus ordo literarum ita eſt diſpoſitus, ut in eis hæc verba legantur: IESVS CHRISTVS DEI FILIVS SERVATOR CRVX. Hique ab Euſebio eo loco Sibyllæ Erythreæ, fuiſſe traduntur. Sic autem ſcribit: Sibylla igitur Erythrea quæ ſeipſam ſexta poſt diluvium generatione vixiſſe, & Apollinis ſacerdotem fuiſſe dicit, diadema ex æquo una cum Deo, cui ſerviebat, geſtans, & tripoda circa quem ſerpens gyrabat colens, appropinquanteſque ad ſe repellens propter dementiam parentum, qui eam tali cultui voverant intus in ipſis alioquin adytis, importuna ſuperſtitione occupata divina tamen inſpiratione

referta carminibus de Christo Jesu vaticinata est; In serie primarum literarum versuum. Hæc autem sententia est, quæ & acrostichis dicitur.

ΙΗΣΟΥΣ. ΧΡΙΣΤΟΣ. ΘΕΟΥ. ΥΙΟΣ, ΣΩΤΗΡ. ΣΤΑΥΡΟΣ.

id est

JESVS. CHRISTVS. DEI. FILIVS. SERVATOR. CRVX.

Carmina autem sunt hæc Servata, quantum fieri, potuit, acrostichi Latinè reddita.

I *Iudicio telluris erit sudoribus omen*
E *Erumpetq; alto, carnem qui judicet atque*
S *Suspensum (tanti est regis præsentia) mundum.*
V *Viderit inde omnis, vel si perfecta fides est*
S *Sive hac nulla Deum sanctosq; in finibus ævi*
C *Carnis amasium, & pulpâ vestitus amicâ*
H *Hic animis altâ sellâ jus dicet, eritq;*
R *Rerum campus inops, tribuli noscentur, opesq;*
I *Invisæ fient homini, atque jacebit imago*
S *Solventur portæ stygii Plutonis ab illo*
T *Tum quod vis istâ gaudebit luce cadaver*
V *Vir sacer atque ex lex flamma dignoscitur, atque*
S *Scitur & integrum quicquid tamen usque latebat*
D *Ducet enim lampas, reseratis frontibus intro*
E *Et multi plangent, multi ringentur & astra*
I *Inducent choreæ legem. Facies tum solis opaca*
F *Flexum erit & cælum, nulla quoque luce Diana*
I *Implebit valles & cassa cacumina reddet*
L *Labentur colles hominum fastidia, toti,*
I *Incipient æquor fieri montes, mare demum*
V *Velivolum nulli, quum tellus fulmine arescet*
S *Subsident fontes, & nusquam fluminis horror*
S *Suspectum cælo sonitum dabis ære recurvo*
E *Eiulans tuba perniciem mundiq; labores*
R *Recludetq; chaos immensum terra dehiscens*

V *Vndique convenient Reges, sedemq; videbunt*
A *A cælo rivus flamma, unda sulphuris atri*
T *Tum bene iactandum iudicium mortalibus atque*
O *Optatum cornu signum, cum gente fideli*
R *Res æque una piis vita, orbiq; insitia error*
C *Clara duodenis illustrans fontibus unda*
R *Roboreumq; pedum toto dominabitur ævo*
V *Versibus exscriptus Deus his primò relictura est*
X *Xenophilus nostra causa rex ultima passus*

Ab altero verò servata linguæ Græcæ acrostichi sic versi sunt.

I *Iudicii signo, tellus sudore madescet*
E *E cælo veniet princeps per sêcla futurus*
C *Scilicet ut carnem præsens, & judicet orbem*
O *Omnis homo hunc fidusq; Deum, infidusq; videbit*
Y *Vna cum sanctis excelsum fine sub ævi.*
C *Sede sedens animas censebit corpora & ipsa*
X *Chersos erit mundus, spinas feret undique tellus*
P *Reiicient simulachra homines, & munera Ditis*
I *Inquirens portas infringet carceris atri.*
C *Sic etenim cuncta veniet lux libera carni*
T *Tunc sanctis: Ignis sontes æternus aduret*
O *Occultos actus omnes tum quisque loquetur*
C *Sed Tenebrosa Deus collustrans pectora pandet*
Θ *Threnus erit cunctis, & stridor dentis adesi.*
E *Effugiet solis iubar, astrorumq; chorea*
O *Omne poli lumen solvetur & aurea Luna*
Y *Valles extollet, collesq; à vertice perdet*
Y *Vsquam nec celsum mortalibus aut grave quicquam*
I *Inde æqui montes campis hinc cærula ponti*
O *Omne ratis spernent onus hiscet fulmine tellus*
C *Sic fontes simul arescent, & fluminis alvei*
C *Stridulatum querulum sonitum tuba fundet Olympo*
Ω *Orbis grande malum rugiens & damna futura*
T *Tartareumq; chaos monstrabit terra dehiscens*
E *Et venient omnes Reges domini ante tribunal*
P *Refluet è cælo tunc sulphuris amnis & ignis*

C *Sic cunctorum hominum fient manifesta sepulchra*
T *Tunc lignum fidis erit exoptabile cornu*
A *Atque priorum vita hominum nocumentaq; mundi*
Y *Undis lustrabunt bisseno in fonte vocatos*
P *Rex pastoris erit nobis & ferrea virga*
O *Omnipotens Deus est praescriptus versibus istis*
S *Servator nostro aeternus rex passus amore.*

Hæc autem sunt carmina, quæ Sibylla Erythrea de Christo cecinit. Multi verò fuerunt, qui quamquam omnia de Sibylla Erythreâ tradita vera esse credant; hos tamen versus propter rei clarissimum argumentum confictos esse suspicati sunt ab aliquo religionis Christianæ viro poëticesque non ignaro. Quod nulla ratione fieri potuisse, vel ex hoc maxime liquet, quod diu ante Christi natalem edita fuisse comperiuntur. Constat enim M. Tullium versus hos legisse commentarijsque suis inseruisse, quos Eusebius Cæsariensis se vidisse profitetur. Hanc opinionem confirmat: Sibyllas multa per versuum initia significare consuevisse, ut secundo de divinatione docet Cicero, qui de Sibyllis loquens sic scribit: *Non esse autem illud carmen furentis, quùm poëma declarat: est enim magis artis & diligentiæ, quàm concitationis motus: tum verò ea, quæ ἀκροστιχὶς dicitur, quum deinceps ex primis versus literis aliquid connectitur, ut in quibusdam Ennianis, quæ Ennius fecit, id certè magis est attenti animi, quàm furentis, atque in Sibyllinis ex primo versu cujusque sententiæ primis litteris illius sententiæ carmen omne prætexitur, hoc scriptoris est, non furentis adhibentis diligentiam, non insani.* Ita Cicero: Hoc etiam subsignificare videtur *Virgilius. IIII. Ecloga* quum scribit:

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas

Scilicet tempus, quò vaticinum tendebat, certis erat litteris insertum. Atque hactenus de Sibyllis. Porrò autem quænam fuerit Sibylla, cujus carminibus fata Romana continebatur, non admodum constat: quidam Cumanam putant, ut Virgilius Ecloga IIII.

Ultima Cumæi venit iam carminis ætas

Et *libro VI. Æneidos*, ubi eam *Deiphoben Glauci filiam* vocat, nisi de Cumæa ipse loquatur. Glaucus autem vates fuit divinandi scientissimus, qui eam artem Apollinem ipsum docuit. Eam Heriphilem appellat Suidas ab alijs Amalthea vocitata. Varroni autem, quem hanc rem etiam ipsum diligenter quæsiisse ferunt, non videtur

detur verisimile vatem illam, quam Æneas consuluerit, potuisse pertingere Romana regna, quum sexentis annis ante Tarquinium vixerit, ideo Erythræam potius fuisse putat, quæ etiam de Romanis cecinerit, hoc nimirum argumento ductus, quòd post incensum Capitolinum templum, in quo Oracula Sibyllina servabantur, apud Erythras ipsamet carmina inventa sunt: Hanc autem esse non potuisse Erythream Sibyllam eodem Varronis argumento ductus opinor, quippe quæ Apollodoro Erythreo auctore tempore belli Trojani vixerit. Et quamquam Eusebius eam primis annis Romuli referat, ad Tarquiniorum tamen tempora eam pervenire non potuisse facilè credi potest, quorum Priscus centesimo anno post Romuli obitum regnare Romæ cepit. Nec Varronis argumentum obstat, libros Sibyllinos incendio consumptos ex Erythris Romam iterum relatos fuisse, quum satis constet, eos ab antiquis diversos fuisse. Ego verò ejusdem Varronis auctoritate fretus duas Sibyllas eodem ferè cognomine fuisse existimo Cumæam & Cumanam. Cumæa est, quæ Cumis vaticinata est tempore belli Iliaci, ex Cimerio Campaniæ oppido orta, ad quam Æneam divertisse Maro refert, cujus & Dionysius libro IIII. meminit: Cumana autem est quæ Cumis oriunda longo tempore post vixit, librosque Tarquinio obtulit, de qua Solinus plura scribit. Cumis enim plures mulieres longo & perpetuo tempore vaticinatas fuisse reor, quæ omnes Sibyllæ vocitatæ sunt, quæ illuc proficiscebantur, velut peritiores divinandi fierent; Apollinis oraculis, quem illic maximum templum cum specu habuisse constat, velut ejus sacris præessent; quæ non nisi à mulieribus perfici mos erat, quæ omnes postea ab urbe proxima sive Cumææ sive Cumana vocatæ sunt. Aristoteles namque & Marcianus Erythream ipsam etiam Cumis divinasse scribunt, eamque aliquando Erythream, aliquando Cumanam vocant. Aristoteles quidem in libro de naturæ miraculis (si modò ejus est, nam hoc in dubium vertitur) speluncam narrat esse Cumis urbe Italica, ubi Sibyllæ domicilium fuisse tradit, quam multi Erythream esse putant & incolæ Cumæam nominant, haut dubiè patriæ favore, aut certè de alia sentientes. Marcianus verò Capella Erythream Cumis vaticinatam esse scribit, Italicis credo, ut auctor est Aristoteles, quippe sunt etiam Cumæ Ionicæ ubi & Erythræ. Hæc fortè esse potuit ea, quam Virgilius libro VI. Cumæam vocat ab Ænea consultam

Cumana enim, quæ libros Tarquinio vendidit, non eam esse existimo, de qua Virgilius scribit quod neque etiam ipse affirmat. Idem Marcianus Sibyllam Phrygiam aliquando etiam Cumæam appellat. Ita igitur cùm variæ, incertæ, & inconstantes sunt veterum scriptorum de Sibyllis sententiæ, fit, ut neque ego quicquam affirmare ausim. Quamquam autem incertum sit, quonam nomine appellata fuerit, quæ libros Tarquinio attulerit; eam tamen omnium scriptorum concordi testimonio, satis inter omnes convenit, Sibyllam unam fuisse, cujus libros Tarquinio oblatos Romani summa religione ac observantia custodiebant. Qui qua ratione Romanis allati fuerint nunc ex Varrone, Dionysio, Solino, Plinio, Gellio, Lactantio, Servio, & Suida exponam.

Anus hospita atque incognita quæ postea constanti omnium opinione Sibylla Cumana credita fuit, nomine Amalthea Tarquinium Superbum regem Romanum adijt novem libros ferens, quos Sibyllinis Oraculis plenos esse affirmabat, eosque velle se venundare dixit. Tarquinius precium percunctatus, mulier trecentos Philippeos poposcit. Rex autem quasi anus ætate desiperet, irrisit, aspernatusque libros est ob precij magnitudinem. Tum illa foculô coram eo accensô tres libros ex novem combussit, sive ut Dionysius tradit, à Regis conspectu discedens, eos igni tradidit, reversaque nunquid reliquos sex libros eodem precio emere vellet Regem interrogavit: Tarquinius autem multo magis irrisit aniculæ dementiam, eamque delirari respondit: quod idem peteret de paucioribus precium, quod nec de pluribus accipere potuisset: tum mulier statim coram Rege, vel ut ait Dionysius, discedens tres alios combussit. Reversaque illum denuò placide interrogavit, an Is reliquos eodem illo precio emere vellet. Rex mulieris constantiâ commotus, eam mulieris confidentiam non omninò aspernandam esse existimavit, quare auguribus accersitis, eis rem per ordinem enarravit, atque quid agendum esset, poposcit. Illi autem ex quibusdam signis intelligentes rem illam necessariam à Dijsque in urbis salutem missam Regi rejectione illâ librorum magnam jacturam factam esse demonstrantes, quòd non omnes emisset, eum reliquos emere hortati sunt, datô præciô quod deposcerat anus. Quare Rex libros tres reliquos Sibyllinorum Oraculorum plenos mercatus est nihilo minore precio, quàm quod erat petitum pro omnibus. Mulier igitur dans ei libros diligenter servandos esse præmonuit, quæ quum à Tarquinio discessisset, postea nusquam amplius visa est. Quapropter jam tum credi

cceptum, eam Sibyllam fuisse Cumanam cui quemadmodum Poëta ait: *Magnam mentem animumq́* Delius inspirasset Deus. Sunt quidam auctores, qui libros non Superbo sed Prisco Tarquinio oblatos scribunt, inter quos est Varro apud Lactantium libro I, & ex recentioribus Suidas: Solinus verò quamquam libros Superbo venditos fuisse affirmet, Sibyllam tamen, quæ eos vendidit, Olympiade quinquagesima vixisse scribit. Quod si ita est Prisco Regi libros vendidit non Superbo. Nam in quinquagesimam Olympiadem mors Prisci Tarquinij incidit. Quare Varroni potius credendum existimo, quàm alijs. *Plinius* verò *lib. XIII. cap. XIII.* tres libros, non novem fuisse scribit, quos Oraculorum plenos Sibylla Tarquinio attulit, ac combustis duobus tertium superfuisse. Suidas novem libros tradit, eosque *Oraculorum peculiarium* vocat, hoc est, ad certum aliquem populum spectantium; sed combustos tantùm duos, reliquos omnes superfuisse. Cœterùm hi libri, quos sive Priscus, sive Superbus Tarquinius emit ab ipsa in Capitolio Jovisque Optimi Maximi templi sacrario in arca lapidea sub terra postea reconditi Sibyllini deinceps appellati sunt, religiosissimeque ibidem servati. Horum librorum custodia II viris primùm; deinde X. viris postremò XV. viris sacris faciundis commissa fuit, eosque ab alijs præter eos aspici, aut legi nefas erat, ut Lactantius tradit, atque ut paucis verbis multa comprehendam · nihil Romani neque sanctum neque sacrum ita custodiebant, quemadmodum hæc Sibyllina divinitus (ut existimabant.) missa oracula: & cùm Dij immortales de rebus adversis consulendi essent, remediumque aliquod malis quærendum, uti de aliqua intestina civilique seditione, vel bello externo, aut pestilentia urbem vexante tollenda, de funestorum exitiabiliumque casuum remedijs, ut Cannensis cladis pacis Caudinæ, de prodigijs expiandis, cœterisque rebus adversis; hos libros quasi ad oraculum præsentaneumque remedidium XV. viri sacris faciundis adire solebant, in his omnium malorum remedia inveniri posse existimabant. Cæterùm is Tarquinius, qui eos emit, ut eos in manibus habuit, statim duos viros creavit ex illustrioribus patricijs, quibus horum librorum custodiam tradidit, appellatique sunt II. viri sacris faciundis. Ex quibus alterum nomine M. Atilium, quòd is libros secreta civilium sacrorum continentes custodiæ suæ commissos corruptus Petronio Sabino describendos dedisset, culeo insutum in mare abjici jussit. Horum II. virorum munus erat hos sacros libros custodire, quoties opus esset adire, legere, interpre-

tari, & quæ jubebantur, ut perficerentur, curare: Apollinis sacrarumque ceremoniarum Antistites esse, & quoties fames, pestilentiæ, bella civilia & externa urbem vexare contigisset, vel prodigia aliqua nuntiata essent apparuisse, eorum omnium malorum ex Oraculis Sibyllinis remedia invenire, lectisternijs ad Deorum pulvinaria factis, Deûm iram placare, prospera omnia precari, adversa ut tollerentur, rogare, & postremò Deos omnes iratos sacrificijs factis mitigare. Vide quæso lector, quantam sibi malus Dæmon in orbe terrarum vendicaverat potestatem. Ex qua Iesu Christi gratia depulsus, beati nos & felices sumus, quibus tot tenebris & errorum involucris liberatis veritatem agnoscere concessum est. Porrò de his Sacerdotibus ita lib. IV. scribit Dionysius: Post ejectionem autem Regum, assumens civitas oraculorum patrocinium, viros etiam illustrissimos custodes eis designavit, qui per omnem vitam eam curam haberent militiâ & alijs urbanis muneribus immunes, publiceque apud eos libros deposuit, sine quibus non permisit Oracula aspici Sibyllina. Hi servos de publico sumptu habebant: Romani autem nihil ita custodiunt neque sanctum neque sacrum quemadmodum Sibyllina divinitus oracula missa. Ea autem adeunt ex SCto seditione civitatem tenente, aut calamitate aliqua magnâ bello incidente, aut prodigijs aliquibus apparentibus, qualia sæpe evenire solent. De II. viris sacrorum frequens apud Livium mentio est ante primum Consulem de plebe creatum libro III. Libri Sibyllini per duumviros sacrorum aditi lib. IV. obsecratio itaque à populo. II. viris præeuntibus est facta. Et paulo post: Multa II. viri ex libris placandæ Deûm iræ avertendæque à populo pestis causa fecere. Et libro. V. libri Sibyllini ex SCto aditi sunt. II. viri sacrifaciundis lectisternio tum primum in urbe facto &c. Cæterùm quum multo tempore duo ad hoc ipsum sacerdotium viri tantùm creari soliti essent, ac plebs de suo quoque corpore Consules creari ambiret, neque ad hoc ipsum satis virium esset, obtinuit tandem, ut qui II. viri in eam diem usque creati fuissent, decem viri deinceps sacris faciundis eô jure, quò II. viri fieri solebant, crearentur. Quare anno urbis CCCXXCIIX. lege lata à Tribunis plebis C. Licinio & L. Sextio, ex II. viris, X. viri facti sunt, simulque lege cautum, ut pars ex plebe, pars ex Patribus fieret, quam legem decimo sui Tribunatus anno pertulerunt: quinque igitur è Patri-

Patribus totidemque è plebe lecti: qui X. viri sacris faciundis deinceps vocati sunt. Post quod tempus usque ad L. Sullæ Felicis dictaturam fuerunt. X. viri sacris faciundis, de quibus toties mentio est apud Livium. A Sulla verò dictatore XV. viri S.F. facti sunt. Quod hac ratione ostendi potest: Ciceronis ætate erant XV. viri sacris faciundis; qui adhuc erant decem viri, eo anno, quô Capitolium arsit: paulò ante Sullæ Dictatoris tempus L. Scipione & L. Norbano Cos, ánno urbis DCLXXI. Atque post eum annum in sacerdotum collegijs nusquam legitur quicquam esse mutatum, nisi in dictatura Sullæ. Relinquitur ergo ut hæc XV. virorum institutio à Sulla facta esse credatur, præsertim, cùm alijs sacerdotum collegijs legatur adiecisse aliquot sacerdotes, ut auguribus & Pontificibus. Fuisse verò Ciceronis ætate XV. viros ex IV. Cœlij ad Ciceronem epistola intelligi potest, in qua ipse ad Ciceronem scribit: P. Dolabellam populi suffragijs factum XV. virum. Tranquillus quoque in Cæsare: Proximo autem Senatu percrebuit fama. L. Cottam XV. virum sententiam dicturum, ut, quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos nisi à Rege non posse vinci, Cæsar rex appellaretur. Quòd verò Decemviri sacrorum adhuc essent eo anno, quô Capitolium crematum est, ex verbis Dionysij libro IV. intelligitur. Qui ait: libros Sibyllinos, qui adhuc à X. viris servabantur incendio Capitolij fuisse crematos, quod anno ante Sullæ dictaturam conflagravit. De XV. viris ita scribit libro XI. Tacitus: Ludis secularibus Domitiani intentus affui, sacerdotio XV. vitali præditus, ac tum Prætor, quod non jactantia refero, sed quia collegio XV. virum antiquitus ea cura, & magistratus potissimùm exequebantur officia cærimoniarum. Et Servius interpretans illud Virgilij.

— — Lectosq; sacrabo,
Alma viros — —

ait sic: Primo fuerunt duo librorum Sibyllinorum custodes, inde X. inde XV. usque ad tempora Syllana: post crevit numerus usque ad LX. Sed remansit XV. virum vocabulum. Post Sullam idem sacerdotium mansit usque ad Theodosij tempora, quibus cum cæteris veteris superstitionis sacris abrogatum est. Porro autem ex eo epistolæ Cœlij loco, quem citavi, colligi potest, populi suffragijs

Sacerdotes hujus collegij aliquando creatos, idque per legem Domitiam. Nam quod à collegijs ante eam legem cooptarentur, passim in Livij historia legitur, ubi de suffectis in demortuorum locum Sacerdotibus loquitur. Horum munus erat libros Sibyllinos custodire, quum ex SCto adeundi essent, adire, & quæ legissent, Senatui renuntiare, & ea S. C. decreta procurare, ludos seculares celebrare, & postremò omnia peragere, quæ Sibyllinorum carminum jussu facienda erant. De his frequens mentio est in vetustis monumentis sic.

HERCULI INVICTO
M. CASSIVS
HORTENSIVS
PAVLINVS PR. VRB.
XV. VIR. SACRIS
FACIVNDIS
DONUM DEDIT.

AURELIO VICTORI.
XV. VIR. SACR. FAC.
LEG. AVGG. PRO. PR.
PROV. PAN. INF.
PATRON. R. P. H. V.
D. D.

Item

IVNIO. POSTVMIANO. V. C. P. P. DEI. SOLIS. INVICTI. MITHRÆ. XV. VIRO. S. F. PONTIFICI. DEI. SOLIS. ORDO. SACERDOTVM. MAGISTRO. SVO. CVRANTE. EI. DEDICANTE. FLAVIO. HERCVLEO. VIRO. RELIGIOSISSIMO.

Item

PHOSPHORII.

LUCIO. AURELIO. AVIANIO. SYMMACHO. V. C. PRÆFECTO. URBI. CONSVLI. PRO. PRÆFECTIS. PRÆTORIO. IN. VRBE. ROMA. FINITIMISQVE. PROVINCIIS. PRÆFECTO. ANNONÆ. URBIS. ROMÆ. PONTIFICI. MAIORI. QVINDECEMVIRO. S. F. MULTIS. LEGATIONIBVS. PRO. AMPLISSIMI. ORDINIS. DESIDERIIS. APUD. DIVOS. PRINCIPES. FVN-

FUNCTO. QVI. PRIMVS. IN. SENATV. SENTENTIAM. ROGARI. SOLITVS. AVTORITATE. PRVDENTIA. ATQVE. ELOQVENTIA. PRO. DIGNITATE. TANTI. ORDINIS MAGNITVDINEM. LOCI. EIVS. IMPLEVERIT. AVRO. INLVSTREM. STATVAM. QVAM. A. DOMINIS. AVGVSTIS. NOSTRIS. SENATVS. AMPLISSIMVS. DECRETIS. FREQVENTIBVS. IN PETRABIT. IDEM. TRIVMPHATORES. PRINCIPES. NOSTRI. CONSTITVI. ADPOSITA. ORATIONE. JVSSERVNT. QVÆ. MERITORVM. EIVS. ORDINEM. AC. SERIEM. CONTINERET. QVORVM. PERENNE. JVDICIVM. TANTO. MVNERI. HOC. QVOQVE ADDIDIT. VT. ALTERAM. STATVAM. PARI. SPLENDORE. ETIAM. APVD. CONSTANTINOPOLIM. CONLOCARET.

In Siniſtro baſis latere

DEDICATA. III. KAL. MAIAS.
D. N. GRATIANO. IV. ET. MEROBAVDE. COS.

Porrò autem, ut ad libros Sibyllinos redeamus, perdurârunt hi libri uſque ad belli Marſici, ſive ſocialis tempora. Quibus Olympiade CLXXIII. C. Norbano, & P. Scipione COS. incensô Capitoliô ſive ex inſidijs (ut quidam exiſtimant) ſive caſu, ſimul cum alijs ſacris Sibyllina etiam carmina incendiô conſumpta ſunt. Reſtitutô verò à L. Cornelio Sulla Felice Dictatore Capitoliô, & à Q. Catulo templô Jovis Capitolini dedicatô, ut Feneſtella diligentiſſimus ſcriptor in libro, quem de XV. viris edidit, refert, C. Scribonius Curio: & Cn. Octavius eos ad Senatum retulerunt, ut legati Erythreas, & ad certa Italiæ, Græciæ, & Aſiæ oppida mitterentur, qui carmina Sibyllarum, & præſertim Erythreæ conquiſita Romam deportarent. Itaque miſſos eſſe ſcribit P. Gabinium, M. Otacilium Craſſum, & L. Valerium Flaccum. Hi ex omnibus civitatibus, quùm Italicis, tum Græcis, & præcipuè ex Erythris circa mille verſus à privatis deſcriptos collegerunt, Romamque cum cu-

ſuſque Sibyllæ nomine deportarunt. Hæc eadem Varro refert. Quibus carminibus ab hominibus rudibus transſcriptis multa ſuperflua inſerta inventa ſunt, in alijs vero mutila quædam aut depravata: quare ut ipſorum carminum ſincerior lectio eſſet, datum eſt negocium XV. Viris S. F. quorum judiciô ac cenſurâ hi verſus corrigerenture eaq; mendis omnibus ſententijſque ſuperfluis ademtis componerent, quod ab ijs accuratiſſimè factum eſt. Hi autem poſteriores libri non unius Sibyllæ carmina putanda ſunt, ut priores; ſed plurium, quamquam unius ſemper Cumanæ, vel Cumææ nomine appellati ſunt. Quod etiam Dionyſius libro IV. Lactantius libro I. & alij plerique docent. Tacitus quoque idem ſignificat, quum ait: Quum eo tempore multa vana carmina nomine Sibyllarum circumferrentur, Tiberius juſſit conquiſita Samo, Erythris Ilio, Africa, & per Italicas colonias carmina intra certum diem ad Præfectum urbis L. Piſonem adferri, & judicium cenſuramque XV. virorum adhiberi, ne haberi privatim liceret, quod jam à Majoribus erat cautum. Libros autem Sibyllinos uſq; ad Honorij & Theodoſij Iunioris Imperatorum tempora Romæ perduraſſe, conſtat. Quibus FL. Stilico Imperatoris Honorij ſocer, quum ab eo defectionem moliretur, filioque ſuo Eucherio imperium comparare ſtuderet, concitaturus in generum Imperatorem ſeditionem, verſus omnes Sibyllinos cremavit, cujus rei meminit ita Rutilius Claudius Numantianus itinerario ſecundo.

Nec tantum Geticis graſſatus proditor armis
Ante Sibyllinæ fata cremavit opis

Vel ut alibi legitur:

Ne tantum patriis ſæviret proditor armis
Sancta Sibyllinæ fata cremavit opus

Quare cum Sibyllinorum Oraculorum interitu XV. virorum quoque ſacerdotium ſublatum eſt. Atque hæc ſunt, quæ tàm de Sibyllis, quàm Oraculis Sibyllinis & XV. viris ſacris faciundis apud veteres auctores extare didicerim. Sed antequam operi extremam manum imponam, non alienum erit hoc loco referre, quæ Iuſtinus de antro Sibyllæ Cumanæ vel Cumææ tradit, quod Puteolis ſe vidiſſe ſcribit. Ipſe enim in libro ad gentes admonitorio narrat: quum Cumas Campaniæ animi gratia aliquando petijſſet, non longè à Baijs Sibyllæ domicilium ſe vidiſſe, id erat maxima Baſilica tota in-

ta in lapide incisa, opus quidem eximium & omni admiratione dignum, ubi Sibyllam olim oracula edere solitam fuisse incolæ referebant, idque se à majoribus suis accepisse testificabantur: Ostendebanturque (ut ille ait) adhuc vasa tria in templi medio in eodem lapide incisa, quibus aquâ repletis lavabatur, acceptáque stolâ in abditissimam ejus templi partem in eodem lapide fabrefactam sese includens thronoque sive altâ sede in eodem lapide excavatâ considens oracula reddebat. Templum hoc usque ad nostram ætatem perduravit. Anno enim salutis MDXXXIX. terræ motu ingenti Campania terra quassata, Puteolis minutissimo pulvere cinereque è mari surgente totum coopertum est, collisque satis editus enatus est, ubi olim celeberrimum Sibyllæ fanum fuerat. Mihi autem Puteolos Baiasque anno domini MDXLIIX. profectò accolæ, quos regionis peritos mercede coduxeram, & templi locum, & formam, & ea omnia fuisse narrabant, quæ Iustinus mille trecentis annis ante se vidisse scriptum reliquit, antequam arcanum id templumque ingens terræ motus vi terrâ obrutum esset.

Huic Tractatui subjungenda est

PRÆFATIO MARCI ANTIMACHI IN SIBYLLINA ORACULA.

Quæ ita se habet,

SI Græcorum scriptorum lectio multam affert utilitatem, quippe quòd multarum rerum peritos efficiat eos, qui circa ea elaborant: multò magis convenit, eos qui sapiunt assiduam operam navare divinis litteris, in quibus de Deo, & de ijs, quæ ad hominis salutem pertineant, agatur: cùm hinc geminum lucrum consequantur, quô & se ipsos & alios juvare possunt. Hac de causa visum est mihi de Sibyllinis Oraculis (in quibus ea quæ dixi continentur) summatim & in universum differere (quoniam ea alio-

qui

qui sparsa extant, atque confusa) ut lectoribus ad intelligendum faciliora sint, atque ita faciliorem eis utilitatem pariant: declarant enim non pauca necessaria atque utilia & excellentius magisque varium opus efficiunt. Nam & de Patre, Filio & Spiritu Sancto (quæ divina est Autorque vitæ Trinitas) apertè loquuntur, itemque de acta in carne vita domini Deique & Servatoris nostri Iesu Christi, videlicet de ejus ex alma virgine generatione, de morborum sanationibus, itemque de vivifico ejus supplicio, de resurrectione à mortuis post triduum, & de futuro judicio, ac remuneratione eorum, quæ nostrum quisque fecerit in hac vita. Præterea, quæ in Mosaicis scriptis vatumque libris habentur, deque mundi creatione: hominis formatione, & ex paradiso ejectione, & porro recreatione: ex his, inquam, rebus explicatè scribitur in his oraculis, in iisque & præterita dicuntur, & futura variè prænunciantur, atque ut simpliciter dicam, lectores non parum juvare possunt. FVERVNT antè Sibyllæ (ut multi scripserunt) diversis & locis & temporibus, numero decem: estque hujus vocis ea notio, ut sit idem Sibylla, quod vates, unde uno nomine fœminæ vates appellatæ sunt. Prima fuit Chaldea, sive Persica, quæ proprio nomine Sambethia est nuncupatà, de genere beati Noe: quæ quidem Alexandri Macedonis gesta prædixisse fertur: facitque ejus mentionem Nicanor, qui vitam conscripsit Alexandri. Secunda Sibylla fuit Libyssa, cujus meminit Euripides in Prologo Lamiæ. Tertia, Delphica, quæ Delphis nata est: de qua locutus est Chrysippus in libro de Divinitate. Quarta fuit Italica in finibus Italiæ: cujus filius fuit Evander, is qui Romæ Panis fanum Lupercum appellatum condidit. Quinta, Erythræa, ea quæ Trojanum bellum prædixit, de qua Apollodorus Erythreus asseverat. Sexta, Samia, quæ proprio nomine vocatur Phytó, de qua scripsit Eratosthenes. Septima, Cumæa quæ dicitur Amalthea, eademque Erophila, à nonnulis Taraxandra. Virgilius Cumæam Deiphoben appellat, Glauci filiam. Octava, Hellospontia, nata in pago Marmiso, apud oppidulum Gergitium: quod fuit olim in finibus Troadis, temporibus Salonis & Cyri, sicuti scripsit Heraclides Ponticus. Nona, Phrygia: Decima Tiburtina, nomine Albunæa. Tradunt, Cumæam attulisse oraculum suorum libros novem Tarquinio Prisco, qui tum Romæ regnabat, & pro ijs trecen-

tos

tos Philippeos petijsse. Cumque contempta fuisset, & ne quidem interrogata, quænam essent, quæ in illis continerentur, cremavit igni tres ex illis libris. Ac rursus in alio congressu Regi sex libros obtulit, idem pretium postulans. Cumque rursum despectui habita fuisset, combussit alios tres. Deinde tertiò reliquos tres afferens, Regem adit, idem pretium petens; seque eos quoque crematuram dicens, nisi ille emisset. Tunc Rex illos legit: & admiratus, dedit pro eis centum philippeos, eosque abstulit. Interrogavit etiam de alijs, illa renunciavit: se neque habere similes eorum, qui combusti fuissent, neque quicquam earum rerum scire sine divina permotione: nonnunquam etiam nonnulles ex diversis urbibus & locis excepisse, quæ ipsis necessaria & conducibilia videbantur, ea esse colligenda, id quod etiam quàm primum factum est. Quod enim verè divinitus datum erat, id in abdito positum non latuit. Omnium autem Sibyllarum libri repositi fuerunt in Capitolio priscæ Romæ, Cumææ Sibyllæ libris abditis, nec in vulgus prolatis: quoniam quæ in Italia eventura forent, ea ibi magis propriè & apertè efferrentur. Ali fuerunt omnibus cogniti, Sed qui Erythrææ inscribuntur, habent hoc à loco nomen, à quo loco fuit ipsa nuncupata. Alij titulum auctoris non habent, sed indistincti sunt. Firmianus quidem, qui fuit non vulgaris Philosophus & sacerdos illius quod dixi Capitolij, in Christum æternum Lumen nostrum intuitus in suis operibus exposuit Sibyllarum dicta de ineffabili gloria: errorisque Græci imperitiam validè confutavit, oratione Latina ille quidem, sed Sibyllinis versibus Græca lingua citatis. Ac ne cui hoc falsum videatur, ejus testimonium adducam, quod sic habet: Enimvero quæ apud nos extant Sibyllina, ea non solum tanquam vilia contemnuntur ab ijs, qui Græca supra modum suspiciunt: quoniam quæ rara sunt, preciosa videntur; verùm etiam quia non omnes versus retinent numerorum exactos modos, minus fidei inveniunt. In causa sunt notarij, qui sermonis rapiditatem assequi nequiverint, aut etiam indocti fuerint: non ipsius vatis, cujus unà cum inspiratione cessaret effatorum recordatio. Atque hanc ob causam dixit Plato: Vates multas magnásque res componere, nihil scientis eorum, quæ dicant.

Nos igitur ex ijs quæ Romam à Legatis allata sunt, quæ poterimus adducemus. Igitur de Deo, qui principio careat, sic effata est.

Additur

JUDICIUM ANTONII POSSEVINI DE LIBRIS SIBYLLINIS, QUI HODIE EXTANT,

E

TOMO. II. APPARATUS.

Fol. 400. & 401.

Sibyllarum, quas Chaldæi *Sambethas*, Græci & Latini Sibyllas Æolico more appellârunt, quæ quidem decem numerantur, Carmina, ortus, qualitas, fides, à plerisque tum antiquis tum recentibus allata sunt. Inter antiquos fuere *Clemens Alexandrinus*, qui Paulum Apostolum scribit monuisse Gentiles, *ut Sibyllarum Oracula legerent.* Theophilus Antiochenus, (si tamen Theophilus ille unquam de Sibyllis scripsit) Athenagoras, Iustinus Martyr, Eusebius, Lactantius Firmianus, Constantinus Magnus, Augustinus, ne quid dicam de Pausania, Suida, & istiusmodi alijs. Inter recentiores fuerunt *Onufrius Panvinius*, *Gilbertus Genebrardus in sua Chronographia*, *Sixtus Senensis in 2. libr. suæ Bibliothecæ Margarinus Bignæus Tom. 8. Bibl. PP. Parisiis, secundo edita*, *Galarsa Cauriensis Episcopus* in Institutionibus ad Evangelia. Tacco editionem eorundem Sibyllinorum Oraculorum *anno 1545.* emissam sine distinctione secundi libri à primo. Adderem *Joannem Opsopæum*, cujus nomine Sibyllina Oracula Græcolatina cum Notis ipsius Parisijs (ni falsa sit inscriptio loci, & Typographorum) *anno. 1599.* apud societatem Typographicam prodierunt, nisi & ipse *Opsopæus* inter primæ Classis hæreticos prohibitus esset, & Sibyllina Oracula cum falsorum Deorum mendacijs, quæ illic *Oracula* more ethnicorum, *vocavit*, conjunxisset, nempè Iovis, Appollinis, Mercurij, Hecatis, Serapidis, Æsculapij, & aliorum, Chaldaica item, & magica. Cum expedivisset, pauca de multis certiora è patribus secernere, & ad hæc Notas sivè Paraphrasin adijcere, qualem vel Constantinus Magnus de Sibylla Cumæa à *Virgilio* citata vel *Lactantius Firmianus*, vel *Augustinus*

gustinus de Acrostichide à Cicerone allata protulerunt. Quod quidem consilium susceptum iri ab aliquo docto & Catholico viro confido, cùm etiam tunc approbatus hujusmodi labor à S. Sede Apostolica usui poterit esse in aliquibus Scholis. Vbi puerorum ingenia solidâ doctrinâ excitentur ad Christianam fidem fovendam, & optimis moribus in rem conferendam. Nos præter illa, quæ in nostra Bibliotheca selecta de Sibyllis indicavimus, addimus Sibyllina Carmina, quæ latebant in templo Apollinis Palatini, à Stilichone in opus incumbente succensa fuisse *anno. Dom. 399.* Anastasij autem Papæ. 112. quòd in Sibyllinis libris crederentur fatalia urbis inesse præscripta.

E Patribus verò & reliquis Ecclesiasticis Scriptoribus nullam Sibyllam Moyse fuisse priorem, ut intelligatur, si quid in Oraculorum Sibyllarum nomine evulgatorum & octo libris comprehensorum reperiatur, quod Moysis ætatem antecesserit, id commentitium & falsum fuisse, nimirum à Satana invectum, ut veritati immixta falsitas eandem veritatem aliorum temporum suspectam redderet. Quale illud *lib. 3. pag. 236.* quod Sibyllæ de Moyse vaticinanti, & diluvium prædicenti tribuitur. *libr. 3. pag. 236.* quale item *quod pag. 183.* cum ibidem scriptum sit, se ipsam Sibyllam unà cum sua conjuge, Socero, Socru, *Leviribus*, & alijs in undis tempore diluvij fuisse jactatum. Atqui & hæc ipsa, quæ sub nomine Oraculorum prolata sunt in lucem, patet ipsa *pagina. 261.* fuisse conscripta mille quingentis annis pòst Græcorum Imperium, cujus initium sive ab Argivorum sive ab Sicyoniorum sive ab Atheniensium Regno de Moyse, de Regno Salomonis, de Imperio Macedonum, de quatuor Monarchijs, sumatur, vana erunt, atque post res gestas hæc, quæ vaticinia dicuntur. Minus quoque vera agnoscentur, si post Moysen Græcorum Regnum inceperit. Ab exitu enim Moysis, & Israelis in Ægypto usque ad eversionem administrationis, sive Reip. & Regni Iudæorum sub Vespasiano numerantur mille octoginta duo anni. Quid quod *lib. 5. pag. 332.* asserit Sibylla, se alterum incendium Ædis Vestalis vidisse. Hoc autem, *Eusebio in Chronicis teste*, contigit anno centesimo nonagesimo nono sub Imp. Commodo, tunc enim ea Ædes Vestalis, & Palatium, & plurima pars urbis conflagravit cum primum incendium acciderit Olympiade 134. quamobrem

brem non ante Christum natum; sed multò pòst talem vatem, (si vates dicenda sit) vaticinata est, neque verò ultra Commodum extenditur, quippe post Adrianum tres Imperatores (idest, Antonium Pium Antonium Philosophum, & Commodum, regnaturos dicit, *pag. 304. lib. 8.*

Præterea cum constet ex *Lactantii Firmiani libro primo capite sexto* singulas Sibyllas singulos libros scripsisse; verius tamen credi, quoniam Sibyllæ nomine circumferuntur, neque discerni, ac suum cuique propter confusionem assignari posse, nisi Erythrææ, quæ & nomen suum verum Carmini inseruit, & Erithræam se nominat. Erithrææ autem est is, qui in libris tertium locum tenet. Primi libri Auctor fecit se Nurum Noæ fuisse: secundum, & septimum adscribit sibi scortum impudicissimum pag. 360. cùm alioquin veræ Sibyllæ castæ, & Deo plenæ fuisse à certioribus Auctoribus ferantur. Quintum librum sibi vendicat Isidis soror. Cæteri sub incertis Auctoribus emissi sunt.

F I N I S.

SIBYLLINA ORACULA

DE

GRÆCO IN LATINUM CONVERSA, ET IN EADEM ANNOTATIONES.

Sebastiano Castalione interprete.

HELMESTADI

ANNO CIↃ IↃ C LXXIII.

SEBASTIANUS CASTALIO, Mauro Musæo Francisci Galliæ regis apud Helvetios legato. S.

Oses ille divinus Hebræorum legislator, rationem nobis, Maure Musæe, tradidit, qua veros vates à falsis dijudicare possimus. Si quis enim apud vos (inquit) aut vates extiterit, aut somniator, qui vobis signum aliquod aut prodigium edat, idque signum aut prodigium vobis ab illo prædictum evenerit: & tamen idem vos cohortetur ad deos alienos, vobisque ignotos, sequendos, colendosque, nolitote illius aut vatis orationi, aut somniatoris obtemperare somnio. Tentat enim vos Iôva Deus vester, ut discat an se toto pectore, totoque animo ametis. Ex his Mosis verbis perspicuum fit, eum qui & futura prędicat, & Deum colere, atque à falsorum deorum cultu abhorrere doceat, verum, afflatumque divinitus esse vatem. Quod si ea est Sibylla (cujus hęc nos oracula tractamus) ut & cùm de cæteris omnib. ferè rebus, tum de Christo (ad quem vaticinia omnia referri debent) ea prædixerit, quæ mirabiliter ad rem cecidere: & eadem Deum unum colere docuerit: dubitari profectò non potest, quin ea verè vates sit. Sed sunt nonnulli, quibus hæc oracula nimis aperta videantur, ideoque ficta putent ab aliquo Christiano ad pelliciendos gentiles ad Christum, & ad Christianis gratificandum. Alij, qui quamvis vera esse fateantur, negent tamen his egere Christianos, satis ad Christi cognitionem scriptis Hebræorum munitos. Contra quos mihi dicendum existimo. Igitur qui nimis aperta putant, faciunt arroganter sanè, qui

Deo

Deo vaticiniorum modum præscribant: quasi non ei liberum sit apertè, obscurè, apud gentes, apud Iudæos, futura suo arbitratu prædicere: aut quasi non extent sacris quoque literis prædictiones quædam clarissimæ, ut illius qui dicit fore quendam de stirpe Davidis, nomine Iosiam, qui sit ad aram Bethelensem sacerdotes ipsos immolaturus: ut Esaiæ, qui Cyrum multis antè annis nominavit, quàm natus est Cyrus: ut Danielis, qui mundi imperia sic descripsit, ut ex re gesta vaticinium sumpsisse videatur: & cætera hujusmodi, quæ sunt plurima. Sed fateamur sanè, Sibyllina oracula esse clariora. Nonne quæ de Christo gentilib. prædicta sunt, ea clariora esse oportuit, quòd Mose, & cæterâ disciplinâ carebant, quæ eis ad Christi lumen quasi præluceret: ut quod hic deerat, id oraculorum perspicuitate compensaretur? Quanquam non debemus oracula ex ea, quæ nunc est, luce existimare. Nam quæ nobis post res gestas notissima sunt, ea cum futura prędicererentur, erant obscurissima. Maria, Gabriel, Bethlehem, cum nominantur, omnes quid sit intelligunt. At cum hæc tot antè seculis in Gręcia à Sibylla dicerentur, quis posset conijcere, quid ea sibi vellent? Adde quod Deus, qui fuit horum tam clarorum autor oraculorum, idem voluit etiam ea multis latêre seculis, nec in vulgi venire manus: sed à paucissimis legi: quod perinde fuit, ac si essent obscurissima. Quod si hęc ficta sunt, quando tandem ficta sunt? Ante Christi tempora? an post? Si antè, vera sunt oracula. Pòst ficta esse quî possunt? cum multis autorum tęstimonijs constet, ea Romę asservata esse usque à Tarquinii Prisci temporibus? semperque Romanos magnis in rebus solitos adire libros Sibyllinos? At dicet aliquis, in eis oracula fuisse de Romanis: sed de Christo non item. O tergiversationem! Cur minus enim de Christo, quam de Romanis? cujus imperium & majus est, & in florentissima Romanorum tempora incidit. Quid si validis testimoniis planum facio illic oracula fuisse de Christo? Est apud Ciceronem in secundo de Divinatione libro.

bro, disputatio de carmine Sibyllino, in qua mentio fit de rege appellando, & de illa Acrostichide: quem locum in Annotationibus paulo copiosius explicaturi sumus. Atqui extat Acrostichis, in qua est, IESVS CHRISTVS DEI FILIVS SERVATOR, qui in eadem Rex appellatur: de qua loqui mihi videtur Cicero. Quid de Virgilio dicam? qui Eclogam quartam sumpsit ex carmine Cumææ Sibyllæ (testatur enim se ea dicere de ultima Cumæi carminis ætate) quæ Sibylla fuisse videtur eadem quæ & Erythræa & Persica dicta est, quemadmodum sumus in Annotationibus ostensuri: cujus sunt ea, quæ hic in manibus habemus oracula. Atqui in ea Ecloga ea dicuntur, quæ non nisi de Christo dici possunt. An videlicet ea dicebat Virgilius, de nescio quo Pollionis filio, quæ ne de Cæsare quidem (quantumvis assentando) dicere auderet? præsertim cum Pollionis filium nusquam nominet? neque felicitatem illam Pollione patre venturam dicat, sed Consule? Sed esto sanè, dixerit illa de Pollionis filio: nesciebat enim de quo scripta essent. At Sibylla de Christo dixerat, quemadmodum nunc editis his oraculis patet, in quib. videre licet (si quis diligenter legat) quid ex quoque loco sumpserit Virgilius. Ex quo perspicuum fit, ante Christi ætatem fuisse Romæ de ipso oracula. Quæ cum ita sint, non video quod nam supersit illis effugium, nisi si hoc dicent: fuisse quidem Romæ vera de Christo vaticinia Sibyllæ, sed ea intercidisse: hæc autem, quę modò prodierunt, esse suppositia. Vtrum tandem facilius fuit: fingere quæ non extarent? an invenire quæ extarent? Aut si hęc subdititia sunt, cur non idem de sacris omnibus profanisque literis dicitur? an est enim in illis omnibus quicquam magis sui autoris proprium, quā hîc omnia Sibyllæ congruunt? At serius prodierunt Sibyllæ. Credo, & quidem quotidie veteres publicantur libri, quos non ideo fictos dicimus, quòd diutius latuerunt. Adeóne verò facile est tale quid ita fingere, ut nusquam appareat fucus? Age, interciderunt multi tum Græcorum, tum Latinorum autorum

rum libri. Fingant omnes docti aliquem illorum, si possunt; & autores mentiantur antiquos. Scribant Menandri comoedias, aut Ciceronis de Republica libros, aut aliquid tale, quod pro vetere emittant. Dicam amplius: Convertit in latinum sermonem Cicero duas orationes græcas, Æschinis & Demosthenis, quæ versio interijt, græcis adhuc extantibus. Convertant eas iterum, si possunt, ita, ut ipsius Ciceronis interpretatio esse videatur. Quod si non modò hoc, sed nec locos in Ciceronis operibus depravatos probabiliter emendare, aut supplere possunt, cùm tamen tot homines docti tamdiu in eam rem summis studijs elaborent: quid fieri posse censemus in oraculis Sibyllæ? in quibus etiam intelligendis multum sudandum nobis est? quorum ea majestas orationis, atque ornatus est, ut etiamsi res in promptu foret, tamen vix aut ne vix quidem inveniri posset, qui orationem tàm feliciter componeret: rursum tanta rerum diversitas, copia, in nonnullis etiam obscuritas est, ut si nullus eloquendi labor sit, nemo tamen tàm multa discere, & ea sic effari possit, ut non appareat facile mendacium. Oportet enim eum qui hoc præstiturus sit, omnia didicisse, omnesque autores, qui de Sibyllis aliquid dixerunt, diligenter evolvisse, ut probabiliter mentiri possit: adeò ut non paulò facilius esse ducam vaticinari, quam talia fingere vaticinia. Præterea cur hic tam multi sunt depravati loci? tàm multi ex quibus nulla potest elici sententia? tàm multi mutilati, perturbati, confusi? quæ omnia sunt corrupti vetustate libri argumenta. Cur etiam quæ à Lactantio & Theophilo citantur, alicubi aliter hic quàm apud illos leguntur? Cur qui finxit, non illinc sumpsit, quæ inde peti poterant? An hoc fecit, ut nobis suum probaret mendacium? Potestné mendacium probabilius esse, quàm verum? O magna vis veritatis. Potestné aliquid esse in veris oraculis, quod non sit in his? Quod si est, aut hæc vera esse fateamur, aut omnia quæ usquam sunt, scripta in dubium vocemus. Quando autem post Lactantium fingi potuerunt? nam

ante Lactantium ficta nemo dicet, cum ea ille Romæ legerit; ubi admitti ficta nunquam potuissent. Ficta sunt credo, per illa tam barbara secula, quibus græcæ linguæ elementa novisse pro miraculo habebatur: cum ea, si fingi potuissent, non nisi à doctissimo potuissent. Quid igitur? An ficta sunt paulo supra nostram ætatem? cum literæ in Italia à Valla, Sipontino, Politiano, Pico, Gaza, & cæteris excitatæ sunt? Cur non statim edebantur? cur nunc demum prodierunt? Quid si planum facio testibus fide dignis, vetusta esse hæc? an dicent testes esse falsos? Sed refellant eos, si possunt: ego tamen citabo. Volo enim ut intelligant homines, undénam hæc oracula prodierint, & ubi manu scripta extent. Nam & ipse principiò hoc scire cupii, & in non paucos incidi, qui eadem interrogarent. Igitur cum super hac re scripsissem ad Xystum Betuleium, qui apud Augustam Vindelicorum bonas literas docet, cujusque opera pervenit Sibyllæ græcum exemplar ad Ioannem Oporinum, à quo impressum est, rescripsit ille mihi in hæc verba. Quæris ubi nactus sim exemplum. nactus sum in bibliotheca nostra, inter libros nuperà magistratu nostro Venetiis à Græco quodam emptos. Archetypus (unde sedulò transcribi curavi) recens est: eleganter quidem, & splendidè, sed (ut vides) parum orthographicè scriptus. nam contuli religiose: nolui tamen quicquam in his temerè agere. Sed malui vel mendosum in lucem edere, & medicis submittere manibus, quàm committere ut diutius lateat. Hæc ille. Præterea est Ferrariæ in Italia M. Antonius Antimachus, vir raræ doctrinæ, qui vetus habet exemplar, quod cum hoc, quod ab Oporino excusum est, contulit, & emendationem (nam multos locos ex collatione correxit) Oporino misit: quâ ego in transferendo usus sum. Habet & aliud exemplar (sicuti nos ex amico quodam fidelissimo intelleximus) quidam nomine Ranconetus in Gallia: qui tibi, Maure Musæe, notus est: qui vellem imitaretur Antimachum, impressumque exemplar cum suo conferret, & Oporino mitteret

teret emendationem. Atque hos ego testes fide dignos ex tribus diversis terrarum regionibus produco, eosque (ut spero) adhuc viventes: quos, si mentirer, mei mendacii testes adhibere neque possem, neque vellem. Et fortasse noluerint se nominari. Sed quemadmodum si litigarem, eis testimonium denunciarem, quibus nota res esset: ita hic eorum uti testimonio non dubitavi, præsertim in re non parum ad exemplum pertinente. Iam verò qui negant opus esse Sibyllinis, quoniam extent hebraica, ineptè faciunt. Quid enim tam absurdum est, quàm in philosophia, in grammaticis, in arte dicendi, in poetica, nulla posse librorum multitudine satiari: in vaticiniis de Servatore nostro tam citò nauseare? Ego verò & Balaami, & Sibyllarum, & Josephi de Christo testimoniis non mediocriter delector, putoque his non solum Christianos confirmari, sed etiam externos allici posse, atque convinci tanquam productis ex ipsorum intimo penetrali testibus. Hæc igitur oracula Sibyllæ (quæ sicuti satis ostendimus, & sicut omnes æqui judices facilè confitebuntur, vera sunt) à nobis in latinũ sermonem conversa, tibi, optime Maure, dedicare visum est, cùm ob tuam singularem erga omnes pios & literatos, & erga me benevolentiam, & liberalitatem: tum quia hoc studiorum genus non solùm foves, sed tractas & ipse non infeliciter. Secutus sum autem eam in vertendo rationem, ut sententiæ nihil neque adderem, neque detraherem: adeò ut si oratione solutâ vertissem, magis sententiam exprimere vix potuerim. Memineram enim, si verbis ludendum est, alibi ludere fas esse: in hoc quidem scripti genere, ut sacro, religiosè incedendum esse. Itaque malui alicubi durior esse, quàm verbis longius efferri. Sed scito in hoc libro (sicut in tàm veteri, totque seculis abdito fuit accidere necesse) multos esse locos corruptos, multos mutilos, multos confusos & perturbatos, adeò ut in vertendo plerunque non haberem quod sequerer, vidererque mihi

verè

vere Sibyllæ folia tractare. Igitur quos potui locos emendavi: fuerunt autem non pauci, qui cum iterum græcè edentur, Deo volente, ostendentur. Quos autem corrigere non potui, hos si quo constabant verborum ordine grammaticô, penè ad verbum verti, ideoque durius, ut libera sit in latino quoque conjectura. Confusa & obscura, sicut erant, reliqui. In quibus autem neque verba neque sententiæ constabant, ea aut oratione soluta reddidi ad verbum: aut etiam græca reliqui, donec emendatius inveniatur exemplar: quemadmodum qui in nocte ambulant, suspendunt gressum, donec viam exorta luce videant. Ergo inter legendum cum ea occurrent, quæ non intelligentur: aut cum ea legentur, in quibus tibi à gallo ad asinum (ut habet gallicum proverbium) salire videaris, noli in me culpam rejicere, qui interpres cum sim, ea reddo quæ scripta sunt, & quæ possunt intelligi; sed in vetustatem, quæ juvante barbarie, corrumpit omnia. Verùm fingito, ea sola quæ incorrupta sunt (quæ sanè & plurima sunt, & optima) hic inesse: & his ea compensato, quæ sunt vitiata: ita fiet, ut nihil habeas nisi integrum. Cæterùm de genere Sibyllæ (nam & hoc fortassis expectes) cognosces ipse in ea legenda, & nos in Annotationibus non nihil dicemus. Scripsimus enim Annotationes, quibus nonnullos locos aperiremus: quæ si videbuntur jeiuniores, & pauciores, memineris nos neque ea quæ facilia sunt, debuisse: neque ea quæ non intelligimus, explicare potuisse. Interea boni consule hoc, & tuæ erga me, beneficentiæ, & meæ erga te benevolentiæ monimentum: & hoc cœlestium musarum studium, ut ingenio & nomine tuo dignum est (Musæus enim vocaris) fovere & defendere persevera. Vale: Basileæ, mense Maio. Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo sexto.

SIBYLLINORVM ORACVLORVM

LIBER PRIMVS

VNus, qui solus regnat Deus, unus, & idem
Non genitus: rerum summus, super omnia magnus,
Qui cælum, Solem, Stellas, Lunamq; creavit,
Frugiferam terram, pontique fluenta tumentis:
Qui solus Deus est, incomprensusq; creator.
Hic hominum formam & speciem construxit, & idem
Viventum generis naturam temperat omnem.

EX LIBRO PRIMO.

AGgredior primo generis mortalis ab avo,
Vsque ad supremum divinè pandere cuncta.
Quæ fuerint mundo, quæ sint, quæ deinde sequantur.
Ob scelus humanum. Primum quænam sit origo
Mundi, dicere me Deus imperat. Ergo scienter
Ne mea mortalis temnas præcepta caveto.
** Supremum regem, qui mundum condidit omnem,* Mundi creatio.
Sic fatus, fiat: factumque est. namque locavit
Tellurem circum nigra tartara, dulceq; lumen
Edidit, & cælum partes evexit in altas:
Et mare cæruleum explicuit: cælumq; renidens
Astrorum clara cinxit, densaq; corona,
Et terram ornavit plantis: & flumina ponto
Indidit infundens: & miscuit aëre ventos,
Et pluvias nubes. Aliud genus edidit inde,
Et commisit aquis pisces, ventisq; volucres,
Atque feras sylvis hirsutas, atque dracones
Serpentes: breviter, quæ nunc cernuntur ubique,
Hæc fecit verbo, & sunt protinus omnia facta,
Et planè: siquidem per se parit ipse sua vi,

1 *Cœlum despiciens. perfecto denique mundo,*
Homo. *Rursum finxit opus spirabile. namq; recentem*
Expressit, propria ducens ab imagine, pulchrum,
Præstantemque virum, & viridaria jussit amœna,
Incolere, ut studiis operam navaret honestis.
Verùm cum solus viridantibus esset in hortis,
Colloquium optabat, proprióque videre volebat.
Consimiles vultus igitur Deus ipsius. eius
Ereptam lateri, formosam condidit Evam:
Vxoremq; viro propriam coniunxit, ut unà
Degeret. hanc simul ac vidit, propriaq; notavit
Exemplar forma, stupuit simul, atque recentem
Hausit laticiam: tum doctè farier infit,
Verbis sponte sua manantibus, omnia quando
Desunt Adami verba. *Curabat Deus:*

Nam neque tum mentem vultu simulante tegebant,
Nec pudor ullus erat: sed prava mente carebant,
Luce palàm vulgo coeuntes, more ferarum.
Serpens. *Illis deinde Deus tradens præcepta, cavendum*
Arboris ostendit gustu: sed pessimus illos
Decepit vafrè serpens, ut mortis abirent
In fatum, scirentque bonumque, malumque quid esset.
Sed mulier primò proditrix extitit illi,
Quæ dedit, ignaroque rei peccare suasit.
Ille quidem audita persuasus coniuge, patrem
Aeternum oblitus, sprevit clarissima iussa.
Hoc ergo peperere sibi mala, non bona, facto.
Ac tum mellita ficus foliis contextis
Vestes fecerunt, quibus obtexere pudenda
Impositis inter sese, cogente pudore.
At pater æternus facto succensuit illo,
Deiecitq; loco immortali: quatinus æquum
Degere mortali fuit in regione, rebelles

Contra

Contra immortalis magni præcepta parentis.
Qui simul egressi terram tetigere parentem,
Et gemitu, & lachrymis perfundebantur. & inde
Immortalis eos Deus est affarier orsus:
Crescite multiplici numero, terrámque per artem
Exercete, cibos alimentaque desudantes.
Sic ait, & fraudis serpentem qui fuit autor,
In latus & ventrem, terram calcare coegit,
Acriter exactum: capitaléque conciliavit
Inter eos odium quare hic caput, ille tuetur
Calcem, quandoquidem mortis discrimen utrosque
Vrget, mortalesq́, veneniferosq́ malignos.
Tum genus humanum, sicut mandaverat ipse
Omnipotens magno numero crescebat, & amplus Rerum inventores.
Fiebat populus. tunc scitè tecta, domosque
Diversas alii cœperunt ædificare.
Vrbes, & muros alii, queis longa dabantur
Tempora vivendi: nec enim tum sollicitudo
Mortem conflabat: placidoque simillima somno
Mors obrepebat. fœlices, magnanimique,
Quos Deus æternus rex, & servator amavit.
Sed tamen hos etiam peccandi amentia cepit.
Ridebant patres, & matres dedecorabant
Turpiter, & notos non nôrant, fratribus ipsis
Insidiabantur, perversi, sanguine pleni
Humano, neque non crudelia bella gerebant.
Exitium sed idem divinitus abstulit illos
De cœlo tactos, aut dura morte peremptos,
Quos Orcus capit, qui Graiis nomine dictus
Est ᾅδης, quod eò primus descenderit Adam 2
Vita defunctus quando est tellure repôstus.
Hinc homines quotquot fuerint telluris alumni,
Infernas Orci sedes dicuntur adire.

Et tamen hi (quamvis omnes acceperit Orcus)
Ad primos primi generis referantur honores.
Secunda aetas. *His terra tectis, hominum genus inde secundum*
Extitit ex reliquis, cui non certaverit ullum
Iustitia: fuit his, diversis cura studere
Rebus & egregiis studiis, pulchroque pudori,
Et disciplinis variis, artesque colebant
Omne genus, mentis quas extundebat acumen.
Hic terram docuit colere: ille fabrilia primus
Invenit: quidam torrentia flumina tranat.
Sidera suspectant alij, volucrumque feruntur
Auguriis: alij medicam, magicámve sequuntur,
Quisque suo indulgens studio, curaque: vocati
Ritè repertores vigiles. hoc nomen adepti,
Mentis inexhaustae quòd erant, & mole stupenda
Membrorum, facie proceraque, horribilisque.
Hi quoque tartareas aedes subiere tremendas,
Infractis vinclis servati, suppliciumque
Ignis inextincti iussi perferre gehennae.
Tertia aetas *Tertia stirps hominum post illos deinde secuta est,*
Saevior, & fastu nimium tumefacta superbo:
Qui mala multa sibi per sese conciliantes,
Caedibus assiduis, acie pugnaque peribant
Indomitis animis. Quorum de sanguine nata est
Posterior soboles temeraria, caede cruenta:
Quarta aetas. *Hoc quartum genus est hominum, qui sanguine multo*
Immaduere, Deiq; hominumq; timore sepulto.
Insanis etenim stimulis crudelè furebant
Saevitia, dira parentes impietati.
Atque hos bella quidem, caedesque, & praelia dira
Demisere Erebo (dictu miserabile factum)
Infandos homines. quos tandem percitus ira
Caelestis Deus, ipse suo detrusit ab orbe,

Clausos tartareis claustris, tellure sub ima.
Postremò longè peiorem condidit, atque Quinta ætas.
Planè illaudatam stirpem Deus, atque malorum
Artificem, multo illis intolerabiliorem:
Scilicet horrendos, fantes infanda, gigantes.
Inter eos omnes unus iustissimus, atque
Verax Noe fuit, fidusq́, & rebus honestis
Addictus, cælo cui sic Deus infit ab alto:
Collige Noe tuas vires, populosque moneto Deus ad Noe;
Omnes, ut mores mutent, serventur ut omnes.
Quod si non curent (ut mens est læva malorum)
Omne genus perdam, illuviem molitus aquarum.
Tu properè fabricare domum, durabile cujus
Non bibat humorem lignum. dabo mentis acumen,
Artem, mensuram, spacium. mihi cura salutis
Summa tua fuerit: fuerit mihi cura tuorum.
Porro ego sum, qui sum: (memori quod mente teneto)
Cælum, vestitum præbet mihi: pontus amictum:
Terra mihi fulcitq́ pedes, & corpus amicit:
Aer, astrorumq́ chorus me circuit omnem.
Sunt elementa novem mihi, sum tetrasyllabus autem. 3
(Percipe me) prima tres syllaba efficiuntur
Ex binis omnes elementis: cætera restant
In reliquis: quorum sunt non vocalia quinque.
Totius numeri bis sunt hecantontades octo,
Et ter tres decades, cum septem. Si scieris me,
Non te, quæ potior, sapientia dia latebit.
Sic ait. ast illum audito tremor occupat ingens.
Ac tum prudenti molitus singula mente,
Hortari populos, & verbis talia fari: Noe admonitio.
Perfidiosi homines, quæ vos dementia cepit?
Quæ facitis Deus haud ignorat. namque salutis
Autor inextinctus videt omnia, & omnia novit:

Qui mihi jussit, uti vobis hæc dicta referrem,
Exitio ne sit demens socordia vobis.
Discite iustitiam, vitiis absistite; néve
Inter vos animis odia exercete cruentis,
Humano latè tingentes sanguine terram.
Immensum, invictum numen, rerumque parentem,
Cui domus excelso cœlo manet alta, timete,
Mortales, & eum cuncti placate (benignus
Audiet) ut cives, ut totum denique mundum
Quadrupedumq; genus servet, volucrumq; secundus.
Tempus erit, quando totus delebitur undis
Orbis, & humanum genus (heu horrete minantem)
Et subitò vobis totus turbabitur aer,
De cœloq; Dei magni vos opprimet ira.
Tempus erit certè, cum magni numinis ira
Seviet in terras, nisi vos placabitis illam,
Et vita mores iam nunc mutabitis actæ,
Vt nulla cuiquam deinceps injuria fiat,
Sancta sed, & cunctis innoxia vita colatur.
Sic ait. ast illi vulgo ridere monentem,
Dicereq; insanum, dementatumq; furore.
Tunc iterum tales effatur Noe loquelas:
O miseri, mentis pravæ, mutabile vulgus,
Quos iuvat extincto vitam fœdare pudore,
Raptores, violenti, importuniq; tyranni,
Mendaces, pravi studiosi, perfidiosi,
Detrectatores, mœchi, scelerata ferentes,
Nil formidantes supremi numinis iram,
Quæ vos ad quinti pœnas jam destinat ævi,
Non fletis passim, duri? ridetis, inepti?
Sardonium risum ridebitis, horrida quando,
Quam dico, torrensq; Dei vos opprimet unda.
Tum cum per terras sacrum genus unda novabit.

Stirps

Stirps æterna, locis nunquam sitientibus orta,
Funditus & prorsum noctu delebitur una.
Cumque viris urbes terræ Neptunus ab antris
Diruet exagitans, concussaque mœnia rumpet.
Et tunc immensus mundus, cunctiq; peribunt
Mortales. at ego quantum plorabo, gemamq;,
Inclusus ligno? lacrymas miscebo quot undis?
Hac etenim mandante Deo si venerit unda,
Nabit humus, nabunt montes, innabit & æther,
Omnia pontus erit, corrumpet & omnia pontus.
Verum sistentur venti, veniétque secunda
Aetas. O Phrygio, à summis tu vertice prima
Emerges undis: hominum tu prima renascens
Educes genus, & censebere maxima nutrix.
Sed postquam frustra sceleratos commonefecit,
Summus ei apparens iteratò talibus infit:
Tandem tempus adest, quo fiant omnia, Noe, Deus ad Noe.
Quæ tibi promittens aliquando futura monebam.
Omnia sunt (homines unquam quascunque rebelles
Ausi sunt fraudes) una plectenda ruina.
Sed tu cum natis, & conjuge, protinus intra,
Et nuribus, nec non quacunque coire iubebo
Serpentum genera, & pecudum, volucrumq; vocato.
His ego deinde, quibus vitam concessero cunque,
Injiciam mentem, ne quid cunctentur adesse.
Sic ait. ille autem clamorem sustulit altum,
Intravítque: dehinc coniux, natíque, nurúsque,
Lignea tecta domus subierunt: cætera deinde
Adsunt omnia, quæ Deus asservare volebat.
Ast ubi conveniens firmavit opercula clavis,
Missa per obliquum, quà sedes apta dabatur:
Tum Deus ut voluit cœlestis nubila cogit, Diluvium.
Ignitumq; globum solis caligine condit,

Nec

Nec non cum stellis lunam, cœlique coronam,
Omnibus obductis, mortalia pectora terret,
Horrendùm increpitans, ardentia fulmina mittens.
omnibus excitis ventis, solvuntur aquarum
Venæ omnes, magni patefiunt commata cœli,
Et terræ latebræ, indefessique fluenta
Oceani refluunt, & vasto gurgite tellus
Quanta patet tegitur, penitus superantibus undis.
At domus interea nymbis divina natabat,
Fluctibus & ventis circumsona, terribilesque
Costis excipiens ictus: multasque carina
Mota secabat, aquæ rauco cum murmure, spumas.
Sed postquam pluviis totum Deus eluit orbem,
Tunc animo cupiens (nam sic Deus ipse volebat)
Cernere Noe foras, emersit ab æquore Nerei,
Continuoque domus tectum, quod ligneus apta
Arctabat paries iunctum compage, recludit.
Tunc oculos cœli partes conversus in omnes.
Cuncta sub æquoribus longè lateque teneri
Vt videt, ut magno pulsatur corda timore.
Tunc aer paulum diductus (namque diebus
Lassus erat multis, totum dum proluit orbem)
Flammiferum cœli fusum pallore cruento
Ostendit, fessumque orbem tum Noe timore
Vix posito, soli permisit abire columbæ,
Sciret ut an tellus usquam detecta patêret.
Illa levi postquam lustravit cuncta volatu,
Alas fessa redit: nec enim defluxerat altum
Aequor adhuc, quando repleverat omnia latè.
Ille dies aliquot mansit, rursumque columbam
Eijcit, ut discat num vastum cesserit æquor.
Illa leves pennas alternat, nactaque terram
Humentem, corpus paulùm defessa quievit;

Post

Post ad Noe redit, ramum frondentis olivæ
Ore ferens; terræ certissima signa repertæ.
Hic cuncti pulso multùm gaudere timore,
Terram sperantes visuros. ille deinde
Continuò laxat volucrem nigrantibus alis:
Illa leves auras pennis vibrata secabat,
Et terra inventa, reditus secura, remansit.
Tunc existere humum cognovit Noe propinquam.
Hinc ubi divinè trabs huc illucque natavit,
Murmure cum rauco ponti jactata fluentis,
Appulit exiguæ terræ, tandemque quievit.
Assurgit, Phrygiæ mons quidam in finibus atræ,
Arduus, altapetens; Ararat quem nomine dicunt,
Quòd fatale fuit illic evadere cunctis,
Optatáque frui tandem, charaque salute:
Fluminis unde alti Marsiæ manat origo.
Hujus in excelso postquam cessantibus undis
Constitit arca jugo, tunc illi rursus ab alto
Ingens immensi vox est audita Tonantis:
Noe fidelis, amans æqui, servate periclis, Deus ad Noam.
Egredere audenter, nec non cum coniuge nati,
Cumque tribus nuribus, terramque replete patentem,
Multiplici numero crescentes, iustitiamque
Tradentes natis natorum, donec in omnes
Iudicium detur mortales: namq; subibunt
Iudicium cuncti. sic vox divina locuta est.
Ille suo nihil addubitans exire cubili,
Ingreditur terram: nec non natique, nurusque,
Et coniux: necnon serpentes, atque volucres,
Quadrupedum, pecudumque genus, tum cætera cuncta. 3
Noe igitur cunctos homines justissimus inter,
Exijt octavus, vicenos cum bis, & unum
Complesset Soles (Deus ipse volebat) in undis.

Hinc nova progenies, hinc ætas aurea prima
Exorta est hominum, quæ venit in ordine sexta,
Optima post homines natos, & nomine fertur
Cœlestis, quòd eam cura Deus unus habebit.
ô ævi sexti primum genus, ô bona sêcla,
Quæ sortita fui, postquam discrimina mortis
4 *Effugi, iactata meo cum coniuge, & unà*
Leviri, & ipsorum uxores, socrusque, socerque.

Nunc autem varium florem laudabo futurum,
*In saca ficum**
divides autem
*Imperium regni tempus**
Sceptriferum accipiet. nam tres iustissima reges
Pectora magnanimi, divisis partibus æquis
Tempore longinquo regnabunt, juraque tradent
Illis, queîs studo labor est, laudandaque facta.
Terraque sponte sua læto feret ubere fruges,
Spicarumque suos reditu saturabit alumnos.
Non illi spacio canescent temporis ullo:
Sed tristi semper morborum peste carentes,
Oppressi somno decedent, inque profunda
Devenient Acherontis, ubi nec honore carebunt:
Quippe beatorum felix genus, optima quorum
5 *Mens fuerit dono Sabaoth, qui semper in omni*
Illis consilio dederit facienda secundus.
Atque hi fœlices, etiam cum ceperit illos
Orcus, erunt. Hominum surget genus inde secundum,
Ingens, horrendum, Titanum terrigenarum:
Titanes. *Queîs eadem facies, eadem natura, modusque*
Corporis, & species, & vox erit omnibus una,
Pectora quæ primo Deus inspiravit ob ortu.
Hi vero (tantum præcordia vana tumebunt)
Constituent tandem, properantes perdere sese, *Illato*

Illato bello stellatum invadere cælum.
Tunc in eos undans insano gurgite magnus
Effluet Oceanus. Sabaoth sed maximus illum
Reprimet indignans: nec enim disperdere rursus
Perversos homines immissis sustinet undis.
Sed postquam tumidos fluctus, rabiemque citatam
Vndarum huc illuc pressa disiecerit ira,
Cumque suis pontum conclusum finibus, intra
Littoraque & portus compresserit, oppositaque
Finierit terra magni vis Altitonantis:
Tunc ad mortales veniet, mortalibus ipsis De Christo
In terris similis, natus patris omnipotentis,
Corpore vestitus. Vocales quatuor autem 6
Fert, non vocalesque duas, binum geniorum.
Sed quæ sit numeri totius summa docebo.
Namque octo monadas, totidem decadas super ista,
Atque hecatontadas octo infidis significabit
Humanis nomen: tu verò mente teneto
Aeterni natum Christum, summique parentis.
Ille Dei legem complebit, non violabit,
Persimilem formam referens, & cuncta docebit.
Illi libabunt aurum, myrrhamq; ferentes,
Thusque sacerdotes: hæc omnia namq; patrabit.
Verùm cum quædam vox per deserta locorum Ioanne Baptista
Nuncia mortales veniet quæ clamet ad omnes,
Vt rectos faciant calles, animosque repurgent
A vitiis, & aqua lustrentur corpora cuncta,
Vt nunquam deinceps peccent in jura renati:
Barbarus & tandem saltatibus illaqueatus, Herodes.
Mercedi vocem hanc cæsam concedet iniquæ.
Tunc erit indicium subitò mortalibus ægris,
Cum lapis Aegypti felix servatus ab oris
Venerit: huic populus impinget Hebræus, & hujus

Ductu convenient gentes, per eumque supremum
Cognoscent numenque viamque in lumine rectam.
Aeternam vitam mortales namq; docebit
Electos, ignemq; malis feret omne per ævum.
Ille quidem morbis pressos sanabit, & omnes
Læsos, quotquot ei fident. cæcique videbunt:
Incedent claudi: surdis audire licebit:
Insolitas mutis dabitur formare loquelas.
Expellet furias: oppressi morte resurgent:
Placabit fluctus: in desertisque locorum,
Largè panibus ex quinis, & pisce marino,
Millia quinque virûm satiabit, relliquiæque
Bis senos cophinos implebunt virginis almæ.
Et tunc Israel ebrius, non mente videbit,
Non oculis cernet, non auribus audiet ipsis.
Hæbræos sed enim summi lymphata Tonantis
Cum petet ira, fide sublata prorsus eorum,
Propter cœlestem, divino semine cretum,
Offensum per eos puerum: tunc impius illi
Impinget colaphos, virosaq; sputa scelestis
Israel labiis: neq; non et fellis amari
Apponent escam, potumq; immitis aceti,
Pectora vesanis stimulis & corda subacti,
Nil oculis ipsis cernentes, & mage cæci
Talpis, angue magis metuendi, pestiferaq;
Aspidis oppressi duroq; graviq; veterno.
Sed manibus passis cum mensus cuncta, coronam
De spinis tulerit, nec non latus ejus arundo
Fixerit acta manu, cujus causa tribus horis
Nox tenebrosa die medio, monstrosaq; fiet:
Tunc hominum generi magnum Solomonia signum
Templa dabunt, Ditis cum tecta profunda subibit,
Nunciet in vitam reditum quò morte peremptis.

Sed

Sed postquam triduò lucem repetiverit, atque
Monstrárit somnum mortalibus, atq; docendo
Cuncta illustrarit, cœlestia tecta subibit
Nubibus invectus, cùm latum liquerit orbi
Pactum Evangelij, cujus de nomine surget
Flore novo germen de gentibus, idq; regendum
Magni lege: Soli ductores deinde futuri.
Deinde genus vatum iam tandem desinet esse.
Inde malæ messem facient æstatis Hebræi,
Atq; auri multum Romanis diripiet rex,
Argentiq;. dehinc existent altera regna
Assiduè, regnis pereuntibus usq;, prementq;
Mortales. sed erit tunc magna ruina virorum
Illorum, quando fastum ingredientur iniquum.
Cum dederint autem Solomonia templa ruinam,
À loricatis (quorum vox barbara lingua)
Diruta, cum patria terra pellentur Hebræi
Errantes, miserè vexati, farraq; multo
Miscebunt lolio: tunc tristes seditiones
Versabunt homines omnes, urbesq; malorum
Congeries coget sese deflere vicissim,
Propterea facinus quòd commisere nefandum:
Tanta in eas magni desaviet ira Tonantis.

LIBER SECVNDVS.

De Græcis, & de Deo, & de sanctis, & de judicio.

POstquam perdoctum carmen, me multa precante,
Compressit numen, mihi sub præcordia rursum
Divini cantus vocem subjecit amœnam.
Corpore tota stupens trahor huc, ignara quid ipsa
Eloquar: ipse sed hæc mandat Deus omnia fari.
Sed cum terrarum motus, & fulmina dira,

Fulguraq; & tonitrus fuerint, & squalor agrorum
Et cades hominum, rabies & sava luporum
Atq; hominum atq; boum interitus, et quadrupedantum
Et iumentorum, mulorumq; atq; caprarum,
Atq; ovium, fiet tum plurima terra relicta,
Et frugum incultis reditus cessabit in arvis:
Erumpetq; hominum vitiosa licentia passim,
Fanáq; diripient. hominum tum deniq; sæclum
Existet decimum quando qui sidera fecit,
Concussor terra, statuarum franget amorem,
Et Roma populum, qua septem continet arces,
Concutiet: dives deleta peribit opum vis,
Vulcano crebris miscente incendia flammis.
Et tunc de cælo demissa sanguinolenta. *
At genus humanum longe lateq; per orbem
Cadibus alternis insaniet: inq; tumultu
Pestes, atq; fames Deus, & sua fulmina mittet
Illis, qui vivent expertes legis & aqui:
Existetq; hominum toto defectus in orbe,
Si quis ut in terris hominis vestigia cernat,
Miretur. rursum magnus Deus incola cæli
Relliquias hominum penitus servabit ubiq;.
Tunc pax, & veri prudentia summa vigebit,
Terraq; frugiferens fruges feret uberiores,
Ne divisa quidem, neq; servitura deinceps.
Omnis liber erit portus mortalibus, omnis
Et statio, sicut fuit ante: scelusq; peribit.
Tunc autem signum dabitur divinitus ingens.
Namq; relucebit clarissima stella, corona
Assimilis clara, cælo visenda sereno,
Lucibus haud paucis: humanis nempe coronam
De cælo ostendet, qui præmia quærere certant.
Nam tunc incipiet magnum procedere sæclum

Urbi

Vrbi cœlesti, dispensatorq; vacabit
Omnibus humanis, ævi immortalis honores
Qui teneat. cunctus tunc immortalia propter
Præmia contendet populus, victoria quando
Accendet præclara animos. nam rite licebit
Cuilibet argenti claram petere inde coronam.
Castus enim Christus ponet certamina iusta,
Ornabitq; probos, æternaq; præmia reddet
Testibus, ad mortis certamen euntibus usq;.
Virgineis vero, qui pulchrè currere pergent,
Aeternum munus dabit, & servantibus æqui
Omnibus humanis generiq; alienigenarum,
Et sanctè vivendo deum noscentibus unum.
Tum qui coniugio gaudentes, furta cavebunt
Concubitus vetiti, dabit his quoq; munera larga,
Immortalem spem. nam donum numinis omnes
Sunt humanæ animæ: quas ullis flagitiorum
Mortales maculis prorsum fœdare nefas est.
Hoc certamen, hic est labor, hæc sunt præmia pugnæ
Hæc vitæ porta est: hic est ingressus in ævum
Aeternum. Deus hæc cœlestis iustitiæ
Humanæ statuit victricis præmia: quiq;
Contigerint palmam, per eam ingredientur honestè.
Sed postquam toto signum hoc extarit in orbe,
À teneris pueri vestiti tempora canis.
Arctabunt homines, mutato cardine rerum,
Pestes, bella, fames, lachrymæq; et luctus, abunde.
Heu quorum nati χώρας ἐνὶ θρηνήσονται.
Plangentes misere γενεὰς ἐνὶ ψάρεσι σάρκας
Cum membris terræ mandabunt omniparenti
Pulvere sanguineo fœdas: ô pessima secla,
O nimium pravi, quos ultima proferet ætas.
Dementes, qui quid muliebria semina vincat

Non

Non norint.

μὴ τίκλωσιν ἔφη τὸ θέρος μερόπων ἀνθρώπων,
μηδὲ συναίρεσιν ἐγγὺς

Cum quidam pro vatibus insinuati

De Antichristo.

Fallaces aderunt in terris vaticinantes,
Et Belial veniet, facietq; insignia multa
Inter mortales. tunc sancti funditus, atq;
Electi, fidiq; eversi diripientur:
Nec non Hebræi, quos sævior impetet ira,
Tum cum bis senis tribubus conflatus Eoo
Adveniet populus, populumq; requiret Hebræum
Cognatæ stirpis, quem perdidit Assyriorum
Impetus. Interea gentes perdentur ab illis.
Postremò rursum vehementibus imperitabunt
Hebræis fidis electis, sub iuga missis,
Vt prius: imperium quoniam non desinet unquam,
Omnia qui cernit, supremus, & incola cœli,
Palpebras hominum somno concludet opertas.
Felices famuli, Dominus quoscunq; reversus
Inveniet vigiles. tangit vigilantia cunctos,
Semper ut expectent, nec somno lumina claudant.
Nam veniet mane, aut serò, medio ve diei.
Adveniet certè, neq; me sententia fallet.
Dum dormitur, erit cœli ut stellantis ab oris
Cuncta die medio cernantur sidera cunctis,
Vnà cum binis facibus, properantibus annis.
Tunc quoq; cœlesti curru devectus inibit

Elias.

Terras de cœlo Thesbites, signaq; trina
Ostendet toti mundo vitæ pereuntis.
Veh quas illa dies deprendet ventris onustas
Pondere: quæve suo lactabunt ubere natos.
Aut qui propter aquas habitabunt. veh quibus illam
Contigerit vidisse diem. nam totus ab ortu

Solis ad occasus, austroq́, aquiloneq́ mundus
Terra involvetur noctis caligine cæca.
Tunc ardens fluvius cælo manabit ab alto
Igneus, atq; locum consumet funditus omnem,
Terramq́, oceanumq́ ingentem, & cærula ponti.
Stagna, lacus, fluvios, fontes, Ditemq́ severum,
Cælestemq́ polum, cæli quoq; lumina in unum
Fluxu fluent, formâ deletâ prorsus eorum.
Astra cadent etenim de cælo cuncta revulsa,
Humanaq́ animæ frendebunt dentibus omnes.
Fluminis ardentes, ignisq́, & sulphuris æstu,
In fervente solo cinis obteget omnia quando.
Omnia tunc mundi viduata elementa jacebunt,
Aer, terra, polus, mare, lux, noctesq́, diesq́.
Tum non jam volucres sulcabunt aëra pennis,
Non vada squamigeri pisces per salsa natabunt,
Non ibit ponti per fluctus navis onusta,
Non glebosa boves pandi telluris arabunt,
Non sonitum reddent percussæ flamine sylvæ:
Omnia sed puram molem conflabit in unam.
Tum vero æterni genij patris immortalis
Haaç * ἱερομιὴλ, *Vriel, Saniel, Azaelq́,*
Quæ mala quisq; hominum patraverit antè scientes,
E tetris animas tenebris caliginis omnes
Iudicio sistent, ad formidabile patris
Magni, immortalis solium nam solus & unus De ultimo
Conditor omnipotens rerum non interit unquam, iudicio.
Iuraq́ dicturus mortalibus æqua sedebit.
Et tunc infernis animas, flatumq́, sonumq́
Cælestis tribuet, compactaq́ convenienter
Artubus ossa suis. carnes, nervosq́ repostos,
Et venas, pellemq́ priorem, cæsariemq́.
Sic conjuncta suis terrestia corpora ritè

Membris, una dies reddet vitalibus auris.
Tunc ferratarum portarum Ditis avari
Claustra immania, duriq; infractiq; adamantis,
Ingens ingenti Vriel convulsa ruina
Perrumpet genius: perlugubresq; figuras
Omnes judicio sistet: simulachra vetusta
Titanum in primis monstrosorumq; gigantum:
Tum quas diluvium, tum quas maris unda profunda
Absumpsit necnon quis serpentesq;, feraq;
Faucibus hauserunt avidis, volucresq;, vocabit
Ad solium cunctas: nec non quas igneus ardor
Absorpsit flammis, ad judiciale tribunal
Coget adesse Dei, collectas undiq; in unum.
3 *Tum vero Sabaoht Adonaeus, fulminis autor,*
Defunctos reddet vita, Parcasq; resolvet,
Cælesti residens solio, magnamq; columnam
Figet. eò veniet in nube aeternus & ipse
Christus ad aeternum, magno splendore, bonisq;
Cum genijs: solioq; sedebit dexter in alto.
Iudicet ut mores hominum, vitamq; proborum,
Et sceleratorum. veniet quoq; magnus amicus
Supremi Moses, Abraham quoq; magnus & ipse,
Isaac, atq; Iacob, Iesus, Daniel, Elias,
Ambacoum, Ionas, & quos gens perdit Hebraea.
Tum residens judex solio, omnes perdet Hebraeos,
Qui post Eremiam fuerint, ut praemia digna
Accipiant, & quae mortalis quisq; patrarit
Malorum poena. *In vita, solvant. igitur per flumen agentur*
Ignis inextincti cuncti: justisq; salutem
Omnibus indeptis, scelerati tempus in omne
Perdentur, quotquot patrarint antè nefanda.
Qui caedes faciunt, aut quorum conscia mens est
Mendaces, fures, vafri, pestesq; domorum,

Mandones, fides frangentes connubiorum,
Detrectatores, petulantes, lege carentes.
Et simulachricolæ: nec non qui patre relicto
Magno, immortale, dixere nefanda, piorum
Carnifices, fidei nullius, perniciesq;
Iustorum: neq; non qui commendante senecta,
Et gravitate, vafri fallunt, vultuq; bifronte
Turpiter imponunt aliis, laduntq; nocenter,
Fallaces, fama freti, verbisq;, sed ipsis
Pardis atq; lupis multo magis exitiales.
Tum nimio tumidi fastu: tum fœnore fœnus
Qui cumulant, magnis pupillos afficientes
Et viduas damnis: vel qui quæsita scelestè
Dant viduis, aut dant pupillis: quive labore
De proprio cum dent, exprobrant: quive parentes
In senio linquunt, neq; præmia digna rependunt
Pro nutricatu, vel qui parere recusant,
Aspera vel contra dixerunt verba parentes:
Vel qui depositum sese accepisse negârunt,
Quiq; suis faciunt dominis contraria servi:
Quiq; suum corpus conspurcavere salaces:
Vel qui virgineam zonam solvêre, latenter
Congressi: vel quæ fœtus in ventre necatos
Eiiciunt, & qui partum exposuere nefandi,
Quiq; veneficiis usi, seu fœmina, seu vir:
Hos immortalis, incorruptiq; columnæ
Ira Dei affiget, quam circuit undiq; flumen
Igni perpetuo manans, & eos simul omnes
Aeterni patris genii nunquam intereuntis,
Ignitis flagris, inflammatisq; catenis,
Insuper infractis vinclis, arctisq; revinctos,
Duris torquebunt pœnis: dein noctis in umbra,
Obiicient monstris, sub tartara tetra geenna,

Multis, horrendis, ubi nox æterna lacunas.
Hinc ubi iam multis cruciatibus excruciárint
Omnes, ut dignum tam prava mente: deinde
Succedet fluvio magno rota flammea circum.
Hinc ubi pertulerint tot jam mala, totq́; dolores,
Diversi flebunt, dictu miserabile, patres,
Infantes pueri matres, lachrymosaq́; matrum
Pignora sub mammis: nec erit modus ullus eorum.
Ploratus, neq; vox tristes distincta querelas
Diversas referet: verùm sub nocte profunda,
Tartarea, nigra, laniante dolore, profundum
Clamorem tollent: atq; in regione profana
Ter tantum solvent, quantum fecere malorum,
Igni defecti multo: tum dentibus omnes
Stridentes, magna tabescent viq́;, sitiq́;:
Optandumq́; mori dicent, fugietq́; vocantes:
Nondum mortis enim requiem, non noctis habebunt.
Multa quidem frustra supremi numia patris
Orabunt: sed eos tunc avertetur apertè.
2 *Secula nam septem dedit, usus virgine casta,*
Ad resipiscendum, spacium, mortalibus ægris.

Bonorum præmia.

Ast alios, qui jus æquum coluere, bonumq́;,
Et quibus & pietas, & mens fuit optima cordi,
Sublatos genij rapidum per fluminis æstum
In lumen ducent, securaq́; munera vitæ,
Immortalis ubi magni via trita Tonantis,
Fontibus & trinis vinum, lac, mella scatebunt:
Terraq́; par cunctis, non ullis invia muris,
Aut interseptis, fructus feret uberiores
Sponte sua: victus communis, opesq́; beatæ.
Nam neq; pauper ibi, neq; dives, nemo tyrannus:
Nec servus, nec erit quisquam maior vè minor vè,
Non rex, non ductor: sed agent communiter omnes.

Nec iam dicetur, venit nox, aut veniet cras,
Aut transivit heri: nec erunt quos multa fatigat
Cura, dies: non ver, æstas, autumnus, hyemsve:
Non nuptus, non mors, non emptio, venditióve:
Non occasus erit, non ortus: namq; creabit
Ille diem longam, quin hoc quoq; conferet idem
Ille pijs Deus omnipotens æternus: ab ipsis
Oratus dabit ex ignis fervore perenni,
Et gemitu servare homines: hoc conferet illis.
Namq; leget stabiles, æternoque eximet igni,
Perque suos aliam in vitam mandabit, eamque
Aeternam nullo morituris tempore, campo
Scilicet Elysio, longis ubi fluctibus olli
Sunt Acherusiadis æterna stagna profunda.
Eheu me miseram, quid me illo tempore fiet?
Quæ demens omnes peccatis exuperârim,
Nescia conjugij, laudanda nescia mentis.
Quin etiam, locuples cum vir meus esset, egenos
Aedibus exclusi, fecíque nefanda scienter.
Tu me Servator tortoribus eripe diris,
Quamlibet infamem, conspurcatique pudoris.
Obsecro te porrò paulisper desine carmen,
Sancte, potens rerum, magni rex maxime regni.

RVRSVS IN SECVNDA PARTE hæc inquit. Ex secundo libro de Deo

Altitonans, fœlix, cœlestis, habensq; Cherubim
Firmatum, precor ut me planè verà locutam
Paulisper recrees: animô nam fessa fatisco.
Sed quid cor iterum quatitur mihi? mensque flagello
Icta, foras vocem prorumpere cogitur? omnes
Vt moneam? rursus nimirum cuncta profabor,
Quæ Deus effari mortalibus imperat ægris.

O homines, quibus est divina in imagine forma;
Cur temerè erratis, cur non per recta viarum
Vaditis, æterni memores patris omnibus horis?
De Deo *Vnus & immensus Deus est, regnator & unus*
Aethereus, sese consistens totus in uno,
Cuncta videns solus, non aspectabilis ipse.
Quem non humani saxo manus ulla, vel auro,
Aut ebore artificis fecit, retulitve figuram:
Ipse sed ipsum se sæclo monstravit ab omni,
Quique est, quique fuit, qui porro deinde futurus.
Cujus namq; Deum mortalis lumina possunt
Cernere? quæve ferent vel vocem nominis aures
Cœlestis magnique Dei, mundumq; regentis?
Omnia qui dicto fecit, cœlumq;, salumque,
Et rapidum solis cursum, lunamq; tumentem,
Sidereos ignes, solidam magnamque parentem,
Adam. *Fontes & fluvios, ignem, noctesq;, diesq;.*
3 *Nimirum Deus is finxit tetragrammaton Adam,*
Qui primus fictus fuit, & qui nomine complet
Ortus, occasus, austrum, boreamq; rigentem.
Ipse hominum solidam formam speciemq; creavit,
Ipse feras fecit, reptiliaq;, atq; volucres.
Hunc vos non colitis, frustraq;, errore pudendo,
Anguibus & feli reverenter sacrificatis,
Et signis aliis hominum, saxisq; sacratis,
Ante profanorum delubrorum ostia stantes.
Observate Deum, quiq; est, quiq; omnia servat.
In simulachricolas. *Qui dum saxorum specie gaudetis inani,*
Non venit in mentem judex æternus, & idem
Servator, cœlum, qui telluremq; creavit.
Heu stirps, effuso quæ gaudes sanguine, prava,
Impia, vafra, hominum mendax genus, atq; bilingue
Insidians, dirum, mœchum, simulachricolarum.

Quo-

Quorum vesanus stimulus præcordia vexat,
Qui sibi prospiciunt rapiendo, proh pudor, unis. In avaros
Nam nemo locuples, & habens, impertiet ulli:
Humanum sed erit prorsum genus omne scelestum.
Non erit ulla fides penitus, viduaque frequentes
Furtivo, causa quæstus, utentur amore.
Sortitaque viros conventa iugalia frangent.
Sed postquam Roma Ægyptum reget, imperioque
Frenabit, summi tum summa potentia regni
Regis inextincti mortalibus exorietur. De Christo
Rex etenim sanctus veniet, qui totius orbis
Omnia secclorum per tempora sceptra tenebit.
Tuncque Latinorum non eluctabilis ira
Tres Romam tristi fatorum stamine perdent.
Atq; sius homines perdentur in ædibus omnes,
Tum cum de cælo torrens fluet igneus. eheu
Me miseram, quando veniet lux illa, diesque
Iudicis æterni, magni regisque Deique
Nunc quid vos urbes ornatis, construitisq;
Templaq;, stadijsq;, foris, signisq; vel auro,
Si qua, vel argento fiunt, saxove: futura
Cum sit acerba dies, ad quam veniatis oportet.
Nam veniet, cunctos homines cum nidor olentis
Sulphuris afflabit. Verùm iam singula pandam,
Quæ mala sint homines passuri quasq; per urbes.

LIBER TERTIVS.

Postea verbis progrediens, de impostore dæmone Antichristo hoc maxime modo loquitur.

EX Augustinis autem volventibus annis De Anti-
Adveniet Belial, qui celsa cacumina montes, christo

Qui

Fulguraq; & tonitrus fuerint, & squalor agrorum
Et cades hominum, rabies & sæva luporum
Atq; hominum atq; boum interitus, et quadrupedantum
Et iumentorum, mulorumq; atq; caprarum,
Atq; ovium, fiet tum plurima terra relicta,
Et frugum incultis reditus cessabit in arvis:
Erumpetq; hominum vitiosa licentia passim,
Fanáq; diripient. hominum tum deniq; sæclum
Existet decimum quando qui sidera fecit,
Concussor terra, statuarum franget amorem,
Et Roma populum, qua septem continet arces,
Concutiet: dives deleta peribit opum vis,
Vulcano crebris miscente incendia flammis.
Et tunc de cælo demissa sanguinolenta.
At genus humanum longe lateq; per orbem
Cædibus alternis insaniet: inq; tumultu
Pestes, atq; fames Deus, & sua fulmina mittet
Illis, qui vivent expertes legis & æqui:
Existetq; hominum toto defectus in orbe,
Si quis ut in terris hominis vestigia cernat,
Miretur. rursum magnus Deus incola cæli
Relliquias hominum penitus servabit ubiq;.
Tunc pax, & veri prudentia summa vigebit,
Terraq; frugiferens fruges feret uberiores,
Ne divisa quidem, neq; servitura deinceps.
Omnis liber erit portus mortalibus, omnis
Et statio, sicut fuit ante: scelusq; peribit.
Tunc autem signum dabitur divinitus ingens.
Namq; relucebit clarissima stella, corona
Assimilis clara, cælo visenda sereno,
Lucibus haud paucis: humanis nempe coronam
De cælo ostendet, qui præmia quærere certant.
Nam tunc incipiet magnum procedere sæclum

Vrbi cœlesti, dispensatorq; vacabit
Omnibus humanis, ævi immortalis honores
Qui teneat. cunctus tunc immortalia propter
Præmia contendet populus, victoria quando
Accendet præclara animos. nam rite licebit
Cuilibet argenti claram petere inde coronam.
Castus enim Christus ponet certamina iusta,
Ornabitq; probos, æternaq; præmia reddet
Testibus, ad mortis certamen euntibus usq;.
Virgineis vero, qui pulchrè currere pergent,
Aeternum munus dabit, & servantibus æqui
Omnibus humanis generiq; alienigenarum,
Et sanctè vivendo deum noscentibus unum.
Tum qui coniugio gaudentes, furta cavebunt
Concubitus vetiti, dabit his quoq; munera larga,
Immortalem spem. nam donum numinis omnes
Sunt humanæ animæ: quas ullis flagitiorum
Mortales maculis prorsum fœdare nefas est.
Hoc certamen, hic est labor, hæc sunt præmia pugnæ:
Hæc vitæ porta est: hic est ingressus in ævum
Aeternum. Deus hæc cœlestis iustitiæ
Humanæ statuit victricis præmia: quiq;
Contigerint palmam, per eam ingredientur honestè.
Sed postquam toto signum hoc extarit in orbe,
A teneris pueri vestiti tempora canis.
Arctabunt homines, mutatò cardine rerum,
Pestes, bella, fames, lachrymæq; et luctus, abunde.
Heu quorum nati χώρας ἐνὶ θρηνήσονται.
Plangentes misere γονεὰς ἐνὶ ψάφεσι σάρκας
Cum membra terræ mandabunt omniparenti
Pulvere sanguineo fœdat: ô pessima secla,
O nimium pravi, quos ultima proferet ætas.
Dementes, qui quid muliebria semina vincat

Solis ad occasus, austroq; aquiloneq; mundus
Terra involvetur noctis caligine cæca.
Tunc ardens fluvius cælo manabit ab alto
Igneus, atq; locum consumet funditus omnem,
Terramq; oceanumq; ingentem, & cærula ponti.
Stagna, lacus, fluvios, fontes, Ditemq; severum,
Cælestemq; polum, cæli quoq; lumina in unum
Fluxu fluent, formâ deletâ prorsus eorum.
Astra cadent etenim de cælo cuncta revulsa,
Humanæq; animæ frendebunt dentibus omnes.
Fluminis ardentes, ignisq;, & sulphuris æstu,
In fervente solo cinis obteget omnia quando.
Omnia tunc mundi viduata elementa jacebunt,
Aer, terra, polus, mare, lux, noctesq;, diesq;.
Tum non jam volucres sulcabunt aëra pennis,
Non vada squamigeri pisces per salsa natabunt,
Non ibit ponti per fluctus navis onusta,
Non glebosa boves pandi telluris arabunt,
Non sonitum reddent percussæ flamine sylvæ:
Omnia sed puram molem conflabit in unam.
Tum vero æterni genij patris immortalis
Hxaç * ἱερεμιὴλ, *Vriel, Saniel, Azaelq;,*
Quæ mala quisq; hominum patraverit antè scientes,
E tetris animas tenebris caliginis omnes
Iudicio sistent, ad formidabile patris
Magni, immortalis solium nam solus & unus De ultimo
Conditor omnipotens rerum non interit unquam, iudicio.
Iuraq; dicturus mortalibus æqua sedebit.
Et tunc infernis animas, flatumq;, sonumq;
Cælestis tribuet, compactaq; convenienter
Artubus ossa suis, carnes, nervosq; repostos,
Et venas, pellemq; priorem, cæsariemq;.
Sic conjuncta suis terrestia corpora ritè

Membris, una dies reddet vitalibus auris.
Tunc ferratarum portarum Ditis avari
Claustra immania, durisq; infractisq; adamantis,
Ingens ingenti Vriel convulsa ruina
Perrumpet genius: perlugubresq; figuras
Omnes judicio sistet: simulachra vetusta
Titanum in primis monstrosorumq; gigantum:
Tum quas diluvium, tum quas maris unda profunda
Absumpsit necnon quis serpentesq;, feraq;
Faucibus hauserunt avidis, volucresq;, vocabit
Ad solium cunctas: nec non quas igneus ardor
Absorpsit flammis, ad judiciale tribunal
Coget adesse Dei, collectas undiq; in unum.
2 *Tum vero Sabaoth Adoneus, fulminis autor,*
Defunctos reddet vita, Parcasq; resolvet,
Cœlesti residens solio, magnamq; columnam
Figet. eò veniet in nube æternus & ipse
Christus ad æternum, magno splendore, bonisq;
Cum geniis: solioq; sedebit dexter in alto.
Iudicet ut mores hominum, vitamq; proborum,
Et sceleratorum. veniet quoq; magnus amicus
Supremi Moses, Abraham quoq; magnus & ipse,
Isaac, atq; Iacob, Iesus, Daniel, Elias,
Ambacoum, Ionas, & quos gens perdit Hebræa.
Tum residens judex solio, omnes perdet Hebræos,
Qui post Eremiam fuerint, ut præmia digna
Accipiant, & quæ mortali quisq; patrârit
Malorum pœna. *In vita, solvant. igitur per flumen ardentem*
Ignis inextincti cuncti: justisq; salutem
Omnibus indeptis, scelerati tempus in omne
Perdentur, quotquot patrarint antè nefanda.
Qui cædes faciunt, aut quorum conscia mens est
Mendaces, fures, vafri, pestesq; domorum,

Mandones; fides frangentes connubiorum;
Detrectatores, petulantes, lege carentes.
Et simulacbricolæ: nec non qui patre relicto
Magno, immortali, dixere nefanda, piorum
Carnifices, fidei nullius, perniciesq́;
Iustorum: neq; non qui commendante senecta,
Et gravitate, vafri fallunt, vultuq́; bifronte
Turpiter imponunt aliis, læduntq́; nocenter,
Fallaces, fama freti, verbisq́;, sed ipsis
Pardis atq; lupis multo magis exitiales.
Tum nimio tumidi fastu: tum fœnore fœnus
Qui cumulant, magnis pupillos afficientes
Et viduas damnis: vel qui quæsita sceleste
Dant viduis, aut dant pupillis: quive labore
De proprio cum dent, exprobrant: quive parentes
In senio linquunt, neq; præmia digna rependunt
Pro nutricatu, vel qui parere recusant,
Aspera vel contra dixerunt verba parenti:
Vel qui depositum sese accepisse negârunt,
Quiq́; suis faciunt dominis contraria servi:
Quiq́; suum corpus conspurcavere salaces:
Vel qui virgineam Zonam solvêre, latenter
Congressi: vel quæ fœtus in ventre necatos
Eiiciunt, & qui partum exposuere nefandi,
Quiq́; veneficiis usi, seu fœmina, seu vir:
Hos immortalis, incorruptiq́; columna
Ira Dei affiget, quam circuit undiq; flumen
Igni perpetuo manans, & eos simul omnes
Aeterni patris genii nunquam intereuntis,
Ignitis flagris, inflammatisq́; catenis,
Insuper infractis vinclis, arctisq́; revinctos,
Duris torquebunt pœnis: dein noctis in umbra,
Obiicient monstris, sub tartara tetra geenna,

Multis, horrendis, ubi vox æterna lacunas.
Hinc ubi iam multis cruciatibus excruciârint
Omnes, ut dignum tam prava mente: deinde
Sic cedet fluvio magno rota flammea circum.
Hinc ubi pertulerint tot jam mala, totq; dolores,
Diversi flebunt, dictu miserabile, patres,
Infantes pueri matres, lacbrymosaq; matrum
Pignora sub mammis, nec erit modus ullus eorum.
Ploratus, neq; vox tristes distincta querelas
Diversas referet: verùm sub nocte profunda,
Tartarea, nigra, laniante dolore, profundum
Clamorem tollent: atq; in regione profana
Ter tantum solvent, quantum fecere malorum,
Igni defecti multo: tum dentibus omnes
Stridentes, magna tabescent viq;, sitiq;:
Optandumq; mori dicent, fugietq; vocantes:
Nondum mortis enim requiem, non noctis habebunt.
Multa quidem frustra supremi numina patris
Orabunt: sed eos tunc avertetur apertè.
2 *Secula nam septem dedit, usus virgine casta,*
Ad resipiscendum, spacium, mortalibus ægris.
Bonorum præmia. *Ast alios, qui jus æquum coluere, bonumq;,*
Et quibus & pietas, & mens fuit optima cordi,
Sublatos genij rapidum per fluminis æstum
In lumen ducent, securaq; munera vitæ,
Immortalis ubi magni via trita Tonantis,
Fontibus & trinis vinum, lac, mella scatebunt:
Terraq; par cunctis, non ullis invia muris,
Aut interseptis, fructus feret uberiores
Sponte sua: victus communis, opesq; beatæ.
Nam neq; pauper ibi, neq; dives, nemo tyrannus,
Nec servus, nec erit quisquam maior ve minorve.
Non rex, non ductor: sed agent communiter omnes.

Nec

Nec iam dicetur, venit nox, aut veniet cras,
Aut transivit heri: nec erunt quos multa fatigat
Cura, dies: non ver, æstas, autumnus, hyemsve:
Non nuptus, non mors, non emptio, venditióve:
Non occasus erit, non ortus: namq; creabit
Ille diem longam, quin hoc quoq; conferet idem
Ille pijs Deus omnipotens æternus: ab ipsis
Oratus dabit ex ignis fervore perenni,
Et gemitu servare homines: hoc conferet illis.
Namq; leges stabiles, æternoque eximet igni,
Perque suos aliam in vitam mandabit, eamque
Aeternam nullo morituris tempore, campo
Scilicet Elysio, longis ubi fluctibus olli
Sunt Acherusiadis æterna stagna profunda.
Eheu me miseram, quid me illo tempore fiet?
Quæ demens omnes peccatis exuperârim,
Nescia conjugij, laudandæ nescia mentis.
Quin etiam, locuples cum vir meus esset, egenos
Aedibus exclusi, fecíque nefanda scienter.
Tu me Servator tortoribus eripe diris,
Quamlibet infamem, conspurcatique pudoris.
Obsecro te porrò paulisper desine carmen,
Sancte, potens rerum, magni rex maxime regni.

RVRSVS IN SECVNDA PARTE hæc inquit. Ex secundo libro de Deo

ALtitonans, fœlix, cœlestis, habensq; Cherubim
Firmatum, precor ut me planè verà locutam
Paulisper recrees: animo nam fessa fatisco.
Sed quid cor iterum quatitur mihi? mensque flagello
Icta, foras vocem prorumpere cogitur? omnes
Vt moneam? rursus nimirum cuncta profabor,
Quæ Deus effari mortalibus imperat ægris.

O homines, quibus est divina in imagine forma,
Cur temerè erratis, cur non per recta viarum
Vaditis, æterni memores patris omnibus horis?
De Deo *Vnus & immensus Deus est, regnator & unus*
Aethereus, sese consistens totus in uno,
Cuncta videns solus, non aspectabilis ipse:
Quem non humani saxo manus ulla, vel auro,
Aut ebore artificis fecit; retulitve figuram:
Ipse sed ipsum se sæclo monstravit ab omni,
Quique est, quique fuit, qui porro deinde futurus.
Cujus namq; Deum mortalis lumina possunt
Cernere? quæve ferent vel vocem nominis aures.
Cælestis magnique Dei, mundumq; regentis?
Omnia qui dicto fecit, cœlumq;, salumque,
Et rapidum solis cursum, lunamq; tumentem,
Sidereos ignes, solidam magnamque parentem,
Adam. *Fontes & fluvios, ignem, noctesq;, diesq;.*
3 *Nimirum Deus is finxit tetragrammaton Adam,*
Qui primus fictus fuit, & qui nomine complet
Ortus, occasus, austrum, boreamq; rigentem.
Ipse hominum solidam formam speciemq; creavit,
Ipse feras fecit, reptiliaq;, atq; volucres
Hunc vos non colitis, frustraq;, errore pudendo,
Anguibus & feli reverenter sacrificatis,
Et signis alijs hominum, saxisq; sacratis,
Ante profanorum delubrorum ostia stantes.
Observate Deum, quiq; est, quiq; omnia servat.
In simula- *Qui dum saxorum specie gaudetis inani,*
chricolas. *Non venit in mentem iudex æternus, & idem*
Servator, cœlum, qui telluremq; creavit.
Heu stirps, effuso quæ gaudes sanguine, prava,
Impia, vafra, hominum mendax genus, atq; bilingue
Insidians, dirum, mœchum, simulachricolarum.

Quæ

Quorum vesanus stimulus præcordia vexat,
Qui sibi prospiciunt rapiendo, proh pudor, unis. In avarós
Nam nemo locuples, & habens, impertiet ulli:
Humanum sed erit prorsum genus omne scelestum.
Non erit ulla fides penitus, viduæque frequentes
Furtivo, causa quæstus, utentur amore.
Sortitæque viros conventa iugalia frangent.
Sed postquam Roma Aegyptum reget, imperioque
Frenabit, summi tum summa potentia regni
Regis inextincti mortalibus exerietur. De Christo
Rex etenim sanctus veniet, qui totius orbis
Omnia seclorum per tempora sceptra tenebit.
Tuncque Latinorum non eluctabilis ira
Tres Romam tristi fatorum stamine perdens,
Atq; suis homines perdentur in ædibus omnes,
Tum cum de cælo torrens fluet igneus. cheu
Me miseram; quando veniet lux illa, diesque
Iudicii æterni, magni regisque Deique
Nunc quid vos urbes ornatis, construitisq;
Templaq;, stadijq;, foris, signaq; vel aurea,
Si qua, vel argento fiunt, saxove: futura
Cum sit acerba dies, ad quam veniatis oportet.
Nam veniet, cunctos homines cum nidor olentis
Sulphuris afflabit: Verùm iam singula pandam,
Quæ mala sint homines passuri quasq; per urbes.

LIBER TERTIVS.

Postea verbis progrediens, de impostore dæmone Antichristo hoc maxime modo loquitur.

E*X Augustinis autem voluentibus annis* 1 De Antichristo
Adveniet Belial, qui celsa cacumina montes,

Qui

Qui mare, qui magni lucentem lampada solis,
Qui claram lunam, qui sistet lumine cassos.
Multaque signa quidem faciet mortalibus, at non
Vera, sed error ibi suberit, falletque frequentes
Fidos, electos, Hebræos, lege carentes,
Atq; alios nondum quibus est audita Dei mens.
Verùm quando Dei prædicta minacia magni
Advenient, terrasque petet flammata potestas
Inflata, exuret Belier, hominésque superbos
Omnes, quotquot ei fuerint per fœdera juncti.
Tunc autem mundus manibus muliebribus omni
In rerum summa parebit, eisque regetur.
Cum vero vidua in totum regnaverit orbem,
Aurumq;, argentumq; hominum, queis vita caduca est,
Ferrumq;, æsq;, maris salsas iactârit in undas,
Omnia tunc mundo viduata elementa iacebunt:
Cum Deus æthereus cælum convolvet ad instar
Libri, labetur varius polus omnis ad imas
Terras, & pelagus, rapidus fluet, igneus ingens
Torrens: uretur tellus, pontusque diesq;,
Cælestisque polus: rerum natura creata
Converretur, & in molem purgabitur unam.
Non jam læta globi iactabunt lumina: non nox,
Nec matutinum: nec erunt, quos multa fatigat
Cura, dies; non ver, æstas, autumnus, hyemsve.
Iudiciumque Dei magni; magnumque sub ævum
In medium veniet cunctis bis deniq; factis.

Deest initium.

O liquidas undas, ô totam deniq; terram,
Quà sol exoriens, quà labens aspicit orbem,
Omnia parebunt in mundum rursus eunti,
Propterea primus quod vires noverit ejus.
Sed cum dicta ad rem fuerint collata, minatus

Qua

Quæ magnus Deus est olim mortalibus illis,
Qui turrim Assyriis in finibus ædificarunt,
Cum cunctis eadem vox esset, stelliferumque Babel.
In cœlum vellent ascendere, continuóque
*Immortalis * ...*
Flatibus: at venti magnam sublime ferentes
Turrim iecerunt, & litem conciliárunt
Inter eos, urbemque ideo Babylona vocarunt.
Sed postquam cecidit turris, linguæque fuerunt
Vocibus inter se diversis, terra deinceps
Tota replebatur divisis regibus. inde
Extitit in terris decimum mortalibus ævum,
Postquam diluviis homines periere priores.
Porro Saturnus, & Titan, Iapetusque, De Saturno historia.
Regnarunt: Cœlo quos, & Tellure creatos
Dixerunt homines, Terræ Cœlíque vocantes
Nomine, quod cunctos homines virtute præirent.
Tres terræ partes, ut sors cujusq; ferebat,
Quisq; suam regnabat habens, certamine nullo.
Adiurárat enim pater, & diviserat æquas
Partes. Sed postquam senio confectus obivit
Mortem, tum natis (violata relligione,
Iureque iurando) contentio nata, quis omnes
Inter mortales regis dominetur honore.
Pugnaruntque inter sese, Saturnus, & ipse
Titan. at Iuno, Tellusque, Venusque coronis
Gaudens, cum Vestâque Ceres, pulchrâque Dione,
Inter eos litem sedarunt, conque vocarunt
Reges, & fratres omnes, consanguineosque:
Et reliquos eius quoq; sanguinis, atque parentum.
Horum Saturno tribuit sententia regnum,
Utpote qui reliquis forma præstaret, & avo.
Verùm Saturnum Titan jurare coegit,

Ne marium natam sobolem nutriret, ut ipse
Regnaret, postquam Saturnum fata vocassent,
Præ senio. Quod si quando Rhea parturiebat,
Titanes aderant, & mascula dilaniabant
Pignora, quotquot erant: matrem nutrire sinentes
Iuno. *Fœmineos partus. Sed quando tertius ille*
Adfuit enixus, Iuno fuit edita prima.
Hic ubi fœmineam sobolem videre feroces
Titanes, illa ad se discessere relicta.
Iupiter. *Inde marem peperit puerum Rhea, continuóque*
In Phrygiam per tres furtim dimisit alendum
Iurisiurandi constrictos relligione,
Cretenses: ideóque Iovem dixere, quod esset
Neptunus. *Missus. item furtim Neptunum misit eódem.*
Tertius editus est Pluto illi, prætereunti
Pluto. *Dodonam, unde liquens Eurotæ defluit amnis*
Fluminis, inque maris salsas provolvitur undas
Mixtus Peneo, Stygium quem nomine dicunt.
Postquam Titanes autem didicere creatos
Saturno pueros, atq; eius conjuge furtim:
Titan collectis sexaginta undiq; natis,
Saturnum vinclis ejus cum conjuge strictum.
Abdidit in terram, custodivítque tenebris.
Hoc ubi Saturni nati didicere, duello
Magno invaserunt illum, turbasque cierunt.
Hinc est principium belli mortalibus ortum
Omnibus: hæc belli mortalibus extat origo.
Tum Deus exitio Titanas misit, & omne
Titanum periit genus, & Saturnia proles.
Monarchiæ. *Postea surrexit tandem volventibus annis*
Aegypti regnum. Persarum deinde secutum est
Medúmque, Aethiopumque, atq; Assyriæ Babylonis.
Deinde Macedonicum regnum, Aegyptique renatum.

Post

Post ea Romanum. Tum magnus voce volucri
Pectora pulsavit mihi, precepitque profari
Singula: tum primum solus Deus insinuavit
Hoc mihi, quótnam sint hominum pòst regna futura.
Namq; domus regno primum Solomonia coget Solomonis regnum.
Phœnices Asiæque duces, aliasq; marinis
Fluctibus ambitas gentes, Persasque, Phrygesque,
Pamphylos, Cares, Mysos, Lydosque scatentes
Auro. pòst Græci venient diri atq; superbi,
Deinde Macedonia populus dominabitur ingens, Macedonicum imperium.
Qui belli horrenda mortales nube lacesset.
Cœlestis sed enim prorsum Deus eruet illum.
Post hæc imperium regni succedet aliud,
Excellens, ducibus multis, ex occiduisque Romanum imperium.
Parte maris, multis quod terris imperitabit,
Et quatiet multos, & regibus omnibus olim
Terrorem faciet: multis ex urbibus auri
Diripiet multum, argentique deinde per orbem
Aurumque argentumque erit, ornamentaque rursum,
Mortalesq; prement: tandemq; existet eorum
Casus, ut iniusto incipient turgescere fastu,
Continuoque in eis scelerum vis magna vigebit,
Masq; mari sese iunget, statuentq; pudendis
In lustris pueros, & erit tunc temporis ingens
Inter mortales angustia, cunctaq; turbans,
Cunctaq; confundens, & replens cuncta malorum,
Turpis avaritia, iniustarum divitiarum,
In primisq; Macedoniis in finibus, atq;
In multis aliis, odiumq; ciebit, & omnis
Illis procedet fallacia: donec ad usq;
Ventum sit decimum regnum, vigeatq; potestas
Aegypti regis Græca de sanguine nati.
Tum demum surget magni præclara Dei gens Christiani.

Quæ duce mortales omnes bene vivere discent.
Sed mihi quid menti Deus inijcit hoc quoq; fari?
Quæ quibus anteibunt mala? quæ postrema sequentur?
Primum supplicia divinitus afficientur
Titanes, prolesq; dabit Saturnia pœnas,
Saturnum quoniam vinxit, matremq; pudicam.
Deinde tyrannides in Græcis, regesq; feroces
Impuri, tumidi, qui iura iugalia frangent,
Omninò pravi: neq; iam mortalibus ulla
À bello requies. Phryges autem funditus omnes
Perdentur, veniétq; malum illo tempore Troiæ.
Continuoq; malum Persas manet, Assyriosq;,
Omnemq; Aegyptum, nec non Libyam, Aethiopesq;,
Pamphyliosq; malum fuerit, Caresq; moveri,
Mortalesq; omnes. sed quorsum singula pando?
Finitis primis, nascentur deinde secunda
Humano generi. quæ tandem prima vocabo?
Sunt ventura pijs mala, qui Solomonia circum
Templa colunt, hominum iustorum sanguine creti,
Quorum progeniem celebrabo, genusq; paternum,
Et cunctum populum: tu verò mente teneto
Omnia ritè, vafer mortalis, callide mentem.

Vrbs erit in terra Vchaldi
Vrbs erit in terra Vchaldi
Ex quibus est hominum proles iustissima, semper
Queis bona mens cordi est, et rerum curâ proborum.
Nam neq; decursum solis, lunave rotantem,
Nec curant ea quæ per terras magna feruntur:
Nec magni Oceani rimando quærere fundum,
Non sternutantum, non præpetis omina pennæ,
Non cantatores, vatesve, venenave dantes,
Non imposturas fatuorum ventriloquorum.

Nec

Nec Chaldæorum prædicta per astra loquuntur,
Astra nec observant. nam sunt hæc omnia falsa,
Dementes homines quæ perscrutantur in horas,
In re exercentes animos quæ non iuvat hilum.
Quin miseros homines errores edocuerunt,
Ex quo mortales agitant mala multa per orbem,
Vt rectisq; viis, & iustis rebus aberrent.
At sunt virtutis cultores, iustitiæq;,
Non & avaritiæ, quæ tristia plurima conflat
Mortali generi, bellumq;, famemq; vagantem.
His modus est iustus demensa per arva, per urbes,
Nec nocturna sibi rapiunt per furta vicissim,
Caprarumve greges abigunt, oviumve, boumve.
Nec terræ metas vicini summovet alter,
Nec locuples quisquam divexat pauperiorem,
Nec viduas torquet, sed eis magis auxiliatur,
Semper subveniens oleo, vinoq; ciboq;
Semper & in populo felix, & dives egenis,
Pauperibusq; suæ partem largitur aristæ,
Vt fieri iubet & laudat divina Dei lex,
Qui terram fecit communis ut omnibus esset.
Cum vero Aegyptum linquet, per iterq; suave Israelitarũ exitus ex Ægypto.
Ex tribubus populus bis senis conditus ibit,
Sub ducibus missis divinitus, isq; columna
Ignita per iter noctis gradietur opacæ,
Per totumq; diem nebula præeunte columna,
Huic populo ductor dabitur vir magnus ab illo
Moses, quem inventum propter regina paludem Moses.
Sustulit, & nati nutritum nomine dixit.
Hic igitur postquam populo dux, quem Deus extra
Aegyptum perduxit, eò pervenit, ubi mons Lex.
Sina fuit, legem de cælo tradidit illi,
Omnia cum tabulis scripsisset iusta duabus

Et iussit fieri Deus: & si fortè quis esset
Qui non parêret, pœnas is solveret ipse
Lege, vel humanis manibus: si fortè latères
Mortales, tamen hic omni ratione periret.
Fecit enim terram communis ut omnibus esset.
Pectoribusq; bonam mentem Deus insinuavit.
His solis fruges tellus creat alma, remittens
Ex uno centum, divinumq; uber adaequans.
Sed tamen his etiam veniet mala pestis, eamq;
Non fugient: & tu delubra decora relinques
Et fugies, (etenim sanctum tibi linquere campum
Fatale est) & ad Assyrios ducêris, apudq;
Immites homines natos servire videbis,
Vxoresq;, omnisq; peribit victus, opesq;:
Omnis plena tui regio terraq; marisq;.
Nullus erit mores quin istos oderit: omnis
Terra tibi deserta iacebit, & ara relicta,
Et magni delubra Dei, muriq; patentes,
Omnia consident in humum: sanctissima quando
Aeterni praecepta Dei de mente repellens,
Fœdis servîsti simulachris: depositoq;
Aeterni divûmq; hominumq; satoris honore,
Atq; metu, generis mortalis signa colebas.
Propterea decies septem per tempora terra
Omnis erit deserta tua, & mirabile fanum.
Sed bonus exitus hinc et gloria maxima surget,
Hoc curante Deo tibi, mortaliq;. sed ipse
Legibus augustis divinis crede manendo,
Dum tibi genua Deus defessa attollat in auras.
Tum Deus è cœlo regem demittet, is autem
Sanguine quosq; homines, ignisq; probabit in aestu.
Regalis quaedam tribus est: genus hujus ab omni
Peccato planè vacuum dominabitur olim,

Incipi-

Incipietq; Dei renovatam construere ædem;
Huc quoq; Persarum rex conferet omnis, & auro, Instauratio templi post Babylonis captivitatem.
Aereq; succurret, ferroq; ferente laborum.
Nam Deus ipse dabit per noctem somnia sancta:
Et recidiva, velut fuerant, delubra resurgent.
Vt mihi divino requieta à carmine mens est.
Orabam magnum genitorem, vis ut abesset.
Sed mihi suggessit vocem sub pectora rursum.
Perq; omnes terras præcepit vaticinari,
Mentibus & regum res insinuare futuras.
Hocq; mihi primum mentem dat dicere numen,
Quanta immortalis Babyloni funera constet, In Babylonem.
Illa Dei quoniam magnam populaverit ædem.
Heu Babylon, eheu hominum genus Assyriorum,
Totam pervadet sceleratam maxima terram
Clades, & clamor vincentum perniciosus,
Insultusq; Dei magni, qui carminis autor.
Aërius veniet Babylon tibi namq; supernè,
Descendet sacris cœli de sedibus inquam
Aeternus furor, & pervertet teq; tuosq;.
Tunc eris ut fueras, ceu nunquam nata fuisses.
Sanguine tum multo replebere, sicut & ipsa
Sanguine fundendo justosq; bonosq; necâsti,
Sanguis adhuc quorum nunc clamat ad æthera magnum.
Te quoq; magna manet clades Aegypte domorum, In Aegyptum.
Quam tibi venturam nuncquam speraveris esse.
Nam te per mediam gladius penetrabit acutus,
Evenietq; tibi dispersio, morsq;, famesq;,
Septena regum sub stirpe. deinde tacebis.
Heu tibi Gog, tractusq; Magog, qui dividis amnes In Gog & Magog.
Aethiopum medius: quantas tu sanguinis undas
Accipies, pœnaq; domus dicêris in orbe,
Potabitq; nigrum tua roscida terra cruorem.

Heu

Heu Libya tellus: eheu mare, terraq́; gentes
In occidentales. *Occiduæ, vobis orietur tempus acerbum.*
Vobis luctandum magni certaminis æstu,
Et gravis & duri: vobis est pœna luenda
Omnibus, & rigida pereundum sorte, quòd ædem
Aeterni magnam graviter violastis, eamq́;
Ferratis graviter mandistis dentibus: ergo
Terram istam plenam defunctis esse videbis,
Quos pestis ve, fames ve, et numinis impetus omnis,
Bellá ve sustulerint, atq; implacabilis hostis.
Cometa. *Omnis terra tibi deserta, urbesq́; relictæ.*
Sole subocciduo verò vocitata cometa
Stella relucebit, gladij mortalibus index,
Et famis & mortis, præclarorumq́; virorum
Atq; ducum interitum magnorum, nobiliumque.
Maxima præterea mortales signa movebunt:
Altus enim Tanais Mæotica stagna relinquet,
Liraq́; depresso sulcos infindet in alveo
Frugifero. at fluctus cursum cohibebit abundans.
Asianarum urbium ruina. *Vasta barathra, labesq́; ruent hinc oppida multa*
Plena viris: atq; hæc Asiæ labentur, Iaßis,
Cebre, Pandonie, Colophon, Ephesus, Nicæa,
Antiochia, Tanagra, Sinope, Smyrne, Marus,
Europaq́; Cyagra, Clitus, Basilis, Meropea,
Antigone, Magnesia, Mycene, Panthia,
Gaza nimis fœlix, Hierapolis, Astypalæa.
Tum scito Aegypti morti genus esse propinquum.
Tum melior qui transiit annus Alexandrinis,
Ex Asia quando suscepit Roma tributum.
Verum Asiæ veniet vel tripla pecunia rursum
À Roma; pendetq́; atrox iniuria pœnas.
Ac quot sunt Italis Asianorum famulati,
Viceni toties Asia cogentur in oris

Pro mercede graves tralis toleraré labores.
Innumerasq; pati, victu cum paupere, mulctas.
O auro locuples, Roma prognata Latina
Virgo tenella procis multis optata frequenter
Ebria, non ullo cum mundo servaq; nubes.
Sæpe tibi velles teneros hera dura capillos,
Et pœnas repetens ad terram sternet ab alto,
Rursus & à terra sublimem tollet in altum. *
Mortalis quòd erat vitiosa, iniustaq; vita.
Fiet arena Samus: Delus deleta latebit:
Fiet Roma ruina: ita digerit omnia fatum.
Nullaq; erit Smyrnæ pereuntis mentio vindex.
Sed vitiiq; ducum, & pravorum consiliorum.
* *Pax autem tranquilla Asiæ gradietur in oris.*
Tunc & erit felix Europa, & fertilis æther,
Annosus, firmus (tempestas grandoq; nulla)
Cuncta ferens, volucres, reptiliaq; omnia terræ.
O fœlix, seu vir, veniet qui tempus ad illud,
Seu mulier, fœlix securæ munere vitæ.
Nam bona lex omnis cœli stellantis ab oris,
Iustitia comitante, homines invisct, & unà
(Qua nihil est homini utilius) concordia sana,
Atq; amor, atq; fides, et amoris in hospite vincla.
At mala lex, mordax livor, dementia, & ira
Mortales fugient: fugiet vis, pauperiesq;,
Cædes, letifera lites, & iurgia dira,
Furtaq; nocturna, atq; malum tunc temporis omne.
Detrimentum Asiæ sed grande Macedonia edet, In Romam
Europaq; nimis magnus dolor exorietur.
Saturni de gente notha, servisq; creata.
Illa etiam firmam Babylona domabit, & omnis
Quantum sol lustrat, terra regina vocata
Tristibus, infelix, fatis eversa peribit.

Errantesq́; sua compescet lege nepotes.

In hoc versu divinavi- *Quin olim veniet non expectatus in agros*
Fœlices Asiæ, humeros indutus amictu
Purpureo, crudelis homo, importunus, et ardens.
Fulmine quippe citus fuit ille vir ante, iugumq́;
Durum Asiam totam premet, & madefacta cruorem
Terra bibet multum, facta de cæde fluentem.

Hic erant multi versus ita confusi, ut ex iis nullam possem elicere sententiam. Hos in hunc modum utcunq; vertere verbis solutis conabar.

Sed tamen prorsus eversum omnem Ida curaverit,
Quorum quidem genus ipse vult deperdere,
Ex eorundem genere illius genus perdetur.
Radicem quidem unam dans, quam etiam evellet Mars
Ex decem cornibus, feret autem apud stirpem aliam.
Evellet purpurei generis genitorem pugnatorem,
Atq; ipse à filiis quorum in unanimem fatalem mas
Corrumpitur. at tunc quidem agnascens cornu regnabit
Erit etiam Phrygiæ frugiferæ protinus signum,
Cum Rheæ pravum genus in terra fluctus
Aeternum radicibus nunquam sitientibus quid germinavit,
Funditus prorsum perditum una in nocte fuerit,
In urbe Antandro atiscis terræ Neptuni,
Quam tum dictabunt cognomen Dorelaon,
Antiquæ Phrygiæ lachrymosæ nigræ,
Erit igitur tempus illud cognomen Neptunus
Antra terræ dissipabit, & mœnia solvet.
Signa autem non boni, sed mali nascetur initium,
Civilis belli tristes habebitis angustias.
Aeneadas autem dans indigenæ cognatum sanguinem,
Quanquam rursus præda hominibus amatoribus

Helena. *Ilion, heu miseresco tui: nam crescet Erinnys*

In Spar-

In Sparta, specie eximia, famaq; perenni
Egregium germen, divexaturaq; gentes
Europæ atq; Asiæ populosas: præcipuéq;
Plangores, æstusq; tibi, gemitusq; datura.
Semper, & æterna fama celebranda nepotum.
Quidam deinde senex falsorum scriptor, & ipsam Homerus.
Mentitus patriam, nascetur, lumine captus
Ille quidem, verùm præclara mente vigebit,
Astringetq; modis carmen praduice, duobus
Mixtum nominibus: Chion quoq; se ipse vocabit. 4
Hic res Iliacas scribet, non sicut habebunt,
Sed clarè, verbisque meis utendo, modisq;.
Primus enim volvet librorum scripta meorum.
Isq; vel in primis ornabit belligerantes,
Hectora Priamiden, & Achillea Pelsona,
Et reliquos etiam, quibus & res bellica cordi.
Quin faciet divos illis aßistere, falsa
Omninò scribens, homines cum morte caduci
Ii fuerint, quorum tantum nuda oßa supersunt,
Et quibus ingentem famam dabit Ilion amplum.
Sed tamen alterno res gestas carmine dicet.
Et Lycia Locri proles mala multa creabit.
Te quoq; Chalcedon ponti sortita meatum
Angusti, Aetolæ gentis populabit alumnus.
Et tibi franget opes onerosas Cyzice pontus.
Tu quoq; tunc Asiæ Byzantion arma fovebis,
Et gemitus etiam accipies, multumq; cruorem.
Altumq; imperium Lyciæ de vertice montis,
Vndaq; reclusæ petræ resonabit hiatu,
Donec signa patrum iam cessent fatidicorum.
κυζίκῳ κήτειρα περιπόντιδος οἰνοπόλοιο.
Circum te tumida resonabit Rhyndacus unda. In Rhodū.
Tu quoq; diu nulli Rhode subdita, filia solis,

Durabis, multaq; olim pollebis opum vi,
Imperioq; maris primas vecta tenebis.
Præda tamen studio tandem raptoris amantum,
Cervicemque iugo, dives, formosaq; subdes.
Lydius at motus res Persidis expoliabit,
Europaq; Asiaq; genus pertriste dolebit.
In Samios. At rex Sidonius, aliorumq; agmina pugnæ
Exitium Samijs conflabunt triste per æquor.
Sanguine terra fluens resonabit in æquora rauca
Cæde virûm. uxores autem, lepidaq; puellæ,
Ah lamentantes sua tristia damna querentur,
Propter & occisos, & natos morte cadentes.
σημεῖον κύπρου οἰσμῷ δὲ φθείσει φάλαγγα.
In Trallinsce. Et multas animas hominum simul Orcus habebit.
At Trallis vicina Epheso succussa tremente.
Terra, compositos muros, hominumq; labores
Diruet, & latices ferventes terra refundet:
Terra gravata illos, & sulphuris hauriet æstus,
Regalesq; struet Samus ædes tempore certo.
Italia hoc tibi res cum externo marte futura est.
In Italos. Sed te civilis (dictu miserabile) sanguis
Affliget, celebrem nimium positiq; pudoris.
Fervida quin etiam recubans libamina propter
ἃ προϊδὼν σιβεασσι* ἐναρίζεται δ᾽ αὐτὴν.
Nec tu blanda bonos mater, sed lacte fovebis
Altrix sæva feras, iterum vir perniciosus
Surget ab Italia, tunc diruta Laodicea
Vrbs Carum præclara, Lyci splendentis ad undas,
Magnanimi patris luctu defuncta silebis
Aestus Campanis ingens impendet ab urbes
Depopulante fame, & longæva morte parentis
Defleta. Cyrnus, Sardaq; furente procella
Magna hyemis. sanctoq; Deo feriente, profundo

Mergentur, tectis sub gurgite navibus alto.
Eheu quàm multas sponsabit Pluto puellas,
Intactas, juvenesq; impubes æquore mersos,
Eheu infantes oppressos gurgite salso

βασιλήϊον ἄμφω

μυσῶν γαῖα μάκαιρα γένος βασιλήϊον ἄμφω
Τίξεται. *tamen haud durabit tempore longo*
Carchedon. Galatis aderit tristis quoq; luctus.
Et Tenedo veniet suprema, at maxima clades.
Et Sicyon æris tinnitu, teq; Corinthe,
εὐχήσει ἐπὶ πᾶσι, ἴσον δ᾽ ἐκ βοήσεται αὐλός.

Vt requieta mihi divino à carmine mens est,
Ecce iterum stimulat magnum mea pectora numen,
Meq; futura jubet per terras vaticinari.
Eheu Phœnicum marium genus & muliebre,
**Littoreasq; urbes omnes: nam nulla manebit*
Ad lumen solis, communi in lumine, vestrûm.
Nec vita numerus, nec erit tribus amplius ulla,
Injustam propter linguam, vitamq; nefandam,
Quem trivêre omnes reserantes ora profana,
Tetraq; dixerunt, injustaq;, falsaq; verba:
Et contra magnum regemq;, Deumq; steterunt,
Oreq; falsa malo vomuerunt: propter id ipsos
Cunctas terribilis per terras cæde domabit,
Et mandabit eis Deus heu tristißima fata,
Evertens urbes, & multas funditus arces.

Eheu Creta tibi, multum dolitura: manet te In Cretam
Clades, pernicie te prostratura perenni,
Et te fumantem tota olim terra videbit,
Semper & ardentem nunquam te desinet ignis.
Heu tibi Thraca, jugum quoniam servile subibis, In Thracam
Cum Græcos Galatæ permixti, Dardanideq;
Vastabunt avidè: tum te tua damna lacessent,

Externaq; malum terra dabis, accipiesq;.

In Gog. *Heu tibi Gogq;, Magogq;, aliisq; ex ordine cunctis,*
Marsog, atq; Angon: tibi quot mala fato propinquant:
Multa etiam Lyciæ genti, Mysæq;, Phrygumq;,
Pamphyliaque cadent gentis, Lydique frequentes,
Maurią;, Aethiopesq;, et quorum barbara lingua est
Cappadoces, Arabesq;: quid autem singula pando?
Quotquot enim gentes versantur in orbe, tremendam
Omnibus immittet cladem Deus ille supremus.

Græciæ calamitas. *Barbara gens verò cum Græcos aggredietur,*
Multa quidem capita extirpabit lecta virorum,
Multas balantes hominum corrumpet opimas,
Mulorumq; greges, & equorum armenta, boumq;,
Infandoq; domos elegantes igne cremabunt,
Multaq; diversum ducent captiva sub orbem
Corpora vi, molles pueros, cinctasq; parentes
Ex thalamis, pedibus teneris quas ante jacentes
Cernent in vinclis (constringet barbarus hostis)
Omnia dura pati: nec erit tamen ulla potestas
Sævum pellendi bellum, vitamq; tuendi.
Cernent divitiis hostem, rebusq; fruentem
Omnibus ipsorum, trepidi, genibusq; trementes,
Et fugient unum centum, per eumq; peribunt:
Quinq; autem magnum superabunt agmen, & illi
Turpiter utentur pugna, tristiq; tumultu,
Lætitiamq; ferent hosti, Græcisq; dolorem,
Et servile iugum portabit Græcia tota.
Cuncta simul tangent homines, bellumq; luesq;,
Et superum cælum divinitus ære rigebit,
Nec pluviis ullis madefiet ferrea terra.
Post ea mortales omnes miserabile flebunt
Igneq; vastari, nec ararier arva, seriq;.
Et mala multa dabis cæli terraq; creator,

Atq; hominum fiet pars tertia sola superstes.
Græcia principibus quid fidis morte caducis, AdGræcos.
Vltima quos leti non est evadere fata?
Quorsum defunctis donaria vana reponis?
Quidve litas statuis? quis te malus error ad ista
Mentis agit, magni linquentem numinis ora?
Accipere omniparens nomen numenq; memento.
Mille anni atq; alia sunt penthecatontades, ex quo
Græcorum reges regnum tenuere superbi,
Qui mala mortales docuerunt prima magistri,
Tot simulachra deûm statuentes luce carentum,
Ex quibus effectum est ut tam sapiatis inane.
Verùm quando Dei magni vos ira lacesset,
Tunc agnoscetis conspectum numinis alti.
Atq; omnes animæ mortales multa gementes,
In cœlum rectà manibus sublimè supinis,
Regis opem magni incipient orare vocantes,
Quæreréq;, ecquis eos tanta defendat ab ira.
Hoc quoq; discendũ, et memori tibi mente tenendũ,
Funera volvendis annis sint quanta futura.
Græcia quando boves, & tauros cadet opimos,
Ad magniq; Dei templum libamina sistet,
Effugiet creperum bellum, pestemq; metumq;,
Et servile iugum tandem cervice repellet.
Sed tamen impia stirps hominum illuc usq; vigebit,
Dum finem hoc capiat tempus fatale, diesq;.
Non vos quippe Deo libabitis antè, peracta
Omnia quàm fuerint, statuet quæcunq; voluntas
Certa Dei, fieri quæ prorsum cuncta necesse est.
Tunc hominum tandem surget gens sacra piorum, DeChristianis.
Qui præcepta Dei retinentes mente supremi,
Eius honorabunt casto libamine templum,
Et suffiminibus. cadetur & hostia multa,

Et tauri pingues, aries quoque multus, ovesq́;
Primigeno partu nata, cum pinguibus agnis,
Quæ sanctè magna procurabuntur in ara.
Sortitiq́; æquas partes, ex lege supremi,
Oppida felices habitabunt, arvaq́; læta.
At vates præerunt, quos immortalis honorat,
Quiq́; bonum portant cunctis mortalibus ingens:
Solis quippe deus sanum donavit habere
Consiliumque, fidemq́;, bonamque in pectore mentem.
Nec verò vanis erroribus ulla laboris
Humani monimenta colunt, aut ære vel auro
Cusa, vel argento simulachra, vel intereuntum
Ligno, vel saxo factorum signa deorum,
Aut creta aut minio vivos in imagine vultus,
Qualia stultitia mortales mentis adorant:
Verùm protendunt castas ad sidera palmas,
Ex lectoq́; manus surgentes mane repurgant
Semper aqua, atq; Deum, qui semper magnus, honorant
Aeternum: post quem patres, matresq́; deinde
Ante omnes homines sancti meminere cubilis:
Nec maribus pueris sceleratè congrediuntur,
Sicut Phœnices, Aegyptusq́;, atq; Latini,
Frugiferensq́; aliis cum multis Græcia terris,
Persis, & Galatis, Asianisq́; omnibus, almam
Aeterni legem qui contempsere Tonantis,
Pro qua re Deus in mortales sæviet omnes,
Immittetq́; famem, plangores, bella, malam rem,
Pestem, perniciem, lachrymas, tristesq́; dolores:
Aeternum quoniam sanctè decorare parentem
Nolentes, hominum generis simulachra colebant
Facta manu, stupidi: in rupes quæ iacta cavatas
Mortales abdent, magno cogente pudore,
Cum novus Aegypti rex septimus imperitabit

In pro-

In propria terra, de Græcis annumerandus,
Cui Macedo imperio dominabitur imperiosus.
Ex Asiaq́, aquila veniet rex magnus ad instar,
Ardens, qui terram peditumq́, equitumq́, catervis
Obducet, qui cuncta malis labefacta replebit.
Et regnum Aegypti prosternet, & omnia secum
Asportans, vastum discedet prædo per æquor.
Tumq́; genu flectens album regiq́, Deoq́;
Magno immortali per terras omniparentes.
Et fabrefacta manu consident omnia flammis.
Tunc Deus humanis concedet gaudia magna.
Terraq́;, & arborea stirpes, pecudumq́; caterva
Innumera veros fructus mortalibus edent,
Vinum, dulceq́, mel, niveum lac, quodq́; vel inter
Omnia frumentum mortales adiuvat ægros.
Sed tu mortalis, versuta mente, malaq́;, Admonitio ad homines.
Noli divitijs nimis invigilare, sed illis
Missis, conversus numen placare memento,
Et mactare Deo taurorum corpora centum,
Primigenosq́; agnos, caprasq́, volantibus horis.
Quære Dei facilem æterni placando favorem,
Qui solus Deus est, nec quisquam est alter ab ipso.
Institiam colito, nulliq́, injurius esto.
Immortalis enim jubet hæc mortalibus ægris.
Tu verò magni vitato numinis iram.
Tum cum mortales omnes petet exitialis Tertiæ calamitates.
Pestis, & horribili pœnarum strage prementur,
Et regem capiet rex, terramq́, auferet illi:
Et gens delebit gentem, populosq́, dynastæ,
Diversasque duces omnes fuga pellet in oras,
Mutabitque homines tellus, & barbara totos
Græcorum pingues agros populata potestas
Tollet divitias, & nata seditione

Ipsi inter sese contendet, scilicet aurum
Propter & argentum (tantum malesuada malorum
Cogit avaritia) inque alienis finibus omnes
Nullis claudentur tumulis, inhumataq; sævis
Corpora vulturibus linquens lanianda, ferisq;.
Factaq; cum fuerint hæc omnia funditus, ingens
Relliquias tellus consumet luce carentum,
Semina nec prorsum capiet, nec arabitur ipsa,
*Infelix hominum testans scelus exitiale.**
Tempore longinquo multis volventibus annis
Peltas & clypeos, gessos, diversaq; tela.
Nec de quercetis lignum scindetur ad ignem.
Et tunc sole Deus regem demittet ab alto,
Qui totam terram diris recreabit ab armis,
Occisis aliis, aliis in fœdera iunctis.
Nec verò propria disponet is omnia mente,
Sed laudanda Dei magni decreta secutus.
Atq; iterum magni florebit amata Dei gens
Divitiis, auro atq; argento, purpureoq;
Ornatu: tellusq; parens gaudebit, & æquor,
Plena bonis: etiamq; inter se fervere reges
Incipient ira, meditantes corde nefanda.
Invidia nihil est pejus mortalibus ægris.
Sed crebri terram gentiles rursus eandem
Invadent reges, leti sibi fata ferentes.
Namq; Dei magni tentabunt depopulari
Sacra, virosq; bonos: cum fines ingredientur.
Circum urbem reges perversi sacrificabunt,
Quisq; sui solii dominus, populiq; rebellis.
At Deus ingenti ad socordem voce loquetur
Et tardum populum cunctum, justasq; reposcet
Judicio pœnas, magnus, dextraq; peribunt
Omnes æterna, & cœlo labentur ab alto

In terram ardentes enses, venientq; corusca
Lampades in medios homines splendore micantes.
At terra omniparens illis perculsa diebus
Numinis æterni dextra; piscesq; marini,
Terrestresq; feræ omnes, et genus omne volantum,
Humanaq; omnes animæ, maria omnia, vultum
Aeterni horrescent, exalbescentq; timore.
Ille sed immanes, excelsa cacumina, montes
Rumpet, cæruleique Erebi domus ima patebit.
Excelsis vero putescent montibus antra,
Plena cadaveribus: manabunt sanguine cautes:
Omnia complebunt torrentia flumina campos.
At muros omnes hominum, quibus improba mens est,
Vasta ruina trahet, quia legem iudiciumq;
Nescivere Dei magni: quin insipienter
Hastas sacratam cuncti vibrastis in ædem.
Omnes ergo Deus bello multabit, & ense,
Igneq;, & undati pluvia: tum sulphur ab alto,
Et lapis in densa, perniceq; grandine, cœlo
Depluet, & leto perimentur quadrupedantes,
Tum Deus æternus noscetur, qui facit illa.
Fletus & immensam terram, clamorq; cadentum
Replebit, tacitiq; omnes manante luentur
Sanguine, nec tellus illa de strage cruorem
Non bibet, explebitq; feras caro dilaniata.
Ipse mihi Deus hæc dedit omnia vaticinari,
Magnus et æternus, qui quod vel mente reponit,
Non fieri prorsus nequit, & contingere finem:
Namq; Dei nescit mentiri spiritus orbi.
Interea magni proles secura Tonantis
Circum ædem vivent, & lætabuntur in illis, Beatorum fœlicitas.
Namq; creator erit (qui iudicat omnia juste,
Omnia qui solus princeps regit) autor eorum,

Solus enim præsens claudet munimine tutos,
Ardentiq; velut muro, circumdabit igne.
Ergo urbes nullo bello, sedesq; tenebunt,
Quando nulla manus belli premet: ipsa sed illos
Aeterni armipotens defendet dextera sancti.
Tunc omnes pariter fabuntur et insula, et urbes,
Quanto illos adamet Deus immortalis amore,
Omnia quippe quibus certent prodesse iuvando
Auxiliis, cælum, rapidus sol, ipsaque luna.
At terra omniparens tremefiet tempore in illo.
Tum dulci incipient meditari carmine laudes:
Huc omnes, positis genibus, simul ore precemur
Aeternum, magnumq; Deum, regemq; perennem:
Ad sacra mittamus, solus quando ille potens est,
Supremique Dei legem simul excutiamus,
Quæ sola in toto pollet iustissima mundo.
At nos æterna errantes à lege Tonantis,
Morte caducorum statuas, & signa virorum,
Numina facta manu, fatui ornabamus honore.
Eia age divino in populo per tecta domorum
Suppliciter rerum oblectemus laude parentem,
Arma per extensam relegentes hostica terram,
Per septem longos annis vertentibus orbes,
Peltas, & clypeos, galeas, diversaq; tela,
Tam multos arcus, hastas, celeresq; sagittas.
Neu de querceto lignum scindatur ad ignem.
Sed satis est tandem: iam desine Græcia fastum,
Vtq; Deum æternum magnumq; precere memento.
Mittet et in hanc urbem populum consulta petentem,
Qui de sacrata est magni tellure Tonantis.
Ne Camarinam agita: nam præstat non agitari.
Pardalin é lecto, ne nanciscare malam rem.
Comprime te; tumido neu tantum corde superbi.

Hic versus videtur translaticius.

Vt nihil

Vt nihil indubites durum certamen inire.
Sed magnum venerare Deum, quo participes hac,
Cum finem hoc capiet tempus fatale, diesq;
Iudiciumq; Dei mortalia pectora magnum
Aeterni, magno imperio cogente, subibunt.
Nam terra omniparens fruges mortalibus almas
Edet inexhaustas, olei, viniq;, cibiq;,
Dulciaq; ex alto cœlo rorantia mella,
Arboreos fructus, nitidas pecudesq;, bovesq;,
Agnos, atq; agnas pingues, hædosq; caprarum,
Et niveo fontes erumpent lacte suaves.
Oppida plena bonis, et pinguia culta vigebunt,
Nec gladios metuet, nec belli terra tumultus,
Nec tremefacta gemet nutanti pondere tellus.
Nec bellum, nec erit sentorum squalor agrorum,
Aut famis, aut fruges vastantis grandinis horror.
Verùm pax terris florebit in omnibus alta:
Ad metasq; dati regem rex diliget ævi,
Communemq; Deus toto componet in orbe
Aeternus legem, cœli qui sidera torquet.
Qua quicquid facient mortales lance librabit.
Nam solus Deus est, & nescit habere secundum.
Ipse hominum vires immanes igne cremabit.
Sed mea pectoribus vestris consulta tenentes
Viventem colite, & cultus vitate nefandos.
Confusumq; maris lectum fuge, adulteriumq;.
Enutri proprios natos, occidere noli.
Nam Deus æternus peccantes opprimet ira.
Tunc autem regnum tempus componet in omne
In cunctos homines, sancta cum lege piorum
Donavit gentem, queis terram pandere cunctis
Promisit, portasq; beatorum orbis, & omnem
Lætitiam, mentemq; æternam, & gaudia semper

Duratura. ferent & thus, & munera larga
Omnibus ex terris ad magni fana Tonantis.
Nec venturo hominum generi domus illa futura est,
Prater fidum hominem quem dat Deus, ad venerandum.
Namq; Deo dicent homines genitore creatum.
Omnes & campi, calles, & littora dura,
Et celsi montes, & sæva fluenta profundi
Tunc pedibusq; dabunt faciles remisq; meatus.
Pax etenim terram peragrabit summa bonorum.
Et gladios tollent afflati numine vates,
Vt qui iura dabunt, reges mortalibus æqui,
Divitiisq; homines justis potientur. habebit
Iudicium quoniam magnus Deus, imperiumq;.

Ad ecclesiam.

Gesti læta puella, tibi nam gaudia semper
Duratura dedit cœli terræque creator,
In te habitaturus: tibi lux æterna manebit:
Cumq; lupis agni per montes gramina carpent,
Permixtiq; simul pardi pascentur & hædi.
Cum vitulis ursi degent, armenta sequentes.
Carnivorusq; leo præsepia carpet uti bos.
Et pueri infantes colubros in vincula mittent,
Terrebitq; feras in terris debile corpus.
Cum pueris capient somnos in nocte dracones,
Nec lædent. quoniam Domini manus obteget illos.
Signa tibi vero dicam clarissima, per quæ
Omnia cum terris sint perficienda videbis.
Cum visi fuerint cœli stellantis in oris
Nocturni gladij, casus ad solis & ortus.
Pulvis & è cœlo terram descendet in omnem
Protinus, & medio cursu lux aurea solem
Deseret, & terram fulgenti lumine luna,
Sanguineis guttis stillantibus irradiabit.
Signaq; saxa dabunt, & in alta prælia nube

Cernetis peditumq́, equitumq́, sonantibus auris,
Quali venantes prædas clamore fatigant:
Hanc finem belli faciet Deus incola cæli.
Sed magno regi decet omnes sacrificare.
Hæc sunt quæ moneo Assyria Babylone perfecta, Sibyllæ genus.
In Græcos ignis missus, fanatica cunctis
Exponens divina Dei præsignificata
Mortali ut generi divina ænigmata pandam.
Et tamen ex alia patria me Græcia dicit,
Ex Erythra natam, positiq́, pudoris, at illi
Matre ferent Circe, Gnosto me patre Sibyllam,
Insanam, falsam: sed cunctis deniq́, factis,
Tum celebris vobis ero: nec me dixerit ullus
Amplius insanam, sed vatem numine plenam,
Cui Deus ostendit quæcunq́, parentibus idem
Ante meis, & quæ fuerint, quæ sintq́, futura,
Omnia perdocuit, mentem veracibus implens,
Vt mortale genus (venturaq́, quæq́, fuerunt,
Pandens) admoneam. siquidem cum dilueretur
Mundus aquis, cum vir solus probus exuperavit
Quidam, quem per aquas vexit domus eruta sylvis,
Et pecudes, & aves, rursum impleretur ut orbis,
Ejus ego nurus, eius item de sanguine nata,
Cui prima acciderunt, postrema obstensa fuerunt.
Hactenus ore meo vera omnia prodita sunto.

LIBER QVARTVS.

De Deo, & diversis regionibus ac insulis.

AVdi gens Asiæ nimis, Europæq́, superba,
Hæc quæ mellisono verissima vaticinari
Ore paro, nostro dictata à numine magno:
Non Oracla quidem dantis mendacia Phœbi,

Quem

De Phœbo. *Quem dixere Deum, quem falso nomine vatis*
Vani appellarunt homines, sed numine magno
De Deo. *Flante Dei, quem non hominum manus ulla dolavit*
Mutis assimilem signis, saxoq; politis,
Nec domus est olli, saxum nec in æde sacratum,
Voce carens, surdum, mortalibus exitiosum:
Sed quem de terra mortali lumine non est
Cernere, mortaliq; manu, neq; fingere tactum.
Omnes qui cernens à nullo cernitur ipse.
Cujus in imperio nox est tenebrosa, diesq;,
Lunaq;, sideraq;, & sol, piscosumq; profundum,
Tellus, & fluvij, fontesq; perenne scatentes,
Arborei fœtus, vites, animalia, oliva.
Hic mihi verberibus mentem quatit acribus intus,
Vt tum quæ nunc sunt, tum quæ ventura trahuntur,
A primo, undecimum donec iam veneris ævum
Mortali generi referam certissima. namq;
Ipse mihi pandens narravit cuncta. sed audi
Omnia tu populus, dicit quæcunq; Sibylla,
Vera pietas. *Veridicas sancto fundens ex ore loquelas.*
Felices hominum illi versabuntur in orbe,
Qui laudare Dei supremi numen amabunt
Ante cibum & potum, freti pietatis amore:
Omnia qui visu templa avertentur, & aras,
Ex lapidum vanas stupidorum pondere moles,
Sacrifico fœdas animantum, quadrupedumq;
Sanguine: suspicientq; Dei decus unius ingens.
Nec diram facient cædem: neq; lucra parabunt
Grandia per furtum, quæ sunt deterrima planè:
Nec vetitum alterius cupient fœdare cubile:
Mascula nec turpi maculabunt corpora tactu.
Atq; horum moresq; pios, vitaq; tenorem
Haud imitabuntur reliqui, quibus improba mens est:

Sed

Sed terris illos sannis, risuq́; sequentes,
Affingent illis dementes crimina falsa,
Crudeles, ipsi quęcunq; nefanda patrârint.
Omne hominum genus est monstris accredere durum.
Sed cum iudicium iam tandem venerit orbis,
Censebitq́; pios homines Deus ipse, malosq́;.
Atq; malos rursum tenebras detrudet ad imas:
Tum demum noscent quàm flagitiosa patrârint.
Terra pijs autem nutrix habitanda manebit,
Dante Deo flatum, vitam, victumq́; sed hac sunt
In decimo penitus sêclo omnia perficienda,
Nunc autem à primo sęclo ventura recludam.
Principiò Assyrij mortalibus imperitabunt I
Omnibus, ętatesq́; tenebunt imperio sex. Assyriorũ imperium.
Ex quo cœlestis sævas ob numinis iras
Terras atq; homines omnes, urbesq́;, profundum
Obruit æquor aquis, ex eluvione redundans.
Quos Medi tollent tumidi, soliumq́; tenebunt,
Bina quibus tantum procedent secula rerum. Medorum.
Nox erit in medio spacio tenebrosa diei,
Astraq́; deficient cælos, & luna globosa,
Et tellus magni motus concussa tremore
Vrbes evertet multas, hominumq́; labores,
Emergentq́; maris fundo tunc insula ab imo.
Euphrates sed cum manabit sanguine magnus,
Tum Medi & Persa belli certamine duro Persarum.
Confligent, & ibi Persis vincentibus hastis
Diffugient Medi Tigris trans alta fluenta.
Fiet & in mundo Persarum summa potestas,
Aetas una quibus posita est sine principe felix.
Existent & quas homines odere, mala res,
Conflictus, cædesq́;, fugaq́;, & seditiones,
Excisaq́; dabunt arces urbesq́; ruinas,

Græcia cum planum tranabit ad Hellespontum,
Et tristes Asiæ fastu feret horrida clades.
Ægypti fames. *Deinde per Aegyptum glebosam, frugiferamq́;*
Frugum inimica fames totis grassabitur annis
Viginti: cum nescio quo subter sola terræ
Nilus aristarum pater abdet nigra fluenta.
Xerxes. *In Græcos autem ducet rex magnus in armis*
Ex Asia innumeras naves, solusq́; liquentes
Per fluctus pedibus, per terras navibus ibit.
2 *Quem bello profugum accipiet miserabilis Asis.*
In Siciliam. *Siciliam vero miserandam funditus omnem*
Igneus exuret torrens, immanibus Aetna
Evomitus flammis, & maxima corruet altis
Fluctibus absorpta urbs. aget et discordia Græcos,
Atq; inter sese bellis immane furentes
Multas excindent urbes, multosq́; necabunt,
Cum tamen inter eos anceps victoria ludet.
Sed cùm procedet decimum mortalibus ævum,
Tum Persæ servile iugumq́, metumq́; subibunt,
Porro autem sceptrum Macedo cum victor habebit,
Alexander. *Thebis adveniet tandem expugnatio tristis,*
Inq; Tyro degent Cares, Tyriiq́; peribunt.
Totaq́; littoreis Samus obducetur arenis.
At Delus, non jam Delus, delebitur omnis.
Et Babylon ingens visu certamine parva,
Mœnibus ah nimium fidens spes pascet inanes.
Bactra colet Macedo: qui vero Bactra tenebunt,
Et Susas, fugient in Græcos protinus omnes.
* *liquida cum Pyramus unda*
Ad sacram littus profundens insulam adibit.
Concidet & Sybaris, & Cyzicus, oppida quando
Labentur magno terrâ fervente tremore.
Et Rhodiis clades veniet postrema, sed ingens.

Nec

Nec semper Macedo dominabitur, occiduumq;
Surget ab Italia bellum, cui subditus orbis Italiæ imperium.
Subdet colla, jugis Italis servire coactus,
Procumbentq; tuæ Carthago funditus arces.
Teq; olim motus, infelix Laodicea,
Pronam consternet, rursumque reponet in urbem.
Tu quoq; te captam miseranda Corinthe videbis.
O Lybiæ pingues agri, te terra tremiscens
Pronam sterget humi, cupiesq; agitata cadendo
Quærere diversas fugiens, velut advena, terras.
Armenia & tibi vis instat servilis ab ipsa
Italia, magnum qua numinis eruet ædem.
Sed cum stultitia freti, pietate repulsa,
Infandas facient cædes περὶ νηῶν
Tunc ex Italia rex tanquam transfuga, magnus, Nero.
Perditus, Euphratis fugiet trans perfidus amnem,
Cum scelus infandum patrârit, matre necata:
Multaq; præterea manibus confisus iniquis.
Et circum sacrum Romanum sanguine multi
Fœdabunt terram, patrios cum fugerit ille
Transfines. Syriam verò Romanus adibit Vespasianus
Bellator, qui cum delubra cremaverit igni,
Imbuet horrendam multorum cædibus hastam,
Et Iudæorum latos populabitur agros.
Tunc idem motus perdet Salamina, Paphumq;,
Cum circumfusa Cyprus turbabitur unda.
Flamma sed Italico postquam succensa furore, In his duobus versibus divinavi.
In cælum magno torrens ardore feretur,
Exuretq; urbes multas, hominesq; necabit;
Aetheraq; implebit fuligo multa cinisq;
Et minio similes guttæ labentur ab alto,
Tunc noscenda venit cælestis numinis ira,
Immeritum quoniam genus occidere piorum.

Tunc & in occasum venient certamina belli
Surgentis, profugusq́; vibrata magnus in hasta
Romanus multis trajecto Euphrate catervis.
Infœlix jam non urbem te Antiochia vocabunt,
Stultitiam propter Italis labêre sub hastis.
Et Scyrum perdet tunc pestis, & aspera pugna.
Heu Cypre infœlix, te tempestatibus actam
Iactabit validis vasti maris unda procellis.
Ast Asiæ veniet permagna opulentia, quando
Quæ Tiberius congessit, Nero prodegit. *Quæ sublata domo prædivite Roma recondit,*
Post alia inde quidem præstabit duplice summa.
At vastans urbes Mæandri ad fluminis undas,
Quæ sunt turrita per pulchra depopulabit
Dira fames, fluctus atros Mæander ut abdet.
Verùm quando fidem impietas humana fugârit,
Audacesq́; homines, vitam vivendo scelestam,
Improba crudeles facient, infandaq́; multa:
Nec modo justorum rationem nullus habebit,
Sed perdent omnes vesana mente furentes,
Læti flagitiis, manuumq́; cruore madentes:
Tunc non jam lentus cuiquam Deus esse putetur,
Admonitio ad homines. *Sed genus humanum cunctum disperdere magno*
Aestu durescens. ah vos resipiscite stulti
Mortales, magnumq́; Deum irritare cavete,
Ponite sed gladios, gemitus, cædesq́;, nefasq́;
Et totum fluvio corpus mersate perenni.
Tum manibus passis ad sidera, præteritorum
Poscite factorum veniam, sanateq́; factis
Impia facta piis: nam sic Deus ipse vicissim
Consilium vertet, neq; vos excindet, & iram
Sedabit rursum, si vos modò mente coletis,
Qua nil gratius est illi, pietatis amorem.
Sin autem mihi non credetis, & impietate

Capti,

Cœpti, cuncta malis hac auribus accipietis,
Igni flagrabit mundus, signumq; dabunt hac:
Enses atq; tuba simul, & sole exoriente
Terribilem sonitum, mugitumq; audiet omnis
Mundus, & exuret terram omnem torridus ignis.
Hinc genus humanum postquam deleerit, & omnes
Vrbes & fluvios exusserit, atq; profundum,
Omnia fient hac mixtus fuligine pulvis.
Omnia sed postquam in cineres collapsa iacebunt,
Et Deus obruerit tantum qui accenderat ignem,
Ossaq; cum cinere: orbem tunc iterum Deus ipse
Qui verò impietate *
Peccârint, iterum injecta tellure tegentur.
Contra iterum in terris vivent pietatis amici,
Ipsis dante Deo flatum, vitamq;, cibumq;,
Seq; pijs omnes multum debere putabunt.
O nimium felix, veniet qui tempus ad illud.

LIBER QVINTVS.

NVnc dicenda mihi lugubria tempora, fama
Clara Latinorum, qui post tellure repóstos.
Aegypti reges, habituros proxima regna,
Post civem Pelles, oriens cui paruit omnis, Alexander
Dives & occasus domitori, quemq; Philippo
Restituit Babylon, demonstravitq; putatum
Ammonis falsâ Iovis ortum semine famâ: Romani.
Assaraci existens de stirpe & sanguine creti, Aeneas.
Author erit quorum qui Troia diffidit ignes.
Post reges autem multos, & belli potentes,
Postq; fera geminos capras comedentis, ovesq;, Romulus & Remus.
Primus erit regum, cujus capitalis habebit 1. Cæsar.
Litera bis decies, poterit qui plurima bello, Iulius.
Et numeri formam primam denarij habebit.

Augustus. *Proximus hunc princeps sequitur, quem litera signat*
Prima elementorum, horrebit quem Thracia terra,
Antonius *Et Sicula, et Memphis: Memphis cui causa ruina*
Cleopatra. *Culpa ducum fuit, & mulier servire rebellis,*
Per fluctus elapsa, feret quoq; gentibus ille
Leges, & subiget cuncta. & post tempore longo
Tiberius. *Imperium tradet cuidam, cui prima valebit*
Litera tercentum, qui charum nomen habebit
Fluminis, & Persas, Babylonemq; aggredietur,
Et tandem rigida percellet cuspide Medos.
Caius *Deinde notam trini numeri sortitus habebit*
Imperium
ἐς δέκα ὃς ἔπειτ' ἄρχει κεραίην ἐπὶ πρώτην
ἔσσετ' ἄναξ. κεῖνος δὲ βαθύταῖον ὠκεανοῖο
Nero. ἕξετ' ὕδωρ ἄμπωτιν ὑπ' αὐσονίην ἀΐξας.
Quem vero dominum nota quinquagesima signat,
Dirus erit serpens,, spirans lacbrimabile bellum,
Distentasq; manus perdet sua originis olim,
Cunctaq; turbabit certans, plebemq; trucidans,
Et permulta patrans bifidas & dividet undas:
Et percellet Atho. sed funditus interimetur:
Deinde revertetur, seseq; Deo æquiparabit.
Galba, Otho, Vitellius. *Sed non esse deum tandem Deus arguet ipse.*
Post quem tres reges à sese alterna peribunt.
Vespasianus. *Hinc veniet quidam magnus, cæsorq; malorum,*
Quem nota perspicuè decies septena docebit.
Titus. *Filius ast hujus nota tricenaria monstrat,*
Auferet imperium: post quem fatale tenebit
Domitianus. *Imperium, numeri quem quarti littera signat.*
Nerva. *Hinc quinquagenum numerum vir honestus habebit.*
Traianus. *Quem sequitur, cui dat nota tricenaria nomen,*
Gallus montivagus, properans orientis ad arma.
Triste nec effugiet fatum, fessusq;, iacensq;,

Mortuus externa tectus tellure premetur,
Floris de vento vocitati nomen habente.
Post hunc argento galeatus, nomine ponti Adrianus.
Dictus, regnabit: viris optimus, omnia noscet.
Atq; hac, caruleis sub te insignite capillis
Optime, subq; tuis excellentissime ramis
Omnia tempora erunt. tres rerum summa tenebunt,
Omnibus at tandem potietur tertius ille.
Torqueor infelix, dum tristia fata recordor
Isidi amica ego, qua divina oracula pando.
Principiò circum ima tua lachrymabilis adis
Mænades augebunt: atq; in manibus sceleratis
Vna dies veniet cum tota feretur in arva
Ad sex atq; decem cubitos Aegyptia Nilus,
Abluat ut terram omnem, mortalesq; rigentur,
Et decor, & terra facies speciosa silebit.
Memphi vicem Aegypti multum lachrymosa dolebis: In Memphim.
Nam prius imperio terra dominata potente
Fies vilis, uti de cœlo clamet & ipse
Fulmineus magna voce: ô fortissima Memphi,
Olim mortales inter celebrata superbe,
Infortunata arumnosaq; flebis, ut alta
Immortale Dei cognoscas numen in æthra.
Fastus ubi tuus est, homines tumidissimus inter?
In natos etenim quoniam divinitus unctos
Es bacchata meos, justisq; immitis iniquè
Vsa, bonisq; viris: ideo pro talibus ausis
Talis habenda tibi vestis, pœnaq; luenda.
Iam tibi non inter sedes erit ulla beatos.
Ex astris es lapsa, nefas tibi scandere cœlum.
Hactenus Aegypto Deus hac me dicere jussit
Tempus ad extremum, quô gens humana futura est
Pessima, sed durantq;, maliq; malum opperiuntur,

Iram

Iram immortalis cœlestis & altitonantis.
In simulachrorum cultores. *Proq; Deo lapides & ficta animalia multa*
Religione colunt, trepidi, diversaq;: quorum
Non ullus sermo, mens nulla, auditio nulla est.
Singula nec mihi fas verbis simulachra referre
Mortali fabricata manu. quos namq; creavit
Humanaq; manus labor, ac industria mentis,
Accepere deos stulti, saxóve, vel auro,
Aere, vel argento, factos, lignóve dolatos,
Exanimos, surdos, conflatos ignis in æstu.
Fecerunt illis frustra *
Opprimitur Thumis et Xovis: consiliumq;
Herculis atq; Iovis frangetur, Mercuriiq;
Te quoq; Alexandrea altrix celebris *
Non capies bellum non *

* *Quæ fecisti ante superbe*

Diu taciturna eris & reditus tempus
* *Nec tibi jam suavis potus fluet*
*
*

*

Vastabitq; tuam terram vir pessimus omnem,
Sanguineq; inficiet, diris & cædibus aras
Barbarus immanis, rabie demente tremendus,
Ingentesq; tua structuras stragis acervos.
Tunc eris urbs olim felix, tunc plena laborum,
Plorabitq; tuis Asia omnis compta venustis
Turpe caput donis, ad terram prona cadendo.
Cui verò Persæ contingent, bella movebit
Aegypto, occisisq; viris prædabitur omnem
Victum. et rex Cissis missus divinitus illi,
Vt sic tertia pars maneat mortalibus agris.

Ipse

Ipse ex occâsu saltu veloce volabit,
Terram desolans & vastans funditus omnem.
Sed cum terribiles multum dirusq; valebit,
Iamq; beatorum veniet populetur ut urbem,
Rex quidam fortis missus divinitus illò
Omnes excindet magnos regesq; virosq;.
Sic hominum finis existet deinde perennis:
Heu misero tibi cor, quid me narrare lacessis
Aegypti miserum multo sub principe fatum?
I genus ad stultum Persarum solis ad ortus,
Illis declara, quidnam sit deinde futurum.
Diluvium immittent Euphratis fluminis undæ,
Et Persas perdent, & Iberos, & Babylonas,
Massagetasq; armis claros, atq; arcubus omnes.
Tota Asia igne ardens æquor stillabit ad usq;:
Pergamus insignis quondam succisa peribit.
Desertamq; homines Pitanem, vastamq; videbunt.
Lesbos tota petet fundum, penitusq; peribit.
Smyrnaq; per præceps prolabens flebit: et olim
Quæ fuit insignis famâ celebrisque peribit.
Bithynij patriæ flebunt incendia terræ,
Et Syriæ magnæ, Phœnicesq; arbore crebræ
Eheu te Lyciam, tibi quot molitur acerba
Omnibus in miseram terram vadentibus ultro,
Vt fleat ob motum tristem, latices & amaros
Expers unguenti Lycia, id quod oleverat olim.
Et Phrygiam gravis ira manet, constante dolore.
Propter quem Iovis ivit eò Rhea, mansit & illic.
Barbara gens ab eo Pontus, Tauriq; eribunt,
Et Lapithas ad humum prostratos dispoliabit.
Thessalicos fines undosum flumen, & altum,
Peneus perdet. avens homines avellere terræ.
Eridanus formas dicens generare ferarum.

Græcos vexabunt, miseros bis terq; poetæ,
Nero. Quando ex Italia processum ruperit Isthmi
Magnæ rex magnus Romæ, similisque deo vir,
Iuppiter (ut perhibent) quem de Iunone creavit,
Mellea qui dulci modulamine carmina fundens
Per cœtus, perdet multos, miseramque parentem,
id est Roma. Aufugiet † Babylone malus rex, horribilisq;,
Quem malè mortales omnes odere, boniq;,
Cùm tot ob occisos, tum cæsa matre scelestum,
Conjugibusq; parum fidum, parvisq; creatum.
Et Medos autem reges, Persas & adibit,
Quos primos cupiit, decus & quîs conciliavit,
Inuisæ genti mala commentando per illos.
Sustulit et templum divinitus ædificatum,
Et cives igni miseros combussit, eoq;
Scandentes populos, quos justè concelebravit.
Hoc etenim tremuit rerum natura creato,
Et reges periere, potestas mansit in illis.
Perdiderunt magnamq; urbem populumq; bonorum,
Sed cum astrum stato magnum lucebit in anno,
Quod solum perdet terram omnem propter honorem
Ipsi Neptuno primum posuere marino,
De cælo veniet sidus magnum in mare magnum,
Altumq; exuret pontum, atq; ipsam Babylonem
In Romam. Italiæ terram, per quam periere frequentes
Sancti Hæbreorum fidi, delubraq; vera.
Sed tamen & duros patiere scelesta labores,
Præmia digna tuis factis, desertaq; in omne
Tempus eris, tempus deserta manebis in omne,
Osa solum proprium, quia delectata veneno es.
Mater adulterij, marium teterrima nutrix
Concubitus: urbs mollis, iniqua, scelesta, nefanda.
Eheu urbs terræ prorsum impurata Latinæ,

Manas

Mænas viperea ad ripas viduata sedebis,
Teq; suam uxorem Tiberis lachrymabitur amnis.
Impius est animus tuus & cor cæde cruentum.
Nescis quid possit Deus, & quid cogitet: atq;
Sola (inquis) ego sum non sum superabilis ulli:
Nunc Deus æternus disperdet teq;, tuosq;,
Nec super ulla tui in terris monimenta manebunt,
Vt quondam magnus tibi cum Deus auxit honores.
Sola scelesta mane, & flagrantibus indita flammis
Tartareas habita sedes inamabilis Orci.

Nunc Aegypte tuos iterum deploro dolores.
Memphi laborum autor σὺ τι πληθεῖσα τίνοιτ@. In Memphim.
In te Pyramides audaci voce loquentur
Python urbs olim geminæ urbis condita jure,
Tempus in omne sile, ut finem des improbitatis.
Triste scelus, mænas lugubris, fœta dolore,
Anxificis fletura malis, vidua omne per ævum,
Annosa effecta es mundum tu sola gubernans.
Verùm quando super sordenti vestiet album
Barce vestitum, nolim tum nata fuisse.

Thebe quid facta est tua tanta potentia? dirus In Theben.
Perdet homo populum: tu pullo induta colore
Lugebis sola infelix, & præmia digna
Accipies factis, quæcunque scelesta patrâsti.
Cernenturq; tui planctus, ignara pudoris.
Syenem perdet vir magnus: viq; subacta
Teucharis Aethiopum nigris habitabitur Indis.

O Lybie fletura, quis enarret tua damna?
Quis te autem Cirene hominum miserabile flebit?
Non unquam deerit tristis tibi perdita luctus.

In Gallis auro locupletibus, atq; Britannis, In Gallos.
Oceanus multo resonabit sanguine plenus:
Quippe Dei natis ipsi quoq; damna tulerunt,

In lites nostras, hac mobilis obijce forsan.
Quo pacto dicis tibi persuadebo? quod in te
Si quid reprendo, dico. solis iubar inter
Mortales olim clarum fuit, irradiante
Lumine concordi vatum: totiq; suavem
Humano generi diffundens lingua liquorem
Extitit, & pergebat, & omnibus orta dies est.
Ergo summorum vilissime causa malorum,
Advenient illis gladius, luctusq; diebus,
Principiumq; mali mortalibus exitus ingens,
Quem natura malis fatis vitiata creavit.
Tristem audi famam, pestis mortalibus atrox.
Verùm cum bellis iam Persica terra carebit,
Et peste & gemitu: tunc illo tempore vivet
Iudaûm dium genus, & cæleste, beatum,
Qui terræ medijs habitabunt finibus urbem
Divinam, & magnis ambibunt mœnibus usq;
Ad Ioppen, celsas tangentes culmine nubes.
Non jam terribili sonitu tuba bella ciebit,
Non hostes manibus furiosis interimentur,
Sed statuent mundo præclara trophæa malorum.
Existetq; olim quidam vir ab æthere præstans,
Cujus frugifera distendit in arbore palmas Iosua.
Optimus Hebræus, licuit cui sistere solem,
Clamando pulchris verbis, castisq; labellis.
Desine jam mentem cruciare, & pectora curis, Ad Iudæam.
Diva genus, summè locuples, optate Deo flos,
Lux bona, delubrum venerabile, germen amœnum,
Vrbs elegans, Iudæa venusta, & laudibus alma.
Persica non deinceps Græcus bacchabitur arva,
Impurus, diram qui fert in pectore mentem.
Sed nati multum decorabunt egregij te,
Et modulata sacris dicent tibi carmina linguis,

Omnigenisq́; Deo sacris, precibusq́; litabunt.
Ex parvisq́; malis quicunq; tulere labores,
Multo plura malis justi bona læta tenebunt.
At mali, in æthera qui linguam iecere scelestam,
Dediscent inter sese maledicta referre,
Seq́; abdent, donec fiat mutatio mundi.
Igneus existet verò de nubibus imber,
Nec jam homines pulchras carpent telluris aristas:
Nec satio prorsum fiet, nec aratio, donec
Norint mortales numen quod cuncta gubernat.
Aeternum, neq; jam morti subjecta colantur,
Aut canis, aut vultur. quorum monstravit honores
Oribus Aegyptus stultis, fatuisq́; labellis.
Sancta sed Hebræis erit, & feret omnia tellus,
Et de rupe fluent latices, linguaq́;, suâves,
Omnibus & justis lac immortale scatebit.
Quippe quibus genitore Deo, præstanteq́; solo
Fretis magna fuit cordi, pietasq́; fidesq;.

In Asiam *Verum quid tandem sapiens mihi suggerit hac mens?*
Te te Asia infelix tristi deploro querela,
Ionumq́; genus, Carumq́;, auroq́; scatentum
Lydorum. heu Sardis heu multum Trallis amœna:
Eheu Loadicea, urbs pulchra: peribitis ergo
Motibus eversæ terræ, pulvisq́; redacta.
ἀσία τῇ ὑδροφερῆ λυδῶν τε πολυχρύσων.

Ast Ephesi structum Dianæ nomine fanum,
In Ephesi fanum. *Motibus & vasto subter mare sidet hiatu,*
Præceps, ut naves rumpunt si quando procella.
At lachrymas Ephesus recubans ad littora fundet
Et quod erit nusquam templum gemebunda requiret.
Tum Deus indignans æternus, in æthere degens,
Fulmine præcipites sceleratos desuper uret.
Proq́; hyemis glacie fiet tunc temporis æstas,

Tunc

Tunc homines placida tandem requiete fruentur.
Nam pater omnipotens sceleratos eruet omnes,
Fulgureq́;, & tonitru, flagranteq́; fulmine diras
Exercens iras, & delens flagitiosos,
Terraq́; defunctos plures ostendet arenis.
Nam veniet quoq; Smyrna, suum plorando Lycurgum
Ad portas Ephesi, porrò magis ipsa peribit.
Cuma autem demens cum tactis numine lymphis, Cuma.
In manibus divûm, sceleratorumq́; virorum
Dejecta, haud tantum saltabit in æthera deinceps,
Verùm in Cumæis remanebit mortua lymphis.
Tunc adversa simul degentes perpetientur,
ἐνδήσιν σημεῖον ἔχων ἀνθ' ὧν ἐμόγησαν.
Nam genus invisum Cumanum, gensq́; proterva est.
Hinc postquam in cineres fuerit mala terra redacta,
Lesbus in Eridanum per secula tota peribit. Lesbus
Eheu te Corchera venusta urbs, desine luxum. Corchera.
Solaq́; divitijs Hiera ô spaciosa potita, Hiera.
Sede quidem multi luctus potiere cupita,
Complanata iacens ad flumina Thermodontis.
Petrosa et Tripolis Mæandri ad fluminis amnem, Tripolis.
Nocturnis undis repleta in littoris ora,
Omnino perdet divinum consilium te.
Ne me vicinam Phœbi vastare volentem
Terram *
Miletum mollem delebit fulmen ab alto, Miletus.
Accepit quoniam Phœbi fallacia dicta,
Consiliumq́; virûm prudens, curamq́; sagacem.
Parce ô omniparens teneræ terræ, atq; feraci,
Iudeæ magnæ, tua quo decreta feramus. In Iudæam
Hanc etenim primam novit per munera numen,
Vt videant omnes divino munere primam
Mortales hanc esse, Deo præcellere dante.

Infe-

In Thracas. *Infelix aveo spectare negocia Thracum,*
Et murum bimarem per pulveris aera plenum,
Fluminis in morem piscoso gurgite ferri.
Hellespontus. *Hellesponte eheu, vastabunt Assyrij te,*
Pugnaq; teq; tuasq; evertet Thracia vires.
In Macedonas. *Rexq; Macedonios Aegypti depopulabit.*
Robur & imperij pervertet barbara pubes.
In Pisidis Lydi, Galatæ, Pamphylij, omni
Cum populo armati, certamen triste tenebunt.
In Italiam. *Italia infœlix, deserta, infleta manebis,*
In terra viridi, in saltum sylvamq; redacta.
ἔσαι δ' αἰθέρος οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν
Divinam vocem ritu exaudire tonitrus.
Jam non existent flammantia lumina solis,
Lumine nec claro splendebit luna deinceps,
Cum Deus extremo regnabit tempore: verùm
Omnia per terras caligo nigra tenebit,
Atq; homines cæci, plangorq; furorq; ferarum
Tempore erit longo tunc, cognoscatur ut ipse
Rex Deus, omnia qui cælo speculatur ab alto.
Nec verò tunc ipse suos miserabitur hostes,
Agnorumq; oviumq; greges, vitulos & opimos
Mactantes, vitulos magnos, & cornibus aureis,
Exanimis rebus, divisq; ex marmore factis.
Quod fas est, justisq; placet, sapientia habetor,
Ne Deus æternus succensens deleat olim
Omne genus, vitamque hominum, stirpemq; nefandam.
Aeternus genitor, sapiens Deus usq; colatur.
Sub lunæ finem postremo tempore bellum
Ingruet insanum, fallax, ac insidiosum.
Nero. *Matris & occisor quidam de finibus orbis,*
Vir fugiens veniet, spirans immane, fremensq;,
Omnes qui terras vastabit, & omnia vincet,

Ante hominesq; omnes prudenter cuncta videbit,
Propter quam periitq;, & protinus auferet ipsam.
Et multos homines perdet, magnosq; tyrannos,
Exuretq; omnes, alius faciebat ut olim.
Rursus & attollet collapsos æmulus idem.
Ast ex occasu nascentur plurima bella,
Per tumulosq; cruor rapidos manabit ad amnes.
Atq; Macedonia stillabit bilis in arvis
Auxilium occasus quærens, regiq; ruinam.
Tunc tempestatum perflabunt flamina terram,
Infaustoq; solum bello replebitur ejus,
Inq; homines ignis de cæli depluet oris.
Ignis, sanguis, aqua, fulmen, nox ætheris atra,
Et belli clades, atq; in caligine cædes.
Et reges omnes perdet simul, eximiosq;.
Sic belli exitium capiet miserabile finem.
Nec quisquam gladiis aut ferro belligerabit
Post ea: nec telis, quæ deinceps esse nefas est.
Sed sapiens populus gaudebit pace superstes,
Adversa expertus, lætis ut deinde fruatur.
Matrum cæsores, animos cohibete feroces 2 Ad Romanos.
Audacesq; manus, qui fœdos instituistis
Concubitus olim puerorum: prostibulisq;
Quæ fuerant castæ, meretrices prostituistis,
Flagitiis victas, & fœdè sollicitatas.
In te nam mater nato commixta scelestè est,
Concubuitq; suo genitori filia sponsa.
In te etiam miserum reges os commaculârunt,
In te homines pecudum coitum invênere nefandi.
Deplorata sile, scelerata, urbs luxuriosa.
Non jam perpetuo servatas fomite flammas
Virgineæ invenient in te, divasq; puellæ.
Extincta est isthic ædes peramabilis olim,

Tum cum præcipitem flamma superante secundam
Vidi labentem manibus crudelibus ædem,
Aedem perpetuò florentem: numine templum
Augustum, à sanctis structum, semperq́ue futurum,
Ipsius ex animo speratum, & corpore. quippe
Numen ab obscura terra non segniter ornat:
Nec lapides apud hos opifex fabricavit acutus,
Nec saxum mundi cultum est errore, vel aurum.
Sed magnum patrem cunctorum, quos Deus afflat,
Sacrificando Deum coluere, sacrisq́ue litando.
At nunc quidam rex ignobilis atq́ue scelestus,
Præstantum numero magno comitante virorum
Venit, & hanc prostravit, inextructamq́ue reliquit.
αὐτὸς δ' ὤλετο χέρσον ἀπ' ἀθανάτων ἐπιβὰς γῆν
Necdum tale fuit signum mortalibus ullum,
Vt magnam urbem alij videantur diripuisse.
Venit enim cœli vir ab alta sede beatus,
In manibus gestans divino munere sceptrum,
Omnes qui pulchrè vicit, retulitq́ue bonorum
Divitias ipsis, quas diripuere priores.
Atq́ue solo cunctas urbes multo eruit igni,
Et dedit in flammas populos hominum ante malorum.
Præcipueq́ue Deo dilectam reddidit urbem
Et sole & stellis & luna splendidiorem.
Illic ornatum posuit. tum condidit almum
Corporeum pulchrum templum: turrimq́ue sub auras
Multis in stadijs magnam produxit, & amplam,
Ipsas tangentem nubes, cunctisq́ue videndam:
Omnes ut justi videant, omnesq́ue fideles,
Splendorem æterni; spectacula dulcia, patris.
Ortusq́ue, occasusq́ue Dei celebravit honores.
Non etenim deinceps mala sunt mortalibus ægris,
Furtáve conjugij, in puerósve probrosa libido:

Aut

Aut cædes, turbáve: sed est lis omnibus æqua.
Ultima sanctorum sunt tempora: namque ea condit
Altitonans, opifex templi super omnia magni.
Eheu te Babylon solium aurea, & aurea plantas, In Babylonem.
Annosa ô regina, orbem quæ sola gubernas,
Urbs olim magna, et celebris, non amplius aureis
Montibus, Euphratis liquidas residebis ad undas:
Tempore sternêris motus. ut cuncta domares,
Parthi fecerunt acres. os comprime fœda
Gens Chaldæorum: ne cura, nève rogato,
Quo pacto Persasque reges, Medosque domabis.
εἵνεκα γὰρ τῆς σῆς ἀρχῆς ἧς ἔσχεν ὅμηρα,
εἰς ῥώμην πέμψασα, καὶ ἀσίδι θητεύοντας,
τοιγάρτοι κ' αὐτὴ βασιλὶς φρονέουσ' εἰς κρίσιν
ἀντιχῶν ἥξεις, ὧν εἵνεκα λύτρα πέπονθας.
Proque malis verbis pœnas dabis hostibus acres.
Porro siccus erit postremo tempore pontus.
Tum nec in Italiam vadent per cærula naves.
Tunc Asia illa ferax rerum, redigetur in undas.
Cretaque campus erit: feret & mala tristia Cyprus.
Et Paphus ut sapiat, patietur tristia fata.
Et Salamina urbem magnam, mala tristia passam
Tunc erit infelix, sterilisque in littore tellus.
Cypria non parcæ vastabunt arva locustæ.
Spectandoque Tyrum mortales flebitis ægri.
Phœnice, gravis ira tibi est vectura ruinam,
Ut verè plorent casum Sirenes acerbum.
At quinto sæclo, cum clades desinet olim
Aegypti, reges cum miscebuntur iniqui,
Omnigenæ gentes Aegyptumque aggredientur:
Inque Macedonia, Lyciisque, Asiaque tumebit
Exitiale, & humum sparsurum sanguine bellum:
Qod Romæ reprimet rex, occiduique potentes.

Mutemus mentes: celebretur carmine nostro
Aeternus genitor, pereuntis nescius aevi,
Rex verus rerum cui summa potentia, semper
Magnus, quiq; animas fecit, nutritor earum.
Tunc et in Aegypto templum visetur & ingens,
Et castum, quo sacra feret conjuncta Deo gens.
Aeternamq; dabit Deus illis ducere vitam.
Sed cum desertis impura gente Tryballis
Aethiopes μείωσ' αἴγυπτον ἐῶντε ἀροῦσθαι
Incipient cladem, quo fiant postera cuncta
Nam templum tollent, quo magnum Aegyptus habebit.
In terrasq; Deus duram illis depluet iram,
Vt pereant cunctiq; mali, cunctique nefandi.
Nec penitus deinceps parcetur finibus illis,
Quod non servavere, Deus quod tradidit ipsis.
Ipsa minas solis vidi splendentis in astris,
Nec non & sævas iras in fulgure lunæ.
Sidera parturiere, Deo certare sinente.
Nam longæ pugnam flammæ pro sole serebant.
Lucifer instabat pugnæ, urgens terga leonis.
Est etiam luna mutata ærumna bicornis.
Percussit juvenis tauri nervum capricornus.
At reditum rapidè capricorno taurus ademit.
Orionq; iugum summotum sede removit.
Et virgo gemino mutavit in ariete sortem:
Abdita Pleias erat, Zonamq; draco ipse negavit.
Pisces immersi cinctum subiere leonis.
Cancer non mansit, namq; Oriona timebat.
Scorpius in caudam subijt, præstante leone,
Elapsus canis est flammato solis ab igne,
Luciferi vires accendit aquarius acres.
Commotum cælum pugnantes perculit ipsum,
Iratumq; ipsos in terras præcipitavit.

Sic vada ad Oceani dejecti protinus omnem
Terram incenderunt. mansit sine sidere cœlum.

LIBER SEXTVS.

De Christo.

AEterni magnum natum cano pectore ab imo,
Cui solium genitor tribuit supremus habendum,
Nondum progenito. siquidem de corpore duplex
Extitit. est autem perlutus fluctibus annis
Iordanis, glauco cujus pede voluitur unda.
Ex igne ex primo primus Deus, ὅστι καὶ ἡδὺ
πνεύματι γινόμενον λευκαῖς πτερύγεσσι πελείης
Flos autem purus florebit, cuncta serenans,
Ostendetq́ hominum generi callesq́, viasq́
Cœlestes. omnes sapienti voce docebit.
Justititiam tradet, populum alliciendo vel hostem,
Cœlestis iactando genus laudabile patris.
Pacabit fluctus, à morbis eruet ægros.
Vitam defunctis reddet, pelletq́ dolores.
Et panis de fonte hominum satias erit uno,
Cum domus effundet stirpem Davidica, cujus
In manibus totus mundus, tellus, mare, cœlum.
ἀστεράψει δ' ἐπὶ γῆς ὅιον ποτὲ πρῶτα φανέντα
εἶδον ἀπ' ἀλλήλων πλευρῶν δύο γεννηθέντα·
Tempus erit, cum spe tellus gaudebit alumni.

In Hierosolimam.

At solam Sodomæ tellus mala dira manent te,
Namq́ Dei, malè sana, tui te notio fugit,
Sensibus humanis ludentis: nempe coronam
De spinis illi posuisti, injuria maior
Quó foret: & potum fudisti fellis amari.
Ergo tibi strages ingentes spiritus edet.
O lignum fœlix, in quo Deus ipse pependit.
Nec te terra capit, sed cœli tecta videbis,
Cum renovata Dei facies ignita micabit.

EX LIBRO SEPTIMO.

Hæc confusa sunt, quorum pars est in libro primo.

VRbes inter eris prima, & te prima necabit.
Orba viris, verùm non victus ullius expers.
Deie natabis tu, perq́; undas mobilis ibis.
Cypre maris verò te uxoria diruet unda.
Sicilia exuret te, qui in te exæstuat ignis.
Nec vitare Dei terrorem inamabilis undæ.
Noe quidem venit fugiens ex omnibus unus.
Nabit humus, nabunt montes, innabit et æther.
Omnia fluctus erit, perdentur & omnia fluctu.
Sed venti ponent, atq; ætas altera surget.

In Phrygiam.

O Phrygia, in summas undas tu prima micabis.
Prima Deum verò pulsâ pietate negabis,
Gratificans aliis simulacbris perdita, quæ te
Perdent, infelix, multis volventibus annis.

In Aethiopes.

Aethiopes miseri, lugubria funera passi,
Cadentùr gladiis tremefacto corpore duris.

In Ægyptum.

Aegyptum pinguem, quæ semper floret aristis,
Quam refluens ebrias septeno flumine Nilus,
Mutua civilis prædatio. deinde repente
Eiicient non divum homines mortalibus Apim.
Eheu Laodicea, Deum neq; videris unquam,
Et falsum dices audax, κανσει δ'ἕ σε κῦμα λυκοῖο

Ipse Deus magnus genitus, qui sidera multa
Efficiet, mediumq́; axem suspendet in æthra,
Ingentemq́; metum statuet mortalibus, altam,
Vndiq; quam multo circumdabit igne, columnam,
Cujus sparso homines perdentur rore nocentes.
Nam communis erit rex olim tempus, ibiq;
Placabunt homines numen, neq; tristia damna
Sedabunt: quorum domus est Davidica causa.

Conci.

Conciliavit enim solium Deus ipse, deditq;
Ipsi. sub pedibus verò Genij dormibunt,
Quiq; pyras monstrant, etiam qui flumina monstrant,
Quiq; urbes servant, etiam qui flumina mittunt.
Sed multos homines invadet vita molesta,
Insinuans animis, humanaq; pectora mutans,
Sed de stirpe novum cum germen lumina solvet
τὴν κλισιν ἣν ποτὲ πᾶσα τροφὴν διέδωκε περισσὴν
καὶ τὰ μὲν ἀμφὶ χρόνοις ἔςαι πλέον ἀλλ᾽ ὅταν ἄλλοι
Cum gens Persarum regnabit belli potentum,
Protinus existent, ob sponsarum improbitatem,
Infandi thalami nam natum mater habebit,
Inq; vicem natus peccabit coniuge matre.
Filia succumbens patri (qui barbariei
Mos est) huic faciet somnos: sed posterus ipsis
Romanus Mavors exurget cuspide multa,
Multamq; humano fœdabunt sanguine terram.
Tunc Italus fugiet bellator cuspide victus,
Cælatumq; auro florem in tellure relinquent.
ἐκ προμόλοντα φέρουσ᾽ αἰεὶ σημεῖον ἀνάγκης.
Porro tempus erit, cum fatis tota sinistris
In Troianos. *Ilias haud nuptum, sed combibet improba bustum.*
Atq; ibi plorabunt nymphæ miserabile, quando
Non novere Deum, sed semper tympana pulsu
In Colophone. *Tangere, semper eis crepitacula plaudere cura est.*
Fata require tibi Colophon gravis imminet ignis.
Thessalia infelix nymphis: non amplius aut te,
In Thessaliam. *Aut cinerem cernet tellus. nam sola natabis*
À terra fugiens, ô ærumnosa, relicta.
Et præbebis eis belli vilissima sordem,
Et rapidis fluvijs, & durô diruta ferrô.
Ô miseranda Corinthe, gravis certamine martis
Circundaberis, & vos mutua vulnera perdent.

τῦρε σύ δ' ἡλίκα λήψη μόνη, ἐυσεβίων γὰρ
ἀνδρῶν χωρης εις ὀλίγη φανῆσα διοίσει
δασυερὴ κοίλη Φοινίκων ὕπατον ἀνδρῶν.
οἷς ἐπτερυγομένη κεῖται βάρη * ιας ἄλμη
Non nostri miseranda tuum, quem proluit olim
In Iordan Deum *
ἐν τριτάτοισι καὶ ἔπλαζο πνεῦμα πολλῶ.
Qui prius & terra fuit, & stellantibus oris, Christus.
Factus voce patris princeps, & flamine sancto.
Corpus & indutus celer in patris evolat ædes.
At magnum cœlum tres turres condidit illi.
In quo nunc habitant genitrices numinis almæ,
Spes alacris, pietas dulcissima, relligioq;,
Non auro gaudens, non argento, sed honestis
Cultibus humanis, sacrisq;, & pectore justo.
Vt vero facias magno æternoque Tonanti, Vera sacra.
Augustoq; sacrum, non thuris in igne liquescet
Mica tibi: nullus cultro mactabitur agnus:
Sed consanguineo cœtu stipante tuorum,
Agrestes captas in cœlum lumina tendens
Mittes cum precibus volucres: lymphaq; liquorem
Igni libabis puro, sic voce locutus.
Qui te progenuit verbum castis pater undis
Mitto pater, referat propere quæ verba, volucrem.
ῥαίνων σὸν βάπτισμα δι' ὃ πυρὸς ἐξεφάνθης.
Nec portam claudes, si quis tibi venerit hospes
Indigus, ut fame se defendas, pauperieq;:
Sed caput illius sumptâ conspergito lymphâ.
Terq; tuum venerare Deum, sic voce profatus
Non amo divitias, tenuisq; aliquando vicissim
Accepi tenuem, pater accipe vota secundus.
ἐυξαμένῳ δώσῃ μοι, ἀπήγαγεν ἐκ τότε δ' ἀνὴρ
μὴ θλήψεις με θεῦ ἱερὸν σέβας. ἐκ δὲ δίκαιον

l ἀγνὸν

ἁγνὸν ἀδούλωτοι περὶ γέννα ἐλεχθέν *
Confirma miserum mihi cor pater, intueor te,
Inviolatum te quem non fecit manus ulla.

In Sardo

Sardo nunc gravis, in cineres conversa iacebis,
Insula iam nec eris, decados cum venerit avum.
Nautaq́ te nusquam existentem quaret in undis,
Alcyonesq́; tuum flebunt lachrymabile funus.

In Mygdo-nien.

Aspera Mygdonie, specula insuperata profundi,
Omnem per seriem seclôrum tota senescens,
Perdita ferventi vento lymphata dolore.

InGalliam.

Gallia, difficiles qua montibus accolis alpes,
Omnis arenarum cumulis operibere. nec iam
Fruges, aut segetes paries, herbasve: sed omni
À populo deserta gelu glacieq́ rigebis
Aeternùm, culpamq́uè lues quam perdita nescis.

InRomam.

Roma ferox animi, post fracta Macedonis arma
Fulgure perstringes cælum. sed te Deus omni
Robore privabit, cum firma videberis esse
Imprimis. at tunc tibi talia vociferabor.
Perspicuum periens olim clarumq́ sonabis.
Plura quidem dictura tibi sum Roma deinceps.

At nunc te Syria infelix miserabile ploro.
Thebæ inconsultæ, vobis sonus horridus instat
Vocalis litui: vobis sonitum tuba tristem
Emittet, terramq́; perire videbitis omnem.
Eheu infelix, eheu mare perfidiosum,
Omne vorax ignis te perdet: tu sale gentes.
Tantus enim terris insaniet ignis, aquæ vis
Quanta fluit, terram delebit funditus; uret
Montes, siccabit fontes, fluviosq́ cremabit.
Mundus erit iam non mundus, populiq́ peribunt.
Heu miseri ardentes, & cælum suspicientes,
Cælum non astris rutilum, sed ab igne laborans

At non

At non perdentur subitò: sed corpora sensim
Tabescent, animi totos urentur in annos.
αἰεὶ δυσβασάνιστα θεοῦ νόμον εἰδήσουσι.
οὐκ ἀπάφητον ἐόντα. βιαζομένη δ' ἄρα γαῖα
ὃν τινα τολμήσασα θεὸν ἐπεδέξατο βωμοὺς
ψευδομένη, καπνὸν δὲ δι' αἰθέρος ἄλγεα θέντα.
In primis autem angentur, qui nomine lucri
Turpia prædicent, angentes tempus acerbum.
Hebræi sanè sciderint cum tergus ovile,
Mendaces referent, quæ non sunt dicere iussi:
Verba quidem dantes, facientes lucra dolorum.
Qui mores vertent, nec justi pellicientur,
Quiq; Deum planè sincero pectore placant.
Tertia sed cum sors vertentes duxerit annos,
Octavo primo mundus spectabitur alter.
Nox incredibili caligine longa manebit.
Tunc exhalabit teterrima sulphuris aura,
Nuncia cladis: eis fame dehinc, et nocte peremptis.
Tunc hominum gignet puras in pectore mentes,
Restituetq; genus, fuit ut sibi tempore prisco.
Iam nullus sulcos curvô proscindet aratrô:
Terra nec à bubus ferro scindetur acutô.
Nec spicæ, nec erunt sarmenta. sed omnibus una
Roscida manna simul mandetur dentibus albis.
Nec Deus abfuerit illis, qui cuncta docebit,
Vt sceleratam me. nam quæ scelera ante patravi,
Prudens & studio peccandi perdita feci.
Mille mihi lecti, connubia nulla fuerunt.
Iureq; iurando quosuis perjura ligavi.
Exclusi tenues, & per mollissima rura
Quoslibet admisi, magni secura Tonantis.
Propterea igni sum consumpta, evoq;, nec ipsa
Vivam, sed perdet durum me tempus, ibiq;

Constituent homines bustum mihi ἐπανερχόμενοι με θαλάσσῃ.
Me perimens saxis ἐπί μοι γὰρ πατρὶ λαλοῦσα
Charum dat natum: me cædite cædite cuncti,
Sic etenim vivam, atq; in cælum lumina figam.

LIBER OCTAVVS.

TErribiles toti mundo divinitus iras
Postremi sêcli venturas tempore pando,
Omnibus humanis effundo futura per urbes,
Ex quo collapsa turri discrimina linguæ
Sumpserunt hominum, variatô munere vocum.
Principio Aegypti, Persarum post ea regnum,
Medûmq;, Aethiopumq;, ac Assyriæ Babylonis,
Deinde Macedoniæ fastus effata minaces,
Italiæ quintum clarum dirumq; recludo,
Italiæ imperium. *Extremum pariet quod mundo tristia multa,*
Conatusq; hominum consumet totius orbis,
Occiduasq; feros reges perducet in oras,
Et leges ponet populis, & cuncta domabit.
Sed mola postremò pinset divina farinam.
Omnia tunc ignis perdet, vertetq; minutum
In cinerem, celsos montes, & corpora cuncta,
*Donec causa mali cunctis dementia habendi**
In avaros. *Nam fallacis erit auri, argentique cupido.*
Nil etenim censent homines præstantius istis:
Non lumen solis, non cælum, non maris æquor:
Non vastam terram, quæ procreat omnia: non qui
Donat cuncta Deum, genitorem totius orbis:
Non fidei, non plus tribuunt pietatis amori.
Impietatis fons, perturbandi ordinis author,
Belli causa, hostis pacis, dementia habendi,
Quæ patribus natos, patres inimicat alumnis.
Connubijs nec honos, auro præsente, manebit.

Terra

Terra omnis metas custodes æquor habebit,
Omnibus astutè divisa scatentibus auro,
Vt terram semper videantur velle tenere.
Diripient tenues, ut agris majoribus ipsi
Quæsitis, illos cogant servire superbi.
Quod nisi terra procul cœli stellantis ab oris
Sede remota foret, non lux foret omnibus æqua,
Sed quæsita auro solis locupletibus esset,
Pauperibusq; alium mundum Deus ipse pararet.
Par tibi de cælo, sublimis vertice Roma, Romæ ruina.
Adveniet clades, & flexo vertice prima Romæ ruina.
Complanaberis & tota absumêris ab igni,
In nova devergens sola, divitiæq; peribunt,
Inq; tuis degent vulpesq; lupique ruinis.
Tunc deserta, quasi nunquam sis nata, iacebis.
Tunc ubi Palladium? quis te Deus asseret auro,
Aeréve, vel saxo factus? consulta senatus
Tunc ubi sunt? ubi Rheæ Saturniq; propago?
Aut Iovis? & quorum tot relligiosa colebas
Manes ex animos, simulachraq; luce carentum?
(Infælix quorum se jactat Creta sepulchrũ)
Sedibus exornans vita sensuq; carentes?
Sed tibi cum reges fuerint ter quinq; potentes,
À quibus occasus mundi subigetur, & ortus,
Rex erit albenti galea, qui nomen habebit Adrianus.
Vicini Ponti. mundum pede viset iniquo,
Munera conquiret, magnum auri pondus habebit,
Nec non invisi argenti plus congeret, atq;
Detectum solvet. mysteria cuncta tenebis
Arcani magici: puerum demonstrat & ipsum
Esse Deum: tollet sanctè quæcunq; coluntur.
À capite erroris cunctis arcana recludet.
Ex illo tempus flendum, quia reste peribit.

Praq́; potens populus, urbs corruet, inquiet olim
Noscens continuò venturum tempus acerbum.
Tunc tua lugebunt tristissima fata videntes,
Et miseram sortem, patres, natiq́; tenelli,
Eheu lugebunt mæstas ad Tibridis undas.
Post hunc regnabunt tres ultima tempora habentes,
Implebuntq́; Dei cœlestis nomina, cujus
Imperium nunc est, & tempus in omne manebit.
Tiberius. *Vnus sanè avi plenus diu sceptra tenebit,*
Rex nimis infœlix, qui totius in sua tecta
Congeret orbis opes, servans, ut quando redibit
Nero. *Extremo cæsor matris fugitivus ab orbe*
Omnibus has donans, Asiam locupletet abundè,
Tum tu purpureo imperij nudata nitore
Flebis, & in pullo luctus iterabis amictu.
O rex iactator, Roma prognate Latina,
Iam tuus haud fama fastus celebrabitur ulla,
Prostratusq́; semel nunquam miserande resurges.
Gloria namq́; cadet gestantum aquilas legionum.
Quò tibi tunc vires? quæ te armis terra iuvabit,
Per te nequicquam servire coacta, sceleste?
Nam genus omne hominum toto turbabitur orbe,
Cum pater omnipotens veniet, solioq́; sedebit,
Vt vivos, functosq́;, ut totum iudicet orbem.
Tum nec amicus erit nato pater, ipséve patri
Filius, ob subitos casus, atq; impietatem.
Ex illo excidium, gemitusq́;, fugasq́; maneto,
Oppida quando ruent, & tellus edet hiatus.
Æsculapius Romam advectus. *Ignifer ergo draco liquidis cum venerit undis,*
Prolixo cum ventre, tuosq́; fovebit alumnos
Instantis famis, & civilis tempore belli:
Tum finis mundi, tum lux extrema propinquat.
Iudiciumq́; Dei æterni lectisq́;, probisque,

Sed

Sed Roma praecedet ineluctabilis ira. In Romam.
Infelix vita adveniet, tempusq; cruentum.
Eheu immanis regio, gens barbara valde,
Non animadvertis nuda unde, indignaq; solis
Veneris in lumen, repetas ut rursus eundem
Nuda locum, postremo in ius ventura severum.
Vt jura exercens injuste *
Sola giganteis manibus, quaqua patet orbis,
Delapsa ex alto terris habitabis in imis,
Sulphureq;, & naphtha multoq; bitumine, & igni
Vanesces, & eris cinis ardens tempus in omne,
Quisquis & aspiciet, lugubres audiet istinc
Planctus, inq; Orco dentes stridore crepantes.
Et te dira tuis tundentem pectora pugnis.
Illic divitibus par nox est, pauperibusq;
Omnibus. è terra nudi, nudi sub eandem.
Crescentis vitae tempus mox exitus aufert.
Nullus servus ibi, non est herus, atq; tyrannus.
Non rex, non tumidus ductor, non legibus utens
Orator, non qui discernat iurgia princeps.
Non fuso recalet libantibus ara cruore.
Tympana non resonant, non cymbala *
Tibia multifori non turbat pectora cantu:
Non lituus forma tortos imitante dracones.
Non quae barbarico sonitu tuba nunciat arma:
Non comes ebrietas luxus, non foeda libido:
Non citharae sonitus, non sunt commenta malorum:
Non vis, non variè se versans ira, nec enses
Sunt vita functis, commune sed omnibus aevum.
Claviger ad solium divinum carceris alti,
Et signis auro, argento, saxóve politis.
Pulchra estote, diem quo pertingatis acerbum.
Roma tuas primas cernens poenas, fremitumq;

Nec

Nec tibi iam servile iugum cervice subibit
Aut Syrus, aut Græcus, vel barbarus, aut alius quis.
Excindêre, luesq; quod unquam cunq; patrâsti.
Et trepidans, donec persolveris omnia, flebis:
Tuq; triumphus eris mundo, tu dedecus orbis.
Ex illo sexta defuncti ætate Latini
Reges, postremum vivent, & sceptra relinquent.
In gentem sed rex alius regnabit eandem,
Qui subiget terras omnes, & sceptra tenebit,
Marte suo regnans (ea numinis alma voluntas)
Succederq; ejus stirps inconcussa nepotum,
Nam sic in fatis fixum est, vertentibus annis.
Aegyptus reges postquam ter quinq; crearit.
ἔθεν ὅταν Φοίνικος ἐπέλθη πενταχρόνοιο
Ad gentes veniet diversas depopulandum
Hebræam gentem, tunc mavors marte premetur.
Is Romanorum perfringet tela, minasq;.
Interijt florens Romana potentia quondam.
Vrbibus hinc atq; hinc positis regina vetusta.
Non jam Romanum latum agrum deinde domabis:
Ex Asia quando veniet cum matre potenti,
Omnibus his factis veniet sublimis in urbem.
Porro quater decies complebis, terq; trecentos
Annos, atq; octo, cum te pertingere metam
Tristia fata, tuo completo nomine, cogent.
Hei mihi quando illud tempus miseranda videbo?
Roma tui quandoq;, Latinis sed mage cunctis.
κωμάζει βουλαῖσι τὴν ἐγκρυφίοισι λοχείαις
Ex Asia terra Troia portante quadriga.
Exardens animo. sed postquam ruperis Isthmum,
Aspiciens omnes pelagus trajectus eundo,
Nigro invadetur tunc bestia magna cruore.
Edidit & canis in pastorum damna leonem.

Sceptra adiment autem, quin & penetrabit in Orcum,
Et Rhodijs veniet clades postrema, sed ingens.
Et Thebas manet exitium miserabile tandem.
Aegyptusq́; ducum vitio, culpaq́; peribit.
Et qui tum fugiet casus mortalis acerbos,
Is vir erit felix, is terq́; quaterq́; beatus.
Roma ruet. Delus nusquam deleta patebit.
*Fiet arena Samus **
Postremò Persas quoq; tangent funera tandem.
Ob tumidos fastus injuria cuncta peribit.
Tunc sceptrum castus rex totius orbis habebit,
Perpetuò, in vitam revocatus lumine cassis.
Romaq́; sublimis peraget tum tristia fata.
Hoc autem cunctis humanis fine peribunt.
Sed non parebunt, quanquam præstantius esset.
Sed cum longa dies accreverit aspera cunctis,
Et famis, & pestis, infrenatiq́; tumultus,
Tunc iterum verò princeps miserabilis ante
*Coget consilium, quo pacto perdere possit **
Sicca quidem folijs florebunt in coortis,
In solidoq́; solum saxo cœleste docebit.
Ignemq́;, & fulgur terris, & flamina densa.
Sparsaq́; per totum mundum creberrima tela.
Sed rursum posito facient infanda pudore,
Non hominum veriti, non numinis ipsius iram,
Omne nefas proni patrare, pudoris inanes,
Crudeles, violenti, importuniq́; tyranni,
Mendaces, falsi, perversi, perfidiosi,
Fœdifragi, falsis verbis infando loquentes.
Quos nec opes ullæ satiabunt, pluraq́; quærent
Turpiter, oppressi violenta fraude peribunt.
*Sidera cuncta cadent, puppes maris **
Sidera multa deinceps, splendentemq́; cometam.

Appellant homines stellam mala significantem,
Imminet ut multum bellum, vastatio, strages,
Nolim vivere me tum cum ἰλαρὰ imperitabit.
Sed tum, gratia cum cœlestis regna tenebit.
Cumq́ aliquando puer sacer δηλοφῶν ἁπάντων
Conficiet vinclis pandendo triste profundum.
Mortalesq́ domus concludet lignea statim.
Sed postquam decimum sub terras iverit ævum,
Fœmineum imperium deinceps erit, & mala multa
Afferet ipse Deus, quando regale decorum.
Mœnibus ornatis σύμπαν δ᾽ ἔτος ἤπιος αἰὼν
Et sol nocturnis currens cernetur in horis.
Sidera deficient cœlum, multaq́ procella
Terram vastabit: sublati morte resurgent:
Cursus erit rapidus claudorum: surdus & ipse
Audiet, & cernent cæci, mutiq́ loquentur.
*Et communis erit vita omnibus **
Terraq́ par cunctis sine muro, aut sepibus ullis,
Nec divisa quidem fruges feret uberiores.
Et dulci vino fontes, alboque scatentes
*Lacte & melle dabit **
*Iudiciumq́ Dei æterni **
*Tempora sed postquam Deus immutarit **
*Aestatem ex bruma faciens, tunc omnia **
*Sed cum mundum perdidit **

IESVS CHRISTVS DEI FILIVS SERVATOR CRVCI.

Acrostichis de Christo. *I udicij signum tellus sudoribus edet,*
E xq́ polo veniet rex tempus in omne futurus,
S cilicet ut carnem omnem, ut totum iudicet orbem.
V nde Deum fidi diffidentesq́ videbunt,
S ummum cum sanctis in secli fine sedentem.

C orpo-

C orporeorum animas hominum quô judicet, olim
H orrebit totus cum densis vepribus orbis.
R eÿcient et opes homines, simulachraq; cuncta.
E xuretq; ignis terras, cœlumq;, salumque.
I ncendetq; fores angusti carceris Orci.
S anctorumq; omnis caro libera reddita, lucem
T unc repetet: semper cruciabit flamma scelestos.
V tq; quis occulte peccaverit, omnia dicet.
S ub lucemq; Deus reserabit pectora clausa.
D entes stridebunt, crebrescent undiq; luctus:
E t lux deficiet solemq;, nitentiaq; astra.
I nvolvet cœlos, & lunæ splendor obibit:
F ossas attollet, iuga deprimet ardua montes
I mpedietq; nihil mortales amplius altum.
L onga carina fretum non scindet: montibus arva
I psa æquabuntur: nam fulmine torrida tellus,
V naque & sicci fontes, et flumina hiabunt.
S idereisq; sono tristi tuba clanget ab oris,
S tultorum facinus mœrens, mundiq; d lores.
E t chaos ostendet, & tartara, terra dehiscens,
R egesque ad solium sistentur numinis omnes.
V ndaque de cœlo fluet ignea sulphure mixto.
A tq; omnes homines signum præsigne notabit.
T empore eo lignum, cornu peramabile fidis,
O ppositus mundo casus, sed vita piorum,
R espergendo lavans duodeno fonte vocatos,
C ompescetq; pedo ferrata cuspide gentes.
R ex tibi nunc nostris descriptus in ordine summo
V ersibus, hic noster Deus est, nostraq; salutis
C onditor æternus, perpessus nomine nostro,
I ntegra quem Moses expressit brachia tendens, 3
Vi fidei vincens Amalec. ut disceret esse
Electum patri populus, magnoq; in honore,

 Davidis

Davidis virgam, lapidem in quo constitit; in quo
Cui sua spes posita est, is in omnia secula vivet.
*Non aliter siquidem in decore **
Probrosus, miserè deformis, spem tamen addet.
*Et forma carnis periturae **
Caelestem dabit atq; hominem fictum.

Cui vafer imposuit serpens, ut mortis abiret
In fatum, sciretq; bonumq; malumque quid esset,
Omissoq; Deo serviret morte caducis.
Hujus consilio namq; olim primitus usus,
Sic ait omnipotens: Faciamus imagine, fili,
Ambo de propria moralia semina ducta.
Nunc ego curabo manibus, tu deniq; nostram
Effigiem verbis, ut opus commune struamus,
Ergo ad iudicium veniet dicti memor hujus,
Persimilem formam portans in virginis alvum,
Collustrans lympha manibus senioribus omnes.
Cuncta iubens faciet, morboq; medebitur omni.
Pacabit ventos dicto, sternetq; profundum
Insanum, placidis pedibus calcando, fideq;.
Ad virosa genas praebebit sputa pudentes,
Verberibusq; sacrum tradet proscindere tergum,
Virginem enim castam tradet mortalibus ipse.
Perq; feret tacitus colaphos, ne fortè sciatur
Quis sit, cuius sit, mortalibus unde locutum
Venerit, horrentemq; feret de vepre coronam.
Nam sanctis veniet de vepre aeterna corona
Lectis. tum calamo compungent ilia, legis
More suae. ex calamis etenim quos concutit aura
Ad lites animi sese ira vindice vertit.
Verùm cum fuerint quae dixi cuncta peracta,
Solvitur omnis lex in eum, quae tradita quondam

Ve sus hic videtur esse trans lati eius.

Est

Est placitis hominum; ob populum non morigerantem.
Expandetq; manus, totum metetur ut orbem.
Panibus & quinq;, & binis ex piscibus olim
Millia quinq; virum in desertis exaturabit.
Quin & fragmentis collectis relliquiarum
Bis senos cophinos (ut sit sperare) replebit,
*Felicesq; animas dicet **
*Qui mala derisi pensant bono **
Concisi flagris, & paupertatis amantes.

Cuncta sciens, spectans, auscultans, intima prorsus
Viscera perscrutans nudabit, ut arguat: ipse
Cunctorum auditus, mens, visus, sermo creator
Formarum, omnia cui parent: qui morte solutos
Servat: qui morbo cuiuis curando medetur.
Hunc tandem nacta scelerata & perfidiosa
Contundent alapis palmæ (proh crimina!) divum.
Felle fames eius, sitis illudetur aceto.
Hanc apponet ei gens scilicet hospita mensam.
Scindetur templi velum, mediumq; diei
Nox tenebrosa tribus premet admirabilis horis.
Non etenim deinceps templum legemq; colendam
Arbitrio mundi monstratum est, idq; latebat,
Arbiter ut terras æternus venit in imas,
Devenietq; bonam spem portans omnibus, Orcum
Et triduo somno peraget mortalia fata.
Tum demum linquet manes, lucemq; reviset,
Prima resurgendi lectis vestigia monstrans,
Qui laticis culpas abluti fonte perennis
Præteritas, rursum geniti, planeq; renati,
Jam non infandis parebunt moribus orbis.
Porro suis primum Dominus patefiet, eritq;
Corporeus, sicut fuit ante, manusq;, pedesq;,

Ostendetq; impressa suis vestigia membris
Quatuor, occasus, ortus, boreamque, notumq;.
Nam totidem mundi perpetrant regna patentis
Infandum nimium facinus, nobisq; probrosum.
Salue casta Sion, permultaq; passa puella.
Ipse tibi inscenso rex en tuus intrat asello,
Erga omnes mitis, juga quô tibi, quô iuga demat
Intoleranda tibi, quæ fers cervice subacta,
Solvat & exleges leges, violentaq; vincla.
Hunc agnosce tuum numen de numine natum,
Laudibus hunc ornans, hunc imo pectore gestans,
Diligeque ex animo, ferq; ejus sanguine solve.
Rejice præteritos, áq; ejus amabile nomen.
Nam nec verba tibi, nec eum libamina placant,
Nec sacra (inextinctus cùm sit) mortalia curat,
Sed qui sincero taciturni pectore adorant.
Nosce quis hic nam sit, tum patrem denique cernes.
Tempore torpebunt vidua omnia semina mundi,
Aer, terra, salum, lux ignis fervida, cœli
Cardo dies, noctes, consident omnia in ignes,
Et fiet species quàm desertissima rerum.
Omnia namq; cadent lucentia sidera cœlo,
Nec volucres plumis agiles per inane volabunt,
Omnibus & tellus animantibus orba iacebit.
Non homines edent vocem, volucrésve, feráve
Confusus solitum sonitum non audiet orbis,
Sed magnum sonitum reddet maris unda minacis.
Et trepidi cuncti morientur in æquore pisces.
Nec sulcabit aquas iam pondere navis onusta,
Mugitumque dabit de bellis terra cruenta,
Humanaque animæ frendebunt dentibus omnes,
Vexabuntque malos ululatus, atq; timores,
Cædibus atq; siti, fame, pesteq; deficientes,

Optandum-

Optandumq; mori dicent, fugietq; vocantes.
Nondum mortis enim requiem non noctis habebunt.
Multaq; nequicquam supremi numina patris
Orabunt, sed eos tunc avertetur aperte.
Secula nam septem dedit, usus virgine casta,
Ad resipiscendum spacium mortalibus ægris.
Ipse mihi Deus hac sibi decreta omnia dixit,
Persitterq;, meis quæ sunt dicta omnia verbis.
Novi ego arenarum numeros, mensumq; profundi,
Tellurisq; sinus, tenebrosaq; tartara novi,
Quot fuerint homines, quot sint, quot deinde futuri,
Astrorum numeros, stirpes frondesq; quot usque:
Quot sint quadrupedes, quot pisces, quotque volucres.
Idem nam species hominum, mentesq; creavit,
Et docuit scire, & rationis munia recte.
Lumina qui finxit, quiq; aures: cernit, & audit,
Omnes qui mentis motus tenet, omnia novit,
Et tacet, & tandem convincet suppliciōq;
Afficiet quæ quisq; hominum celata patrarit,
Cum veniet solium ad divinum jura daturus:
Qui nil dicentes, mutos, intelligit, audit.
Et quantum tellus à cæli vertice distet,
Principium, finem, media omnia novit: ab ipso
Omnia sunt, cælum qui, telluremque creavit.
Solus enim Deus est, non est Deus alter ab ipso.
Ast homines sylvis abscindunt robur, & inde In simulachrorum cultores.
Muta suis manibus divûm simulachra figurant,
Quæ decorent ritu, libamentisq; profanis,
Impurasq; colunt nugas, genitore relicto.
Omnesq; assidui vanissima munera libant.
Et tamen hoc ipsum se rentur honore iuvare,
Atq; dapes adolent, ut cassos lumine pascant.
Namq; cremant carnes, & plenis ossa medullis,

Et

Et mactant aris, & placant sanguine manes,
Candelasq; Deo accendunt, qui lumina donat.
Ac tanquam sitiat, vini libamina fundunt,
Mortales ebrij, qui numina vana fatigant.
Non libaminibus, non sacris indiget istis,
Non nidore malo, aut inviso sanguinis haustu.
Namq; (tyrannorum regumq; insania suadet)
Manibus hac faciunt, ceu manes cœlicolæ sint,
Ritus curantes pravosq;, Deoq; carentes,
Effigiesq; suas (rerum genitore relicto)
Marmoreos dicunt divos, pendere putantes
Hinc sibi spem & vitam, surdi mutiq;, malum qui
Credere tàm faciles, à recto prorsus abhorrent.
Ipse vias posuit binas vitaq; necisq;,
Proposuitq; bonam menti sibi sumere vitam:
Ipsa sed in mortem æternam se iecit, & ignem.

Effigies mea homo est rectæ rationis alumna.

Vera religio. Huic tu pone volens puram sine sanguine mensam,
Repletamq; bonis. panem potumq; famenti,
Et sitienti da: nudum tege corpus amictu.
De proprio castis manibus largire labore,
Oppressum recrea: fessi solare labores.
Hac à te detur viventi victima vivens,
Sparge pie semen, Dominus tibi donet ut ista:
Aeternos fructus, æternum lumen habebis.
Vitam incorruptam, cum cunctos arguet igne.
Omnia nam purgans, molem converret in unam.
Cœlum convolvet, telluris operta recludet.
Manes in vitam (fatorum lege soluta,
Et lethi stimulis) ad iudiciumque vocabit,
Iudicet ut tandem mores pravosq; piosq;.
Ariete tunc aries, pastor pastore propinquo,
Et vitulus vitulo admoto censebitur illic.

Quos-

Quosq; sibi nimium fastum sumpsisse patebit,
Et qui cuilibet os obstruxere imperiosi,
Et sibi de sanctis vires peperere sub actis,
Ex partibusque ipsos fecerunt inferiores,
Et studij lucro ducti jussere silere:
Tunc inquam cedent omnes fidiq; probisq;.
Non iam iurgia erunt, non jam dicetur Erit cras,
Aut transivit heri: nec erunt quos crebra fatigat
Cura dies: non ver, æstas, autumnus, hyemsve,
Ortusve, occasusve: dies nam longa manebit.
εἰς αἰῶνα φωτὸς μεγάλου πεποθημένος ἔσαι
Christus Iesus seclorum *
Aeternus, nunquam genitus, planè intemeratus,
Ignitas cœli cohibet qui viribus auras:
Fulminis & sonitum sævo fulgore coercet,
Horrendos tonitrus mollit, pacatq; fragores.
Terram convolvens stridores comprimit *
Fulguris obtundit percussus igne micantes,
Imbris & immodicos fluxus, & grandinis albæ,
Et nubis gelidi amplexus, hyemisq; solutæ.
Singula namq; ipsi coniectant mente, videntur
Quæ tibi, quæq; tuo nato annuis ipse patranda.
Qui tibi & unanimis, & par, res ante creatas,
Humanæ iudex vitæ, sociusq; creator.
Ad quem tu oris prima dulci sic voce locutus:
Condamus hominem proprium, nostræq; figuræ
Persimilem, atq; auram vitalem demus habere,
Cui vel mortali totus famulabitur orbis,
Et ficto ex terra nos omnia subijciemus.
Hæc tu mente tua sic verbo fatus, & ecce
Omnia facta: tibi parent elementa iubenti
Omnia protinus, & rerum natura perennis
Est cum figmento mortali condita rite,

Cælum, aer, ignis, tellus, fluctusque marini.
Sol, luna, astrorumq; chorus, montesq;, diesq;,
Nox, flatus, somnus, vigilantia, visq; volendi,
Vita, intellectus, voces, & robur, & artes,
Atq; immansuetum volucrum genus, atq; natantum,
Mansuetum, bigenus, serpentumq;, ancipitumq;.
Omnia namq; tibi certo ordine disposuisti,
*Temporibusq; petit postremis terram. **
Et brevis egressus Mariæ de virginis alvo
*Exorta est nova lux **
E cælo veniens mortales induit artus.
Gabriel. *Ac primum corpus Gabriel ostendit honestum*
Nuncius, hinc tali affatur sermone puellam:
Accipe virgo Deum gremio intemerata pudico.
Mariæ. *Sic ait: ast illam cælestis gratia molli*
Leniit afflatu. tum virginitatis amatrix
Perpetua, magnô subitò correpta stupore,
Atq; metu, trepida pressit formidine mentem
Ignotis verbis commotô corde tremiscens.
Hinc ut lætificis mens est recreata loquelis,
Erubuit malas ridens puerile venustas,
Lætitia, dulciq; animum demulsa pudore.
Tunc ad se rediit, verbumq; volavit in alvum,
Idq; suo factum, atq; animatum tempore, corpus
Mortali facie cretum est. puer inde creatus
Virgineo partu. mira est mortalibus hæc res:
Sed res nulla Deo patri natoq; stupenda.
Hoc puero nato properavit gaudia tellus,
Cælestis risit sedes, & gestiit orbis.
Divinamq; Magi stellam coluere recentem.
Monstratusq; Dei præcepta sequentibus infans
Est in præsepi, quem fascia circuit, estq;
3 *Dicta Logi Bethlem divino patria nutu*

Capra-

Caprarum atq; ovium custodibus, atq; bubulcis.
** Et tumidos fastus animis odisse modestis,*
Atq; alios prorsum ceu semet amare, Deumq;
Diligere ex animo cum relligione colendo.
Nos igitur sancta Christi de stirpe creati
Cælesti, nomen retinemus proximitatis,
Lætitia memorem servantes relligionem.

FINIS.

Citantur & à Theophilo sexto Antiochensis ecclesiæ Episcopo, in secundo libro ad Autolycum versus ex Sibylla, quorum nonnulli in his libris extant, sed paulo aliter habent. Alii non extant. Hos igitur nos ita in Latinum vertebamus. Sic igitur inquit Theophilus: Sibylla autem, quæ cum apud cæteras nationes, tum apud Græcos vates fuit, in principio suæ vaticinationis hominum genus objurgat his verbis,

Mortales homines, vilissima corpora carnis,
Cur vos effertis, neq; finem cernitis ævi?
Non tremitis, summumq; Deum (quo præside statis) De Deo.
Non formidatis? qui conspicit omnia testis,
Conditor omnia qui nutrit, cunctisq; suavem
Indidit afflatum, mortales qui regat omnes,
Vnus qui solus regnat Deus, atq; supremus,
Omnipotens, nunquam genitus, qui conspicit ipse
Omnia, mortali non aspectabilis ulli.
Corporeis oculis etenim quis cernere verum,
Aeternumq; Deum possit, cælumq; colentem?
Cum neq; splendentis radiantia lumina solis

Sustineant homines mortales cernere contra.
Hunc colite, hunc unum, qui solus regnat in orbe,
Qui solus semperq́ fuit, semperq́; futurus,
Non genitus, per se constans, tenet omnia semper,
Et viget in cunctis mortalibus, atq; vigorem
In hoc versu divinavi. *Sensibus insinuat, communis luminis autor.*
Præmia sed pravæ mentis digna accipietis
Quandoquidem æternoque Deo, veroq́ relicto
In simulachricolas. *Cui decus, & sacro debetur victima ritu;*
Manibus infernis fecistis sacra superbi.
Insaniq́, via recta, veraq́ relicta,
Erratis per iter scopulis & sentibus horrens.
Desinite in terræ noctis titubare tenebris,
Vani mortales: noctisq́ nigrore relicto,
Vtimini (patet en cunctis errore sine ullo)
Solis luce, suo qui lumine cuncta serenat.
Atq; hoc pectoribus sapienter noscite vestris:
Vnus, qui pluvias mittit, motusq́, notosq́,
Est Deus: atq; fames, pestes, tristesq́ dolores,
Atq; nives, glaciem. sed quorsum singula pando?
Imperat & cœlis, & terra præsidet. Ipse est.
De jis autem qui generati dicuntur, ait,
Quod si progenitum est prorsum interit: exq́ virili
Fœmineoq́ nequit membro Deus esse creatus.
Sed Deus est unus solus, rerumq́ supremus,
Qui cælum, solem, stellas, lunamq́ creavit,
Frugiferam terram, pontique fluenta tumentis,
Excelsos montes, fontesq́ perenne scatentes,
Et sub aquis degens genus innumerabile gignit,
Quæque premunt terram serpentia corpora nutrit,
Et varias volucres, seu balbas, sive canoras,
Stridentes, teneras, sulcantes aera plantis,
Et genus imposuit sylvis agreste ferarum,
Subjecit-

Subjecitq; pecus nobis mortalibus omne,
Cunctorumq; ducem fecit divinitus ortum,
Subjecitq; viro quæ vel comprendere non sit.
Namq; quis hæc valeat mortalis noscere cuncta?
Ipse sed hæc solus novit qui condidit unus,
Autor inextinctus, æternus, in æthere degens,
Et multo majora bonis bona præmia reddens,
Iniustosque, malosq;, ira pœnisq; coercens.
Immittens bellum, pestem, durosq; dolores.
Stirpitus, ô homines, cur insurgendo peritis?
Non pudet in divos, feles & bruta referre?
An non est rabies, cæcæque insania mentis?
Tauros furantur divi, prædantur & ollas.
ἀντὶ δὲ χρυσόεντα πόλον κατὰ πίονα ναίειν
σητόβρωτα δεδόρκε, πυκναῖς δ' ἀράχναις δεδιασμαί
Serpentes colitis, stulti, felesq; canesq;,
Et volucres, & quæ serpunt animalia terræ.
Et fabricata manu simulachra, & saxea signa,
Et passim lapidum moles. hæc, vanaq; multa
Præterea colitis, quæ sunt turpissima dictu.
Talia sunt hominum stultorum numina falsa,
Quorum mortiferum distillata ab ore venenum.
At cujus vita est, cujus lux illa perennis,
Lætitia unde viris dimanat dulcior omni
Melle: cui cervix omnis se subdere soli
Debet, quique pius ostendit quà sit eundum
In vitam, his inquam neglectis, insipienter
Ingentem, magnum calicem, plenumq; meraco
Pœnarum haustistis furiosis mentibus omnes.
Nec sobrij vultis sanæque evadere mentis,
Et novisse Deum regem, qui cuncta tuetur.
Propterea fervens ignis vos opprimet ardor,
Semper & in flammis turpes ardebitis, omne

Quandoquidem vanis statuis impenditis ævum.
At quibus æternus colitur Deus, atq; perennis,
Hi vitam degent quæ tempus in omne manebit,
Floriferos hortos paradisi semper habentes,
Et dulcem cœli panem stellantis edentes.

Versus quidam Sibyllini à Lactantio citati, qui neque in Theophilo, neque in his libris extant.

Cum venerit ille
lib. 7. cap. 19. *Ignis erit tenebræ media caligine noctis,*
7. 24. *Audite ô homines, rex imperat ille perennis.*
Omnia sed feret hæc tellus sacra sola piorum
Ex petra mellis latices, lactisq; perennes
Fontes, unde bibant iustiq; pijq; scatebunt.
De ira Dei cap. 23. *Atq; Deum regem cunctorum progenitorem.*
Quem tremit & tellus, cœlum, pelagusq; profundum,
Tartareiq; sinus, atq; ipsi dæmones horrent.

Extant etiam apud eundem Lactantium quædam græca Apollinis oracula, quæ nobis interpretari, & huc addere visum est. Igitur primi libri cap. 7. sic ait. Apollo quærenti cuidam quis esset, aut quid esset omnino Deus, respondit viginti & uno versibus, quorum hoc principium est;

Ex sese constans, sine matre, à nemine doctus,
Immotus, nomen quod verbis dicere non est,
In flammis habitans: hoc scilicet est Deus, at nos
Eius parva sumus Genij pars.

Item

Item libro quarto de Christo loquens inquit: Propterea Milesius Apollo consultus, utrum ne Deus an homo fuerit, hoc modo respondit:

Corpore mortalis, sapiens per facta stupenda:
Iudicibus sed enim Chaldæis captus, & armis,
Clavis & palo finem toleravit acerbum.

Et libro quarto: Polites quidam consuluit Apollinem Milesium (inquit) utrum ne maneat anima post mortem, an resolvatur? & respondit his verbis:

Donec corporeis animus connexibus hæret,
Cedit mortali, patiens humana, dolori.
Sed cum mortali compage solutus, abivit,
Corpore confecto, tum totus in æthera fertur,
Incorruptus ubi maneat, nunquamq́; senescens.
Sic antiqua Dei fieri prudentia mandat.

FINIS.

ANNOTATIONES IN SIBILLAS.

EX LIBRO PRIMO.

1

COelum despiciens.) In Græco neq; sententia apta videtur, neq; versus constat. Puto depravatum.

2. *Est ἅδης.*) Non primus Adamus in orcum descendit, sed Abel. Sed quia fuit Adamus primus hominum (unde et Adam Hebræis hominem significat) ab eo denominatus est orcus. Licet autem hic videre Græcorum errorem, qui hoc nomen græcum esse rati (ut & alia multa) absurdè interpretati sunt.

3. *Sunt elementa novem mihi.*) Hoc nomen quod sit, nescio. Sed cum Noam alloquatur Deus ante factam linguarum diversitatem, non dubium est quin ea lingua utatur, quæ tum sola erat. Hebræam autem fuisse, patet cùm ex nominibus, quibus Adamus animalia nuncupavit, cum ea nomina in Hebræo sermone animalium ferè naturam declarent: tum ex primorum hominum nominibus, quæ in solo Hebraico sermone significantia sunt, ut Adami, ut Caini, ut reliquorum. Quod si ita est, cùm hic Sibylla vocet elementa quædam ἄφωνα (id est consona, sicut in Iesu nomine, Deo volente, declarabimus) oportet aliquas esse literas in Hebræa lingua, quæ vocales appellentur. Atqui nullæ sunt. Omnes enim consonantes vocant, utentes punctis quibusdam vocalibus, quæ neque literæ vocantur, neque numerorum notæ sunt, ut possint in hujus nominis rationem venire. Oportet igitur aut Aleph, He, Vau, Iod, Ain vocales dici: aut Sibyllam græcè loquentem, de aliquo græco Dei nomine

nomine loqui, & quod à Deo hebraicè dictum sit, id ad sermonem græcum accommodare, quasi ipsa græcè, non Deus hebraicè loquatur: quemadmodum in Apocalypsi Iesus dicit, se esse α & ω, nisi fortè ibi græcè loquebatur. Atque hæc quidem in medio posita sint ad considerandum. Ac si cui notum hoc nomen est, eum oro ne studiosos celet.

3 *Vicenos cum bis & unum Complesset soles in undis.*) In arca fuit per annum Noe, ut tradit Moses: sed quadraginta dies complevit in aquis. totidem enim dies pluisse, idem Moses tradit. Nec refert, quod Sibylla addit unum ad quadraginta. Moses enim secutus est numerum quadratum: sicuti cum apud eundem dicit Abrahamus, ante conceptum Isaacum se centenarium esse, cum esset uno anno minus. Sed iudicent alii.

4 *Iactata meo cum conjuge.*) Hic locus nos admonet, ut de Sibyllæ genere & ætate disseramus. Igitur hic, & ad finem tertii libri tradit se nurum esse Noæ, cumque eo evasisse ex diluvio, & Babylone profectam vaticinari per Græciam, falsoque ex Erythra natam dici: ab aliis etiam ex Circe & Gnosto. Præterea in fine libri septimi docet, se iam ardoribus & ævo confectam esse, sed tamen à tempore consumptum iri, neque semper victuram. Ex quibus locis patet, eam diutius vixisse, quàm ferret communis ætas hominum. Quæ res locum fecit fabulæ, quæ ab Ovidio in 14. Metam. posita est, ubi Sibylla ostendit sibi à Phœbo prorogatam esse vitam, seque jam septingentos annos vixisse, & adhuc trecentos esse duraturam. Atque eadem eius vitæ longitudo in causa fuit (sicut ego existimo) ut quæ eadem esset, plures esse putarentur,

quod ea diversis temporibus & locis apparens ,pl urium speciem præberet, non putantibus hominibus eam tamdiu posse vivere, sed aliam esse. Nam quod memoriæ proditum est, Sibyllam quandam fuisse Persicam, ex stirpe Noæ, hæc eam se esse tradit. Erythræam autem putari, quæ alia putata est. Cumæa quoque eadem esse dici potest, ex eo quem citavi Nasonis loco. Itaque videntur aliquanto pauciores fuisse Sibyllæ, quàm vulgo habentur: neque tamen nego fuisse aliquàm multas. Neque est quod mihi quisquam objiciat, Sibyllam tamdiu vivere non potuisse, quòd hominis vitam Deus Noæ dixisset fore centum viginti annorum. quæ res non statim post diluvium accidit, propterea quòd hominum pravis conatibus (propter quos Deus vitam minuit tum diluvio, tum linguarum diversitate cohibitis, non erat necesse hoc decurtandæ vitæ extremum remedium statim adhiberi. Sed id postea adhibitum est, ut Deus futurum dixerat. Itaque Abrahamus centesimo anno senex est. Hoc inquam si quis objiciet, respondebo, Deum de communi & vulgari vitæ curriculo dicere. Nam & Abrahamus, & alii multi diutius vixerunt, & Sibylla vixisse potest, quum Deus nulli sit obnoxius legi, quo minus faciat quod ipsi visum sit. Videtur autem scripsisse quædam ante Saturni seculum. Nam libro primo de Titanibus vaticinatur. Libro autem tertio & narrat, & vaticinatur. sed videtur narratio illa magis esse vaticinatio. Solent enim vates de rebus futuris loqui, quasi de præteritis: quòd Deus (à quo afflantur) futura iuxtà ac præterita videt.

5 *Dono Sabaoth.*) Hoc nomen Hebræum est, & significat

nificat exercitus. Vocatur autem Deus exercituum, quasi tu dicas, armipotens, aut bellipotens: quòd omnibus (quæ usquam sunt) rebus, tanquam militibus utatur.

6 *Vocales quatuor autem Fert, non vocalesque duas binûm Geniorum.*) Hoc ænigmate significat nomen ἰησοῦς Servatoris nostri, quod constat ex quatuor vocalibus literis, & duabus consonantibus: quæ literæ in lingua græca efficiunt 888. Nam: valet 10. η 8. σ 200 ο 7. υ 400. ς 200. Vocat autem ἄφωνα consonantes, literis in φωνήεντα & ἄφωνα, idest σύμφωνα divisis. Quod autem verto, Non vocales duas, in Græco est in fine versus, τὰ δ' ἄφωνα ὂν αὐτῶ. Sed neque versus ratio constat, neque sententia. Itaque ubi est ὂν, legendum est δύ' in quo sanè facilis fuit lapsus, quod inferior pars literæ δέλτα, superiore avulsa, figuram habet literæ ο: superior item, asperi spiritus: media pars autem literæ, quia graciliori tractu calami exaratur, facile potuit exolescere. Litera autem ῦ, qualis in fine scribi solet ν, facile ex υ facta est, subjecta infra partem priorem linea, & deleta apostrophe, quæ sequebatur. Sed quid sit Binùm Geniorum, neque satis intelligo, neque versus satis constat, nisi ἀγγέλων dicimus penultima longa, qua licentia usus est Homerus in βέλος & ἐλώρια. Quod si est, significat Sibylla duos esse genios, quorum nomen à litera σίγμα incipiat, quorum unum alicubi nominat ipsa Samielem: alter qui sit, non video, nisi si est Schelìel. Sed nihil hic affirmo. In sequenti versu pro δόλον, legi debet δ' ὅλον, duobus verbis.

EX LIBRO SECVNDO.

1 *Adonaus.*) Hoc nomen Hebræum est, & dominum significat.

2 *Secula nam septem.*)Arbitror hic seculum vocari lustrum, & significari Christi doctrinam, atque vitam, quæ fuit septem lustrorum.

3 *Qui nomine complet Ortus*) Hoc latinè exprimi non potuit, quod nulla illarum quatuor regionum initium habeat à quarta litera. Hoc autem nomen Adam græcæ linguæ accommodat, non quia græcum sit, sed quia græcè loquitur: idque ex sua persona.

EX LIBRO TERTIO.

1 *Ex Augustinis.*) Augustinos vocat civitatem quæ paruit Augustis, quæ in Apocalypsi (ut & alibi à Sibylla) septicolis appellatur. Ex hac venturus est Belial, qui à Sibylla Belias vocatur: sicut à Græcis Annibas dicitur, qui est Annibal: quanquam Belier paulo pòst appellatur. Sed nihil refert. Is est, qui in sacris literis vocatur Antichristus, & homo perditus. nam hoc significat Hebraico sermone Belial. Est autem diligenter animadvertendum, quemadmodum Christus cum jam adesset, tamen expectabatur, idem etiam in Antichristo accidere. Et sicut prædictum erat, fore ut Messiæ temporibus lupi, pardi, leones, viperæ, & cæteræ feræ mansuescerent, quæ res erat vaticinio more intelligenda, id quod Iudæos fallit: ita quod dicitur Antichristus miracula facturus, in eo magnopere videndum est ne fallamur. Non enim vera erunt miracula: quæ res eos fallit, qui tales sunt in Iesum Deum quales fuere Iudæi in Iesum hominem.

2 *Deinde Macedonicum.*) Secundam syllabam necessariò produxi, Sibyllam imitatus, sicut Latini primam Italiæ. Idem feci in Sicilia.

3 *Nam-*

3 *Namque domus regno.*) Non tam latè quidem regnavit Solomo, sed in eos quodammodo regnare dicitur, à quibus ei munera mittebantur, & quibus metuendus erat, ut est in Psal. 72.

4 *Chium quoque se ipse vocabit.*) De Homero loquitur, qui primo hymno ad Apollinem, Delia das alloquens monet, ut si in posterum interrogentur quem cantorem habeant, quo maxime delectentur: respondeant, hominem cæcum, in Chio habitantem, de se loquens.

EX LIBRO QVARTO.

1 *Assyrij mortalibus imperitabunt Omnibus.*) id est, maximum erit Assyriorum imperium. Non enim toti orbi imperarunt, sed ita dicuntur imperare omnibus, ut Cyrus, qui apud Esdram vocat se regem totius orbis.

2 *Miserabilis Asis.*) Asim vocat Asiam.

EX LIBRO QVINTO.

1 *Cujus capitalis habebit Litterà bis decies.*) Hæc sunt intelligenda in Græco sermone, in quo literæ numerum significant.

2 *Matrum cæsores.*) sic Romanos appellat, propter Neronem matricidam.

EX LIBRO OCTAVO.

1 *Porro quater decies.*) Romani imperii finis intelligendus est, cum Decius XXVI. imperator unàcum filio suo cæsus est à Gotthis, à quibus postea deletum est imperium Romanum. Hoc autem accidit anno ab Vrbe condita millesimo tertio, qui numerus superat numerum à

Sibylla positum numero quinquagintaquinque, cum illa dicat Romam completuram esse annos nongentos quadraginta [octo, qui numerus est literarum nominis Romæ in sermone Græco. Sed ante Decium res iam fuerat Gotthis cum Romanis: & Romanorum imperium perire rectè dicitur, cum Gotthorum (à quibus victi fuerunt) incipit.

2 IESVS CHRISTVS.) Hanc Acrostichidem per omnia imitatus sum, præterquam in ultima litera. Cum enim in græco sit Crux in recto casu, ego verbo latino destitutus, cujus litera prima esset *a*, 'posui Cruci. Videtur autem Cicero audivisse hoc de Christo vaticinium. Nam in libro secundo de Divinatione, de Sibyllæ carmine loquens, disserit his verbis: *Sibyllæ versus observamus, quos illa furens fudisse dicitur, quorum interpres nuper falsa quædam hominum fama in senatu dicturus putabatur, eum quem revera regem habebamus, appellandum quoque esse regem, si salvi esse vellemus. Hoc si est in libris, in quem hominem, aut in quod tempus est? Callidè enim quæ illa composuit, perfecit, ut quodcunque accidisset, prædictum videretur, hominum & temporum definitione sublata. Adhibuit etiam latebram obscuritatis, ut iidem versus aliàs in aliam rem posse accommodari viderentur. Non esse autem illud carmen furentis, cùm ipsum poema declarat (est enim magis artis, &diligentiæ, quàm incitationis & motus) tum vero ea quæ ἀκροστιχίς dicitur, cum deinceps ex primis versus literis aliquid connectitur, ut in quibusdam Ennianis, quæ Ennius fecit. Id certe magis est attenti animi, quàm furentis. Atqui in Sibyllinis ex primo versu sententiæ* primis

primis literis illius ſententiæ carmen omne prætexitur. Hoc ſcriptoris eſt, non furentis: adhibentis diligentiam, non inſani. Quamobrem Sibyllam quidem ſepoſitam & conditam habeamus, ut (id quod proditum eſt à majoribus) iniuſſu Senatus ne legantur quidem libri, valeantque ad deponendas potius, quàm ad ſuſcipiendas religiones. Cum antiſtitibus agamus, ut quidvis potius ex illis libris, quàm regem proferant, quem Romæ poſthac nec dii, nec homines eſſe patiantur. Hæc Cicero. Sed quod dicit Sibyllam hominum temporumque definitionem callidè ſuſtuliſſe, non verè dicit. Nam ea ad finem ſecundi libri apertè dicit, tum venturum eſſe illum regem immortalem, toti orbi dominaturum, cum Roma Aegypto imperare cœpiſſet: id quod accidit paulo poſt Ciceronem, ſub Auguſto, quæ religio iam hominum animos occupaverat, cum de reducendo in Aegyptum Ptolomæo ageretur (ut eſt in prima Familiarium epiſtolarum Ciceronis) qui Ptolomæus à Gabinio reductus eſt. Præterea in libro primo dicit, tum eum eſſe venturum, cum eſſet Johannes baptiſta ab Herode occiſus: Ioannem vocem quandam appellans in deſerto clamantem. Sed qualis futurus eſſet ille rex, neſciviſſe Romanos, ideo minus mirum eſt, quòd ne Iudæi quidem ſciverunt, putantes fore terreſtrem, cum futurus eſſet divinus & cœleſtis. id quod ex Sibylla cognoſci poteſt, cum Deum vocat, & noſtra cauſa ſupplicio affectum. Quod autem dicit de Acroſtichide Cicero, male omnino colligit: quaſi vero ſit difficilius Deo vates agitanti talia fundere carmina ex tempore, quàm Ennio, adhibito & tempore & diligentia.

3 *Dicta*

3 *Dicta logi Bethlehem.*) Λόγος ſermonem & rationem declarat, ſive conſilium quoddam, & prudentiam ac mentem, per quam Deus agat, ſicut homines ſermone & ratione agunt: cuius verbi vis quoniam latinè uno verbo ſatis exprimi non poteſt, uſus ſum Græco. Bethlehem autem Hebræis domum panis ſignificat, in quo oppido natus eſt noſter ille conditor, altor, ſervator, Dei filius IESVS CHRISTVS, Deus ſummis laudibus celebrandus in ſempiternum.

FINIS.

INDEX AVTORVM, QVIBVS AUTOR IN HOC OPERE CONTE- XENDO VSVS EST.

Abenephius
Abulenſis.
Ælianus.
Afranius.
Agathias.
AlbericusGentilis.
Albertus de Roſate.
Alexander ab Alexandro.
AllatiusLeo.
Alphonſus Toſtatus.
AmamaSixtinus.
Ambianates Georg.
Ammianus Marcellinus
Amuſæus Romulus.
Anaſtaſius.
Annius Viterbienſis.
Antonius Auguſtinus.
Apollodorus.
ApolloniusRhodius.
AppianusAlexandrinus.
Apuleius.
Ariſteas.
Ariſtophanes.
Ariſtoteles.
Arnobius.
Arnoldus de Villa nova.
Arrianus.
Artemidorus.
Athanaſius.

Athenagoras.
Auguſtinus.
Aurelius de Fojano.
Aurelius Ludovicus.
Azarias.

Balduinus ICtus.
Baronius.
Barradius.
Barrius.
Baſilius.
BecanusGoropius.
Becmannus, Chriſtian.
Belliolanus.
Benincaſius Cornelius.
Benzo Hieronym.
BerneggerusMatthias.
Betuleius.
Beza. Theod.
Biblia.
Bibliotheca Patrum.
Blondellus David.
Bodinus Iohannes.
Boeclerus.
Boiſſardus.
Bonfinius.
Bonfrerius.
Borræus Claudius.
Boxhornius.
Briſſonius Barnabas.

Brodæus Johan.
Bulenger Julius Cæſar.

Calcagnius Cœlius.
Callidius Octav.
Callimachus.
Camerarius.
Campanella Thomas.
Canterus Theodorus.
Capitolinus Julius.
Capellus Ludovicus.
Carionis Chronicon.
Caſalinus Joſephus.
Caſaubonus Iſaacus.
Cedrenus.
Cerda.
Chalcidius.
Chryſoſtomus.
Cicero.
Clarius Iſidorus.
Claudianus.
Clemens Alexandrinus.
Cluverius Johannes.
Cœlius Rhodiginus.
Columella.
Conimbricenſes.
Coquæus Leonhardus.
Cornelius à Lapide.
Cornelius Nepos.
Corpus Juris Canonici.

P

Corpus

Liranus

INDEX

INDEX VERBORVM ET RERVM QVÆ IN HISCE LIBRIS OCCVRRVNT.

A.

Descensus

Chrystal-

r

osten-

Fontium

 an à

Martis

Oracu-

 tur

Relig

Statua

rum

Eius

FINIS

Digitized by Google